THEATRVM HISTORICVM




Hindorff
THEATRVM HISTORICVM
II. 6. c.



Hindorff

THEATRVM HISTORICVM

II. 6. c.







HEATRVM:HISTORICV



Theatrum Historicum;

SIVE

PROMTVARIVM ILLVSTRIVM EXEMPLORVM, AD HONESTE, PIE, BEATEQVE VIVENDVM CVIVSVIS GENERIS, ET CONDITIONIS HOMINES INformantium, ex antiquis simul ac recentioribus sacrarum & prophanarum historiarum monumentis collectum, & in decem classes secundum Mosaicæ legis præcepta distinctum;

INITIO QVIDEM A REVERENDO VIRO, D. ANDREA Hondorffio, Theologo, idiomate Germanico conscriptum:

IAM VERO, LABORE ET INDVSTRIA PHILIPPI LONICERI, propter insignem vtilitatem, ex illius lectione ad Christianum lectorem redundaturam, latinitate donatum, multisq; in locis auctum, & illustratum.

EDITIO TERTIA PRIORIBVS EMENDATIOR, ET cum aliis multis, tum Indice etiam, summo studio ac judicio collecto, locupletior.



FRANCOFVRTI,

Per Ioannem Feyrabendium. Anno 1593


THEATRVM HISTORICVM

9/16822
N. 3446405



Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego,
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

V 8 4

Theatrum Historicum;

SIVE

PROMTVARIVM ILLVSTRIVM EXEMPLORVM, AD HONESTE, PIE, BEATEQVE VIVENDVM CVIVSVIS GENERIS, ET CONDITIONIS HOMINES INformantium, ex antiquis simul ac recentioribus sacrarum & prophanarum historiarum monumentis collectum, & in decem classes secundum Mosaicæ legis præcepta distinctum;

INITIO QVIDEM A REVERENDO VIRO, D. ANDREA Hondorffio, Theologo, idiomate Germanico conscriptum:

IAM VERO, LABORE ET INDVSTRIA PHILIPPI LONICERI, propter insignem vtilitatem, ex illius lectione ad Christianum lectorem redundaturam, latinitate donatum, multisq; in locis auctum, & illustratum.

EDITIO TERTIA PRIORIBVS EMENDATIOR, ET cum aliis multis, tum Indice etiam, summo studio ac iudicio collecto, locupletior.



FRANCOFVRTI,
Per Ioannem Feyrabendium. Anno 1593

II.6.c.

S.D. 258.I

916822

BIBLIOT. UNIWERSYT. w POZNANIU

1934.473

GENEROSO ET ILLVSTRI DOMINO D. PHILIPPO LVDOVICO, COMITI IN HANAVE ET RHINECK, DOMINOQVE in Mintzenberg, &c. Domino suo obseruandissimo.

INTER pracipua munera, quibus humanum genus ornauit Deus Opt. Max. Illustris & Generose Comes, Domine Clementiss. primas sibi facile illud vendicat, quod historiarum seriem ab initio mundi ad hac vsq; tempora notã esse voluerit. Reuera enim est historiarum illa notitia, lux animos excutientes illustrans, & ab inscitiæ tenebris vindicans, quæ iudicium in homine format, prudẽtiam conciliat, sapientiam alit, qua si destituatur homo, quasi in densissimis palpitans tenebris, & sui ipsius, & diuinorũ operum ignarus fuerit. Nec enim præteritorum meminisse, nedum ex præteritorum & præsentium comparatione de futuris iudicium facere, nec ea quidem, quæ ante pedes sunt, cognoscere poterit, sed stupida instar pecudis, quam natura prenam, ventriq; obedientem finxit, ad ea sola, quæ gulam ventrẽq; explent, rationis & iudicij expers feretur. Huius bestialis stupiditatis cum expultrix sit historiarum cognitio, haud temere omnium dextre iudicãtium calculo, nullum esse vtilius studium, præsertim homini in Rerump. administratione occupato, agnoscimus, quam quod historijs discendis euoluendisq; impenditur. Quocirca eorum labores, qui in cõscribendis historijs suam posteris locarunt operam, & restum in Imperijs, tum in Ecclesia, quin etiam eorum, qui à publicis rebus alieni, priuatarum rerum tenentur studio, nec tamen illustrium interim virtutum expertem vitam transegerunt, magna cum laude & admiratione gestas, memoria prodiderunt, merito veneramur, grataq; mente vniuscuiusq; in tuuanda hominum societate studium amplectimur.

Est autẽ diuersa eorum, qui historias conscripserunt, ratio. Sunt enim qui sua tantum ætatis res gestas literis mandarunt. Ii cum de suo omnia hauriãt, & magna verborum ordinisq; dexteritate res maximas ad posteros transmittant, maiorẽ reliquis omnibus merentur laudem & gloriam. Sic olim Thucydides bellum Peloponnesiacum, Xenophon libros ἀναβάσεως Cyri & Ἑλληνικῶν, & superiore ætate Leonardus Aretinus, hac nostra vero singulari cum gratia Paulus Iouius, Ioan. Sleidanus, Lampridius Hortensius, Ludouicus Guicciardinus, & natalis Comes suorum temporum res gestas descripsere. Qualium Scriptorum copia olim destitutam fuisse Germaniam, merito deploramus.

Alij vero a mundi initio, iuxta temporum seriem, omnium atatum, præcipuarumq; gentium, hinc inde ex diuersis excerptas, & in ordinem redactas annalibus res gestas, tum Imperiorum initia, incremẽta, euersiones, & maximarum rerum, inprimis in Ecclesia, mutationes succincto ordine, & concinna methodo nobis ob oculos ponunt. Inter quos solidam laudem merentur ex recentioribus, Ioãnes Capnion, Rodolphus Agricola, tum etiam Sleidanus, vbi de quatuor Monarchijs luculenter agit, & inprimis extra omnẽ aleam ingenij positus Philippus Melãchthon. Hi siquidem non solum suorum temporum memoriæ consulunt, sed omnium etiam atatum res gestas, quæ, dum cõfusaneis scriptis hinc inde dispersa iacent, vel facile interire, vel difficulter à quouis euolui poterant, Lectori quasi in theatro quodam spectandas exhibent.

Sunt deniq; alij, qui tum ex axtiquis, tum etiã ex recentioribus historijs, illustria virtutum & vitiorum exempla collecta, in locos cõmunes digerunt, eaq; in re, non tantum ijs, qui rerum cognoscendarum tenẽtur studio, consulunt, sed eorum etiam, qui virtutibus illustrent, quas vel humana Philosophia, vel Sacrarum literarum commendãt oracula, iuuant industriam, adeoq; vsum omnium historiarũ in vita hac & cõsultationibus dextre instituendis, monstrãt. Ex qua conscribendi historias ratione, multi non minimum laudis sibi peperere. Inter quos tum vetustate, tum elegãtia primas sibi iure vendicat Val. Max. quem æmulatus Baptista Fulgosius, insignia Imperatorum, Regum, Principũ, aliorumq; virorum illustrium, tum etiam eorum, qui vitam agunt priuatam & quietam facta mira elegantia in certas virtutum vitiorumq; classes redegit. Nec etiam Sabellicus & Ioannes Baptista Egnatius, parem historias colligendi viam ingressi, mediocrem laudem meruere, tum etiã Guido Bituricẽsis, & Marulus Spalatensis, ne dicam de antiquioribus, Heraclide Ponticõ, Æliano, Polyano, quorum diligentiã eo gratiore animo amplectimur, quod ex vastissimo historiarum campo cognitu dignissima Lectori suppeditent, & in quem vsum cognoscenda sint historiæ sub vnoquoque titulo Lectori non prorsus oscitanti, ostendant.

Fatemur quidem præstare historias integras ex suis fontibus cognoscere, & iuxta temporum, atatum, & Imperiorum seriem eas obseruare, attamen & hic tum describendi, tum legendi historias modus, suum etiã habet fructum. Quotus enim quisq; est, cui sic legendi historias suppetat otium, vt singulas singularum atatum res gestas, integras euoluere possit? vel cui ea fœlicitas sit ingenij, & memoriæ, vt nõ etiam in locos communes, vel certas classes, eas redigere necesse habeat, vt inde eius pröptu sit, ad suum vnamquamque accommodare vsum?

Cum ergo non sine laude in historijs prophanis eam sibi operam multi sumpserint, non minimã certe meruisse gloriã videbitur Andreas Hondorffius, sacrosancti quondam Euãgelij praco syncerus, qui vt communi gratificaretur patriæ, inprimis autẽ ijs, qui pietatẽ colere sibi laudi ducunt, & studio habent, nouam ingressus viam, Diuinæ legis Præcepta sibi, vt

bi, & locos cõmunes præfixit, in quos præcipuas non solũ & triusq; Testamenti, verum etiam omnium ferme ætatum & gentium historias distribueret: hoc suo labore & ordine præcipuũ nobis historiarum vsum commendans. Nam cum Diuina lex in eo consistat, vt & DEVM toto corde, tota anima, tota mente, omnibusq; viribus diligamus, & proximum nostrum sicut nos ipsos: omnium profecto Patriarcharum, Prophetarũ, Regum, Ducũ, & cuiusuis conditionis hominũ, qui à pietatis studio nõ sunt alieni, cogitationes, cõsilia, studia, facta, eo dirigenda erũt, vt ijs & DEVS honoretur, & proximi salus promoueatur, ideoq; omnia ea iuxta decem Præcepta Decalogi iudicari, ipsius pietatis, quæ legem naturæ indiuiduã habet comitem, exigit ratio. Sic etiã impiorũ hominũ, cuiuscunq; sint loci vel ordinis, consilia & facinora, tũ demum impietatis odium, animis nostris ingenerabunt, cum & illa iuxta Præcepta Diuinæ legis examinabuntur. Nec vero historiarum vsum & fructum intelligit, qui non accurata industria, ad quodnam Decalogi Præceptum vnamquamque referri deceat, in ijs legendis obseruabit: & virtutum, quas lex Diuina mandat, præmia, vitiorum vero & scelerum, quæ prohibet, pœnas, singulari studio animaduertet. Quæ si negligatur in historijs legendis ratio, quaso quid inde fructus expectandum?

Quare si aliorum methodum, qua varias ab omni virtutũ & vitiorum genere desumptas, illustrium exemplorum & historiarũ classes cõstituerunt, probamus: cur erga hanc iniquiores esse velimus iudices, qua in constituendis locis communibus nullam plenioremi, nullam artificiosiorem, nullam pietatis studioso fructuosiorem habere possimus? Caterũ me etiam tacente, aliorum tamen iudicia, quid de Hondorffij illo opere, Germanice quidem ab ipso edito, statuendum sit, euidenter satis testãtur. Nam adeo pleriscq; omnibus charum, adeo ab omnibus, qui tum pietatem, tum literas colunt, expetitum fuit, & adhuc expetitur, vt intra paucos annos Typographis aliquoties fuerit recudendum.

Qua motus causa Sigismundus Feyrabendius, vir de omnibus literarum studiosis optime meritus, & Reipubl. nostræ Bibliopola laudatissimus, mihi author fuit, vt librũ istum Latinitate donare aggrederer. Sic enim futurum sperabat, vt multo pluribus, quam hactenus factum, inseruiret liber iste, si Latia indutus veste, & plures Germaniæ regiones, & exteras quoq; nationes adiret. Quain re cum præfixum sibi scopũ haberet pulcherrimum, publicam nempe vtilitatem, facile ipsius consilio & petitioni acquieui, præsertim cum nõ iucundum mihi futurum videretur exercitium, ob miram pulcherrimarũ historiarum varietatem. Qua itaque industria & fide potui, Historicum illud theatrum Germanico primum Idiomate, ab Andrea Hondorffio constructum, in Romanũ forum producere, & nouis passim scenis exornare, reiectisque tritis quibusdam lacernis, noua intertexere aulæa conatus sum.

Ne autem fidi Mecœnatis præsidio destituti in lucem emitterentur hi mei labores, tua potissimum Generosa Dominationi, Illustris Comes, Do-

mine clementißime, eos offerre visum est. Nam cum præ reliquis Germaniæ proceribus, ob humanitatis studia, linguarumq; cognitionem, multarumq; rerum peritiam, quam Generosa animo tuo conciliauit industria, dum non solum præcipuas Germaniæ Academias, & Respub. sed etiam Italiæ & Galliæ celebriores vrbes, & Vniuersitates peragrasti, illustris sit nominis tui gloria, multarumq; virtutũ heroicarum in mente tua eluceant exempla, nihil me virtute tua alienum facturum putaui, si sub clarissimi tui nominis patrocinio, opus hoc, in quo selectiora omnis generis virtutum continentur exempla, publicari curarem. Non solum enim T. G. huic qualicunq; operi, si illud patrocinio suo non dedignabitur, multum commendationis addet, verum etiam alijs, qui in summo honorum gradu constituti, ad Resp. gubernacula sedent, exemplo fuerit, ne studia humanitatis Cyclopico fastu contemnant & exibilent.

Ad hæc cum Ill. tuam Dom. patria tandẽ sceptra capessentem, quin etiam fœlici omine, & Christo auspice, ad dignas Principe nuptias iam animum adijcientẽ, complures præter subditos, crebris & votis, & gratulationibus prosequantur: & ego vel postremum mihi inter istos locum vendicans, mea cũ illis vota contungo, tuæq; Ill. Dom. pijsq; captis omnia prospera & secunda precor, & vt animi mei erga C. T. affectum publico testimonio declarem, munus hoc literarium tuæ Dominationi offero, quo ex præcipuis omnium ætatum, & variarum Gentium rebus gestis, pulcherrimarum virtutum exempla pio Lectori repræsentantur.

Cum autem pudor quidam subrusticus primũ ab hoc proposito me deterreret: cõfirmauit animum meum hæsitantem, vir antiquæ virtute & eloquentiæ præditus, Ioan. Fichard. Iurecõs. celeber fautor & Mæcenas studiorum meorum vnice mihi colendus: A quo cum eximias animi tui dotes, excellentem linguarum, omnisq; generis doctrinarum scientiam, humanitatem singularem, prædicari audirem, non solum optima spe erectus fui sed etiam nouus ardor animum incessit, hasce meas lucubrationes T. C. offerendi.

Quare Generosam tuã Excelsitatẽ, Illustris Comes, studio subiectissimo oro, vt quas offero lucubrationes historicas, ea humanitate, qua erga alios etiã bonos viros à literis humaniorib⁹ non alienos affecta esse solet, amplecti dignetur, & me in aliquo suorũ clientũ numero esse patiatur.

Faxit æternus Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, vt in Nestorios annos patria tua tuas decus & præsidium, & sub Ill. tua Dom. tum pietatis, tum reliquarum virtutum exercitia inter subditos sta vigeant, vt per ea & nomen Dei glorificetur, & salutaria, adeoq; in omne ævũ memorabilia exempla ad proximũ promanent. Francof. Cal. Sep. An. 1575.

T. G.

Obseruantiss.

Philippus Lonicerus.

THEA-

THEATRVM HISTORICVM, SIVE PROMPTVARIVM ILLVSTRIVM EXEMPLORVM, CVM VETERVM, TVM *recentiorum, ad bene beateque viuendum, iuxta ordinem Decem Præceptorum Decalogi.*

PRIMVM PRÆCEPTVM.



PRIMI Præcepti virtutes maxime insignes sunt, vera Dei Agnitio, Fides, Dilectio, & Timor Dei. Quibus omnes eos, qui Christo nomen dederunt, ita studere conuenit, vt æterno Deo soli seruiant, eum honore afficiant, atque inuocent; adeoque in Christo Filio nobis donato, firma fide ipsi soli adhæreant, nec vllis à fidei huius confessione periculis, aut tormentis auelli se patiantur. Huius constantiæ Exempla in primis illustria, tum etiam horrendæ impietatis eorum, qui obstinate & contumaciter primum hoc Præceptum violarunt, in subiectis Historijs nobis ob oculos sunt posita, quas non sine fructu euoluet, quisquis syncerę pietatis studiosus fuerit.

Primum omnium præclarissima Fidei exempla, ex Prophetarum Scriptis desumpta, suppeditat nobis Epistola ad Hebræos, cap. 11. quibus addantur & hæc sequentia:

Per Fidem à DEO impetrat IOSVA, vt Solis cursus spacio integri diei inhiberetur. Iosuæ 10.

GIDEON aram & lucum Baalis in domo patris euertit, & altare Domino ædificat. Victoriæ signa, adeoq; victoriam ipsam, fugatis cæsisq; Midianitis, ex animi sui sententia, per fidem à Domino impetrat. Iudicum 6.

Per fidem DAVID adolescens instructus funda & lapillis, Goliadum viribus & vastitati corporis confidentem, armatum hasta & clypeo, nomine Dei sui inuocato, vno ictu prosternit, gladio proprio obtruncat, & spolia opima corpori detrahit. 1. Sam. 17.

IOSAPHATVS, Rex iustissimus atque optimus, in summo corporis & vitæ periculo constitutus, cum Moabitis, Ammonitis, aliisq; gentibus finitimis, non tam pugnauit armis & milite, quam precibus, laudibus, votis, gratiarum actione. Hostes enim vulneribus sese mutuis confecerunt, tanta præda, totq; spoliis post se relictis, vt miles in colligendo totos dies tres consumeret. 2. Paralip. 20.

EZECHIAS, Rex Iudæ, Dei amans, & rectæ religionis instaurator, Regis Assyrij Senacheribis Præfectum Rabsacem prostrauit fide & precibus, ita, vt vna nocte centum octoginta quinq; millia hostium ab vno Angelo cæderentur. Idem in morbum incidens, vitæ annorū quindecim impetrat accessionē, & miraculo cœlesti, Sole ipso retrogrado, confirmatur.

Rex IOSIAS, moris maiorum & religionis assertor, omnisque superstitionis hostis acerrimus, templum ab auo & patre violatum purgat, laceratum redintegrat, libros Mosis repertos diuulgat, & in publicum refert, syncerumq; Dei cultum, per multos annos intermissum, diuino zelo, & ardenti fide instaurat. 4. Regum 23.

SADRACH, MESACH, ABEDNEGO, iuuenes ad res maximas nati & accommodati, erectum à Rege è diuersis metallis colossum cum adorare nollent, in caminum ardentem ligati coniiciuntur: sed seruati à filio Dei, cum ipsis in flammis exiliente, & ita æstus reprimente, vt neque capilli corporis, neque fila vestimentorum, igne læderentur, vtq; ardori fidei ardor cederet etiam incensi septuplo ardentius camini maioribus quā antea dignitatibus euehuntur, propter suam constantem in Deum pietatem atque fiduciam. Dan. 3.

DANIEL, qui in vniuerso Chaldæorum regno euasit optimus, sapientissimus, maximus, nulla calūnia adigitur, nullo periculo terretur, vt suū Deo æterno cultum detrahat, eaq; de causa coniectus in leonum foueam, pascitur & seruatur ab Angelo: quem conseruatum, Rex Darius gaudens, omnibus gentibus per vniuersum imperium suum edicit, vt verum & vnicum Danielis Deum colant atque adorent. Daniel. 6.

ABUSUS TRIMI PRÆCEPTI.

FILII Israël aduersus Deum suum, cuius fidem in seruādo fœdere, potentiam & maiestatem in prosternendis hostibus, misericordiam in saluando populo suo perspexerant, grauissime delinquunt, vitulum conflatilem adorantes, atque immolantes ei hostias. Exod. 32.

Aaronis fi. lij.

NADAB, & ABIHV, Aaronis natu maiores, pietatis & muneris sui, & gloriæ Domini obliti, patris auctoritatem spernunt, & contra legem Dei munus indebitum vsurpant. Sua igitur contumacia & superbia, vetitum in deserto ignem adolentes, igne repentino cœlitus immisso, miserabiliter consumuntur. Leuit. 10.

Israëlitæ ad vetita & libidinosa Moabitarum sacrificia illecti, idolo Balpeor initiantur. Ex mandato itaq; Domini, ira aduersus populi fornicātis peccata exardescentis, duodecim principes Israëlitarū suspenduntur, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum. Numeri 25.

Israëlitæ fornicãtes cum Diis alienis & adorantes eos & seruientes Baal & Astharot, deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum. Iratus itaq; Dominus, tradidit eos in manus diripientiũ. Iud. 2. 3. 4. & 6. c.

Porro quantopere per idololatriam offendatur Deus, Esaias 8. cap. edisserit.

Quantorum item malorum causa Iudæis fuerit idololatria, Propheta Ieremias quadragesimo quarto capite ostendit.

Singulari industria & sagacitate idolum Babylonicum, detectis sacerdotum fraudibus, Daniel euertit, & serpentem, qui pro numine colebatur, obiecta offa necat. Daniel 14. & in Apocryph.

SOLOMON Rex, mulierum externarum amoribus insanis correptus, & ab illis occæcatus per blanditias, Deos gentiles adorauit, & in eodem monte, quo Dei templum stetit, Astartæ fanum posuit, vt alijs locis, Dijs alijs. quibus scandala in populo Dei horrenda sunt excitata. 2. Reg. 11.

MOLOCH, quem Iouem tyrannum nominat Prudentius, idolum fuit infame & execrandum, cui liberos suos viuentes, impij parentes exemplum Abrahæ detestabili zelo imitari volẽtes, immolarunt, eosq; igne lustrarunt. 4. Reg. 23. 2. Paralip. 28. 33. 4. Regum 16. Lyra in Leuit. 18. cap.

IEROBOAMVS Rex, hypocritarum pertinacissimus, vitulos aureos in duobus regni finibus erigit, & dies festos & tempus adorationis per hypocritas instituit, pios & synceros Sacerdotes, ciuesq; mores veteres retinentes, agit in exilium. 3. Reg. 12. 13. 14.

ACHABVS, Regum omnium impijssimus, auctor fœdissimarum superstitionum, idolum Baal pertinaciter coluit. Verum & Rex ipse, & cõiunx eius, impia Iezabel dignas impietatis suæ pœnas tandem luerunt, quin & Baalitici Sacerdotes ab Elia Propheta vanitatis conuicti & extincti sunt. 3. Regum 18. & 22. & 4. Reg. 10.

OCHOSIAS, Achabi filius, parentibus pessimis simillimus, de salute sua legatos ire iubet ad Beelzebub, Deum Philistinorum, cuius impietatis suæ pœnas dedit atrocissimas, anno regni sui secundo, nullo hærede post se relicto, extinctus. 4. Regum 1.

IEHV, Rex Israëlis, Baalis sacerdotes insidijs in vnum collectos, interficit vniuersos, & e templo eius cloacam publicam facit. 4. Reg. 10.

Dereliquerunt filij Israel omnia præcepta Domini Dei sui, fecerunt que sibi conflatiles duos vitulos & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cœli, seruieruntq; Baal, & consecrarunt filios suos, & filias suas per ignem. Proiecit itaq; Dominus omne semen Israël, & afflixit eos, & tradidit eos in manus diripientium, donec proijceret eos a facie sua. 4. Reg. 17.

MANASSES, Rex Iudę, cultus diuinos mutans, gentiles instituit, omnia cœli signa adorat, filium suum Molocho immolat, & igne cremat. Regum. 4. cap. 21.

DE MARTYRIBVS.

PRIMVM Præceptum sua confessione, & fide firmissima, honorarunt omnes sancti Martyres, qui propter Christum, & verbi diuini veritatẽ, sanguinem suum profuderunt, quorum quasi catalogum quendam subiungemus. Semper autem in conspectu nobis erunt subiectæ sententiæ:

Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum. Psal. 116.

Quisquis perdiderit animam suam causa mea, & Euangelij, hic seruabit eam. Quemcunque puduerit mei, ac meorum sermonum, in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis, vbi venerit in gloria patris sui, cum Angelis sanctis. Marci 8.

Certus sermo, Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos. 2. Timoth. 2.

Quis nos separabit a dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculū? num gladius? Quemadmodum scriptum est: Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oues destinatæ mactationi. Verum in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, quod neq; Mors, neque Vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; Potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura alia poterit nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Rom. 8.

Iustus autem ex fide victurus est, & si se subduxerit, non probabitur animo meo. Habacuc 2. Hebr. 10.

Diuus Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 15. Ecclesiæ in impio hoc mundo degentis statum in Abelo præfiguratum esse docet. Abel, inquit, quem maior frater occidit, præfiguratione quadam peregrinantis ciuitatis Dei, quod esset ab impijs, & quodammodo terrigenis, id est, terrenam originem diligentibus, & terrenæ ciuitatis terrena fœlicitate gaudentibus, persecutiones iniquas passura, primus ostendit.

Noti sunt versus de Ecclesiæ afflictionibus & persecutione.

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine coepit,
Sanguine succreuit, sanguine finis erit.

CONFESSIO ET MORS DVODECIM APOSTOLORVM, EVANGELISTARVM, & aliquot Prophetarum.

DIVVS PETRVS.

DIVVS Petrus Bethsaida, qui vicus est Galilææ, oriundus, ex piscatore factus Apostolus, Spiritus sancti gratia impletus, Euangelium Christi primus Hierosolymis confessus est, in festo Pentecostes tria millia hominum Christo lucratus, Actorum 2. Seruus Christi fidelis, in annuncianda veritate cōstans, miraculis clarus, aduersus tyrannorum furores, & hypocritarum insidias intrepidus, Actorum 3. 4. 5. 8. 10. 11. 12. 15. Hierosolymis digressus, Ioppe, hinc Cæsareæ, post in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Asia, magna virtute Euangelium Christi prædicauit. Quod Romam peruenerit, cathedramq; sacerdotalem viginti quinq; annis ibi tenuerit, in nullis fide dignis historijs fundatum est. Eusebius libro 2. capite decimoquarto: Petrus, inquit, aduenies ex Orientis partibus, vt cœlestis quidam negociator, mercimonia diuini luminis, si quis sit, comparare paratus, aduexit, & salutaris prædicationis verbo primus in vrbe Roma Euangelij sui clauibus, ianuam Regni cœlestis aperuit. De morte eius diuus Hieronymus hunc ad modum scribit: A Nerone affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens, se indignum, vt si crucifigeretur, vt Dominus suus. Cui & Eusebius libro secundo, cap. 25. adstipulatur, inquiens: Igitur Nero, vt apertum se hostem Diuinitatis pietatisque professus est, ipsorum prius Apostolorum, quippe qui duces & signiferi erant in populo DEI, expetit necem. Et Paulum quidem capite in ipsa vrbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat, anno CHRISTI 70.

DIVVS ANDREAS.

HIC frater Simonis Petri, Ioannis Baptistæ fuit discipulus, a quo edoctus, CHRISTVM esse Messiam & Agnum qui tollat peccata mun-

di, eum protinus secutus est, quin & Simonem fratrem suum Christo adducit, cum gaudio exclamans: Inuenimus Messiam. Post Christi in cœlos ascensionem, in Scythia, vt Eusebius lib. 3. cap. 1. auctor est, hinc in Achaia, Bithynia, Macedonia, Euangelium Christi docuit, multos vbiq; ab idololatria & Satanæ iugo liberatos, ad veritatis lucem adducens, inter quos Ægeæ, Edesenorum Præfecti, coniunx Maximilla inprimis celebratur, quę res impium maritum & idololatriæ tenebris occœcatum adeo offendit, vt virum sanctum, verberibus atrociter mulctatum, durissimis constringeret vinculis, & cruci tandem affigeret. Qua morte se affici generosus Martyr lætatus, ad præfectum ait: Si crucem horruissem, maiestatem & gloriam crucis CHRISTI nunquam prædicassem. Crucifixus per triduum vixisse, multosque præclara sua confessione, & prædicatione de CHRISTO ad fidem conuertisse perhibetur. Patris in Achaia pie in Christo obdormijt, anno Christi 80. vltima Nouembris. Vide Hieronymum, Bernhardum, Cyprianum.

D. IACOBVS MAIOR.

FVIT hic Zebedæi & Salomes, sororis Iosephi, filius, frater Ioannis Euangelistæ, ab Herode in vincula coniectus, & gladio percussus est. Mentio huius fit Matth. 4. 10. 17. 20. 26. Marci 1. 3. 9. Lucæ 5. 6. 8. Act. 12. De hoc Iacobo Clemens Alexandrinus historiam quandam, dignam memoria, in septimo dispositionum suarum libro, scribit, perlatam ad se vsq; ex traditione maiorum. Quoniam quidem, inquit, & is qui obtulerat eum iudici ad martyrium, Iacobum scilicet, motus etiam ipse confessus est, se esse Christianum. Ducti sunt, inquit, ambo pariter ad supplicium, & cum ducerentur, in via rogauit Iacobum dare sibi remissionem. Ac ille parumper deliberans: Pax tibi, inquit, & osculatus est eum. Et ita ambo simul capite plexi sunt. Anno Christi 36. Euseb. lib. 2. cap. 9.

D. IOHANNES.

IOHANNES dilectus ille discipulus, qui supra pectus Magistri recubuit, frater Iacobi, e piscatore Apostolus & Euangelista factus. De quo Matth. 10. 20. 27. Marci 3. 9. Iohan. 13. 19. 21.

Iohannes in Pathmum relegatus.

Persecutionis sub Domitiani tempore, exilio damnatus, & in insulam Pathmum relegatus, decimoquarto Imperij illius anno, Spiritu sancto plenus Euangelium ibi sublimem in modum intonuit, sacramq; & diuinitus inspiraram apocalypsin ptotulit. Post Domitiani obitum, sub imperio Neruæ Ephesum in Asiam reuersus, quæ ibi fuere, Ecclesias rexit, vbi placide, sub imperio Traiani, in CHRISTO obdormijt, cum quidem ad multam senectutem, post passionem SERVATORIS CHRISTI sexagesimo octauo anno, peruenisset. Historiam, memoratu dignam, de Iohanne Euangelista refert Clemens, quem Episcopo cuidam adolescentē, vultu quidem liberali, & honesto animo, tamen & ingenio feruido, educandum, & erudiendum commendarit, quod Episcopus ad se receptum domi suæ fouebat, & ad cognitionis & doctrinæ lucem ducebat. Procedente deinde tempore, cum attentiorem illam diligentiam & curam Episcopus remitteret, adolescens ante tempus potestati suę permissus, relicto Episcopo, perditissimorum iuuenum se adiungit consortio, omnique spe meliore excidens, latronum prædonumque complectitur vitam, ipseque adeo maleficorum manipulo tanquam dux præest. Quod cum ab Episcopo Euangelista cognouisset, protinus assumpto itineris duce, quęsitū cum ab Ecclesia ire pergit, & mox ab exploratoribus illius comprehensus, ad ducem eorum se deduci petit: Vt autem Iohannem ad se venientem ille agnouit, territus quam celerrime potest retrocedit. Iohannes autem sene-

Exemplum notabile, quantū vel ad impietatem intermissa, vel ad religionē synceram obseruata disciplina Ecclesiæ valeat.

ctæ suæ rerumq; aliarum omnium oblitus, illum consequitur, ingenti voce clare inclamans: Quid me fugis, iuuenis senem, patrem tuum fili, nudum atq; inermem armatus? facessat metus: Adhuc tibi vitæ spes est reliqua. Ego pro te CHRISTO rationem reddam, & si opus fuerit, ipse pro tua animam meam statim proiiciam. Consiste, meq; a CHRISTO missum tibi crede. Tum ille, his auditis, consistit, arma deponit, tremore multo correptus acerbissime lamentatur, accedentem complectitur Apostolum, & lachrymis, quod potuit, noxam deprecatur. Tum Iohannes salutem noxæq; remissionem illi a SERVATORE pollicetur, dextram eius deosculatur, eumq; per pœnitentiam iam expiatum, valentem & firmum prorsus Ecclesiæ restituit. Eusebius lib. 3. cap. 23.

S. PHILIPPVS.

PHILIPPVS ex Bethsaida oriundus est. Meminit eius diuus Ioannes 1. 6. 8. 14. Item Lucas, Act. 8. In Scythia Euangelium CHRISTI per viginti annos docuit. Hinc in Asiam profectus esse fertur, anno ætatis suæ octuagesimo septimo. Sepelitur Hierapoli honorifice. Hieron. in Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum. Eusebius lib. 3. cap. 30. Sunt qui asserãt, eum cruci affixum lapidibusq; a populo petitum & extinctum esse, quam sententiam Polycrates etiam confirmat.

S. BARTHOLOMÆVS.

BARTHOLOMÆVS Apostolus, Indis ijs, qui dicuntur Fortunati, prædicauit Euangelium Christi, & Euangelium, quod est secundum Matthæum, eis tradidit. Hiero. in Catalogo Albanæ, quæ ciuitas est fœlicis Arabiæ, idolum Astaroth euertit, fraudes Satanæ, qui miraculis homines effascinatos morbis iam premebat, iam pressos leuabat, detexit: Regis Polemij filiã a Spiritu immundo obsessam, pia & ardenti precatione mundauit, complures q; morbis confectos sanitati restituit. Quare Christum populus vniuersus amplexus, & palam confessus est: Rex ipse Polemius cum sua coniuge & duobus filijs sacro Baptismatis fonte lustrati, Christo nomen dedere. Impij itaq; idoli sacerdotes apud Astiagem Polemij fratrem natu minorem efficiunt, vt Apostolo fustibus cæso, hinc cute detracta, caput amputaretur. Sed vix triginta diebus elapsis, & Rex Astiages & sacerdotes simul omnes a dæmonibus misere vexati & extincti, sceleris sui pœnas dederunt. Nicephorus de Apostoli huius morte diuersa ab his tradit, scribens Vrbanopoli in Cilicia eum in crucem actum, ad vnice desideratum Christum migrasse. Niceph. lib. 2. cap. 39. Hieron. in Catalogo. Ludouicus Rabus in secunda parte de Martyribus.

S. THOMAS.

HIC CHRISTI Apostolus Didymus dictus, Iohan. 10. 20. nisi Christum manibus cõtrectaret, eum vere a mortuis resurrexisse, haud credebat, omnium hominum præfigurans incredulitatem, qui nisi quæ ante oculos, & inter manus sunt, intelligere, & firma mente fideque amplecti haud possunt. Fide ipsius per Christum aucta & confirmata, Parthis, Medis, Persis, Germanis, Hyrcanis, Bactris & Magis prædicauit Euangelium Domini. Hieronymus in Catalogo. Tandem cum Solis idolum adorare nollet, ipsique Satanæ mandaret, vt idolum comminueret, ab impijs Sacerdotibus interfectus est, lanceisque latus confossus, ad eum cuius ipse pertrectauerat latus, peruenit. Dormit in ciuitate Calamina, quæ est Indiæ.

S. MAT-

S. MATTHÆVS.

MATTHÆVS, cognomento Leui, ex publicanis assumptus, sacrorum Euangeliorum historiam primus Hebræis scripsit. Asiam & Pontum doctrina Euangelij illustrauit. Hinc profectus in Æthiopiam, præfecti regiæ gazæ, quem Philippus baptizauit, Act. 8. hospitio & amicitia vsus, per viginti annos Christi verbum ibi docuit, regem Ægyppum, cum regina Ephemia, & liberis CHRISTO lucratus. Rege mortuo, cum Hirtaco, regis filiam ambienti, regnumq; ad se rapienti, resisteret, capite plexus fertur. Euseb. lib. 3. cap 24. 39. & lib. 5. cap. 10.

S. IACOBVS MINOR.

IACOBVS, Alphei filius, cognomento Iustus, de quo Matt. 13. 27. Marci 6. 15. Act. 15. Gal. 2. Post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus. Mortuo Festo, Ananias Pontifex, accepta occasione ἀναρχίας, concilium congregauit, & compellens publice Iacobum, vt CHRISTVM DEI filium negaret, contradicentem lapidari iussit: Qui cum præcipitatus de pinna Templi confractis cruribus, adhuc semiuiuus, tendens ad cœlum manus, diceret: Domine ignosce eis: Quod enim faciunt, nesciunt: fullonis fuste, quo rudia vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interijt. Hieron. in Cata. Egesip. 5. Commentariorum.

S. SIMON.

SIMON Cananæus, cognomento Iudas, patre natus Cleopha, Ioseph fratre, matre Maria, quæ vocatur Cleophe, Frater Iacobi Episcopi, cognomento Iusti, dissipatione facta Apostolorum, in Ægypto & Persia Euangelium prædicauit. Post obitum Iacobi, in Episcopatum illi successit, functus Episcopi officio plus quadraginta annis. Vixit annos viginti supra centum. Martyr factus sub Traiano Cæsare, apud Atticum Consularem multis supplicijs afflictus est, per multos dies, & tandem cruci affixus, accusatus, quod esset ex genere Dauidis, & Christianus. Vide Hieronymum in Catal. Eusebium, lib. 3. cap. 32.

S. MATTHIAS.

MATTHIAS, cum vnus esset e numero septuaginta, allectus est in ordinem vndecim Apostolorum, in locum Iscariotæ, qui fuit proditor. Hier. in Catal. Eusebius lib. 1. cap. 14. Iuxta quorundam opinionem n Bethleem Iudææ natus, Euangelium in Iudæa & Galilæa docuit. Tandem cum Iudæi ad negandam veritatem ipsum compellerent, sed eã constanter ipse confiteretur, Ananus, qui & Ananias Pontifex his verbis eum damnauit: Os tuum aduersus te ipsum locutum est, Sanguis tuus sit super caput tuum. Abductus itaq; in locum Bethlaskila, quod est, si interpreteris, Domum lapidatorum, ibi fusis ad DEVM precibus, in lapidicinas deiectus, mox lapidibus obrutus, hinc securi, pro consuetudine Romanorũ, percussus est. Plura apud Doct. Ludouic. Rabum, in 2. parte de Martyribus. Diuus Hieronymus his minime correspondentia refert in Catal. In altera, inquit, Æthiopia, vbi est irruptio Apsari, & Hyssiportus, prædicauit Euangelium, cum essent homines agrestes. Et illic dormiuit, & illic sepultus est, vsque ad hodiernum diem.

S. IVDAS THADDÆVS.

IVDAS, Simon & Iacobus, fratres fuere. Post CHRISTI in cœlos ascẽsionem, Thaddæus ad Edessænorum Regem Abgarum profectus, eum grauissimo, quo conflictabatur, morbo liberauit, & saluifica doctrina fœ-

liciter instruxit. Hinc in Mesopotamia & Ponto salutare Christi verbum docuit. Porro operæpretium fuerit, historiam de Abgaro, quam Eusebius lib.1.cap.13.recenset,paucis exponere. Rex Abgarus, gentibus trans Euphratem habitantibus, cum laude imperabat, ciuitatem Edessam incolens, qui passione quadam corporis graui, nec vllis humanis viribus curabili,confectus,cum & amplum Iesu nomen,& virtutes concorditer ab omnibus deprædicatas, cognouisset, supplex illi per literas factus est, quibus vt a morbo liberaretur petebat. Literæ in Archiuis Edessænorum repositæ fuerunt,quæ ex Syrorum lingua translatæ hunc ad modū se habēt.

Rex Edessenorum Abgarus.

Epigraphe literarum Abgari ad Christum.

ABGARVS TOPARCHES EDESSÆNVS, IESV SERuatori bono, in Hierosolymitana regione comparenti, Salutem.

RELATVM est ad me,quod tu vna cum tuis sanitatem absq; pharmacis & herbis mortalibus conferas. Etenim, sicut fama refert,cœcis, vt visum recipiant: claudis, vt ambulent, præstas: leprosos etiam mundas: spiritus impuros ac dæmonas eijcis, eos qui diutinis & prolixi temporis morbis torquentur, curas,ac mortuos excitas. Et vbi hæc omnia de te audiui, alterum ex his duobus esse cogitaui, nimirum, quod aut Deus sis, cœlitusq; delapsus ista facias, aut filius Dei existens hæc operaris. Quapropter his ad te literis scriptis precor, vt molestiam hanc veniendi ad me suscipias,passionemque,qua premor, cures. Nam & hoc percepi,quod Iudæi aduersum te murmurent,teque affligere conentur. Est autem mihi ciuitas admodum quidem exigua,sed tamen honesta,&quę vtriq; sufficiet.

Hæc ille ad hunc modum, parumper adhuc diuina luce illustratus, scripsit.Dignum autem fuerit.& literas Iesu audire,quas Abgaro per eundem tabellionem Ananiam rescripsit, quæ paucis versibus comprehensę,multa vero in se continentes,ad hunc modum se habent.

RESPONSIO SALVATORIS CHRISTI, AD Abgarum Toparcham.

ABGARE, beatus es quod in me credidisti, cum nondum videris me. Scriptum enim est de me, nō credituros in me, qui viderint me;vt qui non viderint,credant & viuant. De quo vero ad me scripsisti,vt ad te veniam,scias,mihi cuncta,quorum gratia missus sum, hoc loco esse adimplenda: & postquam ea compleuero, mox ad eum redeundum, qui me misit. Vbi autem assumptus fuero, mittam tibi aliquem ex discipulis meis, qui passioni tuæ medeatur,vitamq; & tibi,& ijs,qui tecum sunt,præstet.

Post Christi itaque in cœlos ascensionem, Thaddæus hic vnus ex septuaginta,a Thoma Edessam missus est,vt doctrinam Euangelij ibi doceret, & Regem Abgarum firmiter promissioni in literis Christi sibi factæ credentem sanaret,qui & Regem,& complures alios, morbis quibus torquebantur grauissimis, leuauit, & miraculis, suaq; prædicatione tum regem, tum subditos, ad lucem veritatis adduxit. Hæc in publicis chartis in grammatophylacio vrbis Edessæ, tunc Regiæ, descripta & reposita fuere. Vide Euseb.lib.1.cap.13.

S. MARCVS.

MARCVS Euangelista, anno Christi 64. imperij Neronis octauo, martyrio coronatus est. Mater ipsi fuit Maria, Petri soror, quæ Hierosolymis domum habuit propriam,quæ omnibus Christi discipulis patuit, ad quam etiam diuus Petrus, cum noctu ab Angelo Domini e carcere liberaretur,& e manu Herodis eriperetur, delatus est. Act. 12. Euangelium suum dictante atq; comprobante Petro scripsit. Imperante Tyberio, Ægypto

gypto, Libyæ, Barbariæque vniuersæ, Christi verbum annunciauit. Et tandem Alexandriæ Christum libere prædicanti, cultores idolorum manus inijciunt, funibus pedes constringunt, per vrbem crudelem in modum raptatum, saxisque illisum, carceri includunt, mox ex carcere denuo extractum, per vrbis plateas immanissime raptant, donec spiritum Deo commendaret. Vide Niceph. lib. 2. cap. 43. Euseb. lib. 2. cap. 16. Item Centuria prima, lib. 2. cap. 3. & cap. 10. *S. Marci martyriũ.*

S. LVCAS.

LVCAS Antiochiæ, quæ in Cœlesyria est, ortus, Medicus simul, & Pictor egregius, Thebis, quę vrbs septem habuit portas, ad Paulum venit, atque ibi nuncio errori patrio remisso, ad Christum accessit, pro corporũ curatore, animarum Medicus factus. Euangelium is suum Paulo præeunte scripsit, atque itidem Apostolorum acta. Cum Paulo autem Romæ cum fuisset, in Græciam est reuersus, plurimosque ibi diuinæ doctrinæ, & cognitionis luce illustrauit: Et tandem a diuini verbi contemptoribus, ex fructifera Oleæ arbore sũspensus, Deo spiritum commendauit, cum octuaginta annos natus esset. Niceph. lib. 2. cap. 43. *Diui Pauli & Lucæ cõiunctio.* *Diui Lucæ martyriũ.*

S. PAVLVS.

PAVLVS, ante Saulus, de tribu Beniamin, & oppido Iudææ Gischalis fuit, quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrauit, a quibus ob studia legis missus Hierosolymam, a Gamaliele, viro doctissimo, eruditus est. De ipsius zelo in persequenda Ecclesia, cõuersione, doctrina, confessione, prædicatione, afflictionibus, præter Acta Apostolorum euoluatur posterioris ad Corinth. ca. 11. Quando & quo mortis genere obierit, diuus Hieronymus in Catalogo exponit. Decimoquarto Neronis anno, eodem die, quo Petrus Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo, qui est annus a Christo nato septuagesimus. Vide Euseb. lib. 2. cap. 25. *D. Hieronymus in Catalogo.* *Diui Pauli sepulchrũ.*

DE PROPHETIS.

NON minor tyrannorum in vetere Testamẽto aduersus sanctos Prophetas fuit sæuitia, quam in nouo aduersus Christi Apostolos, quemadmodum id pio Lectori sacræ historiæ series in Biblijs ob oculos ponit. Quorundam tamen Prophetarum persecutio & mors in Biblijs reticetur, quorum hic breuiter mentionem facere, operæprecium visum est.

ISAIAS PROPHETA.

ISAIAS Hierosolymis, ex nobili prognatus familia, filius Amosi, qui frater Regis Amasiæ putatur, Propheta fidelissimus, præditus spiritu Dauidico. Munus docendi suscipit anno ætatis suæ trigesimo. Docuit sub quinq; Regibus annos sex & nonaginta, idq; afflicto, & pene depositio totius Ecclesiæ statu. Tandem a Manasse dicitur dissectus serra lignea, & sepultus sub quercu Rogel, quæ est iuxta piscinam, quam obturauit Rex Ezechias. Anno regni Manassis decimo, a condito mundo 3294. ante Christum natum 673. Plura de hoc Propheta apud diuum Hieronymum, in præfatione in Isaiam, & in explicatione cap. 57. *Isaias serra lignea dissectus.*

AMOS.

AMOS Thecuites, Propheta factus e bubulco, Reges peruersos, & Sacerdotes hypocritas, liberrime obiurgans, ab Amasia Sacerdote in Bethel *Amasias Sacerdos.*

Impius in Bethel. Ozias, Amaziæ filius, Prophetã occidit.

thel reprehensus est. Cumq; nihilominus Dei mandatum exequeretur, conuitijs exagitatus, & plagis affectus est. Tandem Ozias, filius Amasiæ, vecte per tempora eum trãsfixit. Post hæc semiuiuus in terram suam euectus, post aliquot dies dolore vulneris expirauit, sepultusque est cum patribus suis. Vide Isidorum, Epiphanium, & Prophetæ huius caput septimum. Et Hieronymum in principio Cõmentariorum, in hunc Prophetã.

ZACHARIAS SACERDOS MARTYR.

ZACHARIAS, filius Barachiæ, qui & Ioiada, integritatis & libertatis paternæ imitator, aulicos Ioæ superstitiosos & effrenes, magna auctoritate increpuit, signa & statuas e templo Dei exturbandas, quotidie contendit. Id ipsi tulerunt indignissime, cumq; Sacerdotis imperium non putarent tolerandum, in vestibulo templi, rege conniuente, lapidibus ipsum obruunt, anno regis Ioæ nono. Vide 2. Paralipomenon, cap. 24. Christus apud Matthæum hunc cum Abele iungit, vbi ait 23. cap. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes & Scribas, &c. Meminit quoque huius diuus Augustinus de tempore; sermone 242. Zacharias Pontifex magnus, inquiens, pro cultu Dei, pro legibus sacris, pro censura in templo sacerdotali, rebellem increpans populum, mortem constanter accepit, & detestabiles acies Iudæorum eius cruore pauimentum infecit.

DE MARTYRIBVS.

QVR Ecclesia cruci subiecta sit, & tyrannorum Satanæque furori & ludibrio exposita, alibi explicatur. Modo in pertexendo exemplorum catalogo progrediemur, breuiter sanctorum Martyrum, qui post Apostolorum tempora suo sanguine fidei synceritatem testantes, Christi gloriam illustrarunt, historias exposituri. Quarum pleniorem cognitionem si quis desiderauerit, is auctores circa singula exempla citatos, consulat, vel priorem partem de Martyribus Ludouici Rabi euoluat.

Ignatius Antiochenus Episcopus.

IGNATIVS, Iohannis discipulus, Antiochenæ Ecclesiæ Præses, anno Traiani secundo, vinctus Romam mittitur, ibique, cum fidem Christi abiurare nollet, Cæsarisq; superstitionem reprehendere non desineret, post varia tormenta, cum nihil de constanti decentique sententia remitteret, leonibus immanissimis obiectus, martyrio defunctus est, adeo autem bestiarum rugitũ non exhorruit, vt eo audito, exultanti voce, & triumphante animo diceret: Frumentum Christi sum, & per dentes bestiarum commolor, vt mundus panis inueniar. Euseb. lib. 3. cap. 30. Niceph. lib. 3. c. 19.

Attalus Romanus ciuis.

ATTALVS, ciuis Romanus, Pergamenus genere, columen & firmamentum Gallicorum Christi fidelium, primum bestijs obijcitur, quæ mitiores hominibus, a viri sancti corpore abstinent, post varia deinde tormenta, inter quæ plurimam carnificum sæuitiam & pœnis incutiendis feritatem generosa animi constantia superat, tandem prunis subiectis, in sella ferrea torretur, & æreas squamas candentes mollissimis & teterrimis quibusq; Martyris membris aspergunt & agglutinant carnifices. Cumq; nidor adustæ carnis ad nares & ora inspectantis populi perferretur, magna voce exclamat: Ecce hoc est vorare homines, quod vos facitis. Quid a nobis velut occultum inquiritis facinus, quod vos aperta luce cõmittitis? His verbis exprobrans ipsis calumnias de cœnis Thyesteis, quarum Christiani ab aduersarijs insimulabantur. Eusebius lib. 3. cap. 4. Nicephorus libro quarto, cap. 17. Eadem cum Attalo Martyrij corona affecti sunt Maturus & Sanctus.

Thyesteæ cœnæ. Maturus, Sanctus, martyres.

POLYCARPVS, Apostolorum sectator, Iohannis Euangelistæ discipulus, Smyrnæus Episcopus, Marcionem hæreticum, quem Diaboli primogenitum vocabat, magna spiritus virtute refutauit, & multos ab eo seductos ab errore reuocauit. Sub M. Antonio, & L. Vero, anno sexagesimo post Iohannis Apostoli mortem, anno ætatis suæ octuagesimo sexto, Smyrnæ rogo impositus est, cum triduo ante per visionem de hoc supplicio monitus esset. Vidit enim culcitram, quam capiti supponere solebat, ignem derepente concipere, omnemq; cõflagrare. Cum autem ignis nullam haberet vim in Martyris corpore, ex mandato tyranni cuspide confossus est. Extat hac de re epistola Ecclesiæ Smyrnææ, ad Ecclesias Ponti. Vide Euseb. lib. 4. cap. 15.

Marcion hæreticus, diaboli primogenitus.

PIONIVS insignis ille Martyr, summis præconijs in præmemorata Smyrnææ Ecclesiæ Epistola euehitur. Cuius quidem vel priuata professio, vel publica in medijs populis dicendi libertas, & fidei defensio, præterea tempore persecutionum hospitalis benignaque, eorum qui ad se confugerent, exceptio, & cum in carcere esset, pauidorum plena consolationis cohortatio admiranda fuit. Cuius tormenta, clauorum fixuræ, ignis cruciatus, omnisque generis pœnæ & excarnificationes, denique sempiterna memoria digna mors in libro Smyrnææ Ecclesiæ, de Martyribus conscripta sunt. Vt testatur Epistola citata apud Euseb. lib. 4. cap. 15.

Pionius celeberrimus Martyr.

Eodem ipso anno & Pergami Carpum Episcopum, & Papylum Diaconum, & mulierem Agathonicen, morte pulchra cum alijs quamplurimis Martyrio perfunctos esse, memoriæ proditum est. Euseb. loco citato. Nicephorus lib. 3. cap. 36.

Carpus, Papylus, Agathonice.

Circa historiam hanc Martyrum, non abs re fuerit addere verba ex Epistola Smyrnæorum, quibus & pietatem suam erga Martyres, & constantiã in confessione Christi, declarant. Ignorant, inquiunt, miserrimi isti (Iudei & persecutores Ecclesiæ) quod neque Christum possumus aliquando derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit: neque alium quenquam colere, quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit, nouerimus. Martyres vero tanquam discipulos Domini diligamus, & veneremur, quasi integre fidem Magistro seruantes & Domino, quorum nos quoq; in fide & perseuerantia Charitatis optamus esse participes. Euseb. loco citato.

Beniamis Diaconus ad Regem Persarum Gororanen productus, pernegare, quem syncere predicabat Dominum, iussus est. Atq; ibi ille ad Regem: Quidnam, inquit, commereatur, qui imperium tuum abnegans, ad alium se conferat Regem? Mortem, Rex ait, & supremum supplicium. Tum Beniamis: Quodnam igitur, intulit, satis dignum homo ferat supplicium, qui vniuersitatis huius Domino, Seruatore & Rectore, abiurato, non illi cultum honoremq; debitum, sed ex cõseruis suis vni præstet! Verbis hisce Rex grauiter commotus, calamos exacui, & vnguibus illius tam pedum quam manuum infigi præcepit. Vt vero athletam corona decorandum, tormentum id perinde atque ludum iocumque excipere vidit, calamum alium membro eius virili immisit, quem frequentius subinde infigens atque retrahens, incredibilem, intolerabilemque illi creauit dolorem. Tandem etiam virgam crassiorem, ex parte omni densos ramorum vncos prætendentem, in sedem decertatoris inijci, ac deinde identidem per eam attrahi & retrahi iussit, donec spiritum fortis ille veritatis propugnator & athleta redderet. Theod. hist. Eccles. lib. 5. cap. 39. Hist. tripart. lib. 11. cap. 33. Niceph. lib. 13. cap 20.

Illustre Beniamis per grauissima supplicia martyrium.

Barlaam, alacris Christi confessor & Martyr, tanta animi constantia innumera & horrenda pertulit tormenta, vt ipsæ etiam carnificum manus torpescerent, animique obstupescerent. Tandem ad Aram, cui pro more dæmo-

Barlaã constans fidei confessor, &

ad omnia tormenta inuictus.

dæmoniaci libaminis ignis impositus erat, Martyrem ad omnia inuictum adducunt, focoque incenso dextram supinam admouere iubentes, malitiose thus ardens ei imponunt. Sperabant enim ignis vi expugnatam manum necessario, ac velociter incensum thus in aram excussuram. At ne hæc quidem spe miseri potiti sunt. Nam flamma manum quidem ambedit, perdurauit vero illa cineris instar flammam ferens. Basilius Magnus in sermone de Barlaam.

Persecutio Christianorũ Alexandriæ, & Antiochiæ. Duorum adolescentũ nobilium, in confitendo Christo, generositas. Fabianus martyr.

Sub Diocletiano & Maximiano, An. Christi 306. horrenda vbiq; Christianorum fuit persecutio. Apud Alexandriam, truncatus auribus, atq; inhonesto vulnere naribus, manuum quoque cæterorumque membrorum summitatibus amputatis, truncum abire sinebant derisum.

Apud Antiochiam craticulis, quibus prunæ subiectæ essent, Christiani superimpositi cremabantur. Sed inter hæc nobilium duorum iuuenum factum memorabile silere æquum non puto. Qui cum comprehensi simulachris immolare cogerentur, aiunt: Ducite nos ad aras. Quo cum essent adducti, manus suas ardenti igni injicientes, Si subtraxerimus, inquiunt, sacrificasse nos credite: Et quoad vsque caro omnis in ignem defluxeret, immobiliter perdurarunt.

Sebastiani martyrium.

Fabianus, Episcopus Romanus (quem ad hoc fastigium diuinitus euectum esse fabulantur, columba cœlitus aduolante & capiti eius insidente) sub Decio Martyrij corona exornatus est. Euseb. lib. 6. cap. 29. Nicephorus lib. 5. cap. 26.

Sebastianus, ciuis Mediolanensis, sub Diocletiano militans, Christianam religionem amplectitur sub cœlesti duce Christo fœlicius militaturus, qua de causa ex iussu Imperatoris eum arbori alligatum magna cum sæuitia impij milites sagittis confixerunt. Meminit huius diuus Ambrosius Psal. 118.

Simeonis, & centum Ecclesiasticorum virorum splendidissimum pridie Resurrectionis Dominicæ Martyrium.

Sub rege Persarum Sapore horrẽda Christianorum persecutio orta est. Ea die, quæ venerandam Dominicam Resurrectionis Christi præcedit, centum qui ex Episcopis, & alio sacro ordine erant, iugulati sunt, omnes firma fide animoque intrepido Christum confitentes. Centum illis iugulatis, postremo & ipse Simeones Seleucię & Ctesiphontis, primariarum in Persidę vrbium Episcopus, gladio est percussus, & cum eo Abdechalas, & Ananias, senes iam, & presbyteri Ecclesiæ eius. Trementi vero Ananiæ, dum ad cædem præparatur, Pusices regiorum artificum præfectus, Conniue, inquit, paululum, o senex, & oculos claude, & fidenti animo gladium excipe, statim enim videbis magnum lumen Dei. Hæc cum dixisset, comprehensus, & ad Regem tractus est. Vbi cum Christianum se professus esset, nouo quodam modo ad mortem est condemnatus, collo eius circa tendinem perforato, lingua inde eius est extracta. Præterea ex calumnia quorundam, filia quoque eius sacra virgo interfecta est. Euseb. lib. 2. cap. 11. Niceph. lib. 8. cap. 36.

Aphraates Monachus vitam theoricam vtilitati Christi ouium posthabuit. Valentis tyrannidem Aphraates perstringit.

Aphraates diuinus Philosophus, cum ad fidei gymnasium iturus esset, & ouibus Christi congruens pabulum allaturus, Imperator Valens e superiore loco porticus prospectans, eum conspicatus est, & interrogans eũ, Quonam, inquit, vadis? Atq; Aphraates, pro Imperio tuo precaturus, respondit. Atqui, Imperator intulit, domi te, qui leges Monachorum sequeris, manere, & ibi quiete confidentem id facere oportuit. Tum diuinus senex perquam sapienter ait: Recte tu quidem, o Imperator, dicis me id facere debere, facturusque id adeo constanter fueram, si pax Christi ouibus esset: Sed cum multæ quędam insanię caligo loca omnia occuparit, & maximus insuper subrepat timor, ne plurimo imminẽte periculo, a feris oues dilanientur: Necessitas mihi quoque incumbit, vt vigilem, omnemq; funem moueam, ne quod grex Christi capiat detrimẽtum. Age enim, o Im-

perator

perator, Si puella essem domi in conclaui abdita, fusos manibus tractans, & lanificium meum curans, atq; alicunde subito conspicerem flammam exortam, & omni ex parte paternæ domui circumfusam, fœdo incendio eam iamiam consumpturam, quid me facere oporteret, dic, te per Deum oro. Vtrumne me sic sedere, & penates patrios conflagrantes despicere, ignemque proserpentem expectare, an conclaui statim relicto, sursum & deorsum currere, aquam in manibus habere, & modis omnibus flammam extinguere conari oporteret? Satis sane scio, dicturum, faciendum mihi esse, quod & sagacis, sanæque mentis puella faceret. Id ipsum vero nunc quoque fieri debere existimo. Cum tu enim quasi fulmen quoddam in paternam domum nostram incideris, & veriore pietatem omnem igne vastes, vndiquaq; circumcursamus, flammam glisentem extinguere satagentes. Hæc quidem ille dixit. Imperator autem ad minas vsq; progressus silere eum coëgit. Ex cubicularijs autem Imperatoris quidam, qui sanctum virum propter animi temeritatem grauius tractauerat, in balneum confestim ingressus, vt Principi lauationem præpararet, mete captus, & in calidas aquas delapsus, ibi vitam finiuit. Quod vbi Imperator cognouit, opus id quidem petulantis Aphraati sancto illatæ iniuriæ & contumeliæ esse, recte arbitratus est, de impio autem dogmate eundem, iuxta indurati cordis Pharaonem, retinuit animum. Theodoretus libro quarto, capite vigesimo sexto. in Tripart. libro octauo, capite quarto. Nicephorus lib. 11. cap. 25.

Subita morte cubicularius ob male tractatũ Aphraatẽ multatur.

Babylas, Episcopus Antiochenus, Numeriano, cum de dæmonis cuiusdam sententia cupido eum inuasisset, Ecclesiam Christianorum, cum frequentissima esset, ingredi, ingressum præclusit: se pro virili sua affirmans, non commissurum, vt ad gregem lupum ingredientem intueatur. Atque ille quidem incepto statim destitit, Episcopum autem primum de tanta audacia criminatus est: deinde sacrificare etiam dæmonibus iussit, eam vnam expiationem criminisque abolitionem, & subsecuturi honoris & gloriæ conciliationem fore denuncians. Cui Babylas ingenti animo resistens, cum tribus suis fratribus Vrbano, Prilidano, & Eupolono, Martyrij coronam recepit. Chrysostomus peculiarem concionem de his Martyribus conscripsit. Niceph. lib. 10. cap. 28.

Sancti Babylæ sub Numeriano martyrium.

Basilides, imperante Seuero, Christianorum carnifex cum Potamicæne, ob generosam in confitendo CHRISTO constantiam ab Aquila Ægypti præfecto, damnatæ, pice ignita per totum eius corpus diffusa, vitam ademisset, paucis diebus post ipse quoque Christum confessus est. Qua de causa in vincula coniectus, varijsque affectus est tormentis, donec gladio percussus, Martyrium pro Christo absoluit. De Potamicæna in sequentibus. Euseb. lib. 6. cap. 5. Niceph. lib. 5. cap. 7.

PRISCVS pietate insignis, in fidei confessione constans, sub Valeriano, horrendis affectus tormentis, alacri animo spiritum Deo reddidit, generosus Christi Martyr factus. Anno Christi 259. Euseb. lib. 7. cap. 11.

VINCENTIVS, Valentiæ in Hispania Christo syncera fide, & constanti confessione adhærens, plurimam immanissimorum carnificum sæuitiã expertus est. Nam primum fustibus ita multatus est, vt fœde toto corpore lacerãtus, ægre spiritum traheret: Deinde craticulæ impositus prunis candentibus tostus est: Tãdem impuris carnificum manibus capite truncatus. Quibus malis omnibus, æquo animo, & firma fide, superatis, iure Vincens, vt qui Carnis & Satanæ sit victor, dici meruit. Acta sunt hæc sub Diocletiano, auctore Prudentio.

CASTOR Pannonius, insignis lapicida & statuarius, arte sua impijs idolorum cultoribus gratificari noluit, quinimo impietatem ipsorum, & in idolis colendis vanitatem, acriter reprehenhit, non muta idola, sed ve-

Castor lapicida Pannonius.

rum Deum, qui in Christo Filio suo voluntatem suam, & maiestatem humano generi reuelarit, colendum esse docens. Ea de causa sub Diocletiano in amnem profluentem coniectus, & Martyrij corona insignitus est.

Apollonij martyriū.

COMMODO Romani Imperij apicem gubernante, pax Ecclesijs per omnem terram propagabatur. Sed non æquis hæc oculis antiquus ille hostis humanę salutis aspexit: Primum in vrbe Romana Apollonium, virum in fide Christiana, & syncerioris Philosophiæ studio illustrem ad iudicium pertrahit, accusatore ei suscitato quodam infœliciſſimo & desperatæ salutis homine, qui (quoniam lex, quæ oblatos puniri iusserat Christianos, in delatorem prius animaduertendum censebat) a Perennio iudice vt crura eius comminuerentur, sententiam excepit. Deinde Apollonius Martyr defensione fidei suę, audiente senatu & omni populo, luculenter & splendide habita, secundum Senatusconsultum capite plexus est, anno octauo Commodi. Euseb. lib. 5. cap. 18. & 21.

Pœna delatoris.

IVLIANO Apostata Ecclesiam vexante, Salustius, qui tum præfecti Magistratum Antiochiæ gerebat, multos Christianos postridie eius diei, quo Babylę Martyris ossa ex luco Daphnensi in vrbem Antiochenā transferentes, cecinerant; Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, gloriantes in simulachris suis, ex mandato Imperatoris comprehendit, & carceri includit: inter quos Theodorum iuuenem ad stipitem tortorium suspensum a prima diei hora vsq; ad decimam infandis affecit tormentis & supplicijs, inter quæ iuuenis inuictus & diuina virtute corroboratus, subinde Psal. 115. repetijt, nullumq; doloris indicium præbens, ipsis tortoribus & iudici horrorem incussit. Quam iuuenis constantiam cum stupore admiratus Salustius, vbi ad Imperatorem venit, Nisi, inquit, Christianos affligere destiterimus, ipsis quidem laudem & gloriam breui parabimus, nos autem ridendos omnibus proponemus. Porro Salustij sententia laudata, & captiui illi dimissi sunt, & Theodorus post confessionem eam longo vixit tempore.

Theodorus psaltes grauissime excarnificatur.

Psal. 115.

IVSTINVS, cum Platonicis delectaretur studijs, Martyrum constantia & fortitudine ad Christianismum adductus est. Aduersus Græcos & Gentiles pro Christianis orationes scripsit, Antonino Pio Imperatori & Senatui Romano Apologiam pro Christianis exhibuit: Composuit etiam Dialogum, quem apud Ephesum cum Tryphone Hebręorum nobilissimo habuit. Marcionem & Cerdonem hæreticos refutauit. Crescentem Philosophum vita morumq; æmulatione Cynicum coarguit, qui conuictum se dolens, cum improbis quibusdam, qui Magistratus gerebant, conspiratione contra Iustinum facta, tormentis quamplurimis eum affecit, & postremo gladijs etiam confecit Pergami. Anno Christi 154. Euseb. lib. 4. capite 8. 10. 12. 16. 17. Et lib. 2. cap. 13.

Tryphon. Marcion. Cerdo. Crescēs Philosophus Cynicus.

LVCIANVS moribus, continentia, & eruditione præcipuus, Antiochenus presbyter, Nicomedię in præsentia Imperatoris verbis iuxta & factis Christum professus, fidei rationem reddidit. Quare arripi iubetur in carcerem, & ibi absq; tumultu populi necari. Anno Maximini secundo, a nato Christo 239. Euseb. lib. 9. cap. 6. Niceph. lib. 7. cap. 16.

MARCVS Arethusæ, apud Syros, Episcopus, sub laudatissimo Imperatore Constantino, templum idololatrico cultui destinatum, structuræ pretio, & magnificentia nulli secundum, solo æquarat. Hinc rerum statu mutato, cum Apostatam Iulianum impie erga religionem affectum esse, improbi ciues intelligerent, protinus nefarium eius decretum de Christianorum religione abolenda amplexi, aduersus pium Episcopum, vita & doctrina, canicieque insuper spectabilem & venerandum: insurrexerunt: Nudatum per mediam vrbem raptarunt, membra eius verberibus fœde lacerarunt, & in cloacas cum demiserunt. Pueri quoq; in scholam ad Ma-

Illustrissimū decrepiti senis martyrium.

gistros

gistros euntes ludibrio eum habuere, graphijs pupugerunt, & crudeliter excruciarunt. Et iam toto corpore vulneratum lacte & melle perungunt, in sportam ex iunco confectam immittunt, & in sublime ita sublatum, solisq; feruori ardentissimo expositum, apibus & vespis excruciandum præbuerunt. A quibus inuolantibus & depascentibus cum viuens voraretur, præclarum id verbum dixisse fertur: Ego quidem sublimis sum, vos autem humi iacentes despicio. Theod. lib. 3. cap. 7.

SAPORIS, Persarum regis, cuius paulo ante mentio etiam facta est, edictum Christianos morte mulctãs proposuerat. Ibi innumerabilis multitudo martyrio sublata est, quod multi etiam ex Regia aula sustinuere. Inter quos & Azades Eunuchus, apud regem maxime gratiosus, certamẽ pertulit. Propter quem in magnum coniectus mœrorem rex, multitudinem ipsam iugulari postea non sustinuit. Solos autem religionis antesignanos gladio feriendos censuit. Sozom. lib. 2. cap. 2. histo. Eccles. Niceph. lib. 8. cap. 37. *Azades eunuchus Saporis.*

Ex Iuliani Apostatæ mandato in Meroë, quæ Phrygum est ciuitas, gentis eius præses templum, quod diuturno squalore deformatum fuerat, aperuit, ibiq; diuorum gentilium simulacra erexit. Quam rem iniquo ferẽtes animo Macedonius, Theodulus, & Tatianus, noctu fanum ingressi, simulacra ista comminuerunt. Et cum multi eius rei suspecti in iudicium pertraherentur, ipsi se ipsos detulerunt. Atq; vbi Dijs sacrificare, quod in compensationem delicti facere iubebantur, nollent, Præfectus varijs tormentis excruciatos craticulis subiecto igni tandem eos imposuit. Quos cruciatus animo sustinentes fortissimo, atrocissimasq; pœnas irridentes beati Christi martyres, ad Præfectum dixere: Si, ô Amachi, carnes assas expetis, in alteram nos verte partem, ne tibi edenti, si semiassi simus, insuauior fiat cibus. Anno 366. Socrat. lib. 3. cap. 15. Soz. lib. 5. cap. 11. Niceph. lib. 10. cap. 10. *Martyriũ Macedonij, Theoduli, Tatiani, Phrygum.*

LAVRENTIVS, sub Sixto secundo gazophylacij pauperum Præfectus, cum videret Sixtum Episcopum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis eum appellare cœpit: Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine Diacono properas? Tunc Sixtus: Non ego te fili relinquo ac desero, sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus, te quasi iuuenem manet glorioſior de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequeris. Post triduum itaque cum a Decio ad supplicium raperetur, & impositus super craticulam, lento igni exureretur, illuso tyranno, Assum est, inquit, versa, & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam. Anno Christi 165. Ambros. lib. 1. Offic. c. 41. & lib. 2. cap. 28. *Sixtus Romanus Episcopus vicesimus quintus.* *Laurentius craticulæ impositus torretur.*

Marinus, vir militaris, Hierosolymorum ciuis, honore & diuitijs clarus, cum sub Valeriano inter collegas suos ad honoris gradum altiorem eueheretur, quidam ex collegis obliqua agitatus inuidia, non posse Marinum superiorem adipisci honorem, exclamat, eo quod esset Christianus. Interrogatur ergo a iudice Marinus, num ita se res haberet? Ille, ita esse, & vere se esse Christianum, clarissima voce testatur. Tres itaque ei deliberandi horæ decernuntur a iudice. Cumque a tribunalibus fuisset egressus Theotecnus, Episcopus loci, apprehensa manu eius perducit eum ad ædem sacram, ibiq; multis verbis in fide confirmans, & tandem gladium, quo præcinctus erat, ostendens, & rursum offerens Euangelium, vtrum e duobus istis mallet, interrogat: Marinus vero promtissima fide cum manum ad Euangelium tetendisset, Obtine (inquit Theotecnus) quod elegisti ô fili, & contemnens præsentem vitam, æternam sperato, confidens perge, & suscipe coronam, quam tibi Dominus præparauit. Regressus cõ- *Theotecnus Episcopus.*

tinuo ad tribunal, euocatur per præconem, aderat enim tẽpus statutum. Ille vero nec moras patitur, nec expectat interrogantem, sed continuo sibi & deliberatum asserit, & ex paternis legibus confirmatum, Quod Deo obtemperare oporteat magis quam hominibus. Quem iudex ilico capite puniendum pro tali responsione pronunciat. Euseb. lib. 7. cap. 12.

QVATVOR IN ECCLESIASTIÇA HISTORIA ALEXANDRI CONSTANTES CHRISTI CONFESSORES CELEBRANTUR.

ALexander Hierosolymitanus Episcopus, ex cuius Bibliotheca, Ecclesiasticam conscribendi historiam Eusebius ansam arripuit, sub Decio Imperatore excarnificatus, & in carcere mortuus, martyrij corona ornatus est.

2. Alexander Alexandrinus episcopus, aduersus quem Arrius ex innata superbia, scripta in filium Dei contumelioſa edidit, quibus ille magno spiritu se opposuit, & scriptis contrarijs editis ea refutauit. Hist. tripart. lib. 1. cap. 12. 13. & 14.

3. Alexander, Constantinopolitanus episcopus, veritatis syncerae assertor, Arrianorum haeresin magna virtute oppressit. Ardenti enim precatione sua effecit, vt diuinitus prostratus, horrẽdas impietatis suae pœnas lueret Arrius. Qua de re in sequentibus. Annos 33. episcopatum Constantinopoli gessit. Histor. tripart. lib. 1. cap. 14.

4. Alexander genere Phryx, Medicus disciplina, vir religiosus & prudẽs, cum Attalo, cuius in praecedentibus facta est mentio, beatus obiectus est. Sed cum nulla ferarum Sanctorum corpora attigisset, multis verberum caeterarumque pœnarum supplicijs iugulatur sub Antonino Vero. Euseb. lib. 5. cap. 1.

DEO MAGIS OBEDIENDVM QUAM HOMINIBUS.

AD hunc titulum, velut ad locum communem, sequentia referantur dicta & exempla, & si qua alia occurrant horum similia.

Date Caesari, quae Caesaris sunt, Matth. 22.

An nescitis, quod oporteat me esse in his, quae patris mei sunt? Lucae 2.

DIVVS HIERONYMVS SVPER EPIST. DIVI PAVLI AD EPHESIOS. ITEM 2. QUAEST. 3. CANON. SI DOMINVS.

SI Dominus iubet ea quae sunt contraria vel aduersa scripturis, subijciatur domino suo seruus. Si vero contraria praeceperit, magis obediat spiritus, quam corporis domino. Et infra: Si bonum est, quod praecipit Imperator, corporis dominus, iubentis exequere voluntatem. Si malum, respondeo: Oportet magis obedire Deo, quam hominibus.

DICTVM AMBROSII, QVOD CITATVR 11. QUAEST. 3. CANON. IULIANUS.

IVlianus Imperator quamuis esset Apostata, tamen habuit sub se Christianos milites, quibus cum dicebat: Producite aciem pro defensione Reip. obediebant ei. Cum autem dicebat: Producite arma in Christianos, tum agnoscebant Imperatorem Cœli.

QVIBVS CONSENTIVNT AVGVST. VERBA, CUM IN EXPLICATIONE PSALMI 124. AIT:

IVlianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit Apostata, iniquus, idolatra? Milites Christiani seruiunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad

causam

causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, proponebant illi Deum. Quando aũt dicebat, Producite aciẽ, Ite contra illã gentem, statim obtẽperabant.

Distinguebant Dominum æternum a domino temporali, & tamẽ subditi erant propter Dominum æternum domino temporali.

Saporis edicto, cuius paulo ante in martyrio Azadis meminimus, passim promulgato, nempe vt cæteris quidem parceretur, in duces autem religionis solos capitaliter animaduerteretur, incredibile dictu, quãta cum improbitate, magi eorumque Principes, Persidem peragrantes, Episcopos & Sacerdotes occiderint. Eadem tempestate Acepsimas episcopus & cum eo tres presbyteri, Aithalas, Azadenes, Abdiesus, Solem adorare iussi sunt. Quod cum constanti & alacri animo facere negarent, ad exquisita supplicia protinus rapti sunt. Acepsimas inter tormenta Christo spiritum reddidit. Reliqui loris corpora conscissi, pietate tamen nihilominus integri & salui, denuo in vincula sunt conjecti. Aithalæ, dum neruis tortus extenditur, adeo sunt brachia luxata, humerisque diuulsa, vt deinceps emortua nullo vsu penderent, neque ei ad cibum ori admouendum sufficerent. Quapropter aliorum in ea re ministerio vti eum oportuit.

Saporis Persarum regis edictum.

Acepsimas martyr cum tribus presbyteris.

Hormisdas, Prefecto patre genitus, vir admodum illustris & locuples apud Persas fuit, quem rex Gororanes, vbi Christianum esse cognouit, Seruatorem abnegare iussit. At ille regis imperata non solum iniqua, verum etiam incommoda esse respondit. Qui enim temere huius vniuersitatis Deum abiuraturus sit, hunc vel leuissimo impulsum momento rege suo perfide relicto ad alium transiturum. Qua dicendi libertate rex offensus, opes ei adimi, dignitateque insuper priuatum, nudum, & subligari tantum præcinctum, aulici comitatus camelos ducere iussit. Paucis interiectis diebus, ex superiore porticu rex prospectans præclarum illum virum, æstu Solis adustum, & puluere obsitum vidit: Et patris eius gloriam in mentem reuocans, eum reduxit, & linea tunica vestiuit. Vel nunc tandem, inquiens, errore priore repulso, fabri filium ex animo tuo eijce. Atque ille exardescens, tunicam illam conscissam abiecit: Si huius, inquiens, gratia, me religionem longe optimam mutaturum putas, en munus tuum tibi vna cum impietate habe. Quibus dictis nudus regia exactus, & tandem capite plexus, numerum sanctorum Martyrum auxit. Hist. tripar. lib. 10. cap. 31.

Hormisdas generoso animo Christum confitetur.

GORDIVS sub Maximino honeste militans, propter Christianæ veritatis confessionẽ combustus est. Inter grauissimos cruciatus seipsum Psalmo 118. consolatus est: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo: Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. De huius fide & constantia peculiarem sermonem conscripsit Basilius Magnus, pag. 365.

Valentinianus Imperator, Arrianorum veneno imbutus, Diuum Ambrosium Mediolanensem Episcopum, Arrianis hæreticis cedere, & irarum plenus militum centurijs Ecclesiæ septa cingens, iubet illum sacris prodire foribus. At Ambrosius equidem, Hoc, inquit, mea sponte facturus non sum, neq; prodam lupis stabulum ouium mearum, nec tradam templum blasphematoribus Numinis: Verum si me occidere decretum tibi est, hic intus ensem hastamue in me defigito, talis enim perquã mihi grata mors est futura. Theodoret. lib. 5. cap. 13.

BENEVOLVS sub Valentiniano memoriæ scrinijs præsidens, decreta imperialia aduersus fidem patrum, ex Iustinæ Valentiniani matris instinctu dictare iussus, abnegat se impia verba posse proferre, & contra Deum loqui. Tunc vero, ne inceptum reginę frustrari videretur, celsior ei honor promittitur, si impleret iniuncta. Ille, qui nobilior in fide esse, quam

in honoribus cuperet: Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? Hunc ipsum quem habeo, tollite, tantum mihi conscientia fidei maneat illæsa. Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium cingulum iecit. Ruffinus lib. 2. cap. 16.

Honoricus rex Vandalorum.

VICTORIANVS ciuis Adrumetinensis, honesto loco natus, Carthagini Consulari dignitate excelluit. Quem ob prudentiam, & in rebus gerendis dexteritatem, industriamque singularem, rex impius Honoricus magnis euexit honorib. & familiariter eo vsus, blanditijs ipsi ad blasphemum Arrianorum dogma amplectendum persuadere conatus est. Cui magno animo Victorianus: Extrema quæuis, inquit, aduersus me experire, tormentis me enéca, flammis iniectum in cinerem me redige, bestijs me obijce, quiduis tamen, scito, me pati malle, quam pactum, quod cũ Christo seruatore in sacro Baptismatis lauacro inij, deserere. Quibus verbis exardescens Tyrannus, verberibus eum defœdatum, totoq; corpore laceratum, & omnibus tormentorum generibus excarnificatum occidit. Victor. lib. 3. de Vandal. persecutione.

Valentinianus aqua lustrali aspergitur.

VALENTINIANVS Imperatorem Iulianum, sub quo tribunus erat militum, in fanum Fortunæ comitatus, ab ædituo aqua lustrali, pro ritu & superstitione idololatricorum sacerdotum aspersus est: Ibi non celauit pro pietate feruorem suum. Ædituo enim pugnum infixit, quod pollutum se, nõ purgatum diceret, sinumq; chlamydis protinus auulsum abiecit, pedibusq; conculcauit. Quo conspecto sceleratissimus Iulianus, imperat in exilium eum deportari, in castellum quoddam situm in deserto, vbi vitam suam degeret. Sed is elapso anno vno. & paucis mensibus, mercedem tulit confessionis suæ, Romanorum imperium. Anno Christi 368. Ruff. lib. 2. cap. 2. Theodor. lib. 3. cap. 16.

Martyriũ Dorothei, eiusq; sociorum.

Diocletiano aduersus Christi fideles immaniter sæuiente, Petrus vnus ex cubicularijs Imperatoris, qui in aula Imperatoria educati, supremum apud dominos suos honorem sortiti, illisq; non minus quam germani filij chari essent, Nicomediæ in medium productus, dæmonibus sacrificare iussus est. Quod cum constanter recusaret, nudus in sublime tolli, ac toto corpore flagris cædi iubetur, donec victus etiam inuitus imperata faceret. Cum hæc perpessus immotus maneret, & ossa nudata paterent, aceto sale mixto purulentis corporis partibus perfunditur. Hisce quoq; doloribus superatis, ita, vt inde lętaretur etiam, affertur in mediũ craticula & ignis, & in modum carnium vescarum, quæ reliqua erant in corpore illius, igne non tamen subito, ne cita morte liberarętur, sed paulatim consumuntur, ita, vt qui rogo eum imposuerant, nihil illi remissionis concederent, nisi vel post tantos cruciatus imperatis acquiesceret. Ille vero proposito tenaciter inhærens, victor in ipsis tormentis reddidit spiritum. Quod videntes Dorotheus (qui cubiculariorum primus & pædagogus erat, & plerosque omnes ad Christianam religionem adduxerat) & Gorgonius, vna cum alijs pluribus ea Imperatorum familia, se quoque Christianos esse professi sunt. Itaq; non inferiora istis perpessi, post varia certamina, laqueo vitam finierunt, atq; ita diuinæ victoriæ præmia reportarunt. Euseb. lib. 8. cap. 6.

VITALIS, hic cum a persequentibus cogeretur, inquit diuus Ambrosius, vt Christum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Iesum Christum, omnia tormentorũ genera in eum carnifices exercuere, vt non esset in corpore eius sine vulnere locus. Forti autem animo cruciatus perferens martyr, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, saluator meus, & Deus meus, iube suscipi spiritum meum, quia iam desidero vt accipiam coronam, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione emisit spiritum. Hieron. in exhortatione ad virgines. Actum Bononiæ, imperante Diocletiano.

Cum

Cum sæuissima in Christianos exercerentur iudicia, stabant ante tribunal frequentes quidam è militari ordine, AMMON, ZENON, PTOLEMÆVS, INGENES, ac senex THEOPHILVS cum illis: Et cum Christianus quidam iudicaretur, iamque ad negandum inclinaret, rumpebãtur isti astantes intra se, ac vultu innuebant, manuque extẽta, & totius corporis motibus ad constantiam hortabantur. Cum autem ad eos cuncti aspicerent, antequam quisquam ex ipsis caperetur, præuenientes capturam, ad ipsa subsellia vltro assiliunt, & se Christianos esse dicunt, ita, vt & præses & assessores timore obstupescerent, & Christiani qui iudicabantur, ad ferendas passiones strenui redderentur. Discedunt itaque isti à tribunalibus alacres, & propter fidei testimonium exultabundi, Deo per illos glorioſe triumphante. Anno Christi 253. Euseb. lib. 6. cap. 41.

Militum in fide Christiana constãtia.

CYRILLVS Heliopoli, quæ iuxta Libanum sita est, Diaconus, imperante Constantino, inflammatus ardore diuino, multa simulachra, quæ adorarentur, in illis locis confregerat. Cuius facti memores, imperante Iuliano, impij & abominabiles idololatræ, non modo ipsum interemerunt, sed etiam ventre dissecto, gustarunt iecur illius. Nec tamen hoc fugit omnia contemplantem oculum, dederuntque illi dignas facinore pœnas. Nam quotquot illo scelere contacti fuere, primum dentes, qui simul exciderant vniuersi, deinde & linguas amisere, quæ ipsæ putredine & fluxibus consumerentur. Postremo aspectu etiam priuati sunt, suoque malo prædicarunt vim pietatis. Theodoretus lib. 3. cap. 7.

Heliopolitarum immanis impietas.

Cæsareæ Palæstinæ sub persecutione Valeriani, tres viri confessione Christi conspicui, diuino martyrio, bestiis in cibum dati, decorati sunt. quorum nomina, PRISCVS, MALCHVS, ALEXANDER. Hos ferunt, cum in agro habitarent, se ipsos primum tanquã negligentes & socordes culpasse. quod barbaria illa, quæ præsens tempus iis, qui cœlestia expeterent, distribuebat, ipsi negligerent, nec coronam Martyrij præriperent. Et cum ea de re consultassent, Cęsaream venisse, & ad ipsum iudicem accessisse, prædictoq; fine potitos esse. Euseb. lib. 7. cap. 12.

Cæsarienses martyres.

Germanicus, cum Proconsul eum flectere vellet, obsecraretq;, vt quoniam admodum iuuenis, & in flore ætatis esset, sui ipsius misereretur, incunctanter, & sponte sua bestiam in se illexit, ac tantum non coëgit, vt quam velocissime ab iniusta hac & iniqua vita liberaretur. Imperãte Antonino Vero. Euseb. lib. 4. cap. 15.

Ischirion, cum vni ex primatibus pro mercede seruiret, iubetur ab illo idolis sacrificare, cum non obediret, contumeliis afficitur. Perdurantem ethnicus conuiciis lacerat, & in sententia persistentem arrepta maxima sude per intestina & viscera transuerberat, & occidit. Imperante Decio. Euseb. lib. 6. cap. 34.

Liberatus disciplina medicus, à liberis omnibusque fortunis auulsus, in exilium, quod Christum abnegare nollet, vna cum coniuge, quæ & ipsa Christi miles erat strenua, actus est: Quam calamitatem forti sustinentes animo, seipsos mutuis consolationibus ex verbo Dei erexerunt. Et mulieris admiranda fuit animi generositas. Ea enim maritum ob desertos liberos in luctu & squalore versantem, hisce verbis confirmabat: Quæso, animæ ne, an liberorum tibi iactura potior est? ecce & ipsi plorãtes clamant. Quare Christus, quem ipsi quoque seruatorem & redemptorem suum agnoscunt, eos tutabitur. Victor, in persecut. Vandal. lib. 3.

Ptolemęus ob Christianæ fidei confessionem damnatus ad supplicium abduci iubetur ab Vrbicio iudice. Quem Lucius quidam, qui & ipse Christianus erat, protinus his verbis iniquam eius execratus sententiam reprehendit: Quæ ratio est, quod hominem hunc, qui nec adulterium commi-

Ptolemæus. Lucius.

sit, nec scortatus est, neque homicidium perpetrauit, neque suppilator est, neque raptor, propter Christiani nominis confessionem puniuisti? Ad hæc Vrbicius nihil respondens, sic Lucium alloquitur: Tu etiam, vt mihi videris, ex eorum numero es. Quod cum Lucius constanter asseueraſſet, illum in cruciatum abripi mãdauit. Iste permagnam se ei debere gratiam fatebatur: Nam ita se non iniquis solum & improbis eiusmodi dominis liberatum fore dixit, sed etiam ad bonum patrem, & clementem regem Deum, recta profecturum. Anno Christi 154. sub Antonino Vero. Euseb. lib. 4. cap. 16.

Metræ martyrium.

Alexandrini sub Decij imperio senem quendam, Metram nomine, arreptum, impia verba contra Deum loqui mandant: cuius corpus, propterea quod eorum voluntati repugnabat, fustibus cędunt, vultum oculosq; præacutis arundinibus pungunt, ipsumque adeo ad suburbia abductum, lapidibus obruunt. Euseb. lib. 6. cap. 34.

Nemesis Ægyptius falso in crimen vocabatur, quod cum latronibus societatem coiuisset: sed istam calumniæ notam ab eo altissimã quidem, cum coram centurione diluisset, iterum per iudicem fuit delatus, quod Christianus esset, vinculisque constrictus ad præsidem venit. Iste iniustissimus præses beatum martyrem tormentis & verberibus duplo grauioribus, quam latrones ipsos, afflictans, exemplo Christi inter latrones interiectum (vnde non parum honoris adeptus est) feruido ignis exurit incendio.

Basilius presbyter Ecclesiæ Ancyræ, religionis Christianæ perstudiosus, Iuliano administrãte imperium, varia circuiuit loca, quo sedulo hortaretur Christianos, vt suæ religioni mordicus adhærescerent, & ne gentilium victimis se & libamentis polluerent. Ob quam causam comprehensus, traditur præsidi prouinciæ, atque in singulis certaminibus multa perpessus tormenta, constanti animo ac virili martyrium sustinuit. Sozomenus lib. 5. cap. 10.

Symeones, cuius supra in Pusicis martyrio meminimus, apud Saporem tum regem Persarum accusatur, quod Imperatori amicus esset, quodque ei res Persarum proderet. Itaque vt regni Persarum & religionis proditorem rex eum adduci iubet. Qui ad Saporem, vt daretur in quæstionem, introductus, neque veritus est quicquam, neque regem adorauit. Quare grauiter commotus rex, sciscitatur quid sit causæ, cur iam neutiquam ipsum adoret, cum ante id feciſſet? Cui Symeones: Non ante, inquit, deductus eram ad verum Deum prodẽdum, & propterea non recusabam debitos honores regi præstare: at iam idem ipsum facere fas non est. Nam iam pro pietate & nostra religione certaturus venio. Quæ cum dixisset, iubet rex, vt Solem adoret. Vbi vero neque minis terrere, neque promissis eum flectere posset, decernit vt gladio feriatur. Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, rex itidem obtruncari iubet: Ad extremum, Symeonem, cum cæterorum omnium mortem oculis aspexisset, trucidari. Horum pars episcopi, pars presbyteri, pars ex alio clericorum ordine fuerunt. Anno Christi 348. Sozom. lib. 2. cap. 9.

Symeonis archiepiscopi in confirmanda fide coram rege Sapore constantia.

Vsthazanes senex, eunuchus, educator Saporis, & in familia regia principem locum obtinens, Symeonem in carcerem deductum conspicatus, eum honorifice salutat. At Symeones verbis illum contumeliosis increpare cœpit, atque auerso vultu ideo præterijt, quod cum esset Christianus, paulo ante vi coactus, Solem adorauerat. Quare Vsthazanes eunuchus fundere lachrymas, ingemiscere, vestem splendidam, qua erat indutus, exuere, & tanquam homo in luctum constitutus, nigram circumijcere cœpit; pro portis regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, dolens ex animo, perfidiæ erga seruatorem Christum à Symeone conuictum se esse.

Vbi

Vbi ista resciuit Sapores, illum accersit, causamq; luctus rogat. Cui Vsthazanes, Lugeo, inquit, quod maneam in vita, quodque cum dudum mori debuissem, adhuc tamen Solem videam, quem, quo tibi gratificarer, specie simulata adorauerim. Sapores incredibilem Eunuchi mutationem vehementer admiratus, grauiore iracundia in Christianos exarsit, perinde quasi illi præstigijs hanc rem confecissent: sed tamen misericordia erga senem commotus, modo mansuetum, modo ferum, se in illum ostendit, atq; omnibus viribus laborauit, vt de sententia deduceret. Vbi nihil profecit constanter asseuerante Vsthazane, Se nunquam tam stultum fore, vt pro omnium conditore Deo, res ab eo conditas colat: tum ira inflammatus, mandat caput ense ceruicibus abscindi. Sozomenus ibidem.

Iulianus podagricus Martyr.

Iulianus podagræ doloribus oppressus, cum alijs duobus, qui eum gestabant, ad iudicem adducitur, quorum alter extemplo fidem denegat: alter, nomine Cronion, cognomento Eunus, & senex ipse Iulianus, Dominum ingenue confitentur: qui per totam vrbem camelis insidentes deducti, & ita sublimes verberibus cæsi, tandem immenso quodam rogo, & supra modum exardescente, hominum multitudine vndiquaque circumfusa, comburuntur. Alexandriæ sub imperio Decij, anno Christi 253. Eusebius lib. 6. cap. 34.

Martyriũ Iuuentini & Maximiani sub Iuliano. Daniel. 3.

IVLIANVS Apostata imprudenter aduersus verum Dei cultum arma ferens, & fontes sceleratis victimis contaminabat, & quæ in foro exponebantur, panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia esculenta, eadem sceleris macula inquinabat. Quæ cum viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, lamentari, & scelera illa impense detestari: Tamen eisdem vescuntur, Legi Apostoli obsecuti: Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conscientiam. At duo tamen viri re militari præstantes IVVENTINVS, & MAXIMIANVS, scutati milites, & satellites Imperatoris, in quodam conuiuio acerbius, & maiore cum animorum ardore horrenda illa scelera deplorantes, Tradidisti, inquiunt, nos Regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. Quæ verba vnus ex conuiuarum numero indicauit Imperatori. Ille confestim optimos illos viros ad se adduci iubet: percunctatur quid dixerint? Illi insigni quodam zelo incitati: Nos, inquiunt, in vera educati religione, ô Imperator, & legibus in primis præclaris, quas Constantinus & eius filij tulerunt, obsecuti, non possumus non grauiter & acerbe iam lamentari, cum videamus omnia impio scelere referta, & tum esculenta, tum poculenta nefandis, & execrabilibus victimis contaminata, &c. Quæ cum audiuisset impius atque scelestus Apostata, graues & acerbas plagas illis imponi iussit, atque sic hac vita priuauit, imo vero iniquo & calamitoso illo tempore eripuit, & coronas victoriæ eis conciliauit. Istos Antiochia velut strenuos pietatis athletas venerata, magnifico tumulo mãdauit, & quotannis festo publico eos honorifice celebrat. Theodoretus libro tertio, capite decimoquarto. Vide etiam sermonem diui Hieronymi de his duobus Martyribus.

Gazensium furor.

EVSEBIVS, NESTABVS, & ZENON, fratres, Gazenses à furẽte populo domi suæ latentes comprehenduntur, & primum in carcerem coniecti flagris cæduntur. Deinde omnes ex tota vrbe ad theatrum eõuenire, & contra eos grauiter propterea vociferati cœperunt, quod Sacra ipsorum prophanassent: atque ipsi se mutuo instigantes, ad carcerem concurrere, eosque inde deductos, modo pronos, modo supinos trahere, interdũ ad terrã allidere, iam cædere, alij saxis, lignis alij; alij alijs rebus fortuito oblatis. Quinetiam mulieres ex textrinis egressæ radijs illos confoderunt. Coqui in foro lebetes aqua feruenti ebullientes à focis arripientes in illos effuderunt, pars verubus transfixerunt. Vt vero eos discerpse-

rant,& terram eorum cerebro conſperſerant, extra vrbem raptata eorum corpora ad locum,quo animalia expertia rationis, proiici ſolent, accenſo ibi rogo comburunt. Sozom. lib.5.c.8.

PHILOROMVS, vir Magiſtratum non illum quidem vulgarem adeptus, ſed ad Imperatoris negotia Alexandriæ procuranda delectus, & PHILÆAS Thmuitenſis eccleſiæ Epiſcopus, vir cum in ciuilibus patriæ inſtitutis,& Eccleſiæ miniſteriis valde præſtabilis, tum Philoſophiæ diſciplinis eximius, ſub Diocletiano magna cum laude Martyrij coronam adepti ſunt. Quos cum permulti,& cognati, & alij amici, virique primarij, qui cum imperio erant, obſecraſſent, vt ſui ipſorum caperent miſericordiam,liberorumq; & vxorum curam ducerent, nequaquam adduci poterant, vt vitæ cupiditate aliqua ex parte delectarentur, & diuinas leges de confeſſione & negatione Seruatoris noſtri contemnerent, ſed virili animo contra omnes iudicis minas,contra contumelias ſe fortiter opponentes,ambo capitibus abſciſſis abierunt è vita. Euſeb.lib.8.cap.10.

SANCTVS Diaconus, Viennæ natus, ſupra quam credibile eſt,& ſupra omnem humanum captum verbera à carnificibus impacta toleranter ſuſtinens, ad omnia interrogata ita latino ſermone reſpondet: Chriſtianus ſum: iſtudque pro nomine, pro ciuitate, pro genere, ac deniq; pro re quaq; iterum ac ſæpius eloquitur. Nec aliam vocem gentiles ab eo elicere poſſunt. Vnde tam graui & acerba bile animus cum Præfecti, tum tortorum contra illum inflammabatur,vt cum nihil haberēt ſupplicij, quod deinceps imponerent, ad extremum laminas æneas feruentes & ignitas tenerrimis corporis membris affigerent, eademque tormenta paucis diebus poſt repeterent, putantes ſi corporis membris ſuperiore iam cruciatu tumidis,& inflammatione quadam efferueſcentibus,eadem ſupplicia accumularent, vt ſe illum facile euicturos, vel illum tormentis tandem extinctum, grauem reliquis horrorem incuſſurum. Tantum autem abfuit,vt in illo aliquid eiuſmodi contingeret, vt etiam præter omnium hominum opinionem,corpus in illis poſterioribus tormentis recreatum, & in integrum reſtitutum,formam priorem,atque vſum membrorum recuperaret. Tandem ergo in amphitheatro omne genus tormentorum denuo ſubit, crudeles ferarum tractus, tum alia cruciamentorum genera ſuſtinet,ferreis iiſque ignitis cathedris impoſitus exuritur, & magna tormentorum varietate ſpectaculum vniuerſo populo præbens, ad extremū ſecuri percutitur. Euſebius lib.5.cap.1.

Duorum fratrum in Martyrio conſtantia.

Sæuiente Vandalorum perſecutione,germani duo fratres iuramento ſe ipſos obſtrinxerāt,ſe quoduis potius tormentorum genus, adeoque mortem ipſam perpeti velle,quā fidē in Chriſtum abiecre aut abnegare. Mox cū in ſtipite tortorio neruis diſtenti per totū diem penderent, magni pōderis ſaxo pedibus alligato: alter fratrum doloribus tantum non ſuccumbens, liberari ſe,vt & ſpiritum ferme amiſſum recolligeret, & breue deliberandi ſpacium ſibi ſumeret, petijt. Ibi alter & ipſe neruis toto corpore diſtentus: Quid,inquit,frater agis? Aliud certe iuramentum, quo redemptori noſtro Chriſto obſtricti ſumus, à nobis requirit. Ipſemet ego coram tribunali ſummi Iudices te accuſaturus ſum. Perceptione corporis & ſanguinis Chriſti, nos ipſos quaſi iureiurando deuinximus, quod omnia ſuppliciorum genera, ipſam quoq; mortem crudeliſſimam vna cū Chriſti gloria ſubire prompti & parati eſſe velimus. Hiſce verbis alter cōfirmatus, tortorib. alacri animo inſultans, protinus exclamat: Omnia, agite, huc in nos tela cōuertite, ſupplicia ſuppliciis, tormēta tormētis cumulate: nihilo minus fratris mei conſtantiā firmo animo ſecuturus ſum. Ibi vero carnifices exacerbaſti, cādentibus ferri laminis membra eorum exuſſerunt, vnciſque dilacerarunt, & quidem fœde adeo, vt tortores ipſi horrore cōcuſ-

ſi ocu-

si oculos auerterent, dicentes: Profecto his vniuersis adhærebit populus, nec facile aliquis ad nostram conuertetur religionem. Victor. libr. 3. de persecutione Vandal.

VITVS, vt in Fastis Ecclesiasticis narratur, Lucania oriundus, duodecim annorum puer, constanter Christianã fidem confessus, & gentium idololatriam insectatus est. Cumq; nec minis, nec tormentis, à veritatis doctrina auelli posset, vna cum Pedagogo Modesto catenis vinctus, in carcerem compactus, hinc in vrnam coniectus, ardentique pice, & liquefacto plumbo circumfusus est. Vnde illæsus euasit, diuino miraculo conseruatus, & tandem sub Diocletiano in aquis suffocatus, Martyrij coronam adeptus est.

MARCELLINVS, vt ijdem Fasti perhibent, Romæ vir præstans & eruditione excellens fuit, qui cum attentiore animo versum Vergilij, Iã noua progenies cœlo demittitur alto, secum perpenderet, & altius sensum eius rimaretur, de aduentu & regno Christi tandem cogitare cœpit, per cœlestem Regem mundum reformandum esse, & ætatem auream, vt vocant, instituendam, agnoscens. Hic sub Decio, capite humeris auulso, in Martyrum collegium cooptatus est.

Diuus August. 11. Quæst. 3. Canon. non solum.

NOn solum abnegat Christum, qui dicit, eum non esse Christum, sed etiam ille, qui cum sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro: Discipulum meum te esse negabis. Negauit igitur ipsum, cum se negauit eius esse discipulum. Quid autem aliud iste modo, quam se negauit esse Christianum? Item, Timendo mortem carnis tuæ, dabis mortem animæ tuæ. Quanta enim vita est, confiteri Christum, tanta mors est, negare Christum. An Apostolus Petrus, sicut quidam fauore peruerso eum excusare nituntur, Christum non negauit, quando interrogatus ab ancilla, Hominem se nescire, respondit?

ILLVSTRIVM MATRONARVM, ET SANCTARVM virginum confessio, Crux & Martyrium.

PErpetua & Fœlicitas pietate & confessione illustres fœminæ, tempore admodum inoõuenienti bestiis obiectæ, & ab iis fœde dilaniatæ sunt, Fœlicitas siquidem prægnans, partui iam vicina erat: Perpetua lactentem domi infantulum nutriebat. Verum haud ideo animis trepidantes, parum constantes Christi discipulas se ostenderunt. Quinimo animos à rebus terrenis, & caducis auocantes, ipsiusque naturæ vim superantes ad cœlestia anhelarunt, & per pulchram mortem ad Christum properarunt. Factum in Mauritania, sub Valeriano, anno 259. Harum meminit diuus Augustinus, & Volaterranus 16. lib. Commen.

Blandina, cum imperante Antonino Vero Lugduni & Viennæ grauis persecutionis procella Ecclesiam infestaret, tanto animi robore & virtute imbuebatur, vt tortores, qui illam vicissim omni suppliciorum genere à primo mane ad vesperam vsque afflixissent, prope labore defessi languescerent, seque tum ab illa victos, tum nihil amplius habere cruciamenti reliquum, quod ei irrogarent, faterentur: Tandem trabi ligneæ sublimis affixa, præda bestiis incursantibus obiicitur. At cum nulla bestia eius carnem tangere vellet, à trabe mox abrepta in carcerem iterum truditur, & ad aliud reseruatur certamen, & per varia certaminum genera victrix facta, non solum per multas cruciamentorum vices aduersarium superauit, verum etiam per illustre illud certamen coronam immortalitatis tandem assecuta est. Euseb. lib. 5. c. 1.

Victoria, in Christianæ veritatis confessione victrix inclyta, cum Hono-

ricus Vandalorum rex, Arianæ hæreseos assertor, Ecclesiam velut tempestas quædam grauissima turbaret, varijs cruciamentis pendens excarnificata est. Maritus eius, qui ex timore Christum abnegaret, summo quidem opere eam inter tormenta à fidei confessione abalienare conabatur, sed spe sua excidit. Nam omnes illa cruciatus despicatui habens, nihil prius habuit, quam Christum puro corde amplecti, & ore palam confiteri. Cūque tormentorum vi iam enecta crederetur, vinculis solutis de stipite tortorio demissa est. Ibi vitæ & sanitati restituta confitebatur, virginem sibi astitisse, ex cuius attactu, & spiritum, & membrorum firmitatem receperit. Victor. lib. 3. de persecut. Vandal.

Dionysia, quanquam erat multorū liberorum parens, illos tamen Domino in amore minime prętulit, Alexandriæ sub Decij tyrannide, post varia tormenta capite obtruncato, mortem oppetens. Euseb. lib. 6. cap. 34.

Emerentiana, iuxta sepulchrum sanctę virginis Agnetis, cuius sepulturam impij gentiles, vi & armis in Christianos impetu facto, prohibere conabantur, lapidibus obruta in firma fide & inuocatione Christo spiritum reddidit. Vide Ambrosium in sermone 91.

Tarbula, soror Symeonis Episcopi, cuius supra meminimus, virgo sancta, vna cum ancilla, & sorore eius vidua, apud regem Saporem à Magis & Iudæis accusantur; crimini ipsis datum, quod ob mortem Symeonis iratæ venena Reginæ ægrotanti pararint. Regina calumniis fidem habēte, Magi Tarbulam, & reliquas duas arreptas morte condemnant. At cum serra dissectas patibulis suffixissent, effecerunt, vt Regina spacium inter patibula intermissum transiret, perinde quasi morbus eo pacto depelleretur. Sozom. lib. 2. c. 11.

Iulitta & animi fortunæ bonis abundans, prædijs, agris, pecoribus, aliisque bonis omnibus ab iniquo, auaro & potente ex magnatibus vrbis viro spoliatur: qua de causa litem illa secundum Leges Imperatorias aduersus eum intendit: verum, quia Christum confitebatur, præfectus fert sententiam. Si idolis ipsa sacrificauerit, & Christianam fidem publice abnegauerit, tum sese causam eius ex legum auctoritate discussurum. Quod si facere recuset, non solum bonis ipsi carendum, sed etiam pessima morte ipsi pereundum esse. Ad quæ generosa & sancta hæc Iulittta respondit, se non solum omnibus bonis carere, verum etiā vitæ corporisq; iacturam facere malle, quā Christum Redemptorem suum abnegare. Sententia itaq; lata est, vt igni cremaretur, quam ipsa ex amore Christi grata mēte excepit, adeoq; alacri animo ipsamet in flāmas insiluit, beata & sancta Christi Martyr facta. Peculiarem de hac matrona sermonem conscripsit Basilius Magnus.

Euphemia, virgo Aquilienſis, soror Dorotheæ, reiecta parentum suorū idololatria, Christo se totam dicauit. Quapropter ab impio suo parēte Valentino tyrannis tradita est, cumq; vna cum sorore sua in Christi cōfessione firmiter perseueraret, post plurimos eosq; infandos cruciatus tandem obtruncato capite in aquas præcipitata est. Actum eodem ferme tempore, quo sub tyranno Nerone diuus Paulus Romæ decollatus fuit. Consule Fastos Ecclesiasticos.

Faustina, insigni pietate excellens virgo, & diuino zelo ardens, nihil prius habebat, quam in Christianorum cœtu, vbi vox Euāgelij sonaret, & verbum Christi syncere doceretur, assidue versari. Qua de causa modis omnibus ab idolorum cultoribus vexata & excarnificata est. Verum cum minime in fidei suæ professione & constantia nutaret, cum alijs compluribus Christianæ veritatis confessoribus imperium administrante Maximiano supplicio affecta, ad Christum suum ex ęrumnosa hac vita transmigrauit. Fasti Ecclesiast.

Tecla, beata diui Pauli discipula, Christum fideli & ardēti pectore amplexa;

plexa,serpentibus,vrsis,leonibus obiicitur,quorum sęuitiam constanti & firma fidei suæ confessione & feruenti ad Christum precatione repressit. Fast. Ecclesiast.

Crispina,illustre matronarum decus, Diocletiano & Maximino tyrannis ouile Christi turbantibus, propter constantem Christi confessionem durissimis diuturni carceris vinculis cõstringitur, vbi horrẽdis sæpius cruciatib. excarnificata,tandem ad tribunal raptatur,vt cõtumax & seditiosa mulier,eo quod idolis sacrificare,eaq; adorare nollet,accusatur. Ad quas criminationes Christiana fortitudine & constantia respondit, nec liberorum, aliorumq; amicorum fletu, precibus aut hortationibus se flecti aut molliri passa est, sed firmiter in Christiana confessione perseuerans, ex iussu tyranni capite truncata, in cœlestem patriam commeauit. Anno Christi 306. August. in explicatione Psal.137.

Regina,adolescentula, virgo luculentæ admodum formæ, parentibus prognata gẽtilib. in tenera ætate Christianorũ cœtui sedulo se adiũxit,doctrinam de Iesu Christo attente audiuit, pectorisque sui penetralibus inclusit,& tandem ipsi Christo nomen dans per Baptismum, Ecclesiæ inserta est. Deinde annos nata nouemdecim,ab ethnico iudice variis modis infestatur. Nullis autem ipsa minis, vel tormentis territa,præsenti & alacri animo suam in Christum fidem cõfitetur. Quare exquisitis cruciatur supplicijs, brachijs suspenditur, ardentibusq; facibus sub axillis exuritur, & inter immania tormenta interficitur. Fast. Ecclesiast.

Aurea, insigni pietate illustris matrona, sub Claudio, Christum generoso pectore confessa,ad prunas assata est, deinde in ignem coniecta. Ibidem.

Lucia,ex Sicilia oriunda,virgo Christianæ religionis perstudiosa, à suis fratribus & cognatis,eo quod idolorum cultui adhærere nollet,ad tribunal raptata accusatur,vbi cum nullis neq; minis, neq; persuasionibus,adduci posset,vt posthabito Christo ad patrias rediret superstitiones, in ignẽ posita est,& gladius ipsi per gulam traiectus. Sub Diocletiano. Ibidem.

Quinta, cum Antiochiæ ex impij cuiusdam vatis instinctu, imperante Decio,ad patriam & antiquam superstitionem defendendam magno impetu gentiles ferrentur, ad idolorũ delubrum deducta, & falsos ibi Deos venerari iussa est: quæ cum talem cultum detestaretur,pedibus cõstrictis, per vniuersæ vrbis plateas,asperis saxis constratas, eam raptabãt: & simul ac corpus eius ad saxa molaria allisissent,& flagris pariter laceraſſent, ad suburbia tractam crebro saxorum coniectu obterebant. Euseb. libro sexto,cap.34.

Dagilla matrona nobilis, præfecti curiæ vxor, sub impio Vandalorum Rege Honorico,cum & Genserico regnante,sæpius fidem suam intrepide confessa esset,diris affecta supplicijs exilio mulctata est,& in locum eiecta vastum & desertum,vbi omni humana ope & consolatione destituta, in Christo exultauit,& cum mitius ipsi exilium destinaretur, eo minime lætata,in diserto & inhospitali loco,quod reliquum erat vitæ, trãsigere maluit,quam aliquam in perferendis propter Christum ęrumnis testari mollitiem. Victor. lib.4. de persecut. Vandal.

Theodora Nicomediæ sub Maximiani Imperio Martyrio coronata est. Fast. Ecclesiast.

Et alia quædam matrona,non procul à Nicea cum tribus suis filijs,propter Christianæ fidei confessionem in fauillas redacta,numerum beatorũ Martyrum auxit. Ibidem.

Theodosia intemeratæ castitatis virgo,Cæsareæ in Palæstina,ab impijs idololatris & Tyrannis,diris exagitata supplicijs, sub Diocletiano, cum adorationis cultum idolis præstare nollet,tandem in rapidos maris fluctus

Proiecta, generosa animi constantia vitæ huius vanitati valedixit. Euseb. lib.8.cap.17.

Potamiœna Alexãdrina, cum infinitas prope pugnas pro corporis pudicitia & virginitate, qua præ cæteris excellebat, contra insanos armatorum impetus sustinuisset, tum multiplices & graues ærumnas pro fide in Christum exhausisset, ad extremum post tormenta acerba dictuq; horrẽda, ab Aquila iudice damnata, pice feruente per diuersa corporis membra ab imis pedibus, vsque ad capitis verticem, sensim ac pedetentim diffusa, generoso & excelso animo migrauit è vita. Euseb. lib.6.cap.4.

Prisca, sanctimoniæ & castitatis laude illustris, virgo Romana, in Christi confessione firmiter persistens, Apollinis idolum adorare noluit, idcirco nudatam virgis toto corpore defœdari, hinc in ignem conijci iubet Claud. vbi animo læto in vera Christi inuocatione spiritum Deo reddidit. Fast. Eccl.

Christiana sub Iuliano Apostata, propter fidem in Christum multiplicem idololatrarum sæuitiam experta est. Suus ipsi pater non pepercit, sed eam retro inclusit carceri, & ne ad supplicia producta suam fidem profiteri posset, nouo crudelitatis modo linguam ei præcidit. Tandem sagittis confixa, Martyrij cursum absoluit. Augustinus super Psal. 120.

Anastasia, nobilis apud Romanos fœmina, à suo marito excarnificanda iudici traditur, quę sub Diocletiano, cum situm & squalorem carceris perpessa esset, cremata est, Fast. Ecclesiast.

Cæcilia, virgo Romana, illustri loco nata, cum Romano iuueni despõsata esset, eum vna cum Tiburtio, & alijs quibusdam ad Christum cœlestem sponsum adduxit. Quam cum Tyrãnus Almarsius ad idolorum cultum, omni vi adhibita, compelleret, nequaquam voluntati eius morem ipsa gessit. Idcirco Tyrannus per noctis & diei spacium aqua feruenti eam perfundi, deinde capite truncari iussit, anno septimo Imperij Alexandri Mammeæ. Sabellicus, item Fast. Ecclesiast.

Apollonia virgo id temporis cum primis admiranda, & admodum prouecta ætate, Alexandriæ sub Decio comprehenditur, maxillisq; eius crudeliter diuerberatis, omnes dentes illi excutiuntur, atq; rogo in suburbio extructo minantur ei gentiles, nisi verba blasphemiæ vna cum ipsis palã eloqueretur, se eam viuam crematuros. Illa paululum temporis ad deliberandum precata, & dimissa eorum manibus, sine mora insilijt in rogum, sicque flammarum incendio absumpta est, anno Christi 253. Euseb. lib.6. cap.34.

Felicitas, matrona apud Romanos honestissima, vna cum septem filijs Martyrij coronam adepta est, anno Christi 164. Filiorũ nomina hæc sunt: Ianuarius, Fœlix, Philippus, Syluarius, Alexander, Vitalis, Martialis. Huc refer historiam ex 2. Macchab. cap.7. Lud. Rabus libr.1. de Martyr. Basil. Magnus in sua concione. Qui Heliopolin ad Libanũ sitam, & Arethusam Syriæ incolunt, virgines sacras, in loco publico veste nudatas, tum ad cõmune omnium, qui eas intueri volebant spectaculum, tum ad ipsarum contumeliam consistere cogebãt, & post varias contumelias ad extremũ illarum capillum tondebant. Quin etiam eas dissecabant bifariam, & ad illarum intestina deuoranda porcos prouocabant. Sozom. lib.5.c.9.

Mater cum duabus filiabus in prostituentem amorem se præcipitat.

Imperante Diocletiano, mulier quædam præ cæteris Antiochiæ ciuibus, diuitijs, generis nobilitate, & gloria apud omnes eximia, furori tyrannorũ cedens, cũ geminis filiab. quas pietatis institutis studiose educarat, relicta Antiochia, latebras pro tutanda pudicitia, alibi disquirit, quas cum improbi satellites indagassent, mater filias suas pietatis, in qua educatæ essent, & intemeratæ hactenus pudicitiæ sollicite admonet, omniũque malorum imminentium liberationem esse docet, ad dominum tan-

quam

quam ad portum salutis confugere. Vnde omnes simul vno animorum consensu conueniunt, corpora vestibus deceter adornant, ac cum ad medium iter ventum esset, paululum de via decedendi, naturalis necessitatis explendæ causa, postulant à satellitibus potestatem, quâ impetrata, derepente ad fluuij ripam profectæ, se in profluentem gurgitem præcipitarũt. Aliæ quoque duæ virgines Antiochenæ eadem tempestate ex simili virginitatis conseruandę zelo in vastos maris fluctus se ipsas precipitarunt. Eusseb. lib. 8. cap. 24. *Virgines Antiochenæ.*

1. Pet. 3. Et quis est, qui sit afflicturus vos, si bonitatis æmulatores fueritis? Imo si quid etiam acciderit incõmodi propter iustitiam, beati tamen estis. Cæterum terrore illorum ne terreamini, neque turbemini, sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris. Sitis autem parati semper ad respondendum cuilibet petenti, vt loquamini de ea, quæ in vobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam, vt in hoc, quod vobis detrahunt tanquam scelerosis, pudeant hi, qui incessunt vestram bonam in Christo conuersationem. Præstat enim vt bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quã male facietes. Quãdoquidem & Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, vt nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, sed viuificatus spiritu.

MVLTORVM SIMVL PRO CHRISTO AFFLIctiones sustinentium martyria.

LIcinius contra Constantinum, cuius in imperij administratione collega erat, inuidia inflammatus, pestiferum contra eum, & crudele bellũ excitat, Christianamque religionem, cuius ille protector erat, execratus, Christianos ex aula sua eiicit, impiisque edictis, & supplicijs immanissimis omnem syncerioris religionis cultum ex hominum animis extirpare conatur. Ibi inter multos, qui firma sua fide, & cõfessionis cõstantia Christi gloriam illustrarũt, insignis fuit quadraginta Martyrum fortitudo: qui cum inter aulicos proceres magni essent nominis, veritatis confessionem Imperatoris fauori & gratiæ præposuerunt. Quos sæuientis Tyranni furor nudatos omnes, & sub brumam Sebasteæ stagno congelato impositos frigore necari iussit. Porro singulorum exploraturus constantiam, non procul inde ignem instrui, calidamque aquam asseruari præcipit, vt si qui doloris magnitudine fracti animum mutarent, iis in promptu esset, vbi vires recolligerent. Accidit autem vt vnus ex quadraginta illis, Christianę oblitus constantiæ, ad ignem accurreret, qui cum vitæ quæreret præsidium, illius subito iacturam fecit. In calidas enim aquas insiliens, protinus in horrenda desperatione exstinctus est. Nec tamen Martyrum numerus idcirco imminutus fuit, nam quidam ex Imperatoris seruis, qui torquendis Martyribus custodes additi erãt, per visionem cõspicatus angelũ, qui cœlo delapsus singulis Martyribus coronam imponeret, protinus depositis vestib. Martyrum cœtui se adiunxit, eorumq; dolorem, quem ob transfugæ incõstantiam conceperant, sedauit. Frigore sopiti currui imponuntur, & in ignem conijcti, cremantur. Et cum in vno, qui corporis sui firmitate frigoris vim superarat, certa adhuc vitæ spes appareret, accedit eius mater, fœmina pia & sancta, eumque monet, ne in pulcherrimo hoc certamine deficiat, sed Martyrij coronam constanti ánimo expectans, reliquos in cœlestem comitetur patriam. Basil. Magnus in sua concione, anno Christi 320. *Frigore nẽcati Martyres quadraginta.*

Tyri, quæ est in Phœnicia, admirabilis fuit athletarũm, pro Christo & religione certantium, constantia, qui statim post plagas & tormenta bestijs rapacibus, pardis, vrsis immanibus, apris agrestibus, tauris, igne & ferro ad rabiem acriter incitatis, obiecti sunt. Sed beluæ illæ rapaces, neque Sanctorum corpora attrectare, neque ad ea prope accedere audebant, sed *Bestiæ Martyribus parcunt.*

in infideles, qui extra repagula, alios aliunde incitatione quadam eas in Martyres instigarunt, impetu ferebantur, eosque discerpebant misere, vel semiuiuos hominum manibus inde auferendos relinquebant. Ad extremum ense illi obtruncati fuere, & marinis fluctibus sepulchrorum loco mandati. Eusebius lib. 8. c. 7. regnante Diocletiano.

Martyres Ægypti.

Eadē tempestate in Ægypto, pro Seruatoris nostri doctrina, varia mortis genera Christiani subierunt. Quorum alij post cuticulam nouaculis laceratam, post membra infinitis, varijs, dictuque horrendis tormentis excruciata, in ignem tādem iniecti fuerunt. Alij in altum pelagus præcipitati, alij lictoribus sua capita amputanda obiecerunt, alij fame confecti interierunt, alij occubuerunt ipsis cruciamentis oppressi, alij patibulis suffixi, quorum nonnulli tanquam malefici suspensi, alij deteriore modo, capite in terram demisso, clauis firmati, & viui vsque eo seruati, quoad ipsis in patibulis fame contabescerent. Eusеb. lib. 8. c. 8.

Martyres in Thebaide.

Nullo dicendi genere explicari potest, quænam verbera, quas ærumnas Martyres in Thebaide exantlarint, testis acutis, vngularum loco admotis, per totum corpus ad extremum spiritum dilacerati. Mulieres vno pede alligatæ sublimes in aerem, capite deorsum statuto, nudis omnino & detectis corporibus spectaculum, ab omni humanitate alieniſſimum, intuentium oculis exhibuerunt. Homines arboribus, & earum ramis astricti perierunt. Neque hæc fuere ad paucos dies, sed ad annorum aliquot spacium continuata, quo quidem spacio interdum plures quam decem, nonnunquam viginti & amplius, sæpe non pauciores quam triginta, aliquando sexaginta viri, rursus nō pauciores quam centum vno die cum tenellis ad modum liberis & mulieribus morti addicti, & varijs suppliciorum generibus trucidati sunt. Eusеb. lib. 8. c. 9.

Cyrillus Arianus.

Typasæ, quæ ciuitas est Mauritaniæ, Cyrillum quendam, Arianorū hæresi addictum, Episcopū à Vandalorum Rege Honorico designatum, suscipere noluerunt ciues, plurimiq;, quibus Christiana pietas cordi erat, relicta patria, voluntarium susceperunt exilium: reliquos in ciuitate remanētes, Episcopus iste Regis gratia & potentia fretus, vt Arianū dogma susciperent, compellere nitebatur. Verum in fide sua erga Christum constantes, neglecta Episcopi auctoritate, in peculiari domo conueniebant, vbi pietatis exercitijs vacarent. Quod vbi resciuit Episcopus, clam eos apud Regē Vandalorum Carthagini degentem, accusauit. Rex ira exardescens, protinus ducē quendā cum imperio eo amandauit, qui in forum conuocato vniuerso populo, singulis dextram manū amputari, & linguam è faucibus euelli præcepit. Verum nihilominus multi diuinæ veritatis potentiā admirabili exemplo testantes, expedite loquuti sunt. Inter quos Subdiaconus quidam, Reparatus nomine, Constantinopolim delatus, in magno apud Imperatorem Zenonem, eiusque coniugem honore fuit, qui, licet ei lingua exemta esset, absq; omni tamen difficultate verbis disertis veritatem & æternam Dei gloriam prædicabat. Victor. lib. 3. de persecut. Vandal.

Ascalone, & Gazæ, quę ciuitates sunt Palestinę, per horrendam & inauditam crudelitatem, eorum, qui verum Christi cultū amplecterentur, tam virorum, quam mulierum corpora dissecta hordeo implerunt, & porcis deuoranda obiecerunt.

Diocletiani & Maximiani durante tyrānide, Anthimus, qui Ecclesię Nicomedensi præfuit, capite propter Christi testimonium ceruicibus absciſſo moritur. Hinc ingens & frequens martyrum turba adiuncta fuit. Idque quod ijsdem fere diebus forte, nescio quo pacto, regia Nicomedensis incēdio conflagraret, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus, illud facinus a nostris admissum: Vnde ex Imperatoris iussu, ex pijs, qui ibi versabantur, aceruatim & tāquam cumulo, alij gladio trucidati sunt, alij ardo-

ribus

ribus flammarum obierunt, quò tempore fama est, viros & mulieres etiã, diuina & inexplicabili alacritate, sua spõte in rogum insiluisse. Reliqua autẽ multitudo vinculis colligita, & à lictoribus scaphis imposita, in vastum maris gurgitem præceps proiecta fuit. Anthimus cum alijs regijs famulis, decoro & celebri funere terræ mandati fuerunt, quos Imperatores rursus de integro effodiendos, inque mare præcipitandos decreuerunt, ne, vt eorum ferebat opinio, quidam eos sepulchris conditos, diuina veneratione prosequerentur. Euseb. lib. 8. c. 6.

Vrbs Phrygiæ diruitur

Eadem durante persecutione, vrbs quædã in Phrygia, cuius incolæ idolorũ, cultu nuncio remisso Christum amplectebãtur, obsidione cincta, & incendijs deuastata est, & in vniuersum omnes viri cum teneris liberis & vxoribus Christo quem constanti fide confitebantur, spiritum reddiderẽ. In primis autem Adauci, viri & dignitate, & summis honoribus apud Imperatores illustris, constantia & fides insignis fuit. Vide Eusebium li. 8. cap. 23.

Adaucus.

Sub Persarum rege Sapore horrenda fuit Ecclesiarum Christi persecutio. Nam, vt summatim dicam, fertur, viros, ac mulieres, quorum nomina recensebantur, Martyrium id temporis pertulisse, ad numerum sedecim millium: At multitudinem eorum, qui præter hos trucidati sunt, ne numero quidem comprehendi posse. Sozom. libro secundo, capit. 8. & sequentibus.

Martyres 16000.

Durante Vandalica persecutione in Africa, multa Christianorum millia per varia tormenta ad lanienam & mortem raptati sunt. Multi amputatis manibus, effossis oculis, pedibus, naribus, auribus inhonesto vulnere truncatis, crudeli morte affecti. Nonnullis omnia corporis membra luxata & contrita. Alij ex ædibus præcipitati obierunt: Alij ex fastigio ædium pedibus suspensi, sublimes in aëre, capite terram versus demerso, hinc inde agitati, mox per præceps in terram deiecti, effuso cerebro, brachijsque confractis mortem oppetiere. Persecutio hęc inter Christi fideles grassata est octauo anno Honorici, Vandalorum regis. Et præter hos, qui per varios cruciatus Martyrio coronati fuere, quatuor millia, noningenti sex in exilium acti sunt. Victor. lib. 2. & 3. de persecut. Vandalorum.

Vandalica persecutio.

Mauritius, Thebani exercitus illustris Dux, vna cum suis copijs ab Hierosolymitano Episcopo, sacro Baptismatis fonte mundatus fuerat, cumq; rei militaris scientia plurimum polleret, in Galliam copias suas traiecit, Imperatori Maximiano militaturus. Vbi ab Imperatore idolis sacrificare eaq; adorare iussus est, quod cum & ipse & milites constanter recusarent, immanibus excarnificati tormentis, capitibusq; truncati Christo regi cœlorum in noua & spirituali vita militare cœperunt. Fuit autem numerus eorum, qui cum Mauritio occubuere, sex millium, sexcentorum, sexaginta trium. Fast. Ecclesiast.

Martyres 6663.

Vrsula, regis Anglorum filia, vna cum vndecim millibus virginum, anno Christi 451. prope Coloniam ab Attila tyranno, Hunnorum rege, oppressa & interfecta est. Fasti Ecclesiast.

Vndecim millia virginum.

Ottone tertio imperij habenas moderante, Vandali Holsatiam, aliasq; conterminas regiones fœde deuastarunt, Saxoniamque peruagati, templa omnia incendijs consumpserunt, loloque æquarunt, vt nullum vestigium appareret. Sacerdotes alios; Ecclesiæ ministros, nouis & exquisitis affecerunt supplicijs. Hamburgi complures ex Christianis & Sacerdotibus in carcerem compacti, & miserabiliter trucidati sunt. Helmodus Vandalorum historicus autor est, Aldenburgi sexaginta Sacerdotes vna cum præfecto suo, vt pecora, trucidatos esse, dissectos ipsis, in crucis formam, capitis vertice, & framea acuta in cerebrum immissa. Hũc ad modũ, qui intra Albim & Oderã habitabant, & per septua-

Vandalica persecutio in Holsatia & Saxonia.

ginta annos doctrinam Christi iam agnoscebant, ex Vandalorum tyrannide ab Ecclesia auulsi fuere. Histor. Eccles. Casp. Hedion. lib. 9. c. 11.

Romani Antichristi aduersus Ecclesiam tyrannii.

Et ante & post tempora Vviclefij, horrenda sæpe clade, ij qui synceriori adhærerent religioni, affecti sunt. Narbonæ intra paucos dies centum & quadraginta, eo quod Pontificiorum errores, & enormia flagitia taxarent, interfecti sunt. Anno supra millesimum ducentesimo decimo, eadem de causa quatuor & viginti per horrenda supplicia trucidati. Hinc anno subsequenti Parisiis quingenti. In quorum numero fuit Americus Princeps virtute & pietate illustris, qui, vt fœdior eius esset infamia, suspensus est, eiusque coniunx lapidibus obruta. Nempe quasuis sectas, & omnis generis schismata Romanus ille Pontifex tolerare potis est: Sed eos solos, qui Christum in veritate colunt, & confitentur, ferre nequit. Et quidem ob hanc vnicam causam, quod impiam Romani Antichristi vitam improbaret, illustris Angliæ heros Oldencastel, cum aliis compluribus horrendo modo crematus est, anno Christi 1418. D. Lutherus in concione quadam Smalcaldiæ habita, qua Euangelium Matth. 4. enarrat, vbi Romanæ sedis & tyrannidis meminit, in Romano Imperio, vnius diei spacio septuaginta Christianorum millia trucidatos, & Romæ in cœmeterio quodam octuaginta Martyrum millia, & quadraginta sex Episcopos sepultos esse affirmat.

1. *Petri 4.*

Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum vestri fit, perinde quasi nouum aliquid vobis obtingat: imo in hoc, quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, vt in reuelatione quoque gloriæ eiusdem gaudeatis exultantes. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis: quoniam gloria & spiritus Dei super vos requiescit. Iuxta ipsos quidem maledictis afficitur, iuxta vos autem glorificatur. Nequis enim vestrum affligatur vt homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. Porro si vt Christianus affligitur aliquis, ne pudefiat, imo glorificet Deum in parte hac.

DE ALIORVM COMPLVRIVM MARTYRVM cruce & morte succinctæ narrationes, ex historijs Ecclesiasticis desumptæ.

PRocessus & Martianus carceris fuere custodes, in quem beati Apostoli, diuus Petrus & Paulus, Romæ compacti fuerãt, qui visis miraculis, quibus clarebant Apostoli, in Christũ credidere, & vna cum alijs quadraginta septem, qui item in carcere vincti tenebãtur, per Baptismum initiati sunt. Quod vbi resciuit iudex Paulinus, vt idolis sacrificarent, ipsis iniunxit. Sed cum nullis ipsi minis, nulla etiam vi, vt veritate abiecta, mendaciorum tenebras amplecterentur, adduci possent, partim lapidibus cooperti, partim fustibus cæsi, & quidam ex ipsis in flammas coniecti, nonnulli etiam scorpionibus flagellati, cursum Martyrij absoluerunt. Statim autem ipse Paulinus vltricem Dei manum expertus est. Nam oculis captus, & à dæmone obsessus, inter horrendos terrores & dolores extinctus est. Vincentius libro decimo, capite quinquagesimosexto, & Petrus de Natalibus.

Nereus quoque, & Achilleus, à Petro baptizati, impium cultum idolis præstare recusantes sub Domitiano, auulsis à ceruice capitibus, sanctorum Martyrum chorum auxerunt. Vincent. lib. 10. c. 15.

Quinq; virginum martyrium.

Traianus Antiochiæ quinque virgines, fidem palam profitentes, comburit, & ossibus earum ad summum combustis, cineribusque æri commixtis, ahena quædam & alia vasa fieri curat; eaque publico lauacro, quod ibi magnificentissime construxerat, dicat: Verum quicunque eo lauatum ingrediebantur, simulatq; calidas aquas attigissent, caligine simul & ver-

tigine

tigine correpti, cum impetu inde procurrebant & concidebant. Causa vero ei⁹ mali cognita, Traianus, vt alia ex ære puro vasa balneo parētur, mādat; priora autem illa in fornacibus conflata, in quinque transformat statuas, easq; virginum combustarum forma & habitu pro balneo collocat. Nicephorus libro tertio, cap. 23.

Duorum adolescētum constantia.

In Hispaniæ ciuitate Compluto, adolescentes duo, Iustus & Pastor, germani fratres, à parentibus suis in syncera religione, & fide in Christum, recte & sedulo instituti, in schola, in quam ad magistros itare solebant, idolorum cultum approbari & doceri audiunt. Impio itaque dogmati acriter se opponunt, Christianam fidem profiteri nihil veriti. Qua de causa ad iudicem adducuntur, qui veritus, ne constanti sua confessione adolescentes hi, & alios ad Martyrium alacri animo subeundum excitarent, clam eos virgis cædendos, & sic dimittendos decernit. Cum autem in confessionis constantia firmiter perseuerarent, adeoq; maior fidei feruor inter plagas in ipsis appareret, ex prætoris Daciani mandato à lictorib. extra vrbem capitibus truncati sunt. Anno decimo Imperij Adriani.

Ignatius. Phocas.

Getulius, in ciuitate Tiburtina Christianā veritatem syncere & fideliter docens, vna cum Cereali, Amantio & Primitiuo, ex Adriani Imperatoris mandato flammis absumpti sunt. Vxor eius Symphorosa cum septē liberis, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Statteo, & Eugenio, eandem fidei constantiam æmulata, anno elapso, Martyrij corona etiam insignita est; illa quidem in rapidum amnem præceps data, hi vero columnis alligati, & varijs tormentis extincti. 11. anno Imperij Adriani. cēt. 2. cap. 13.

Sub Traiano Imperatore horrenda vbique locorum Ecclesiæ fuit persecutio, sine discrimine sexus vel ætatis passim omnes, qui Christum profiterentur, ad lanienam rapti & interfecti sunt. Inter quos & Ignatius, Ioannis Euāgelistæ discipulus, Martyrio coronatus est, de quo supra: & Phocas in Ponto Ecclesias regēs, qui cum Neptuno sacrificare nollet, in ardētem caminum coniectus, deinde in feruentes aquas demersus, ad Christum, relicta hac ærumnosa vita, commigrauit. Imperatoris sæuitia tandem per Plinij II. Epistolam mitigata est.

Plinius II. Hadriani tyrannis.

Traiano successit Hadrianus, cuius Imperij anno secundo, Aurelius collega eius Alexandrum Romanum Episcopum, & Hermetem vrbis Præfectum vna cum cōiuge, liberis, & vniuersa familia, aliisq; Christum Seruatorem profitentibus, mille ducentis quinquaginta, carceri inclusos excarnificauit, & tandem in ardentes fornaces coniectos in cineres redegit. Quam immanem adeo tyrannidem cum Alexandri Diaconus Theodulus reprehenderet, eodem protinus supplicio affectus est. Anno Christi 120.

Fertur quoq; Zenon vir Consularis apud Romanos dignitatis, cū mille ducentis nouem Martyrij corona insignitus esse.

Quinto Adriani anno Eustochius, debellatis Barbaris, & insigni parta victoria, lætus ad suos reuersus est. Cui gratulabundus Imperator occurrit, eumq; protinus ad Apollinis sacrificium secum abduxit, vt & ipse victimas pro parta victoria idolo offerret. Quam impietatem cū abominaretur Eustochius, Christianæ religionis assecla, protinus cum vxore & liberis ab ingrato Imperatore occisus est. Vincent. lib. 11. cap. 52.

De horrenda Christianorum persecutione & afflictione, sub Antonino Pio, Antonino Vero, & Commodo, euoluatur centuria 2. cap. 3. Qua pœna persecutores isti & Tyrāni tandē affecti & extincti sint, in tertij Præcepti exemplis, De persecutoribus, explicabitur.

Tryphon, ex ciuitate Sandaducome oriundus, à teneris annis pie & sancte in Christiana religione à matre sua religiosa fœmina educatus, & sanctimonia & miraculis claruit. Qui sub Decij imperio à militibus Ni-

ceam ad prætorem Aquilium abductus, magna animi constantia Christum confessus est. Exquisitis itaq; tormentis & supplicijs excarnificatus, & capite tãdem truncatus, in cœlestem patriam Martyrij corona insignis, transmigrauit.

Abdon & Sannas, eadem tempestate Romam perducti, idolis diuinum exhibere cultum iussi sunt. Quæ cum illi despicerent, adeoque irriderent, leonibus & vrsis fæuientibus obiecti sunt. Verum immanissimæ istæ bestiæ Sanctorum corpora violare horruerunt. Itaq; lictores bestijs immaniores, gladio eos percusserunt. Vincent. lib. 11. cap. 4.

Alexandro Mammeę Imperij clauum gubernante, Agrippicus quindecim annorum adolescens, cum idolis sacrificare ex Christiauæ pietatis constantia nollet, à Prænestinis comprehensus & loris cæsus est, hinc pedibus suspensus, capite terram versus demersus, feruenti aqua perfusus est. Quæ tormenta cum forti superaret animo, gladio tandem percussus, spiritum Christo reddidit. Inter huius tormenta iudex subito è tribunali excussus & extinctus est. Bergamensis lib. 8.

Calepotius, Romanus sacerdos per vrbis plateas fœde raptatus, in Tyberim tandem præcipitatus est. Ibidem.

Pammachius, Consul Romanus, vna cum sua coniuge & liberis, nec non quadraginta duobus alijs Christianam fidem amplectentibus, & præter hos Simplicius, vir Senatorij apud Romanos ordinis, vno & eodem die gladio percussi, in Martyrum collegium cooptati sunt. Capita eorum in terrorem reliquorum, ne facile Christianum sese aliquis profiteretur, portis sunt affixa. Præterea alij magni nominis ciues, inter quos Tyberius & Valerianus celebrantur, fustibus cæsi, & decollati sunt. His accedit Quiritius, ex nobili patriciorum gente prognatus, qui vna cum matre sua Iulia, alijsque innumeris, propter Christum sanguinem suum effudit. Vincent. Bergamensis, & Henricus de Erfford.

Trecenti martyres Carthaginẽses.

Sub Imperio Valeriani & Galieni trecenti simul Carthagine vitæ huic caducæ Christum & veritatem præferentes, Martyrij gloriam consequuti sunt. Præfectus siquidem ciuitatis haud procul à fornace calcaria prunas & thus poni iussit, & ijs, quos Christianæ fidei nomine suspectos habebat, præcepit, vt vel in honorem Iouis prunis thus injcerent, vel in calcariam illam fornacem se præcipites darent. Ibi omnes ex ardenti pietatis zelo in fornacem se ipsos vitro, & citra vllam moram coniecerunt, vbi ex calcis fumo & puluere suffocati sunt. Henricus de Erfford, & Vincent.

Atrox in sanctas virgines sæuitia.

In Africa, piæ & religiosæ virgines, Maxilla, Donatilla, & Secunda, sub Galieni tyrannide varijs sunt affectæ supplicijs. Potionis loco, acetum & fel ipsis infusum est, virgis deinde atrociter cæsæ sunt: demum in stipite tortorio candentibus hamis distractæ, & exustæ, post in craticulis tostæ, hinc bestijs obiectæ: quæ cum ipsis parcerent, gladio percussæ, vitam tandem finierunt. Henricus de Erfford, & Vincentius.

Martyres 272.

Primo Imperij sui anno, Flauius Claudius ducentos septuaginta duos, qui omnes Christo nomen dederant, cancellis septos, immissis in eos militibus, gladijs & lanceis configi iussit. Præterea triginta sex milites à Dionysio Romano episcopo baptizatos capitibus plecti, & in eodem statim loco terræ mandari præcepit. Ad hæc centum viginti & vnum Martyres in vincula coniectos, nouis asseruauit tormẽtis & suppliciis. Inter quos fuere generosi isti Christi milites, Theodosius, Lucius, Marcus & Petrus, apud authorem citatum.

Eodem tempore Cæsarius culeo insutus, & in vastum mare coniectus est in Gallia. Adiochus, Tyrasius, Fœlix cum Polycarpo virgis atrociter cæsi, cum per integri diei spacium manibus inuersis pependissent, demum vecte confossi sunt. Presbyter Valentinus virgis cæsus, hinc capite truncatus

tus. Maurus, qui ob ſtudium pietatis Romam ſe contulerat, vna cum ſua coniuge & liberis per immaniſſima tormenta trucidatus eſt. Sabell. Enead. lib. 7.

Vrticinus, Rauennenſis Medicus, cum graniſſimis cruciatibus ſuperatis, caput ipſi iam reſecandum eſſet, ex mortis terrore trepidare cœpit. Ibi ex Paulini iudicis militibus vnus Vitalis, Chriſtianæ religionis confeſſor, Dilecte frater Vrticine, inquit, qui medicaminibus multorum ſæpe incolumitati fœliciter conſuluiſti, caue ne te ipſum iam æterna morte perimas. Quibus verbis animum ille recipiens, & in martyrio ſuo exultans, vltro cervicem ſuam ſecuri præbuit. Vitalis relicto impio domino, Chriſti caſtris ſe totum addixit, & paulo poſt propter confeſſionis conſtantiam viuus in terram defoſſus eſt. Vxor eius Valeria Mediolanum profecta, idolorum cultores palam reprehendit, nec vlla vi adduci potuit, vt idolothytis veſceretur. Propter quam pietatē & ipſa martyrio coronata eſt. Vincent. lib. 10. cap. 50. ſub Nerone.

In Cymela, Italiæ vrbe ſub Alpibus, iuſſu Claudij præſidis, Pontius Chriſtianæ fidei ſynceritatem amplexus, primum in eculeo ſuſpenditur, deinde manibus pedibuſq; conſtrictis, duobus vrſis ſæuiſſimis obijcitur, quibus ei parcentibus, in rapidas ignis flammas coniectus, inde quoque illæſus euadit. Omnibus deinde obſtupeſcentibus, carnifices beatū Martyrem in ſaxum, riuulo proximo imminens, abduxerunt, capiteq; humeris auulſo, truncum in amnis gurgitem deturbarunt. Mox autem vltrices diræ tyrannos infectatæ ſunt. Valerianus à Sapore Perſarum Rege captus eſt: Galienus à militibus ſuis confoſſus. Claudius autem præſes, & Anabius aſſeſſor eadē hora, qua ſanctus Pontius decollatus eſt, arrepti à dæmonibus ſuffocabantur. Vincentius lib. 12. c. 78. & 79.

Fœlicula, filia Petronellæ, quæ filia fuit diui Petri, cum nec idolis ſacrificare, nec Flacco ſatrapę nubere vellet, per quatuordecim dierū ſpatiū fame macerata eſt: deinde eculeo immaniter excarnificata, poſt in cloacam abiecta eſt, vbi ſpiritum Chriſto reddidit. Petrus de Natalib.

Domicilla, Imperatoris Domitiani ex ſorore neptis, ab Eunuchis ſuis Nereo & Achilleo, qui à diuo Petro quondam religionem Chriſtianam edocti fuerant, Chriſtianæ fidei doctrinam perceptam caſti pectoris incluſit penetralibus: quæ cum Aureliano Flauo Clementis, Domitiani fratris, filio nubere recuſaret, putans ſibi Chriſtianæ, cum gentili viro non bene conuenturum, in Pontiam inſulam pro confeſſione nominis Chriſtiani deportata, longum ibi Martyrium duxit: & tandem à Luxurio Aureliani Imperatoris fratre ſub Traiano, cum ſacrificare idolis nollet, vna cum ſuis famulis in vrbe Tarracina in cubiculo cremata eſt.

Sabina, Herodis Metallarij filia, poſt mortem mariti ſui Valentini, patricij Romani, à Seraphia virgine Chriſtianæ religionis doctrina imbuta, ſub Adriano corona Martyrij donata eſt. Seraphia hæc, relicta Antiochia patria ſua, Romam profecta, Sabinā viduam pro hoſpitij beneficio Chriſti & veritatis doctrina remunerata eſt. Quod cum ipſi apud iudicem Berillum crimini datum eſſet, idolis ſacrificare iuſſa eſt. Verum illa hac impietatis macula ſe contaminare noluit, ſed Chriſtum alacri animo & conſtanti fide palam confeſſa eſt; eaq; de cauſſa capite truncata, Martyrij corona ornatur, anno imperij Adriani ſeptimo. Vincent.

Martina, virginitatis intemeratæ, & fidei in Chriſtum gloria apud Romanos illuſtris, omnis generis tormentis & ſupplicijs exantlatis, tandem decollata, beatorum Martyrum choro inſerta eſt ſub Imperio Alexandri Mammeæ.

Perſecutio Alexandrinæ.

De perſecutione apud Alexandriam ſub Gallo & Valeriano, Dionyſius his verbis ſcribit, teſte Euſebio lib. 7. c. 11. Superfluum fuerit noſtrorum

recenſere nomina, cum & multi fuerint, & mihi ignoti. Veruntamē ſcias fuiſſe viros, mulieres, iuuenes, ſenes, virgines, anus, milites & idiotas, ex omnium hominum genere & ætate, quorum alij verberibus & igne, alij ferro, ſuperato certamine, coronas acceperunt.

Vincentius, in Spec. lib. 11. refert 300. tum Martyres Carthagini paſſos.

Roma Chriſtianorum laniena.

Roma vti ſemper Chriſtianorum laniena fuit, ita & hoc tempore Martyrum ſanguinem multorum excepit. Inter quos celebrantur tres Epiſcopi, Lucius, Sixtus & Stephanus, qui, vt in officium, ita & in Martyrium ſibi inuicem ſucceſſere.

Modi cruciatuum hi fuere, beſtiæ, verbera, ignis, ferrum, corporum laniationes, vincula, de quibus Dionyſius ſcripſit: non ceſſat Præſes ad hunc vſque diem alios crudeliter occidere, alios tormentis dilacerare, alios carceribus ac vinculis conficere, præcipiens ne quiſquam ad illos accedat.

Varia tormentorum genera.

Octauo hiſtoriæ ſuæ libro varia tormentorum ſuppliciorumq; genera, quib. qui Chriſtū confiterentur, excarnificati necabantur, recenſet Euſeb. Vt ſunt flammarū æſtus, immaniſſimarum beluarum morſus, candentes ferri laminæ, cruces, vndæ, membrorum truncatio, eorundemq; luxatio, oculorum eſſoſſio, totius corporis mutilatio, fames, vincula, & quæcunq; demum cruciamenta tyrannorum ſagax impietas exquirere potuit. Quæ tamen omnia æquo animo Chriſti fideles ſuſtinere maluerunt, quam ad idolorum cultum animū adijcere. Quin etiam heroica in mulierib. fortitudo eluxit. Nec deſerta tū, ſeceſſum ſecuraſque latebras Chriſtianis præbuerunt, ſed inde abſtracti, & vt pecudes ad lanienam abducti ſunt.

Sub Maximinis Romæ Meltiades epiſcopus, item Timotheus presbyter, cum alijs pluribus Epiſcopis & Sacerdotibus, vitam Martyrio finierunt. Alij denique in alijs paſſim locis, quorum nomina Faſciculi temporum oſtentant. Vt Victorianus, Symphorianus, Caſtorius cum vxore, Caſtulus, Cæſarius, Mennas, Nobilis, Dorotheus, Gorgonius, Petrus, innumerabiles Martyres, Eraſmus, Bonifacius, 30000. Martyrum, Iuliana, Coſmas, Damianus, Baſilius cum 7. Dorothea, Theophilus, Theodoſia, Vitalis, Agricola, Aſcha, Philemon, Hireneus, Ianuarius, Feſtus, Deſiderius Gregorius Spol. Agapes, Chionia, Hirenea, Theodora, 270. Martyres, Florianus, Primus, & Fœlicianus, Vitus & Modeſtus, Creſcentia, Albinus, Rogatianus, Donatianus, Pancratius, Catharina, Margareta, Lucia virgo, & Antheas Rex, 37000. Martyrū. Simplicius, Fauſtinus, Beatrix, Pantaleon, Georgius, Iuſtus, Leocandia, Anthonia, & alij infiniti numero paſſi ſunt in hac perſecutione, quorum nomina Deus ſcripſit in libro vitę. Item Fœlix, Victor cum parentibus, Lucia vidua, Geminianus cum 79. Sabinus, Anaſtaſia, Chryſogonus, Felix & Adauctus, Adrianus, Nathalia, Eugenia, Agnes 13. annorum paſſa eſt.

Audas Epiſcopus. Pyrea templa Perſarū.

Iſdigerdes, Perſarum Rex, perſecutionem contra Eccleſias concitauit, circa annū 413. occaſione ex re geſta, quam narraturus ſum, arrepta: Audas Epiſcopus, vir multis virtutis generibus ornatus, zelo non opportuno ille quidem accenſus Pyreum (templa enim, in quibus Pyr, id eſt, ignis, eorum Deus, colitur, Pyrea vocant Perſæ) demolitus eſt. De qua re Rex per Magos certior factus, Audam accerſit, ac primum placide eum coarguit, & Pyreum denuo ædificare iubet. Qui cum ei contradiceret, Rex omnes Eccleſias Chriſtianorum ſe diruturum minatur. Atque certe, quod verbis minabatur, reipſa perfecit. Nam vt primū Audam, diuinum illum virum, trucidari mandauerat, eccleſias deturbari iuſſit. Hinc igitur perſecutionis tempeſtas orta, grauiſſimos & turbulentiſſimos fluctus contra pietatis alumnos concitauit: quæ procella triginta annos cōtinuos a Magis, velut à quibuſdam turbinibus, agitata durauit. Tormentorum genera & noua cruciamenta piis hominibus inflicta, vix dicendo explicari poterunt.

terunt. Nam quorũdam manibus, aliorum autem tergis corium detraxerunt: aliorum capita, a fronte exorsi, ad barbam vsq; cute exuerunt, nonnullos acutis calamis lacerarunt, cutemque funibus a toto corpore auulserunt. Quinetiam lacus effodientes, ingentem soricum numerum in eos concludebant, deinde pietatis athletas, eorum manibus pedibusq; constrictis, ne bestias abigerent, soricibus velut alimentum obiecerunt. Sorices autem fame oppressi, sensim carnes Sanctorũ absumentes, diuturnum & acerbum cruciatum illis attulere. Theodoret. lib. 5. cap. 38. *Soricibus deuorandi obyciuntur Martyres.*

Diocletiano & Maximiano Imperij apicem tenentibus, pietatis athletæ, qui sanguine suo Christum confessi sunt, inter alios claruerunt.

Philoromus, qui primariam dignitatem apud Alexandrinos consecutus, cum splendido militum satellitio, pro dignitate sua, Romano more quotidie tribunali astabat. Huius supra meminimus. Euseb. lib. 8. cap. 10. Niceph. lib. 7. cap. 9.

Eustratius ex Arabicis, regione Armenijs finitima ortus, in Græcarum disciplinarũ scientia nemini secundus, apud Lysiam Orientis præfectum Scriniarius, siue Ducalis ordinis scriba factus, cum mitificam nobilium Martyrum constantiam vidisset, non alios expectat accusatores, sed seipsum ipse defert. In sublime itaque extensus, acriter verberatur, igne viscera eius aduruntur, sale & aceto perfunditur: Ad hæc fragmentis testarum ita obteritur, vt totus ipse vnum videretur esse vulnus. Vt autem diuino nutu corpus fortissimi Martyris, veluti squamis ab eo delapsis, ad pristinum formæ statum est reuersum, cum Oreste Sebastiam ad Agricolam abductus; vbi per ignem vterque holocaustum Domino sunt oblati. Niceph. lib. 7. cap. 14. Vbi & plures recensentur Martyres nobilissimi, & inter eos Eugenius, Maxentius, Mardarius, Sergius & Bacchius. *Eustratij martyrium.* *Orestes Martyr. Eugenius. Maxẽtius. Mardarius Sergius. Bacchius.*

Georgius Martyrum facile coryphæus, in Cappadocia adhuc adolescẽs, fortissime certaminibus pro Christo perferendis Martyrium obijt. Captus enim, quod in dæmones acriter inuectus esset, Imperatorumque impietatem derisisset, supra naturæ captum perquam acerbos sustinuit cruciatus. Namque post carcerem & vincula, vngulæ acutæ eum excepere; mox calce ardenti est adustus, fidiculisq; rursus distractus, mucronibus membratim dissectus, plurimisque alijs pœnarum tormentorumque machinis attritus, generosam animi sui constantiam, firmumque mentis suę robur satis declarauit, tandemq; gladio percussus, ex hac vita migrauit. Niceph. lib. 7. cap. 15.

Procopius Cæsareæ Palestinæ natus, cui Diocletianus Ducalem in Oriente sublimitatem dederat, inter Martyres eodem tempore illustris maxime fuit. Aureis namque, & argenteis, quos sibi fieri curauerat, dijs comminutis, eorumque precio in pauperes expenso, mox etiam cum eis, qui friuolos adulterinosq; Deos propugnabant, bello congressus, illorumq; infirmitate per infamiam notata, omnem in se tyrannorum sæuitiã concitauit, & eodem modo, quo Georgius excarnificatus, postremo & ipse gladio percussus, cum incredibili lætitia ad dudum sibi desideratum Christum concessit. Niceph. ibid.

Albanus Britannus, antequam Christianam fidem edoctus esset, Sacerdotem quẽdam pietatis studio insignem, qui tyrannorum Diocletiani & Maximiani sæuitiam fugiens, patrium solum mutauerat, hospitio excepit. Cuius cum mirificum, circa pietatis & Christiana fidei exercitia, animaduerteret feruorẽ, motus exemplo & ipse in Christianæ pietatis studio se informari petijt. Protinus autem ad præfectũ Cęsareum rumor permanauit, ab Albano foueri Christianæ fidei confessorem, quem ille; missis ad Albani ædes militibus, comprehendi & adduci iubet. Re autem cum Sacerdote nõ communicata, eius vestes Albanus propere induit, milites-

Albanus Sacerdotis loco se offert Martyrio.

que comitatus, se vltro sacerdotis loco, coram iudice sistit, interrogatusq; cuias esset? Quid tua, inquit, refert, cuias sim? Christianum me esse profiteor. Rursus, quod sibi nomen esset interrogatus, Albanus, inquit, vocor, Deumq; verum & omnipotentem colo atq; adoro. Statim ergo, vt idolis sacrificet, ei mandatur. Ad quę ille, Sacrificia, inquit, vestra diabolica sunt, nec vlli vel salutem vel opem præstare possunt; & quisquis tuo obsecutus imperio idolis istis sacrificat, is in æternum Gehennæ sustinebit incendia. Quibus verbis exardescens ira iudex, loris Albanum verberari præcipit, cumq; inter tormenta nullum vel doloris, vel metus specimẽ ederet, gladio percussus, Martyrij coronam adeptus est. Beda lib. 1. Hist. Eccles. gentis Anglorum, cap. 7. Ad tractatum de amicitia in 5. præcepto hoc exemplum refert: quoq; potest. Galerio Imperium Romanum administrante, præfectus Asclepiades, minister impietatis, cum agmine militum in Ecclesias irrumpere, & vi aſmorum a veritatis confessione Christianos abstrahere conabatur. Quod vbi resciuit Romanus, præcurrens pietatis hostes adesse nunciat, & ne præsenti cedant turbini, nec a veritatis confessione auelli se patiantur, Christianos hortatur, adeoque verbis suis omnium animos sic confirmat, vt tam viri, quam fœminæ, tã pueri, quam senes, propter Christum mortem oppetere gloriosum sibi ducerent. Generosam itaq; omniũ constantiam admirati milites, plebis rebellis Romanum ducem esse Præfecto indicant. Qui solum eum, vt incitatorem & facem omnium ad se rapi iubet, & his verbis adductum increpat: Tu ventilator vrbis, & vulgi leuis procella, mentes inquietas mobiles, &c? Tu primus exitium lues, & quod alijs ferendum suaseras, ipsemet feres. Ad quæ ille ore libero, Amplector, inquit, o Præfecte, nec me subtraho, vt pro fideli plebe solus immoler. Quibus incensus Asclepiades, eculeo ipsum suspendi, & euiscerari iubet. Cum autem apparitores monerent Præfectum Romanum vetusta nobilem esse prosapia, iubet amoueri noxialem stipitem, plebeia clarum pœna ne damnet virum, & primum plumbo tergum ceruicemq; tundi & lacerari præcipit. Inter quæ tormenta cum alacri animo gentilium idola irrideret, Christumq; firmo & constanti animo confiteretur, ad noua tormenta lictores excitat tyrannus, & mucronibus latera totumque corpus secari iubet, donec pectus & ossa denudarentur. Verum multo ibi alacriore animo Romanus Christum confitetur, & celebrat. Quare furens Asclepiades carnifici præcipit, vt in os loquentis ictum vertat, in maxillas manum, sulcosque acutos, & fidiculas transferat. Sed Martyr fluentem fatur inter sanguinem: Grates tibi, o Præfecte, magnas debeo, quod multa pandens ora iam Christum loquor: Christi Patrisque sempiternam gloriam tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera. Et post hæc, Age septennis, inquit, adducatur puer, & illius audiatur sententia. Quod cum factum esset, Romanus ad puerum se conuertens, Filiole, ait, dic quid videtur esse verum & congruens, vnumne Christum colere, & in Christo Patrem, an comprecari milla formarum Deus? Ad quæ puer, Christus, inquit, cum Patre verus & vnicus Deus, repudiato idolorum cultu, colendus & inuocandus est. Stupuit tyrannus, &, Quis autor, inquit, vocis est huius tibi? Respondit ille, Mater, & matri Deus. Insanus itaque Præfectus pueri matrem accersi iubet, eaque præsente, crudeliter pusionem cędi, virgisque secari imperat. Quę intrepido animo conspicata mater, filiolũ ad constantiã exhortatur, cumq; comã cutemq; verticis reuelleret a frõte tortor, clamabat illa, Patere, gemmis vestiet apicẽ corona regio ex diademate. Mox vna cum puero Romanum flammis se addicturum minatur tyrannus. Ibi cõplexa mater filiolum, de Martyrio ipsi gratulata est. Tandem ex impij iudicis mandato dum ferit ceruiculam percussor ense, docta mulier psallere Hymnũ canebat carminis Dauidici, Preciosa sancti mors sub aspectu Dei.

Asclepiades minister impietatis. Romanus Martyr inclytus.

Pueri septennis confessio.

Mater laetatur martyrio filij sui.

Resectum-

Resectumq; caput excipiens, charo applicabat pectori. Romanus autem cum in immanem rogum cõiectus esset, subitis imbribus ignis extinctus est. Tyrannus nouo miraculo attonitus, linguam ipsi e faucibus euelli mandat, sed nihilominus ille magnalia Dei celebrans, impij tyranni furorem ridet. Omnia itaque cum irrita essent tormenta, tyrannus foro protrahi iussit virum, trudi in tenebras noxialis carceris. Elidit illic fune collum martyris lictor nefandus, sic peracta est passio. Prudentius περὶ Στεφάνων.

Iacobus Persa in gratiam Isdigardis Persarum regis, Christianam religionem, a parentibus sibi traditam, reiecerat. Matris autem coniugisque admonitiones tantum efficiebant, vt pio & feruenti zelo ad Christum reuerteretur. Quam rem iniquissimo ferens animo rex, acerba & propter nouitatem admiranda morte eum affecit. Nam articulis & iuncturis quibusque ex manibus, brachijs, pedibus & suris ei resectis, ventrem solum cum capite abijci iussit. Quoniam autem ne tum quidem fidem in Christum abiecit, postremo ipsum quoq; caput ferro amputatum est. Niceph. lib. 14. cap. 20.

Vandalorum durante persecutione, sub Honorio, Liberatus monasticorum Philosophorũ præfectus, vna cum sex fratribus & monachis, quorum sunt nomina, Bonifacius, Rusticus, Seruus, Rogatus, Septimus, Maximus, e cœnobio Carthaginem abductus est: vbi cum nec blanditijs, nec pollicitationibus adduci possent, vt Euangelicam veritatem abijcerent, sed magno animo oblatos honores despicerent, omnes vna incluſi squalido carceri, ferreisq; compedibus vincti sunt. Cum autem nonnulli Christianorum a custodibus pecunia corruptis, ad captiuos admitterentur, captiui in Euangelica veritate ita illos informarunt, vt martyrij desiderio & ipsi tangerentur. Quod vbi resciuit tyrannus, arctioribus eos compedibus constringi, nouisque cruciamentis & supplicijs affici mandauit, & tandem nauim aridis lignis & stramine impleri iussit, vt fratres isti in eam impositi, atq; in altum subuecti, cremarentur. Itaq; e carcere duris cõstricti vinculis producti, mirifica animi alacritate & fortitudine Martyrij coronam expectarunt, sublataq; voce, Gloria in excelsis Deo, cecinerunt, hũc diem mortis omnium sibi & preciosissimum, & acceptissimum esse affirmantes. Ibi & alij ex Christianis læta acclamatione eos adhortati sunt, vt animo imperterrito mortem exciperent, sibiq; pro Christo mori, qui propter nostram salutem mortem acerbissimam subierit, nosque precioso sanguine suo redemerit, glorioſum ducerent. Erat autẽ vnus ex fratribus istis adolescens admodum, quem infideles instigabant, ne vltro cum dementibus fratribus ad mortem properaret, sed regi factus supplex & vitam redimeret, & ad magnos honores ista respiscentia aditum sibi patefaceret. Quibus magno ille animo respondit: Absit, vt eo vesaniæ & impietatis adducar, vt vllius vel minis vel blanditijs a dilecto patre & fratribus meis auelli me patiar, & in sanctissimo certamine eos, cum quibus in summa semper animorum coniunctione vixi, perfide deseram. Cum ergo naui essent impositi, non secus atque pecudes in altari mactandæ, apparitoresque & carnifices omni conatu flammas, rogo ex stramine, lignisq; aridis congesto, inijcerent; Omnis tamen labor eorum irritus fuit, quod quoties flammã rogus conciperet, toties ex diuino miraculo eadem extincta, euidens diuinæ præsentiæ testimonium præberet. Itaque & pudore suffusus, & ira exardescens rex, consilijq; in disquirendis supplicijs inops, capita septem horum fratrum contis conteri præcipit. Quo supplicio affecti, spiritum suum Deo creatori triumphantes reddidere. Victor. lib. 4.

Liberatus.

Croscus.

Vandali sub Principe suo Crosco Galliam deuastantes, Lingonum ciui-

tatem

Desiderius episcopus.

tatem graui & diuturna obsidione cinxerunt. Magna ibi Desiderij Episcopi pro gregis sui salute cura & sollicitudo fuit. Nam præterquam quod fusis ad Deum precibus quotidie pro Ecclesia intercederet, tandem etiam editiorem muri partem, vnde ab hostibus exaudiri posset, conscendens, alta & flebili voce Vandalorum Principem compellauit, eumque ad misericordiam, erga oppressum gregem exercendam, commouere studuit, & e continenti inde templum petijt, ibique ardentissimis precibus ad Deum effusis, pro peccatis populi deprecatus est. Voluit autem in hoc etiam cœtu Christus Rex cœlestis & æternus suam gloriam & maiestatem in Martyrum constantia declarare, testatumq; reddere, quod respectu eius gloriæ, quæ in Christo credentibus parata est, caducæ huius vitæ nulla sit habenda ratio. Nam paucis interiectis diebus, Vandali vrbe expugnata, omnes qui Christiani essent nominis, crudeliter trucidarunt, & in tẽplum irruentes Episcopum totum orationibus deditum; inde ad Principẽ magni furoris acti stimulis raptant. qui vltro & morti & tormentis se obtulit pro reliquis. vt eorum vitæ parceretur, precibus suis intercedens. Ex mandato itaq; Principis gladio percussus, & beatus Christi Martyr factus, vitam suam finijt, imperante Leone.

Antidius.

In hac persecutione Antidius quoque, Vesontiensis episcopus subijt Martyrium; primum facies ipsi truncatis naribus, labijs & auribus fœdata est, mox omnia totius corporis membra mutilata sunt, demum & caput ipsi resectum est. Petrus de Natalib. Sigibert. in Chron. Anno Christi 411.

Pseudo-Moyses.

Negra ciuitas, ad fines fœlicis Arabiæ sita, grauem sub Iustino Imperatore, ex Iudæi cuiusdam malitia & tyrannide, persecutionem perpessa est. Iudæus iste in finitima Homeritarum regione tyrannidem exercens, & Mosen legislatorem se patrem habere ex Diabolico instinctu glorians, cõtra eam, quam dixi, consurrexit vrbem. Quam cum armorum vi occupare haud posset, ad veterem patris sui armaturam, mendacium scilicet, se conuertit, & amici persona sumpta pacem cum illis, iureiurando per patrij Dei nomẽ interposito, pepigit. At vbi tyrannus intra muros acceptus est, non diu moratus persona & figmenti scena posita, cum Christi ouibus lupus est congressus. Et postquam periculum ciues a Christo auertendi fecit, atque a scopo consilij sui aberrauit, alios tandem ferro, alios igni, & tormentis varijs, ciuitatem videlicet vniuersam holocaustum Deo obtulit.

Pueri in subeundo martyrio generositas.

Atque egregium ibi virilis animi specimen edidit puer quidam, qui cum tyrãnus eum retinere, & a matre abstrahere conaretur, femur tyranni momordit, & ad matrem procurrens, atque vna cum illa in pyram accensam insiliens, sacrificium suaueolens per litationem ad Deum est trãsmissus. Niceph. lib. 17. cap. 6.

Longobardi quadraginta agricolas vi armorum in bello captos carnibus, quæ idolis immolatæ fuerant, vesci iubebant. Quod cum illi ex syncero erga Christum amore committere horrerent, omnes simul Christum firmiter confitentes occisi sunt. Eadem tempestate & alij quadraginta, quod Capræ simulachrum, cui Longobardi victimas mactare solebant, adorare nollent, ab ijsdem trucidati martyrium subierunt. Anno Imperij Iustiniani 35. quemadmodum Marianus Scotus ex lib. 3. Dialogorũ Gregorij Papæ, cap. 27. & 28. recenset.

IVGVNDIS ET HERMINIGILDVS.

Herminigildus. Iugundis. Goisuintha.

HErminigildus Hispaniarum Regis Leuuichildi filius, Iugundem Sigiberti Francorum Regis filiam, matrimoniali uinculo sibi cõiunxerat. In Hispaniam ingenti & splendore & comitatu Iugundis profecta, a spõsi auia, Regis matre Goisuintha, honorifice excipitur. Erat autem regina ista mater, Arrianorum addicta hæresi: idcirco Iugundi sponsæ, syncerę ve-

ritati

ritati pie adhærenti, blanditijs & ficta humanitate persuadere nititur, vt abiecta veritate dogma amplectatur Arrianorum, & iuxta istorum institutionem baptismum reiteret. Cui Iugundis in Christi doctrina firmiter perseuerans, Semel, inquit, per Baptismum sacrosanctum a peccati originalis sordibus mundata sum, & sanctam indiuiduamque Trinitatem & Deitatem confessa. Itaque quiduis potius sustinere prompta sum, quam semel agnitam veritatem abnegare. Quibus auditis, Goisuintha quasi furijs acta, in capillum sponsæ inuolat, eam humi prosternit, pedibus conculcat, & fœde tenerum corpus cruentat; vlteriusque suo furore progressa, in piscinam conijci & suffocari eam iubet. Sed diuinitus conseruata, suum quoque maritum Herminigildum ad Christi cognitionem adduxit. Georg. Turonensis lib. 5. cap. 38.

Porro Rex Leuuichildus in Arrianorum hæresi mordicus hærens, cum nec blanditijs nec minis a veritatis confessione filium abducere posset, tandem compedibus constrictum, caliginosi carceris situm squaloremq; ferre iubet: quibus tormentis aliquandiu conflictatum, flecti iam posse sperans, in festo Resurrectionis Christi, misso ad eum Arriano episcopo, animum eius tentat. Sed cum & eam sibi frustra sumpsisset operam, noua exardescens iracundia pater, in ipso Paschatis festo securi caput filij diffindi præcipit. Herminigildo hunc ad modum Martyrij gloriam adepto, Iugundis relicta Hispania in Franciam properat, sed a militibus Hispanis aditum regni, aduersus Gothorum incursiones, custodientibus, intercepta, vna cum filiolo in Siciliam deportata est, vbi tandem vitæ suæ terminum clausit. Filius post matris suæ obitum ad Cæsarem Mauritium Constantinopolim transmissus est. Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longobardorum, cap. 10.

Vta. Heimeranus.

Landobertus.

Theodonis Boiorum ducis filia Vta, a Sigiberto quodam decurione equestri compressa erat. Aluo intumescente proditur flagitium. Vta diuum Heimeranum, Pontificem Reginoburgensem (qui tum forte fortuna, pietatis ergo, Romam versus, ante tres duntaxat dies Reginoburgio profectus erat) ceu authorem culpæ honestiorem, parentem nuncupat. Landobertus frater puellę, vbi hoc accepit, sororis ignominia, & sceleris indignitate commotus, Pontificē apud Helffendorff (pagus est in superiore Boiaria, inter Oenum, & Isaram amnes) consequitur, iraque percitus, eundem nequicquam scelus tantum abnuentem, comprehendit, socij diffugiunt. Nec mora Landobertus Heimeranum supra scalas duriter colligat, membratim dissecat, seminecemque relinquit. Auent. in Annal. Boiorum, lib. 3. Tandem Episcopi innocentia detecta est, Vta in exilium acta, Landobertus ad Hunnos confugiens, extinctus est. Cent. 7. cap. 3.

VVelpho.

VVelpho, eius nominis quartus Boiorum Dux, pietatis ergo peregrinatione Hierosolymam versus suscepta complures, inter itineris comites, Episcopos & Sacerdotes habuit, qui plerique omnes multiplicibus in itinere exhaustis periculis occubuerunt. Princeps ipse in Cyprum delatus, ibi vitam suam clausit. Multi etiam ex perfidia & fraude nefarij hominis Alexij proditi, in Sarracenorum manus viui peruenere. Inter quos & corporis & animi dotibus præ reliquis illustris erat Thiemo, Saltzburgensis Episcopus, ex nobili Boiorum genere natus, qui Ægyptiorum regi traditus, idolorum cultui se dedere iussus est. Verum in delubrum progressus, generosus hic heros, voce clara & libera, magna animi constantia & fiducia, docuit, Idola ista nihil Deitatis habere, nec vllo pacto adoranda esse, sed fragilia esse humanarum manuum opera. Et his dictis, protinus arrepta idola humi allisit, ac minutatim contriuit. Nec mora, ex tyranni mandato inde abducitur, exquisitisq; tormentis subijcitur, inter quæ Christo spiritum reddidit. Chron. Hedion. lib. 3.

Alexius perfidus. Thiemo episcopus.

Bruno. Bruno, ex Monacho factus Episcopus, anno Christi 1008. per varia tormenta & supplicia Martyrio coronatus est. Chron. Casp. Hedion. lib. 3.

ROMANI EPISCOPI VEL PONTIFICES *Martyrio coronati.*

QVI in primitiua Ecclesia ab Apostolis & ad Sylvestrum recensentur apud Romanos Episcopi, ij omnes fuere Pastores absque mitris simplices, & in Euangelij messe ad Martyrium vsque laborantes.

1. Linus Thuscus, vir Apostolicus, ac vitæ sanctitate conspicuus, Cæsaris Vespasiani tempore, ob Euangelij prædicationem, sub Saturnino Consule, anno Christi 82. Martyrij pœnam subijt,

2. Anacletus Athenien sis, quem Irenæus post Linum ponit, doctrina & spiritu eximius, veræque Ecclesiæ plantator assiduus, vsque ad Domitiani tyranni tempora vixit. Cuius mandato, anno salutis nostræ 94. Martyrio coronatus fuit.

3. Clemens Romanus, vir longe doctissimus, & miraculis clarus, a Cæsare Traiano ad marmora secanda in insulam quandam relegatus, Christi doctrinam latius propagauit, tandem anchora ad collum eius appensa, anno Domini 102. in mare præcipitatus est.

4. Euaristus Græcus, Dei gratia præfulgens, anno Christi 110. sub dicto Traiano etiam Martyrio sublatus est.

5. Alexander Romanus, Christiani nominis gratia, sub præside Aureliano supplicia grauissima, anno Domini 121. ad mortem vsq; passus est.

6. Sixtus Romanus, in sermone & opere vir potens, pro Dei grege solicitus semper, ob fidem Christianam terrenam vitam amisit, anno Domini 129. vt longe in cœlis meliorem inueniret.

7. Telesphorus Græcus, eruditione ac pietate vir insignis, sub Antonino Cæsare, tam ore quã sanguine fidelis Iesu Christi testis fuit, an. Dom. 140.

8. Higinus Athenien sis, ex philosopho Christiano episcopus factus, officia boni pastoris & Ecclesiastici operatoris in messe Domini perfecit: ac morte non incruenta, tandem an. Christi 144. sub mundi tyrannis vitæ finem accepit.

9. Pius Aquilien sis Martyrij gloriam anno Domini 159. in sui sanguinis effusione adeptus est.

10. Anicetus Syrus, anno Seruatoris 169. in magna Christianæ fidei constantia, pro Dei veritate sanguinem fudit.

11. Sother Campanus, in armis spiritualibus Christo fideliter militauit, sub Ant. Commodo, mortemque sui corporis anno Domini 177. pro Christi ipsius testimonio pertulit.

12. Eleutherius Græcus licet tempora tranquilliora paululum viderit, tyrannorum persecutione paulisper quiescente, quod multi ex Romana nobilitate iam Christo credidissent, defunctum tamen anno Domini 191. capitis obtruncatione Masseus affirmat.

In prædictis Pontificibus (inquit Vuicelius) abundabat spiritus, sed in posterioribus malesuada caro.

13. Eleutherio successit victor Aphricanus. hic primus fuit, qui authoritate in externos vsurpata, in messem alienam falcem misit. Victorem hinc increpare ausi sunt Polycrates, Ephesiorum Episcopus, & Ireneus Lugdunensis, vt qui fratres in Asia communione priuauerat, quod in Paschatis obseruatione morem a Romana consuetudine diuersum sequerentur: ita vt Ecclesia tunc pateretur naufragium, ob eius pertinaciam. Non potuit nihilominus hic Pontifex anno Dom. 203. euitare mortis supplicium.

Artemonitæ. 14. Zepherinus Romanus anno Dom. 220. Aurelij temporibus Martyrio coronatus est. Sub hoc Episcopo Artemonitæ per Aristotelē ac Theophrastum

phrastum Scripturas sacras corrupisse, atque in quæstione omnia nostri temporis, Sophistarum more, polluisse dicuntur.

15. Calixtus Rauennas Alexandri Seueri iussu anno Dom. 226. capitur, fustibus cæditur, in carcerem recluditur, e fenestra præcipitatur, corpusq; eius in puteum profundum demergitur. Ea tempestate, inquit Platina, ob crebras persecutiones occulta erant omnia, etiam ipsa sacella, potius abdita, & plerunque subterranea fuerunt, quam publicis in locis aperta.

16. Vrbanus Romanus sub libidinosissima bestia Heliogabalo vixit. Hic sæpenumero pro fide Christiana ab vrbe proscriptus, sed a fidelibus iterum clam reuocatus, Martyrij coronam anno Domini 233. imperante Seuero tandem accepit.

17. Pontianus Rom. mandato prædicti Seueri, idolorum sacrificulis instigantibus, ab vrbe Roma in Sardiniam insulam deportabatur. In qua post multas calamitates, & grauia tormenta, anno Dom. 239. pro Christi fide Martyrij pœnam subijt.

18. Anteros Græcus vir Dei, si quis alius, sub Maximini Imperatoris tyrannide Christum constanter docuit. Decorauit anno Domini 243. Ecclesiam suo sanguine, quam antea pauerat verbo: in via Appia sepultus.

19. Fabianus Rom. sub Decio sæuiente in fratres, capitis obtruncatione, anno Domini 250. vitam gloriosa morte consummauit. Sub eo laborauit adhuc Origenes in vinea Domini, qui contra Celsum scribens, multis rationibus docet templa Christianis ad verum Dei cultum, veramque religionem nihil conferre.

20. Cornelius Romanus, sub persecutore Decio, licet in exilium deportatus, regno tamen Christi minime vnquam defuit; quin optimus eius athleta in veritatis assertione, anno Dom. 253. Decij mucroni ceruicem, vt ouis mansueta, præbuit.

21. Lucius Rom. a Gallo Hostiliano in exilium actus, tandem eo mortuo Romam reuersus, Ecclesiam salubri doctrina locupletauit, ac Paradisum cœlestem, anno Dom. 255. a Valeriano occidi iussus, & in sanguine agni dealbatus, penetrauit.

22. Stephanus Rom. vir per omnia rectus & bonus, furente Galieno, anno Domini 257. cum multos gentilium ad Christi fidem conuertisset, capite mulctatus, cum pleriſq; alijs fit victima Deo, accepta iustitiæ corona.

23. Sixtus secundus natione Græcus, patria Athen. Christiani gregis decus atq; imitandum exemplar effulsit. Istum absumpsit quoque vna cum tot Martyrum chiliadibus Deciana atque Valeriana persecutio, salutare Dei verbum populo proponentem, anno Domini 267. Huic S. Episcopo, S. Diaconus Laurentius inseparabiliter adhæsit, vsque ad vltima vitæ supplicia, de quo supra. *S. Laurentius.*

24. Dionysius Græcus, Cyrillam Decij Cæsaris filiam, cum Triphonia matre, & 40. militibus ad Christi fidem conuertit, & cum eisdem, atque alijs nonnullis, an. Dom. 277. Martyrij palmam ad Salariæ portã susceptt.

25. Fœlix Romanus, sæuiente in fratres Imperatore Aureliano, anno Domini 282. inter alios Martyres ad Christum, hoc est, a morte ad vitam fœliciſſime transijt.

26. Eutychianus Thuscus, vir Deo deditissimus, quique trecentos & 42. Martyres sepelijsse proprijs manibus dicitur, Martyr & ipse anno Christi 283. Domino tandem consecratur.

27. Gaius Dalmata Cæsari Diocletiano cognatus sæuiente persecutione in cryptis & terræ cauernis diu latuit, tandem inde eductus, an. Domini 295. vna cum Gabinio fratre presbytero coniugato, sub gladio vitam finiuit.

28. Marcellinus Romanus, sub Diocletiano & Maximiano pœnarum ti-

more correptus, thuris granum idolis adoleuit. Sed in se statim reuersus, agnito errore, Diocletianum ipsum redarguit, & ad necem pro Christi veritate se ipsum lubens obtulit, anno Domini 303. fortissimeque pugnans vicit, accepta Martyrij laurea.

29. Marcellus Romanus, Maximianum Augustum pie admonitum auertere nitebatur a persecutione Sanctorum. Augustus autem magis induratus, ipsum fustibus cædi iussit, & vrbe expelli. Intrauit ergo Lucinæ viduæ domum, ibiq; Ecclesiam latenter erudijt. Quod audiens Tyrannus, ex eadem domo iumentorum stabulum fecit, & curam eius Episcopo Marcello commisit. Epistolis inde, sine alio verbi ministerio Ecclesiam gubernauit, ad sordida officia damnatus. Et in fœtore atque immundicijs quotidie cruciatus, anno Domini 308. Spiritum Seruatori Christo tandem reddidit.

30. Eusebius Græcus, Romanæ Ecclesiæ, in magnæ persecutionis procella, Christianorũ Doctor ac Magister, præfuit. Martyrio anno Domini 309. consumptus.

31. Melchiades Apher vir admodum religiosus, Euangelicę religionis ministerio ac diuinæ veritatis negotio vsque ad sui sanguinis effusionem sub Maximiano Galerio processit, & anno Domini 314. in eiusdem veritatis confessione vitam finiuit.

32. Syluester primus, Romanus Melchiadi in verbi ministerio succedens, adhuc in Soracte monte ob mortis metum, more suorum prędecessorum, solitarius latitabat. Qui tamen, quiescente tum demum ab affligendis Christianorum Ecclesijs tartareo dracone, Apocalyps. duodecimo: cessanteque sub Cæsare Constantino Tyrannorum sæuitia, Romam redijt: desijtque in illo Romanorum Episcoporum persecutiõ. Vide Ioannem Baleum.

Non incommodum duxi, adijcere hoc loco Ioannis Sleidani verba, ex secũdo libro de quatuor Imperijs. Tunc primum, inquit, episcopi Romani cœperunt esse in tuto: nam huc vsque plerique omnes fuerant affecti supplicijs. Numerantur autem inde a Petro, quem ipsi primum fuisse volunt, ad hoc vsque tempus triginta tres. Horum decreta sunt in libris inserta Conciliorum: sed ex his pleraque tam sunt leuicula, tam nugatoria, tam aliena prorsus a Sacris literis, vt credibile sit ab alijs longo post tempore fuisse conficta, &c. Anacleto, qui ponitur quartus a Petro, tribuitur, & extat decretum, quo statuit, Ecclesiam Romanam esse mandato & constitutione Christi caput aliarum Ecclesiarum: Alteri post eum Alexandro decretum ascribitur, quo mandat, vt aqua cum sale consecretur, ad expurgandum populum, & amoliendum insidias Diaboli. Quæso, quantum ista differunt ab Apostolorum illa Maiestate, quantum autem a Ioannis Euangelistæ scriptis, qui prope ad hoc vsque tempus ætatem produxit? Hæc duo posui solum, vt de reliquis iudicium fieri possit. Nam sunt eius generis, vt ambitionem aperte præ se ferant.

Plaustra decretorum, inquit Baleus, ac mendaciorum, Carsulanus, Platina, Stella, & alij Paparum adulatores, his Christi martyribus, sed falso tribuunt: vt suarum cæremoniarum, ne dicam blasphemiarum institutiõ Diabolica, eorũ authoritate cõprobetur. Non enim sunt veriti spurcissimi nebulones Papicolæ, pulcherrimam hanc Ecclesiæ primitiuæ faciem, ac suo capiti Christo ex assidua persecutione similem, ad sui Abaddonis sõlium erigendum impijs his stercoribus fœdare, Martyrumq; Sanctorum polluere sanguine. Sed quis sapiens putaret, simplices verbi ministros & pastores, quales tunc erant Romani Pontifices omnes, in latibulis; cryptis, ac specubus habitantes, & nihil præter mortem sub tyrannis indies expectantes, de fastu Pontificio, ædificijs aut ordinationibus Papisticis cogitare,

gitare, quum nec templa nec certas ædes haberent? Non adhuc erat Ecclesiæ pax data, nondum fruebantur inutili ocio, ac summis mundi delicijs: nec fuit ipsi Iesabeli, quæ se dicebat esse Prophetam, Apocalyps. 2. paratus adhuc lectus. Talia veruntamen erant Pseudoprophetarum pro suo ventre commenta, atque sic est Papistica Synagoga illa in splendidis mendacijs fundata.

Grauissimæ sub Diocletiano & Maximiano Herculeo persecutionis, & complurium Martyrum, ad quos excarnificandos noua subinde tormentorum & suppliciorũ genera excogitata sunt, supra meminimus. Fuit hæc persecutio ab ea quæ sub Nerone grassata est, decima, omniumq; immanissima. Quantumcunque autem Satanas & tyranni sæuierint, Christi tamen Ecclesiam delere, eiusque verbum opprimere nunquam potuerunt: sed quo maior fuit afflictio, eo illustrior & Christi & Ecclesiæ virtus & maiestas apparuit, tyrannisque fœde extinctis, beati Martyres cum Christo Rege suo viuunt, triumphantque in æterna & cœlesti gloria. *Persecutio decima.*

Circiter annum Christi millesimum tricesimum, Benedicto nono Romanã sedem obtinente, Gerardus Venetus, & doctrinæ & pietatis gloria inclytus, Ecclesiarum Vngariæ Episcopus, a Christiani nominis hostibus & tormentis, & morte affectus est. Currui alligatum ex præcelso monte deturbarunt, eo impetu, vt omnibus membris collisis & contritis, acerba morte extingueretur. Chron. Platinæ. *Gerardus Venetus.*

DIVVS AVGVSTINVS EPISTOLA L.

ad Bonifacium, equestris dignitatis virum, de Comitatu Cæsarij.

VEri autem Martyres illi sunt, de quibus Dominus ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionem, sed qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, hi Martyres veri sunt. Nam & Agar persecutionem passa est a Sara: & hęc erat sancta, quæ faciebat: illa iniqua, quæ patiebatur. Nunquid & huic persecutioni, quam passa est Agar, comparandus est sanctus Dauid, quem persecutus est iniquus Saul? Valde vtiq; distat, non quia patiebatur, sed quia propter iustitiam patiebatur. Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est: Sed quos passio iungebat, causa separabat. Hinc diuus Augustinus passim in omnibus suis scriptis inculcat, quod non ipsa pœna, sed causa pœnæ Martyrem in Christo efficiat.

Apollinaris: Vbi non est veritas Christi, ibi non est Martyrium.

Cyprianus: Causa facit Martyrem, non Martyrium.

CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA

quadam, de Resurrectione in extremo iudicio.

NIsi vniuersalem omnium hominum in extremo die futuram resurrectionem vniuerso generi humano, omnipotens & æternus Deus ob oculos ponere, animisque infigere voluisset: procul omni dubio nunquam passus fuisset, pium Abelum, qui omnis sceleris purã, Deoque ipsi placentem vitam transigebat, misere adeo vita spoliari. Hoc itaque homicidium omnibus nobis testimonio erit irrefragabili, manentem in hac terra locum nequaquam nobis esse, sed aliam insecuturam nobis quærendam, & post hanc vitam omnibus ijs, quibus pietas cordi & studio est, vitam aliam esse reliquam, in qua omnium ærumnarum, quas propter ipsum in hac vita perpessi sunt, recompensationem largam Deus redditurus sit. Qua de causa etiam eum, qui inculpatam & piam hic vitam transigit, omnis remunerationis expertẽ esse patitur, adeoque morte fœda per-

ire, nempe, vt hac in re in omnium hominum animis testetur, post hanc demum vitam remunerationem & largam & pretiosam insecuturã, quam æternus Deus omnibus pijs præparatam reseruauit.

EXEMPLA MARTYRVM NOSTRI SECVLI, quorum declarationem vberiorem suppeditat Ludouici Rabi liber, de Sanctis Christi Confessoribus.

IOhannes Hussus Boemus, acerrime in Romani Pontificis, & sacrificulorum tyrannidem & fornicationem, tam spiritualem, quam carnalem inuehens, impudentiamque & vanitatem impostrarum Pontificiarum demonstrans, studuit populum liberatum a tyrannide superstitionum, reuocare ad fontes sacros, & normam fidei veriorem ac saniorem traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis. Ad concilium itaque Constantiense, dato saluo conductu, vna cum Hieronymo Pragẽsi citatur, vbi varijs oneratus calumnijs, violata fide publica, qua ab Imperatore præmunitus accesserat, ad rogum condemnatur, exutusq; vsitato ipsis ritu dignitate Sacerdotali, ad locum supplicij educitur, subinde inter eundum has voces repetens: Iesu Christe, fili Dei, qui passus es pro nobis, miserere mei. Tandem rogo impositus, euincente flamma cum hac ipsa inuocatione spiritum emisit. Factum id est octauo Idus Iulij, anno millesimo, quadringentesimo, decimo quinto. Eadem pœna Hieronymus Pragensis, quinta Iduum Septembris affectus est, qui non minus ardenti fide Christum inuocauit, Deumque Hymnis celebrans, generosi Martyris specimen edidit.

Lutheri de Hussõ testimonium.

D. Lutherus Iohannem Hussum, vt virum Dei magnum, ingenti spiritu, excellentibus dotibus ornatum, prædicans: Si, inquit, hæreticus is censendus est, qui aduersus tot immanissimorum leonum & vrsorum fremitum, & sæuitiam Christum redemptorem suum confitetur, imo animo magno & triumphante, in ipsius mortis angustijs, Christum Dei filiũ, pro nobis passum, inuocare potest: Si, inquã, is hæretieus est, nemo saluus fuerit. Christus autem, Matth. 10. ait: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui est in cœlis. Papa multos in Sanctorũ catalogum refert, qui forte in ima detrusi sunt tartara. Iohannem Hussum damnatum Satanę tradidit, quem cœli beatũ esse incolam nemo dubitauerit, nisi qui Christum veracem esse negauerit. Absit, o Papa, me tibi Sanctum iudicari, te Satanæ sanctum esse facile patior. Vide Epistolas doctrinæ & consolationis plenissimas, quas e custodia sua scripsit, ex quibus vltimam hic subnectere operæprecium visum est.

EPISTOLA QVARTA A IOHANNE Hussõ Constantiæ in carcere ad Bohemos scripta.

DEus vobiscum. Multæ causæ, charissimi, & in Deo dilecti amici, in eam me opinionem adduxerant, vt literas, quas proxime ad vos dedi, postremas esse putarem, propter instantem mortem. Nunc autem cognita eius dilatione, ducens loco oblectationis, quod licet mihi vobiscum per literas colloqui, iterum vobis scribo, vt sic saltem meam erga vos ostenderem gratitudinem. Quod autem ad mortem attinet, Deus nouit, cur differat & meam, & mei charissimi fratris, Magistri Hieronymi, quem spero sancte, & sine culpa moriturum, scioque nunc etiam magis strenue eum agere, & pati, quam me miserum peccatorem. Concessit nobis Deus longum tempus, vt melius peccata nostra nobis in memoriam reduceremus, & ageremus fortiori animo pœnitentiam. Concessit nobis tempus, vt

longa

longa & magna tẽtatio deleret grauia peccata, & afferret consolationem. Concessit nobis tempus, in quo recoleremus nostri Regis, Domini Dei Iesu misericordis horrenda opprobria, & pensitaremus crudelem mortẽ, sicque æquiore animo mala perferremus, præterea vt in memoria teneremus, non dari immediate gaudia vitæ futuræ, post gaudia huius mundi. Sed quod per multas tribulationes Sancti intrauerunt in regnum cœleste. Quidam enim eorum sunt frustatim concisi, quidam terebrati, alij cocti, nonnulli assati, alij viui excoriati, viui terra obruti, lapidati, cruci affixi, triti inter molares lapides, huc & illuc tracti vsque ad necem, in aquis submersi, combusti, laqueo suffocati, particulatim discerpti, & ante mortem probris affecti, macerati in carceribus & vinculis. Et quis potest omnia omnium Sanctorum tormenta ac supplicia describere, quę sub veteri & nouo Testamento propter veritatem Dei pertulerunt, præcipue qui Sacerdotum malitiam exprobrauerunt, & contra illam sunt concionati? Mirumque erit, si quis etiam nunc impune feret, fortiter resistendo peruersitati, præsertim Sacerdotum, quæ non patitur reprehensionem. Et gaudeo, quod iam libros meos coacti sunt legere, in quibus malitia eorum vtcunque depicta est. Scioque, quod eos perlegerunt accuratius, quam sacrum euangelium, volentes inuenire errores. Data die Iouis, ante vigiliam diui Petri. Amen.

VVilhelmus Thorpe, in Anglia Sacerdos, cum acerrime contra Antichristi sacrificulos disputaret, in arce Saltvvolden noxiali inclusus est carceri, varijsque subiectus tormentis. Tandem ab Episcopo Cãdelburgensi, Romanæ sedis tum temporis Legato, alijsque pluribus Sacerdotibus, iuris Pontificij ministris examinatus, veteris nouique Testamenti scripturas magno spiritu defendit, easque vt fundamentum Doctrinę & Confessionis suæ adduxit, & qua ratione peruenerit ad synceriorem Euangelij doctrinam, docuit. Per hanc Christiani herois confessionem incandescens Episcopus, magnoq; irarum fluctu æstuans, increpationibus acerrimis in eum debacchatur, & nisi conceptam opinionem abijciat, præter carceris squalorem immanissimos alios quosuis cruciatus ei minatur. Quibus ille nihil territus, Christum aperte & libere confitetur. Quare horrido admodum carceri denuo inclusus, ex Episcopi instinctu clam ibi & miserabili morte extinctus est. Factum Mense Augusto, anno Domini millesimo quadringentesimo septimo. Vide 3. partem Lud. Rab.

Iohannes Oldecastel Anglus, vir non minus generis nobilitate, quam virtute & prudentia, alijsque virtutibus insigniter clarus, Dominus in Cobbam, propter Christianæ pietatis studium & confessionem apud Archiepiscopum Cãdelburgensem grauiter accusatus, seditionis insimulatur. Ad quas criminationes quamuis sufficiẽter responderet, haud tamen paratas sibi insidias euitare potuit, sed captus, ad ignem condemnatur, & Londini in campo S. Egidij catenis vinctus comburitur, fidelis Christi confessor, & beatus Martyr factus, sub Rege Henrico quinto. Anno Christi 1418. Rem gestam conscripserunt Iohannes Baleus, & Iohannes Foxius.

VVilhelmus Taylour.

Inter strenuos Christi confessores celebratur etiam VVilhelmus Taylour, sacerdos Anglicus, qui eadem de causa, qua superiores Londini in campo, quem vocant fabrorum, in cineres redactus est, secundo Martij, anno Domini 1422. Ioan. Baleus.

VVilhelmus VVhyte.

Eadem fortuna vsus est VVilhelmus VVhyte, sacerdos in Anglia, qui impuri cœlibatus hypocrisin auersatus, honestam duxit virginem, & strenue interim in prædicando sacrosancto Dei verbo perrexit, acriter in Romanæ sedis idololatriam, hypocrisin, aliaq; flagitia inuectus. Sed nec diu, nec impune hoc ipsi licuit: & licet primum Candelburgi apud Archiepi

scopum ex metu & infirmitate a veritatis confessione deficeret, anno Domini 1424. Mox tamen in Christo & firmior & animosior factus, aperte palam suam infirmitatem, inconstantiam, & veritatis abnegationem deplorauit, tandemque ab Episcopo VVilhelmo ad rogum condemnatus, Martyrum numero additus est. Mense Septembri, anno 1428.

Thomas Rhedonensis, natione Gallus, ordinis Carmelitarum monachus, ex Christiano zelo Romam proficiscitur, sperans ibi vel nusquam alibi syncériorem Christianæ religionis doctrinam se addiscere posse, eo quod totius Ecclesiæ caput, & diui Petri sedem vel solium eam prædicari audiuisset. Sed spe sua frustratus, cum nihil præter enormia flagitia, meramq; hypocrisin & fastum ibi animaduerteret, omniaq; Euangelicæ doctrinæ ibi contraria esse cerneret, obstupuit, cumque zelum suum abdere non posset, aperte Cardinalium, totiusque Cleri impietatem vitamque scelerosam reprehendit, quorum odia cum aduersus se concitasset, mox de ipso tollendo consilia sunt inita. Captus itaque ad Pontificem Eugenium deductus est, eiusque iussu in carcerem compactus, hinc eculeo, alijsque tormentis vexatus, tandem sacerdotali dignitate exutus flammæque addictus, pro veritatis confessione Martyrium subijt, Anno Domini millesimo, quadringentesimo, tricesimo sexto.

VVigetus Anglus, cum Hussi doctrinam studiose commendaret, hæreseos insimulatus, & ignis incendio extinctus est. Anno 1428.

Rogerius Anglus, equestri dignitate & militari virtute illustris, propter Euangelicę veritatis doctrinam, quam amplexus fuerat, captus & suspensus sub Christo in triumphante Ecclesia militat. Anno millesimo, quadringentesimo, nonagesimo.

Hieronymus Sauonarola, sedis Pontificię hypocrisin acriter carpens, arctissimis cōstringitur vinculis, carcerique inclusus fidiculis distenditur, & per varia tormenta in stipite tortorio examinatur de quibusdam criminationibus, quæ falso in ipsum intendebantur, atque ob Euangelicæ veritatis confessionem vna cum alijs duobus eiusdem professionis primum sacerdotali dignitate exuitur (quam degradationē vocant) deinde Magistratui politico, Florentino nempe senatui, traditur, ex cuius mandato hi tres Christi confessores, vt hæreticorum deterrimi, in foro suspenduntur, hinc combusti, in cinerem rediguntur, cinis congestus in amnem præterfluentem Arnum conijcitur. Anno Domini 1498. 23. Maij. Post Martyrium ipsorum in eos quoque sæuitum, qui Hieronymum, dum in viuis esset, amicitiæ officijs prosequuti fuerant. Hæc omnia fuse tractantur in quarta parte Lud. Rabi, de sanctis Martyribus.

Tres Christi confessores cōburuntur.

Ioannes & Henricus, Augustiniani ordinis iuuenes, Bruxellis in inferiore Germania, eo quod Sophistarum redarguerent hypocrisin & errores, syncériorisq; Doctrinæ veritatem ex Prophetarum, Apostolorumq; scriptis eruerent, ignis supplicio affecti sunt. Mira autem in his Martyribus eluxit cōstantia. Ad rogum adducti articulos fidei suæ magno animo confessi sunt, alternisq; Hymnum decantarunt, cuius initium, Te Deum laudamus, hostiumque sæuitiam adeo despexerunt, vt alter ex ipsis, cum rogus incenderetur, diceret, sibi videri se rosis aspergi. Itaque non sine spectantium admiratione & stupore in foro combusti, ad Christum suum commigrarunt. Anno 1523. primo Iulij.

Martyriū Bruxellanorum iuuenum.

Henricus Sudphen, magno zelo veritatis ardens, ad Dietmarsos in pagum Meldorff, vt plantaret ibi doctrinam Euangelicam, vocatur. Vbi cum suæ vocationi sedulo incumberet, Monachorum aduersus se concitauit odia, qui grauibus admodum vsi criminationibus, apud quadraginta octo regionis eius iudices eum accusarunt, eoque rem deduxerunt, vt decerneretur, noctu eum clam comprehendendum esse, & nulla interposita mo-

ra, ante-

ra antequam latius ad alios rumor permanaret, comburendum. Protinus ergo horrendi facinoris duces aliquot & antesignani constituuntur, qui circa vesperam conuocatis quingentis ferme rusticis, quos ad facinus quoduis ex insana audacia vltro paratos agnoscerent, in multam noctem ritu barbarico, poculis indulgentes, vino se onerant, deinde & vini & furiarum stimulis acti, pagum Meldorff petunt; hora noctis duodecima magno cum impetu more insanientium in ædes parochiales irrumpũt, Henricum ex lecto nudum raptant, vinculis constringunt, verberibus onerãt, ictibus punctim lacessunt, nudum & discalceatum, vinctis post tergum manibus, ad campestria vsque abducunt, cellæ in domo sacrificuli includunt, vbi insani & temulenti rustici per noctem cum asseruantes, in honestis ludebant scommatibus. Mane circa horam octauam vna in forum, de exitu Tragœdiæ consultaturi, prodeunt, sed ibi præter inconcinnas vociferationes insanientium rusticorum, vt ad ignem properetur, efflagitantium, nihil audiebatur. Hæc sola ferendorum suffragiorum erat ratio, nec alius definitiuæ sententiæ modus. Nec deerant funigeri Monachi, oleum camino addentes, frigidamque suffundentes, qui generosam hãc rusticorum magnitudinem diuino zelo, & impetu ferri clamabant. Protinus ergo collo, manibus pedibusq; sancti Martyris vincula inijciuntur. Quib. visis, pia quædã & honesta matrona accedit, mille florenos vltro insanienti turbæ offert, ea conditione, vt reiecta præcipiti sententia, ad proximum vsque lunæ diem, in carcere vinctus seruus ille Dei asseruaretur, vt liberis totius populi suffragijs res tanta dijudicari posset. Verum & in hanc matronam rusticorum insania vertitur, quam terræ allisam pedibus inhumano more conculcant, & in Christi Martyrem magis magisq; sæuiunt, certatimque alius pugione, alius pugnis, alius alio telo indesinenter omnia corporis membra pungunt, diuerberant, lacerant: crebri interim plausus, & gratulantium carnificum vociferationes in turba audiuntur. Complures etiam (peculiarem enim lictorem vel carnificem regio ista non habet) incendendo rogo occupati sunt, qui quantumcunque laborarent, flammam tamen concipere ligna detrectabant. Interea beatus Martyr astans, mentem oculosq; cœlum versus ad Deum conuertit, & per integræ horæ spacium, dum frustra rogum incendit carnifex, insanientis turbæ ictus & verbera sustinet. Tandem arctissimis eum vinculis supra scalas colligant, sic, vt ex ore & naribus sanguis exprimeretur. Cumque preces ad Deum suũ funderet, quidam ex astãtibus faciem eius verberãs, Vbi, inquit, combustus fueris, ora. Deinde hastis scalas subijcientes, eas in sublime tollunt: ibi vnius hasta radium scalarũ stringens, per corpus beati Martyris trãsijt. Corpus itaq; exanime prunis injiciunt, vbi per diei istius spacium corpus tostum quidem fuit, sed tamen integrum permansit. Postridie, tertia hæc erat Dominica aduentus, nondum satiati tot carnificinis, manus pedesq; a reliquo corpore resectos, flammis absumunt, corpus ipsum sepeliunt, & sepulchrum, quasi re fœliciter gesta, partoq; insigni triumpho, choreis lustrant. Actum 10. Decemb. anno 1524.

Insanientiũ rusticorum importunitas.

Monachorũ improbitas.

Ioannes Castellanus, ex Tornaco, quæ Flandriæ est ciuitas, oriundus, Augustiniani ordinis, Theologus, & doctrina & pietate excellens, in Mediomatricorum Episcopatu acerrime Pontificias præstigias insectatus est. Tandem ab impijs Lotharingiæ Cardinalis latronibus & satellitibus captus, per totius anni spatium in carcere detentus fuit, donec duodecimo Ianuarij dignitate Sacerdotali exutus, & ad rogum cõdemnatus, in firma veritatis confessione occumberet. Anno 1525.

Leonhardus Cæsar Boius, relicta sacerdotali dignitate, qua apud Pontificios ornatus erat, studio synceriorem Euangelij doctrinam discendi VVitebergam se confert, vbi aliquandiu moratus, in patriam propter ad-

uersam parentum suorum valetudinem reuertitur, sanamque Euangelij doctrinam confitetur, & contra diabolicas Papæ fraudes detegit. Qua de causa a Pontificijs apud Episcopum Patauiensem accusatur, comprehensusque in vincula conijcitur. Et licet multi magni nominis viri, & inter eos Princeps Elector Ioannes Fridericus pro ipso intercederent, attamen hostium furor nonnisi extincto Martyre sedari potuit. Nam decimo sexto Augusti, anno 1527. sacris exauctoratus, & in magna corona armatorum, virorumque nobilium damnatus, ignis supplicio affectus est. D. Mart. Luth. tomo 6.

Georgius Halę Saxonum synceram Euangelij doctrinam, quam ardenti fide & amore amplexus fuerat, gregi sibi commisso pure & libere annũciat. Quod cũ grandi ipsi daretur crimini, ab Episcopo Moguntino Aschaffenburgum citatur, quo cum minime grauatim, ne Magistratui rebellis videretur, veniisset, protinus itineris comes retrocedere, ipse vero manere iussus est. Interiectis aliquot diebus, equo suo priuatus, morionis equo imponitur, ad suos reuerti iubetur, ipsique comes, & quasi custos, eques, Pontificiæ impietatis minister, additur. Dum vna pergunt, quidam in vicino pago, verbi diuini minister, eum per noctem secum retinere cupiebat, sed in id comes additus nequaquam consentire voluit. Post, cum per notam, omnibusque tritam viam iter suum Christi minister dirigere vellet, id rursus impius iste comes prohibuit. Dum ergo auia sequuntur, in præparatas sibi insidias fidelis hic veritatis confessor incidit. Equites siquidem a Pontificijs egregijs sane heroibus in nemore latentes, sanctum virum exceptum transfigunt, cum duobus iam milliaribus ab Aschaffenburgo abessent. Nec vindice Dei oculum perfidia ista latuit. Nemo siquidem ex istis latronibus, id quod multi exploratum habent, sicca & placida morte obijt. Anno Domini 1527. Consolatoriam scripsit epistolam, huius facinoris nomine, Martinus Lutherus, ad Christi fideles, Halæ degentes, quam in tertia parte de Martyribus, Ludouic. Rab. citat.

Pontificiorũ insidiæ.

Flandrinus Augustiniani ordinis Monachus, nuncio cœlibatui Monachorum remisso, sacrum coniugij statum elegit. Quam ob causam per septem menses in ciuitate Cortracensi squalore situque noxialis carceris affectus tãdem vt hæreseos assertor damnatus & combustus est. Qui cum ad supplicij locum educeretur, se ipsum ad gratias Deo agendas excitauit, cantans Hymnum: Te Deum laudamus. Anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo.

Adolphus Clarenbach, & Petrus Flietsteden (quorum prior insignitęr doctus, fidusq; iuuentutis informator fuit, verbique diuini gladio acriter aduersus Pontificatum pugnauit) Coloniæ ob veritatis confessionem, cui magno animo diuinoq; zelo adhærebant, in fauillas redacti sunt, anno 1529. Horum Martyrium fuse in secunda parte Martyrum a Ludouico Rabo conscriptum est.

Veritatis propugnatio vbique odiosa.

Ludouicus Berquinus, de Artesia, vir pariter & generis nobilitate, & eruditionis excellentia insignis, sæpenumero Parisijs, cum Doctoribus & Sorbonistis de Euangelica veritate disputat ones mouens, illorumque dnctrinam erroris coarguens & damnans, omnium aduersus se odia concitauit: itaque in vincula tandem conijcitus, vt hæreseos propugnator damnatus est, pœna in ipsum statuta, vt laqueo cervice fracta, corpus exanime flammis consumeretur. Quod supplicium magno & patienti animo sustinuit, in campo, quem Greuen nominant, Anno domini 1529. Mense Maio.

VVilhelmus de Zvvollen, vir equestris ordinis, Christierni Regis prius, tandem fidelis Christi minister factus est. Itaque coram Doctoribus & Sophistis Louanienſibus causam suam agere iubetur; vbi cum ex diuini ver-

bi fundameto Euangelicam veritatem firmiter tutaretur, Mechliniæ vicesimo Nouembris, anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo nono flammis addictus est. Hanc Historiam D. Pomeranus vero & prolixo scripto edidit, quod in tertia parte Martyrum Lud. Rabi extat.

Petrus Gaudetus, natione Gallus, ex amore & studio Christianæ pietatis, vna cum coniuge sua & familia Geneuæ sibi legit hospitium. Vbi cum per sex menses egisset, antiquus veritatis hostis otium istud ei inuidit, vnumque ex cognatis eius aduersus ipsum concitat: is ingressus vrbem, ficta amicitia & blanditijs persuadet viro sancto, vt extra vibis mœnia secum expatietur. Quj cognati verbis fidem habens, vrbe egreditur, protinusque comprehensus tyrannis traditur, & quinque diebus elapsis, nouo crudelitatis genere torretur, lictoribus in ignem ipsum iam conijcientibus, iam extrahẽtibus, donec lenta morte extinctus, spiritum suum Christo redderet. anno 1524.

Robertus Barnas, ex Lutheri scriptis veritatem Euangelicam edoctus, Regnum Antichristi aperte & magno zelo oppugnare cœpit. Quare per Babylonicæ fornicationis ministros, mense Februario, anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, dies ipsi dictus est, obiectique quinque & viginti articuli, qui cæremonias concernunt; eos vt reuocaret a Cardinale iussus est, viq; adhibita, vt ad negandam veritatem compelleretur, carceri est inclusus; vnde tertio anno ruptis vinculis clam euasit, & in Germaniam delatus, Lutheri, aliorumque pietatis amantium, vsus est hospitio. Tandẽ annis aliquot elapsis, in Angliam reuertitur, & intrepide tum scriptis, tum viua voce professus est, iustitiam fidei nequaquam in nostris operibus, sed in solius Christi merito consistere. Quapropter veritatis hostis implacabilis diabolus, denuo per satellites suos Episcopos ei insidiatur, donec tricesimo Iulij, anno 1540. Londini cum quibusdam alijs veritatis confessoribus, ob nullam aliam causam, quam quod Euangelij præco esset, cremaretur.

Ioannes Clrick ex diuino zelo idolum quoddam impio cultui destinatum, in vrbe Metensium confregit, ob quam causam in vincula coniectus, & ab ijs, qui ipsum Seruatorem Christum damnant, condemnatus est. Nouo crudelitatis genere in eo excarnificando vsi sunt. Raptatum in plateam, quam vocant Champasselle, palo, iuxta pyram ex lignis alte constructam, in terram defixo, catenis & funibus alligarunt. Deinde forcipe candenti nares ei primum auulsit carnifex, hinc caput circum circa stigmatibus notauit, candentique ferro cutem lacerans, quasi coronam quandam capiti impressit. Inter quæ tormenta nullam vel timoris, vel inconstantiæ significationem de se dedit Martyr. Incenso tandem rogo, læta voce Psalmum Dauidis cantans, cuius initium: In exitu Israël de Ægypto, pie in Christo obdormijt, Iulij 22. Anno millesimo quingentesimo, vigesimo secundo. *Noua crudelitas.*

Ioannes Beckus, ex ciuitate Hollandiæ VVorden oriundus, in tenera sua ætate inuitus Pontificiorum religionem, vrgente patre, suscepit, eorumque sacris initiatus est. Quam vitæ rationem non sine suspirijs assidue deplorans, tandem ea relicta ad sacrum matrimonij statum animum adiecit, cumque in Papæ indulgentias, quæ tum in oppido isto venales erant, acriter inuectus, veritatem confiteretur, protinus in vincula conijcitur, grauiter ab Inquisitoribus vexatur: crimini ipsi datur, quod Lutheri doctrinam amplecteretur, & matrimonialj nexu constrictus esset. Ob quæ flagitia ad ignem condemnatus est. Cum eius collo vinculum injiceret carnifex, læta voce exclamauit, o Inferne, vbi nunc gloriatio tua? o Mors, vbi nunc victoria tua? Mors absumpta est in victoria Domini Iesu Christi, & hæc dicens ipsemet funem collo adaptauit, denuo exclamans, o Iesu

Nefaria Præfecti Pontificij vox.

Christe, fili Dei, memento mei, & miserere mei. Hæc effatus, laqueo collum obstingente, ad Christum animam suam transmisit. Anno Christi 1525. Hunc martyrem in postrema actione, quæ aduersus eum instituta fuerat, hisce verbis Iodocus Louerinus, præfectus vrbis Mechlinienſis, Ireconsultus, alloquutus fertur: Vellem ea nocte, qua primum cum vxore tua concubuisti, cum decem scortis res tibi fuisset, tantum molestiarum nobis non peperisses. Hęc est illa Pontificiorum sanctitas, qui ad quamuis impuritatem & scortationem conniuere malunt, quam iuxta diuinam institutionem coniugalis vitæ statum amplecti. Prolixe admodum descripta est hæc historia, in tertia parte Martyrum Ludouici Rabi.

Abbas latrocinys, nõ sacris aptus.

Matthias VVeibelius, honestis prognatus parentibus, in pago Algoiæ Martiscella, primum ritu Papistico sacris initiatus, mox veritate agnita, Antichristi tyrannidem in suis concionibus impugnauit, vnde magnus auditorum, quibus pietas cordi erat, ad ipsum accursus factus est, quos sedulo in veritate fidei erudijt, docens in solo Christo salutem quærendam, quam ille sua passione & morte nobis peperisset. Acriter etiam Abbatis Kemptensis superstitiosam idololatriam reprehendit, quod in prato quodam, non longe a cœnobio vanas Sanctorum reliquias ostendens, peccatorum ijs remissionem rudi plebeculæ offerret. Qua eius importunitate Abbas cum suis complicibus offensus, protinus in mortem eius iurauit, impijque sui voti vsus insidijs, non sacri cœnobij præside, sed latrone dignis compos est factus. Composito siquidem pius hic verbi diuini præco e parochiali sua domo Kemptensi, in vicinum pagum Martiscellam accersitur: infantem sacro Baptismatis fonte lustrandum esse fingunt. In itinere ab equitibus, ad patrandum hoc flagitium subordinatis, opprimitur, verberibusque mulctatus & sauciatus in proximum nemus abducitur, ibique ex arbore suspensus, in Christo obdormit. Anno Domini millesimo quingentesimo, vigesimo quinto, proxima post Bartholomæi Dominica.

Chirurgus strenuus cõfessor veritatis.

Ioannes Heuglinus, Lindauiensis, veritatis assertor strenuus, cum sacerdotalem dignitatem, qua ornatus erat, non ad idololatricos cultus, sed ad doctrinæ Euangelicæ veritatem illustrandam conferret, ab Episcopo Constantiensi Lutheranæ hæreseos insimulatur, grauissimisq; calumnijs oneratus, sacris exauctoratur, protinusq; ad ignem condemnatur. Quam ille pœnam constanti subiens animo, Deo gratias agit, quod Martyrij corona dignus iudicatus sit, Psalmisq; & Hymnis Saluatorem suum Christum celebrat, donec flammis superantibus spiritum suum Deo reddidit. Factum Mœrseburgi, anno Domini 1527. 10. Maij.

Ioannes Peniteus, ex Sabaudia oriundus, Lutetiæ Parisiorum Chirurgicen exercuit, vbi a Monachis, vt contemptor doctrinæ Papisticæ, accusatus, & in vincula coniectus est, quem cum sacrificulus cõfessionem peccatorum ex eo auditurus, inuiseret, ab eo petijt, vt idolum in proximo sacello positum, adoraret, quod ille forti animo recusans, sacrificulum Satanam alios a via veritatis & salutis seducentem stomachabundus vocat. Quod ille ad Magistratum non sine grauissimis querelis & criminationibus defert, quibus exacerbatus Magistratus, mittit e suorum numero, qui captiuum audiant & examinent. Quos pari libertate generosus Christi Martyr excipit, eosque latrones & sanguinarios increpat. Quare lingua ei e faucibus euulsa, communibus deinde suffragijs condemnatus, flammisque traditus, Martyrij cursum absoluit. Anno Domini 1533. in sexta parte.

Martinus Gonin, natus in conualle Angruena, regionis Bemund, Geneuam ad Gulielmum Farellum, Euangelij tum temporis ibi præconem, mittitur, vt ex illius consilio, Ecclesiarum Bemundensium, & earum quæ

essent

essent in Calabria & Apulia reformationem instituerет. Qua in re cum fidelem Ecclesiæ nauasset operam, ad suos reuertitur. In itinere, cum montana principatus Chansauri peragraret, explorator & proditor iudicatur, captusque in vrbem, quam portam Troianam vocant, abducitur, carcerique inclusus, à præside Consistorij examinatur. Cum autem à proditionis scelere omnino immunem ipsum agnoscerent, sententiam, vt dimitteretur libere ferebant iudices. Sed dum carcere egreditur, ianitor vestes eius perscrutatus, literas à Gulielmo Farello, alijsque Geneuensis Ecclesiæ ministris, ad fideles Ecclesiæ Bemundensis scriptas reperit. Quare oblatis Magistratui literis, in carcerem retruditur: Tertio ab hinc die à præfecto Regio, & Senatu examinatur, Lutheranæque hæreseos reus esse ex literarum testimonio iudicatur. Ad quæ respondens ille, Christo se nomen, non Luthero, dedisse, ait: de Geneuensis Ecclesiæ ministris interrogatus, Farellum Petrumque Viretum commendat, contra Pontificiorum idolomaniam detestatur, & impietatis constanti animo coarguit. Qua libertate offensus præfectus Regius, hæreticæ prauitatis Inquisitoribus eum examinandum tradidit. Quos cum ille non minus confessionis suæ constantia & libertate offenderet, ab impijs Iudicibus damnatur, noctu è carcere extrahitur, & ad fluuium proximum raptatus, fune ad alterum pedem alligato, ibi à carnifice, submersus, suffocatur. Antequam tamen in aquas deturbatur, fideli prorsus amore, constantiq; zelo astantes exhortatus est, vt Pontificiorum exosi fraudes & idolatriam, Christũ amplecterentur, multisq; ardenti sua & fideli admonitione lachrymas excussisse fertur. Actum anno Domini 1536. hora noctis decima, Aprilis vicesimasexta. In sexta parte Martyrum.

Iustus Imsbergerus, ciuis Louaniensis, vir pius, integer, & honestus, nõ procul à Louanio in cœnobio quodam captus, Bruxellas ad hæreticæ prauitatis Inquisitores, qui iamdiu anxie ipsi insidias subornarant, abducitur, carcerique, in quo & alij Christianæ veritatis confessores detinebantur, inclusus est, vbi non parum Christianorum, qui vinculis constricti erant, constantia, & inprimis Bruxellani ciuis Egidij (cuius Martyrium subijciemus) doctrina & admonitione confirmatus, Martyrij coronam, in foro decollatus, magna spe & fiducia adeptus est. Septima parte Martyrum.

Egidius Bruxellanus, cultrorum faber, ob veritatem Euangelicam carceri inclusus, supra captum & ingenium plebeij hominis consolando & erudiendo inter captiuos fratres, & Christi Martyres, potens, & in refellendis Sacrificulorum, & Monachorum delirijs, ad miraculum vsque vehemens, nouis quotidie tormentis diuexatur, donec igni tandem addictus, calamitosam hanc vitam reliquit. Cum ad locum supplicij adduceretur, spiritu exultans Christum sua confessione celebrabat. Ingentem lignorum struem, qua comburendus erat, conspicatus: Quid, inquit, tanta lignorum moles ad comburendum tenue hoc corpusculum consumitur? Satius esset, pauperum inopiæ, quorum multi ex frigore hyemis intensissimo pereunt, ijs succurrere. Vel vnicus virgultorum fasciculus ad corpusculum hoc perimendum suffecerit. Laqueo carnifex eum suffocaturus erat, ne incendij tormenta sentiret. Ad quem ille, Se neutiquam, inquit, incendij flammas horrere, sed vel grauiora propter Christum sustinere paratissimum esse. His dictis petebat, ne impediretur, quo minus ad Christum preces suas funderet. Cuius ipsi potestas cum facta esset, in genua procidens, ardenti spiritu Christo se commendauit; hinc ouans animis in ædiculam ex lignis & stramine congestam, ingressus, & in cinerem versus est. Cinis in aquas dispersus. Factum anno 1544. vicesimo septimo Ianuarij, anno ætatis 43.

Franciscus Hispanus, ciuis Burgensis, honesto natus loco, non solum fortunæ, verum etiam animi corporisque donis illustribus ornatus, Papisticæ hypocrisi, in qua enutritus & educatus fuerat, adhærens, tandem anno supra millesimum quingentesimo quadragesimo, ad veritatis agnitionem hunc ad modum adductus fuit. Bremam ab Antuerpiensibus mercatoribus, vna cum Italo quodam missus, vt ipsorum nomine à creditoribus pecuniam exigeret, templum ciuitatis eius ingreditur, Germanorum videndi ceremonias, concioneſque audiendi auidus. Cumq; animo attento Diuini verbi prædicationem audiret, verbaq; singula intelligeret, imisque sensibus reponeret, totus repente mutatus est, & ex Spiritus sancti impulsu, omnibus alijs posthabitis, concionatorem ipsum, Magistrum Iacobum accessit, pleniorem de singulis articulis fidei informationem percepturus, simulq; negotia reliqua, propter quæ aduenerat, suo commisit socio, ipse indefesso studio discendo verbo Dei intentus. In cuius agnitione cum robur aliquod feciſſet, Antuerpiam missis literis, suam profitetur fidem, Deoq; gratias agit, quod veritatis agnitione percipere sibi licuisset. Quin etiam ad Imperatoriam Maiestatem missis literis, præclaris eam verbis hortatur, obsecrat obtestaturq; vt veram Euangelij doctrinam suscipere, tueri & promouere dignetur. Ipsemet quoq; propria industria Catechismum, alios q; libros, in quibus præcipua religionis capita syncere explicaret, conscripsit. Tandem literarum quibusdam blanditijs persuasus, Antuerpiam redit. Vix dum portas vrbis penetrarat, cum ex Monachorum proditione equo deiectus, in mercatoris domũ captiuus abducitur, eiusq; ascopera aperta, complures libros præclarissimos in Latina, Germanica & Gallica lingua, à Philippo Melãchthone & Luthero maiori ex parte cõscriptos, impij Monachi repererunt, qui hæresi Lutherana eum infectum esse clamantes, acerrimam cum ipso disceptationem instituere. Quibus ille magno respondens animo, Pontificis execrandam impietatem detexit. Libris itaque ipsius combustis, noxiali includitur carceri, vnde liberatus, Louanium se contulit, inde Ratisbonam ad Cęsaream Maiestatem, coram qua intrepide & aperte confessus est, in Germania synceram Euãgelij doctrinam prædicari, Italiam autem densissimis obrutam esse tenebris: nec dubitauit multis verbis Imperatorẽ adhortari, vt Euangelij veritatẽ susciperet. Propter quam libertatem ab Italis in vincula cõiectus, catenisq; vinctus, in Africam abductus est. Fusis deinde in Africa Imperatoris copijs, in Hispaniam auectus, hæreticæq; prauitatis Inquisitoribus traditus est, qui eum examinatum flammis è medio tollendum esse decreuerunt. Papyracea itaque corona, in qua dæmonum formæ, aspectu horrendæ, depictæ essent, ipsi est imposita. Cum ad supplicij locum educeretur, crucis simulachrum prætereire, quod adorare iussus est, quod cum constanter facere recusaret, miris eum petebant conuitijs, indignumque rati, crucem eam non amoueri, quam iste hæreticorum pessimus adorare dedignatus esset, magno impetu eam demoliuntur, strictisque gladijs comminuunt, adeoque singuli particulam aliquam sibi anxie quærunt: Sacrum enim id esse lignum iudicant, & aduersus quosuis morbos amuletum præsentissimum. Flammis deinde iniectus, cum paululum caput subleuaret, clamorẽ protinus sustulerũt omnes, quod errores suos Martyr reuocare vellet. Ignem itaque subito disiectum sopiunt, & Franciscum viuentem adhuc eripiunt. Quam rem ægerrime ille ferens, fæuitiam eorum vehementer incusat, vt qui summam fœlicitatem sibi inuideant, glorioſissimamque Martyrij coronam eripiant. Tum vero exacerbati, flammis eum denuo injciunt, vbi in firma Christi confessione spiritum suum Deo reddidit. Anno 1542. in septima parte Martyrum.

Iacobus concionator Bremensis.

Crucis simulachrum sine adoratione prætereire, grande nefas hypocritis.

Rochus, ex Brabantia oriundus, in Hispaniæ ciuitate Luca degens, sta-

tuarius

tuarius insignis, synceram Christi religionem amplexus, suum ipsemet artificium odisse cœpit. Accidit autem, cum Mariæ virginis simulachrum, artificio singulari sculptum, in officina sua venale exposuisset, vt vnus ex hæreticæ prauitatis Inquisitoribus præteriens, quanto liceret pretio simulachrum illud quæreret: Cui cum pretium indicatum esset, & ille contra licitans, dimidium pretij haud offerret, nonnihil offensus Rochus, Quod si vili adeo, inquit, pretio simulachra, quæ tanto mihi constiterunt labore, vendenda sint, qui vel haustum aquæ inde lucraturus sim? Cui ille, Plura certe haud numero; nec tamen simulachro hoc carere possum. Haud quaquam eo carebis, inquit alter, sed pro decenti & iusto precio. Nam manibus meis prius illud comminuero, quam tantillo vendam. Quid, infert ille, tunc talem comminuturus sis imaginem? Inter quę verba Rochus arrepto, quod obuium erat, dolabro, vel alio instrumento, simulachrum suarum manuum opus petit, & faciem eius leuiter sauciat. Protinus ergo vt violator virginis Mariæ accusatus, & in vincula cõiectus est. Nec vlla eum tutata est excusatio, nec quod artifici opus, quod suis fabricauit manibus, cõfringere, vel mutare, vel corrigere liceret. Quinimo hasce excusationes responsione dignati non sunt hypocritæ, sed eum vt hæreticum, qui Mariam virginem contumelioſe tractarit, ad ignem condemnarunt. Cum rogum ascenderet, alta voce ex circumstantia quæsiuit, num quis ex Flādria præsto esset? Responderunt quidam ex turba, geminas in littore teneri naues, inde in Flandriam soluturas. Proinde libere, quicquid velit, proferret, se in exequendis ijs, quæ petierit, certo paratos fore. Ad quæ ille: Hoc solum à vobis peto, vt dilecto parenti meo, Antuerpiæ moranti, significetis me quidem in hac combustum esse ciuitate, sed eam solam ob causam, quam audire vobis coram hic licuit. His dictis, per ignis incendium vitæ ærumnosæ cursum absoluit. Pater eius, cum fama hæc ad eum perlata esset, dolore se macerans, filio suo non diu superstes fuit. Anno 1544. sept. parte Martyrum.

VVendelmuth, vidua Mouicodamensis, Christianis prędita virtutibus, propter veritatis confessionem capta, & in Hagensem diœcesin abducta est eodem Comes Hochstratensis, Hollandiæ præfectus, totusque Hollādiæ Senatus conuenit, ad quem decimo octauo Nouembris adducta hæc vidua, rationem fidei suæ reddidit, omnemque Pontificiæ religionis blasphemiam damnauit. Ob quam constantiam & pietatem damnata, gestibus triumphantis animi specimen præbentibus, ignis supplicium subijt. anno Domini 1527.

Anna Askevve, Ioānes Lacles, Nicolaus de Otterdam, Ioannes Adlam, Anno Domini 1546. decimo sexto Iulij, simul propter veritatem Euangelicam, à Põtificijs combusti, Martyrium subiere. Imprimis autem illustris fuit virtus & constantia Annæ Askevve, quæ in Comitatu Lincoln patre magni nominis, Domino VVilhelmo Askevve, generis nobilitate claro, prognata, generosi animi & præclarum & pium edidit specimē. Annos siquidem nata quinque & viginti, acriter Antichristi satellitibus se opposuit, varijsque affecta tormentis, & fidiculis distorta, tanta quidem vehementia, vt venæ etiam rumperentur, in Christo tamen flammis etiam septa triumphauit.

Eodem anno Vrsula & Maria, virgines, germanæ sorores, nobili prosapia illustres, in inferiore Germania in oppido Delden, quod tribus à Dauentria distat miliaribus, ignis supplicio, eo quod Christum pie confiterentur, affectæ sunt. Peculiari autem miraculo Dei omnipotentia in harum Martyrio manifestata est. Nam quantumcunque laborarent in igne fouendo carnifices, omnis tamen eorum conatus in consumendis corporibus irritus fuit, quæ integra adhuc noctu à fidelibus clam sepulta fuere.

Fanum Ioannis.

Robertus Agnus, Iacobus Kanaldi, Iacobus Venator, VVilhelmus Andreæ, in oppido Scotiæ, cui nomen Fanum Ioannis, ciues primarij, Euangelicæ veritatis doctrinam, per Germanorum commercia (est enim oppidum illud totius Scotiæ emporium) edocti, insulsi Monachi impiam & blasphemam concionem auscultantes, inter se in templo de verbi diuini prophanatione conquerebantur. Quod animaduertens monachus, acribus verbis in ipsos fulminatus, semel atq; iterum eos hortatur, vt si quid ipsis in sua concione displiceret, apertis illud verbis proloquantur. Tandē rei indignitate permotus, vnus ex ijs perhumaniter, Te in tua concione, inquit, inquietare nolumus, sed propter Christi gloriam te rogamus, vt Euāgelij textum dextre nobis explices, nec eo relicto ad aliena delabaris. His auditis, in furorem actus Monachus hæreticos eos proclamat, & grauibus admodum criminationibus apud Cardinalem, regni Gubernatorem, accusat. Is diem & his & alijs facti huius conscijs, dicit, cosque vt seditiosos & hæreticos suspendendos esse decernit. Qua lata sententia, vxores illorum matronæ honestissimæ, in genua coram iudice procidentes, ardentissimis obsecrant precibus, coniugum suorum vitam sibi donari,

Helena rara virtutis fœmina.

qua de causa & ipsæ hæreseos insimulatæ sunt, vnaque ex ipsis Helena, infantulum lactentem vlnis gestans, & fœmina raræ virtutis, & fidei constantia insignis, ad tribunal raptatur, eique datur crimini, quod Mariam despicatui habens, eam nihil alij cuiuis fœminæ præstare dixerit. Ad hæc, se Christi matrem, si ita Deo patri visum fuisset, æque esse potuisse, atque Mariam. Quæ licet constanter illa negaret, & sibi haud ignotum esse diceret in Euangelio scriptum esse: Benedicta mater Domini inter omnes mulieres: Sententia tamen lata est, vt vltimo supplicio afficeretur. E vestigio itaque infantulum ipsi è gremio rapiunt carnifices, manus post terga reuinciunt, & cum coniuge reliquisq; Christi Martyribus ad locum supplicij eam abducunt. Ibi vero infirmitatis fœmineo sexui adhærentis oblita pia hæc matrona, oblita etiam infantuli, ad maritum se conuertit, eum mirifica sanctorum verborum copia consolatur, quin & scalas vna cum ipso conscendit, petens vt proxime ipsum de eadem trabe suspendatur. Verum flumen versus eam repellebat carnifex, aquis ipsam submergendam esse significans. Ibi rursus ad maritum conuersa, alta voce ei valedicens, Vale, inquit, mi vir, & magno animo mortem hanc ignominiosam contemne. Nam & Christus Patri suo obediens fuit vsque ad mortem crucis. Et nos conformes fieri oportet eius imagini. Preciosum sane hoc verbum est: Si ipsi compatimur, ipsi quoque corregnabimus. Ne ergo dubites, quin brevi vna apud Christum futuri simus. Vix hęc eloquuta fuit, cum protinus à carnificibus in aquas deiecta est. Verum nō longo interiecto tempore immanem hanc tyrannidem Deus vltus est. Nam Cardinalis iste in arce sua est confossus, & in Cardinalitio suo amictu de muro suspensus. Parte 7. Martyrum.

Petrus Clericus. Stephanus Mangris.

Meldæ, quæ ciuitas est Galliæ, in ripa Matronæ, complures simul Christiani Antichristicam blasphemiam detestati, peculiarem sibi verbi Diuini præconem, Petrum Clericum, virum pietate insignem, constituerunt, & in opulenti cuiusdam ciuis Stephani Mangris ædibus conuenientes, synceram Euangelij doctrinam ex Petro hoc didicere; & iuxta Christi institutionem Sacramento cœnæ Dominicę sub vtraq; specie vsi sunt. Quod vbi Magistratui innotuit, Pontificij furere, & ne vel vnus elaberetur, summa ope niti cœperunt. Octauo itaque Septembris sexaginta duo, partim viri, partim fœminæ, capti vinctique, & plaustris impositi, omni excluſa misericordia, Parisios abducti sunt. Qui pleriq; omnes per grauia tormenta examinati & excarnificati sunt, & p reliquis quatuordecim viri, quos Antesignanos esse iudicabāt, multiplicem carnificum sæuitiam experti, ad ignē

con-

condemnati sunt: alij partim flagris cæsi, partim in exilium acti, partim Martyrum supplicij spectatores esse coacti sunt. Nam in vnum quasi aceruum quatuordecim isti colligati, & in plaustrum coniecti, Meldam versus retrouecti sunt. Ad locum supplicij cum peruentum esset, primum carnifex linguam præcidit Stephano Mangris, qui sanguinem expuens, nihilominus diserte loquebatur, Deumq; intenta voce prædicabat. Idem Petro Clerico accidit. Porro erant ibi erectæ quatuordecim cruces, huc præter illos quatuordecim reliqui, ad mortem non damnati, adducebantur, qui ignominiæ ergo vincti, sanctos Martyres sequebantur, spectatores futuri glorioſę ipsorum victorię. Omnes autem sublata voce, cum ijs, quibus linguæ præcisæ erant, Hymnos cantantes, Deum glorificabant, qua eorum generosa cœlestique lætitia, laruata ista Pontificiorum turba tantum non in rabiem acta est, boantesque idololatrica sua carmina, Salue Regina, & similia decătarunt, nec prius à suo vlulatu destitere, quam omnes isti beati Martyres in Christo obdormijssent. Primum autem laqueo suffocati, deinde in flammas coniecti, & in cineres redacti sunt. Postridie solenni cũ pompa, & faces, & sacra alia cum putatitio Christi corpore circumtulerũt, quasi cultus Deo mire gratus in hac Martyrum internecione exhibitus esset, & in eo loco, vbi Martyres combusti fuere, arcula sacris ipsorum impiis destinata, reposita est. Deinde Doctor quidam Pontificius atrociter in sanctos Martyres inuectus, ad salutem necessarium esse clamitat, vt omnes credãt, viros istos, de quibus supplicium sumptum sit, damnatos esse: Imo Deus, blasphemo ore vociferatur, haud esse possit Deus, si istos, quorum corpora cremata sunt, non damnaret. Stephani Mangris domus solo æquata est, sacellumque ibi extructum, in quo singulis hebdomadibus, die Iouis Missam celebrarent, ad quæ sacra omnes eorum, qui combusti sunt, facultates fuerunt collatæ.

Petrus Brulij, ex Lotharingia oriundus, Italorum Ecclesiam, apud Argentoratenses, doctrinam Euangelij docendo aliquandiu erudijt: Tandẽ assiduis multorum, Euangelicam veritatem sitientium, literis & precibus permotus, inferioris Germaniæ ciuitates inuisit, multisque exoptatam fidei doctrinam annuntiat. Quæ fama vbi percrebuit, ciuitatis, in qua delitescebat, in tertium vsq; diem obseratis portis, à Magistratu omnes perquestigatæ sunt latebræ, nec tamen ob accuratam fidelium, à quibus fouebatur, industriam inuentus, tandem ab alumnis suis noctu per murũ in sporta demissus est. Cumq; vnus super murum se inclinans, submissa voce vltimum vale ei dicturus esset, casu quodã lapidem calce soluta vacillantẽ impulit, qui deuolutus Petro Brulij crus confregit. Vbi ex doloris magnitudine, cum frigus esset intensum, nec ipse loco moueri posset, suas deplorans ærumnas, à nocturnis auditus vigilibus comprehensus, & in arcẽ deportatus est, vbi per menses quatuor in vinculis detentus, multas cõsolationis Christianæ plenas literas ad fideles scripsit, donec 17. Februarij crematus, Martyrij sui cursum absoluit, anno 1545. 6. parte Martyrum.

De Diazio, qui propter Euangelicæ veritatis confessionem à fratre suo perfide trucidatus est, infra in quinto agetur præcepto.

Georgius Scharerus Saluelden sis, Radstadij apud Boios Antichristi regnum aliquandiu impugnauit. Quam ob causam in vincula cõiectus est, sententiaq; latâ, vt viuus cremaretur. Aliorum tamen intercessione effectum, vt gladio percussus vitam finiret, in corpus exanime sæuiretur, idq; flammis consumeretur. Cum ad locum supplicij peruenisset, alacri spiritu preces suas ad Deum fudit, suamq; omnibus audientibus fidem testatus est: Quam certus sum, inquiẽs, me vt verum Christianum mori, sic etiam certo, post mortem, signo meam innocentiam fideiq; synceritatem testabor. Cum decollatus esset, corpus humi in vẽtrem procubuit, & aliquan-

diu

diu immotum iacuit. Deinde post duo ferme horæ minuta sua sponte, nō citra omnium admirationem & stuporem, inuersum est, supinumque iacens dextrum pedem sinistro iniecit. Quo viso, corpus exanimum à flammis vindicantes terræ mandarunt. Actum anno 1528.

Carnifex pius.

Faninus Fauentiæ prognatus, propter veritatis agnitionem, omni eius purgatione, qua veritatem propugnans, suam testabatur innocentiam, irrita damnatur. Deo itaq; coniugem & liberos commendans, ad locū supplicij educitur: ibi cum rogus incendendus esset, carnifex conscius eius integritatis & innocentiæ, clam se subtrahere volens, ab ipso Fanino reuocatur, & quæ mandata ipsi sint, intrepide exequi iubetur. Suspensus ergo vitam laqueo finiuit, hinc in patibulo pendens, crematus est.

Hoc eodem annō 1550. paucis diebus interiectis, sub Papa Iulio tertio, eodem supplicij genere affectus est Dominicus Basanensis.

Ioannes Mollius Montileinus Italus, vir Sacrarum literarum peritia, & Philosophiæ studio insigniter clarus, anno 1531. Brixiæ, vbi Sacras literas publice professus est, fidei veritatem degustare cœpit, & indies magis magisq; in synceriore Euangelij doctrina profecit. Anno 1532. Mediolani, relicta Brixia professionem suscepit, mox Papiæ, tandem Bononiæ publice Academiam erudijt. Postquam veritatis studio apud quosdam cœpit inclarescere, monachi fratres ei⁹, veritatis amore capti, ab ipso Epistolæ ad Romanos explicationem audire petierūt. Qua in re cum ipsis gratificaretur, eiusq; zelus in veritate propugnanda innotesceret, apud Pontificem accusatur, Romam accersitur, in vinculā conijcitur, & ad ignem damnatur, in templo S. Mariæ Mineruæ, vbi Cardinales, Episcopi, Prælati in summo splendore, fastu, & magnificentia considebant: quibus ille palam, vitam impiam, ambitionem, fastum, aliaque flagitia, in quibus volutarētur, detexit, pudoreq; confusos, vehementer turbauit. Sententia itaque lata est, vt vna cum Perusino quodam textore suspensus cremaretur. Anno 1553. quinto Septembris.

Patricius Hammilton, summo natus loco, Regi Scotorum iunctus sanguine, in Marpurgensi Hessorum Academia Euangelicam veritatem didicit, & in ea magna cum laude proficiens, permultas in sacra Theologia quæstiones & conclusiones publice disputauit. Tandem in patriam reuersus, in regno Scotiæ, generosa animi constantia, Euangelicam veritatem professus est. Quod vbi summis Sacerdotibus, Pontificiorumque clero innotuit, regi adhuc iuueni persuaserunt, vt egregium hunc Principem in vincula conijceret, & primo Martij, anno 1528. cremari mandaret, annos natum quatuor & viginti.

Gilotus Viuerius. Iacobus Faber. Michael Faber.

Horrenda persecutio, anno quinquagesimo primo & secundo, Flandriam infestauit, & præsertim, sub Comite Lalanio. Inter alios Christi Martyres insignes fuerunt: Gilotus Viuerius textor, & socer eius Iacobus Faber sexagenarius, cum filio nouendecim annorum Michaele Fabro, qui veritatis confessione constantes combusti sunt. Giloti vxor, Iacobi Fabri filia, in puerperio tum detinebatur, eaq; de causa impij hypocritę ipsi parcebant. Exacto autem puerperij tempore, cum à veritate fidei nihil deflecteret, sed eandem cum marito suo, parente, & fratre Martyrij coronam ardentibus votis peteret, capta, & non sine omnium admiratione & stupore cremata ærumnis huius vitæ valedixit.

Morinus Præfectus.

Claudius pistor, Lutetiæ Parisiorum in suburbio S. Marcelli natus, fundendi, cælandique auri egregius artifex, per triennium Geneuæ piam honestamque inter Euangelicę veritatis assertores transegit vitam. Tandem in patriam reuertit, eo animo, quòd amicis & cognatis suis veram Christi agnitionem impertiri velit, sed ab ijs proditus, & in Morini præfecti manus traditus est. Is audita alacri & constanti ipsius confessione, ex Parla-

menti

menti mandato sententiam tulit, vt ignis supplicio afficeretur, & ne confessionem suam publice coram populo proferret, lingua ei præcideretur. Quod supplicium plenus spei & fiduciæ intrepido animo sustinuit, Anno 1540.

Godefridus Hammelius Brabantinus, vrbis Niuellæ ciuis, Christum confitendo Martyrium mernit, Tornaci 23. Iulij, Anno 1552. è custodia compluribus literis, consolatione plenis, de omnibus fidei suæ articulis, ad amicos & cognatos scriptis, eos ad veritatis agnitionem exhortatus est. Cumque nihil a constantia sua deflecteret, vt hæreticus ad ignem damnatus est. Ad locum supplicij cum educeretur, ardentibus ad Deum fusis precibus, populo veritatem fidei amplectendam commendauit, & vltro non sine circumstantium admiratione & commiseratione in flammas pedem intulit, O æternæ Pater, inquiens, in tuas manus commendo spiritum meum. Quæ effatus placide in Christo obdormijt.

Anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo quinto, ad Fanum Michaelis (quæ ciuitas est Lotharingiæ) inter complures, qui ob Christi confessionem ad supplicia rapiebantur, in vincula coniectus est Iacobus Chobart, scholæ eius loci Rector, vir insigniter doctus. Hic cum tribus sacrificulis in disputationem de Sacramentis incidens, Sacramentum Baptismi & Cœnæ Dominicæ nullum afferre fructum affirmabat, si nō in vera fide ijs vtamur. Quę verba sic accipiebant isti sacrificuli, quasi Missam damnaret, vt quæ nec viuis, nec mortuis quicq̄ prodesset. Nulla itaq; interiecta mora ab illis accusatus, in carcere vinctus per quindecim septimanas detinetur. Interea loci præmemoratam suam de Sacramentis sententiam, certo fundamento, & testimonijs ex Scriptura desumptis, firmiter confirmauit, scriptoque comprehensam fidei suæ confessionem matri suæ tradidit, eam iudici exhiberi petens. Pro filij salute anxia mater, mandata eius exequitur. Offensus tali scripto iudex, Duci Lotharingiæ Francisco illud exhibuit, qui protinus Iacobum viuum cremari mandauit. Quod Ducis sui mandatum citra moram iudex exequitur. Cum educeretur, populum docere, & cōsolari voluit, sed id prohibuit iudex minatus, ni linguam cohiberet, fore vt ipsi ea præcideretur. Quare in pia inuocatione, qua Christi misericordiam implorauit, Martyrium sibi paratū subijt, permultis, virum insigniter doctum morte adeo ignominiosa affici, ex animo dolentibus. Itaque edicto Magistratus vetuit, ne alia huius viri, quam hæretici & impij hominis fieret mentio. sexta parte Martyrum. *Iacobus Chobart.*

Dryander Hispanus, qui Ioannem Diazium in Christiana doctrina informarat, Romam profectus, aliquandiu in gratiam parentum & cognatorum suorum ibi moratus est, donec in Germaniam à fratre suo Francisco euocaretur. Cum ergo constituisset in Germania fidelium Ecclesiæ se adiungere, ab amicis domesticis proditus, & in vincula coniectus, sæpius à Cardinalibus, Episcopis & Prælatis, fidei suæ nomine examinatus est. Verum ille nihil nutans, Euangelij veritatem constanti animo confessus est, omnemq; Romani Antichristi impietatem, blasphemiam, & fraudes libero ore damnauit. Quare morti adiudicatus, Romæ combustus est, anno 1545. breui post mortem Ioannis Diazij, cuius martyrium in quinto Præcepto recensebimus. 6. parte Martyrum. *Dryander.*

Hostius, vel Georgius de Catelyne, ex Gandauo Flandriæ oriundus, phrygionum artificio præstans, dum Sacrarum literarum lectioni intētus est, Euāgelicæ veritatis amore capitur, & vt synceram eius cognitionē perciperet, præter indefessam Apostolicorum, Propheticorumq; scriptorum lectionem, cum pijs Ecclesiæ Doctoribus multa de præcipuis Fidei articulis confert. In fide Christiana fundatus, Mariæ Reginæ tyrannidem fugiens, in Frisiæ ciuitatem Nordensem vna cum coniuge & liberis se con-

tulit.

tulit. Anno deinde supra millesimum quingentesimum quinto & quinquagesimo idoneos sibiq; gratos nactus comites, in patriam, amicos suos salutaturus, remeauit. Vbi cum Monachum quendam ad S. Michaëlem, Euangelicæ veritati in cõcionibus studere audiuisset, ingressus templum, zizania tritico immiscri animaduertit. Monachum itaque finita concione accessit, eumque, audientibus ijs qui forte præcedebant, & sequebantur, familiariter de erroribus, quibus concionem deformasset, admonuit, asserens, se manifestis Scripturæ locis demonstraturum, ea minus veritati consentanea esse, quæ de Missa protulisset. Ex quibus verbis cum acrior sequeretur disceptatio, populiq; fieret accursus, tandem & ipse vrbis Præfectus cum satellitibus suis apparet, Georgiumq; comprehensum in Comitis arcem abducit, secundo Aprilis, circa decimam. Nec longa interposita mora, vicesimo septimo Aprilis, ad tribunal Georgij sistitur, & ad mortem damnatus, laqueoq; suffocatus, crematur, anno ætatis suæ tricesimo. Vide septimam partem Martyrum.

Berthelotus Milonus.

Anno 1533. Lutetiæ Parisiorum passim in omnibus ferme plateis & vicis affixa sunt scripta, Anrichristi impietatem, fraudes & scelera taxantia. Quæ causa fuit, vt acerba inquisitione instituta plurimi ad supplicia raperentur, piorumque sanguine & fauillis vrbs repleretur. Fuit inter alios quidam Berthelotus Milonus, claudus, omniaq; corporis sui membra luxata trahens, sed linguam solam expeditam habẽs. is Christi veritatem ex diuino zelo prędicans, & in Antichristi Romani prestigias inuectus, Satanam eiusque satellites, in tantum offendit, vt lata per ipsos sententia cremaretur, anno 1533.

Petrus Berberius mercator, cum Euangelij amore flagraret, eiusq; doctrinam & promoueret, & publice confiteretur, Lugduni in suis ædibus, quarto Maij captus, & in noxialem compactus est carcerem, ex quo cum ad supplicium raptaretur, totus in precibus ad Deum fundendis, & populum ad pœnitentiam adhortando occupatus fuit. Quo sancti Martyris zelo irritatus Sacrificulus quidam, natione Italus, in impietate inueteratus, Peruerse, inquit, heretice, in gehenna ignis hodie tibi parata est habitatio. Ad quæ ille placido animo, Hæc, ait, ignoscat tibi Dominus. Lætaque mente procedens ad locum, vbi comburẽdus erat, Deum confessione sua laudauit: à carnifice stipiti alligatus, Iam video, exclamat, cœlos apertos; O Iesu Christe, in tuas manus commendo spiritum meum. Quibus verbis aliquoties repetitis, superantibus iam flammis in pace obdormiit, anno 1553. Lugduni Henrico secundo, Franc. Rege.

Renatus Poyetus Burgensis, Gulielmi Poyeti, qui apud Gallos in magna fuit authoritate, adeoque Regis Cancellarius, filius naturalis, vitam cum ageret honestam, Christianæque synceritati congruentem, & Euangelij veritatem constanti animo confiteretur, captus, in vincula cõiectus, & non sine maximo ciuium luctu combustus est, relictisque vitæ huius ærumnis, ad cœlestia gaudia transiit. Nempe ex omnibus hominum generibus publicos sibi confessores excitat Deus, nec ad natales, vel dignitatem personarum respicit. Anno 1552.

Ioerius Gallus, in verbi Diuini meditatione oblectationem sedulo quęrens, Euãgelij veritatem plenius percepturus, Geneuam se contulit. Inde in patriam cum puero reuersurus, aliquot libellos, in quibus syncera fidei doctrina continebatur, secum recepit, ijs amicos suos ornaturus. Ambo autem proditi sunt, & Mendæ in Narbonensi prouincia capti, inde Tolosam, vt ibi cõburerentur, abducti. Ioerius in confessione sua constans perduravit. Puerum varijs modis sacrificuli tentarunt, Ioerium, inquientes, hæreticum esse, idcirco obedientia ei præstanda ipsum haudquaquam teneri. Ad quæ puer, Se domini sui, quem pium, & sanctum virum semper

cogno-

cognouerit, nunquam, nec in vita nec in morte, fore desertorem. Ambo itaq; palo sunt alligati, & in cineres redacti. Anno Ioerij vicesimo secundo, pueri, septimo decimo. Anno Christi 1551.

Anno supra millesimum quingentesimum quinto & quinquagesimo, Mechliniæ Pastor ad S. Catharinam, accersito Doctore Louaniesi Roarto Tapperio alijsque pluribus fratres duos, Franciscum & Nicolaum This, ipsorumque matrem Corneliam cum filio natu minimo hæreseos insimulauit, Romanæ Ecclesiæ eos repugnare dictitans. Quos carceri inclusos Roartus iste, adhibitis suis complicibus, Monachis, & Magistratu ciuili, examinauit. Primo omnium ex ipsis quæsiuit, quidnam crederent? Respondit alter fratrum, Se credere quicquid in vetere & nouo testamento scriptum sit. Rursus interrogati, vnde talem didicissent responsionem? Respondit idem, in Germania hoc sese edoctos, eamque doctrinam, accedente diuina benedictione, fideli mente custodiuisse. Deinde ad quæstionem de Sacramento responderunt: Si iuxta Christi institutionem, sub vtraque specie cœna Domini celebretur, se firmiter statuere, & credere, quod qui accedant, vere Corpus, & Sanguinem Christi percipiant. Iterū interrogati de Sacramenti circumgestatione solenni, & Ciborio, Deus, inquiunt, in templo Ciborio nequaquā habitat. Hinc ex ipsis quæsitum, vbi ergo Deū habitare credant? Cœlum, respondent, Dei thronus est, terra scabellū pedum eius. Quæ verba subsannans prætor intulit: Deo ergo crura erūt procera admodum. Quam eius blasphemiam captiui nulla vsi dissimulatione reprehenderunt. Præterea de peccatorū confessione, & Baptismo, vt strenuos decet Christi milites, responderunt. Quæsitum etiam ex ipsis fuit, quid de inuocatione Sanctorum, Cereis, Vexillis, aliisque Ceremonijs iudicarent: Meram in istis omnibus esse idolatriam dixerunt. In omni itaq; confessione cum solido inniterentur fundamento, ab hæreticæ prauitatis Inquisitoribus excommunicati, & Senatui commissi sunt. Prætor itaque protinus stipiti tortorio affixos atrociter vexauit, sed orti animo tormenta quæuis superantes, à veritatis tramite nihil destiterunt. Postridie sententia lata est, ignis supplicio eos afficiendos esse. Cum ad supplicij locum educerentur, matri valedicere, eamque consolari, quamuis enixe id cuperent, ipsis concessum non est. Adhæc orbiculi ipsorum ori ingesti sunt, ne vel populum affari, vel fidem suam cōfirmare possent. Cum iam palo alligati essent, qui natu erat minimus, exemptis orbiculos istos ligneos extorsit, iudicemq; allocutus, hoc vnicum præstari sibi beneficium rogauit, vt exemptis orbiculis se ipsos postrema consolatione inuicem erigere sibi concederetur. Quod ipsis permissum fuit, & paulo post, superatibus flammis, in vnanimi fide & confessione firmi, combusti sunt Mechliniæ in Brabantia, vicesimo septimo Decembris, anno 1555. sexta parte Martyrum. Passim in inferiore Germania complures ob constantem veritatis confessionem Martyrium subiere. Æternus & misericors Pater, suæ Ecclesiæ pro inexhausta sua bonitate pacem largiatur. Amen.

Franciscus & Nicolaus This. Cornelia.

EX IOANNE SLEIDANO.

LVtetiæ Parisiorum, & alijs quibusdam in locis, & in ipso Regis Palatio, noctu chartę quędam fuerunt affixæ, in quibus de religione, deq; Missa cum primis, multa erant perscripta: Mox inquiri cœptum est, ac inuestigari, & per indicium nonnulli, quidam vero per superstitionem comprehensi, habita quæstione, viui cremantur, horribili sane spectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum sublati, deinde in ignem è sublimi demissi, & rursus adducti, carnifice demum abscindente funem, in subiectam flammam corruebant: iis etiam, qui paulo videbantur eruditiores, ante-

quam producerentur, lingua resecta fuit, ne vel supplicij causam, vel suæ doctrinæ summam ad populum explicarent, Anno Domini 1534. Sleidan. libro nono.

Valdenses.

Valdenses in Prouincia Gallia, vetusta consuetudine, neque Pōtificem Romanum agnoscunt, & aliquāto puriorem habuere semper doctrinam; & postquam Lutherus innotuit, ampliorem cognitionem auide sibi compararunt. Quam ob causam, Ioanni Minerio præfecto Aquensi à Rege commissa cura, de improuiso obruuntur, nulloq; atrocissimæ crudelitatis genere intermisso ad internecionem trucidantur; partim flammis, partim media extinguuntur, grauidæ mulieres castæq; virgines, inhumaniter admodum tractatæ, stupriſq; impiorum militum dehonestatæ, vitam finierunt. Nec Tragœdorum vlla grandiloquentia verbis consequi aut exprimere poterit, quot & quanta mala ab impio Antichristi satellite Minerio Valdēses hi perpessi sint, anno 1545. Consule Sleidanū, libro decimo sexto.

Ioannes Minerius.

Nouē Martyres Lugdunenses.

Anno supra millesimum quingentesimū, nono & quinquagesimo, rapti sunt ad supplicium Lugduni nouem, cum ex ijs nonnulli per annum & amplius eo fuissent captiui. Ad quæstiones à Pontificijs propositas, euidenter & constanter ex Scripturę testimonijs respondérunt, cum ex captiuis Ludouicus Marsakus, homo militaris, è Sacris literis multa recitaret, qui aderant Inquisitores, rogabant, num ipsius esset legere Sacros libros, & qui sciret, hæc esse Euangelica? Præfectus etiam regius duos esse tantum aiebat Euangelistas, Matthæum & Iohannem: reliquos enim duos, & Paulum etiam veluti centones quosdam censuisse: Quod nisi Ecclesiæ Doctores eam Paulo tribuerent authoritatem, se non pluris facturum eius Epistolas, quam Æsopi fabellas: cumque Marsakus inuicem diceret, de Pauli vocatione atque munere præclara existere testimonia, præsertim in eius Epistolæ, quam scripsit ad Galatas, capite primo: Nihil, inquit, ille ad rem istud facit. Nam sibi testimonium ipse dicit: Ijs qui simul plectebantur, laqueum carnifex induerat, vt fieri solet. Marsakus vero, quem Iudices non reuincto collo duci iusserant, eo quod regi militasset, conuersus ad Prætorem, An horum, inquit, potior est, quā sit mea causa? Quin simili torque me quoque donas? Cur non huius tam illustris atque præstantis ordinis me quoque facis equitem? Alludens ad morem vsitatū Regibus, qui cum amicos cohonestare volunt, & amplificare, in equestris ordinis, vti vocant, numerum asscribunt, eisque torquem aureum, velut honoris insigne tribuunt. Sleidanus lib. 15.

Ludouicus Marsakus.

Impium de Euangelistis, & diuo Paulo iudicium.

PERSECVTIO HISPANICA.

ANno Christi M.D.LIX. vicesimo Maij, cōplures & summo & infimo loco nati, passim in Hispania ab Inquisitoribus Lutheranæ hæreseos insimulati sunt, qui capti in vrbem Valladolit abducuntur, diesque ipsis postridie dictus, vbi peculiares, vt maior reliquos terror inuaderet, ceremoniæ institutæ fuere. In medio foro locus editior constructus fuit, vbi Iudex, Inquisitores, & Prælati, magno cum fastu & splendore considebant. Ex aduerso alia quoque tabulata, in quibus Regis soror & filius, & regni Proceres considerent, Iudicij spectatores futuri, constructa erant. Præterea ingens vndiq; multitudo confluxit, Tragœdiam hanc nouam & atrocem spectatura. Captiuorum erant triginta. His accedebat matronæ cuiusdam, quam fama Lutheranæ doctrinæ addictā fuisse ferebat, corpus exanime, quod è sepulchro effoderant, vt cum reliquis cremaretur. Qui adducti certoque ordine sedere iussi, iniquorum Iudicum sententiam de capite suo ferendam expectabāt. Primum satis prolixam concionem Dominicani ordinis Monachus habuit. Deinde Episcopus Ciuilienſis regem, alioſque Principes & regni Proceres, in altero loco ex aduerso sedētes, ac-

cessit,

ceſſit, petens, vt regia maieſtas Eccleſiaſticum iudicium, & ius inquiſitionis clementer confirmare & tueri dignetur, omneſque ſubditos cogat, vt Romanæ Eccleſiæ eiuſque mandatis & decretis obtemperent. Hinc iureiurando vtrinque zelum ſuum in tollendis hæreticis confirmant, impoſitis digitis imagini Chriſti cruci affixi, & libro Miſſis celebrādis deſtinato. Lata deinde ſententia, quatuordecim ex captiuis, aſinis impoſiti, & ex vrbe ad locum ſupplicij educti, vbi quatuordecim columnis in terrā ibi defoſſis alligati, & laqueo ipſis gutture obſtricto combuſti ſunt. Reliqui iedecim partim ad perpetuos damnati ſunt carceres, partim ea notati ſunt ignominia, vt per aliquot annos giluo amictu induti, alijs ſint deſpicatui. Hiſtoria hæc in tertio libro Fincelij prolixe deſcribitur. Et quidem ferunt, alios triginta ſeptem ibidem in vinculis detentos fuiſſe, & ad aliam reſeruatos Tragœdiam.

Anno M.D.LX. in Gallia Chriſtianorum horrenda & atrox exorta perſecutio, omnem verborum ſuperat vim & grandiloquentiam. Lutetiæ Pariſiorum aliiſque in locis, in Chriſtianos gladio, laqueo, rota, flagris, igne, alijſque tormentis exquiſitiſſimis ſæuiebatur, nullus in ijs torquendis, iugulandis, perimendis erat modus, adeoq; nullus oriebatur dies, qui non atrociſſima Chriſtianorum tormeta intueretur & deploraret, nec vllius dignitati, vel ætati, vel ſexui parcebatur. Sed vndique citra diſcrimen, partim per indicium, partim per ſuſpicionem ad immaniſſima rapiebantur tormenta & ſupplicia: adeoqne ſæuitia & barbaries longe quam Turcorum atrocior in nobiles matronas & virgines exercebatur. Nam turbulenta plebs & ſcurræ capitis velamenta veſteſque ipſis deripientes, capillis eas fœde raptabant, conſpuebant, oculos diſacerabant; tum ſtercore lapidibuſq; eas petentes, nihil ſæuitię, qua miseras inſectarentur, relinquebant. Qua tragœdia ab inſaniente plebe peracta, ad ignem abductæ ſunt, ibi citra omnem commiſerationem veſtibus nudatæ, flagriſque cæſæ, deinde in flammas cōiectæ, & in cinereni redactæ ſunt. Nec tamen generoſæ illę Martyres per tot furores & tormenta abduci à veritatis confeſſione potuerunt, ſed Chriſtum lęta mente confeſſę ſunt, hymniſq; ſpiritualibus celebrarunt. Quæ res ad eam inſaniam tyrānos adegit, vt multis ligno per tranſuerſum ori ingeſto, loquēdi facultatem adimi, multis etiam linguas præcidi mandarent, & deinde cum exprobatione ijs inſultarent, Eia, clamantes, quin Lutheri veſtri fidem & Euāgelium confitemini? Audiamus cantilenam veſtram, cuius initium: NVNC IMPLORAMVS SPIRITVM SANCTVM. Eia, audiamus cantilenam veſtram: FIRMVM NOBIS PRÆSIDIVM DEVS NOSTER. Iob. Fincelius lib. 3. de Miraculis.

SVCCINCTA ET VERA NARRATIO DE HORRENDA cæde, qua in octo & octuaginta Chriſtianæ veritatis Confeſſores in oppido Montalo regni Neapol. ſæuitum eſt.

ANno ſupra milleſimum quingenteſimum primo & ſexageſimo, vndecimo Iunij, in ciuitate, cuius modo meminimus, Euangelicæ veritatis Confeſſores in vna omnes domo concluſi fuere, lataq; ſententia, carnifex ingreſſus, ordine ſingulos eductos, lanienæ tradidit, oculos ipſorum circumligato lineo velamine, texit: hinc in campi planitie, quæ domo, in qua Martyres conſtricti tenebantur, vicina erat, in genua procumbere iuſſit: cultro fauces diſſecuit, manibuſque lineum velamen cruentatum, ore cultrum ſanguine ſtillantem, mordicus tenens: denuo ingreſſus alios produxit. quos ſimili modo omnes, vt pecudes, aut porcos, mactauit, donec cruentati iſtius cultri aciem octo & octuaginta experti eſſent. Qui poſtea in quatuor diſſecti partes, perticis Calabriam verſus erectis fruſtatim ſuſpenſi ſunt. Equidem qui grandioris inter eos ætatis erant, iunioribus

cordatiores apparebant. Patrata hac cæde, centum deinde fœminę productæ sunt, ibidem pari modo excarnificandæ. Prætereà sacerdotes septem, post peractam prememoratorum lanienam comburendi. Per totam insuper Calabriam, eorum qui isto tempore propter Euangelicam doctrinam in vincula coniecti erant, mille & sexcenti numerantur, præter agricolarum turbam, quorum multi ex pœnæ formidine, abiecta veritate, Pontificiorum impietatem rursus amplexi sunt. Fincelius lib. 3. de Miraculis.

Ecclesiæ status in pace deterrimus.

Recte ait S. Bernhardus: Ecce in pace amaritudo mea amarissima est. Quasi dicat: Ecclesiæ status nunquam est deterior, quam cum pace & otio fruitur. Pax enim ista certum est indicium, omnia ex istius, qui Christi mordet calcaneum, Satanæ nimirum sententia & libidine geri. Cuius rei satis euidenti nobis sunt testimonio Pontificiorum blasphemiæ, quibus sine vllius interpellatione grassantibus, tanta vbique fuit securitas, vt præotij copia, quid sibi moliendum, quidve inceptandum esset; dubitans Satanas, innumeros Monachorum ordines, peregrinationes ad diuos infinitas, idololatriæ plures species, quam omnium creaturarum vel virtutes, vel vitia numerari queant, excogitauit. Postquam verò pro sua bonitate malitiam eius æternus Deus detexit, minime quieuit, sed persecutiones Christianorum lanienis, afflictiones tormentis cumulare satagit. Diuus Paulus, 2. Timoth. 3. Sed omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Et 1. Pet. 2. Siquidem in hoc vocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt insequeremini vestigia ipsius.

DE IDOLOLATRIA, EIVSQVE ORTV.

Tuisco.

TVisco, qui & Ascanes, filius Gomer, qui filius est Iaphet, primus Germanorum pater & Rex, à quo etiam dicti sunt Teutones, & inde nomen suburbij ad Coloniam, Deutsch: Hic à posteris ex impio errore diuinos honores adeptus est.

Belus Iupiter. Ninus.

Anno regni Tuisconis centesimo duodeuicesimo, Belus Iupiter, filius Nemrodi, Rex Babyloniorum secundus, naturæ fatoque concessit. Ninus filius patri in regno succedens, seu vt diuina stirpe natus videretur, seu pietate motus, vt & memoriam defuncti genitoris coleret, seu, quod magis credam, instinctu mali genij, parentem consecrat, pro Deo ab omnibus coli præcipit, eidem diuinos defert honores, ab omnibus deferri publico edicto iubet. Templum insuper addit, in media Babylonia statuam ponit, atq; dedicat, quę ab omnibus adoraretur. Consule Chron. Auent. Deinde

Semiramis. Templum Babyloniũ.

Regina Semiramis eidem Belo Ioui in vrbis medio tẽplum mirandæ amplitudinis construxit, in cuius summitate tres ingentes aureas statuas Iouis, Iunonis, Opisq; erexit, quarum Iouis, inquit Diodorus Siculus, adhuc extat, longitudine pedum quadraginta, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis simili pondere in sella aurea residet, ad cuius genua duo astant leones, iuxtaq; serpentes argentei, ingentis & magnitudinis & ponderis. quilibet enim est talentorum 30. Iunonis signum stans ponderis est talentorum 80. His omnibus communis erat mensa aurea, manu facta, lõgitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorũ quinquaginta. Crateres ex auro tres, quorum Ioui dicatus talenta mille & ducenta Babylonia pendebat. Aliorum quilibet sexcenta. Vide Diod. Sicul. lib. 3.

Exemplum horum reliqui etiam imitati, quorumcunque virtutem & sapientiam admirabantur, eos statuis templisq; ornatos, diuino prosequebantur cultu.

Sic qui primus agrestem Athenienſium vitam emolliuit, ipsosque honestis moribus eam excolere, Deos honorare, templa & altaria exstruere,

concubitu vago abstinere, docuit; istius admirati illi sapientiam, protinus Deum & Regem sibi constituerunt, Iouisq; nomine cohonestarunt: Eius filium, virum inclytum, splendoreque sapientiæ clarum, Solem nominarunt. Nam ignem variis opinionum de Deo, & primordijs rerum excæcati tenebris, primam omnium rerum causam esse credebãt, vnde & virum hunc, virtutem eius & industriam demirati, cœlitus sibi missum putarunt, diuinoque cultu, ob benefacta, quibus per ingenij sui vigorem clarus erat, affecerunt. Qua ratione indies Deorum numerus inter gentiles fuit auctus. *Iupiter. Apollo.*

Ceres rationem agriculturæ ostendit, frumentaque, cum antea glande vescerentur, hominibus commendauit: Eademque molere & conficere, in Attica, Italia & Sicilia instituit; ob id Dea iudicata. Plinius lib. 7. cap. 56. *Ceres.*

Dionysius, qui & Bacchus, vini zythique vsum monstrans, diuinos honores meruit. Diod. Sicul. lib. 5. *Bacchus.*

Mercurius, facundia ingenioque præstans multarumque artium peritia insignis, Deorum nuncius & interpres dici meruit, cumque virgæ suæ herbarumq; virtute res mirandas exerceret, protinus in Deorum numerum relatus est. Hunc ad modum idololatria inter gentes indies, magis magisque irrepens, alte tandem radices egit. *Mercurius.*

Triginta deorum millia, inquit Hesiodus, super terram almam versantur, mortalium hominum custodes: Τρὶς χὶλιοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πολυβοτείρῃ ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων. Et quidem trecentos Ioues antiquitas venerata est, teste Varrone.

Troglodytę adorant testudines, Syri columbas, Romani anseres, ob capitolium anseris clangore seruatum. In Ambracia leænam colebant, vt vindicem libertatis, quod tyrannum interfecisset. Delphici lupum, quod sacrum aurum in templo expilatum, & defossum refodisset. Samij ouem, quod aurum, itidem surreptum è templo, indicasset. Argiui serpentem. Tenedij prægnantem vaccam, cui fœtæ ministeria velut puerperæ exhibent. Draco apud Albam in luco iuxta templum Iunonis Argiuæ colebatur à virginibus, quem certis diebus adibant, eumq; suis manibus pascebant. De ridiculis hisce gentilium idolis consule officinam Rauisij.

Ægyptij, licet cœlestium naturaliumq; rerum cognitione in primis claruerint, adeo, vt Ægyptum matrem artium Macrobius nominare nõ dubitet, porrum tamen & cæpe diuino cultu prosecuti sunt. *Ægyptiorum superstitio.*

Apud eosdem efferuntur feles mortuæ ad sacra tecta, vbi salsæ sepeliũtur in vrbe Bubasti. Herod. lib. 2.

Quo tempore Ptolemæus Rex à Romanis socius atque amicus dictus est, quidam Romanus apud Ægyptios felem occiderat. qua de causa concursu plebis ad domum eius facto, neq; à Regijs ad id missis Principibus, neque à Romanorũ timore, à pœna hominis abterreri potuerunt: quamuis non sponte bestiam occidisset. Diod. lib. 2.

Colunt etiam animantia quædam Ægyptij, præter modum, non solum viua, sed etiam mortua; sicut felem, Ichneumona, canes, accipitres, ibides, lupos, crocodilos, & huiusmodi plura. Cum aliquod eorum moritur, sindone contectum, cum vlulatu pectus percutientes, sale liniunt, ac cedri liquore, vnguentisque odoriferis, quo diutius seruetur corpus vnctum, in sacris locis sepeliunt. Si quis horum aliquod animalium violarit, interficitur accurrente turba. Alijs quoque idolis compluribus referta fuit Ægyptus. Testatur diuus Hieronymus, cum infans Iesus in Ægyptum delatus esset, omnia idola corruisse, omnia quoque oracula cessasse, præstigiatoresque istos dæmonas confusos obmutuisse. Quod & Esaias 19. capite præuidit, Ecce, inquiens, Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredie-

tur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius. Chron. Platin.

Samogetæ ignem adorabant, eorumque Sacerdotes ignem viuentem assidua lignorum appositione in monte sacris destinato, perpetuo fouebant. Ferunt nonnulli, sub Deucalione bouem admiranda magnitudine immanem e flumine prodijsse, motuq; mirabili in sublimem aerem sublatum, ingentique cum strepitu in flumen rursus delapsum esse. Quo viso, rei nouitate attonitos homines, diuinum cultum boui exhibuisse, imposito ei Apidis nomine.

Apis Ægyptiorum.

Plinius de Ægyptiorum sacro boue sic refert: Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. insigne ei in latere dextro, cãdicans macula, cornibus lunæ crescere incipientis: Nodus sub lingua, quem cantharum appellant. Non est fas eum certos vitæ excedere annos mersumque in sacerdotum fonte enecant: quæsituri luctu alium quem substituant, do nec inueniant, mœrent, derasis etiam capitibus. Nec tamen vsq; diu quæritur. Inuentus deducitur à sacerdotibus Memphim. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, è manu consulentium cibũ capiendo. Germanici Cæsaris manum auersatus est, haud multo post extincti, &c. Vide Plinium lib. 8. cap. 56.

Herodotus: Est autem hic Apis idemque Epaphus è vacca genitus, quæ nullum iam alium potest concipere fœtum, quam Ægyptij aiunt fulgure ictam, cõcipere ex eo Apim. Toto corpore est niger, in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, cãtharum in palato, duplices in cauda pilos.

Cambyses Ægyptiorum festum & gaudium ob Apis apparitionem cõspicatus, iussit Sacerdotes adducere Apim. Quem postquam adduxere, Cambyses educto mucrone, cum vellet ferire ventrem, femur percussit, cachinnansque ad Sacerdotes inquit: O capita nequam, huiusce modi Dij existunt, sanguine atque carne prediti, & ferrum sentientes; dignus nimirum Ægyptijs hic Deus: Nos certe ludibrio habuisse vos nõ iuuabit. Hæc loquutus imperauit his, quorum munus erat, vt Sacerdotes quidem flagris cæderent, Ægyptios autem (vt quenq; feriantem adipiscerentur) occiderent. Ita festum solutum est, Sacerdotes mulctati, Apis sauciatus femur, in templo iacens extabuit. Herod. lib. 3.

Verisimile est Israëlitas, cum educti ex Ægypto, sibi in deserto conflatilem fecissent vitulum, quẽ adorarẽt, & cui hostias, vt vero Deo, per quem ex Ægypti seruitute erepti essent, immolarent, Ægyptiorũ in Api colendo, quemadmodum Gesnerus monet, religionem imitari voluisse.

Inuocant Cyrenaici Achorem Deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, quæ protinus intereunt, postquam litatũ est illi Deo. Plin. lib. 10. cap. 28.

Actius Nauius augur. Claudia virgo Vestalis.

Porro plurimæ testãtur historiæ, miraculorum præstigijs à Satana delusos homines in idololatria confirmatos esse. Sic Actius Nauius augur spectante Tarquinio cotem nouacula discidit. Liuius primo ab vrbe. Et virgo Romana Claudia nauim, quæ plurimorum virorum summis viribus nihil cedebat, cingulo suo impulit, vltroq; sequentem ad terram deduxit. Quæ sane miracula ex dæmonum fraude & præstigijs profecta, impias superstitiones adeo stabilierunt, vt aurum, argentum, lapides & ligna adorarentur.

Moloch Idolum.

Idolum Moloch, quemadmodum in Lyra & Iudæorum Cõmentarijs legitur, ex cupro vel orichalco conflatum fuit, in cuius manus ardẽtes imponebantur prunæ, cumque penitus incanduisset orichalcum, pater idolo immolaturus accessit, ardentibusque idoli manibus filium imposuit,

qui in

qui in candenti ære exustus & liquefactus est. Interea Sacerdotes campanis, cymbalis, & cornibus ingentem edidere clangorem, ne filij clamorem parens exaudire posset. Nefariam hanc impietatem omnes Prophetæ, & in primis Esaias, increpant, accusant, execrantur. Et quidem ipsemet Rex Achab hūc ad modum idolo filium suū obtulit. Psalmo 105. huius quoq; fit mentio. Orta est hæc impietas ex nefanda pietatis persuasione, qua hypocritæ Deo munus oblaturi non leue munus, vt vitulum aut agnum, sed quod sibi esset charissimum & pretiosissimum, offerre voluerunt.

Canopi & Ignis certamen.

Orta aliquando inter Chaldæos & Ægyptios de Numinum præstantia contentione, Chaldæis de sui Numinis, Ignis nempe, quem vt Deum colunt, virtute & robore gloriantibus, cui facile sit quarumuis aliarum gentium Deos & idola consumere, contra Ægyptijs Canopi sui potentiam prædicantibus, sacrificulus quidam Ægyptius, vt sui Numinis gloriæ cōsuleret, tale quid commentus est: Ingentem capit hydriam, circumquaq; perforatam, cuius foramina singula vbi cera obstruxit, eā aqua repletam exornat, caputque ab idoli Canopi simulachro oblatum ei imponens, arte fraudem dissimulat. Hinc in arenam certaminis descendunt. Chaldæi fraudis ignari, Ignis sui vires attollunt: contra Canopi, æliquorumq; idolorum potentiam extenuāt & irrident. Ægyptij vero sui Canopi viribus, Ignem aliaque Numina cessura gloriantur. Quid verbis opus? Ignis instruitur, magna vi flammas in sublimem aërem eiaculans; Canopus, vt ab Ægyptio sacerdote fraudulenter apparatus erat, ei imponitur, mox cera liquefacta, vndę non obseruantibus spectatoribus è Canopo promanantes Ignem extinguunt. Sic fraude parta victoria, cum plausu iubila tollentes & triumphum canentes Ægyptij, sui Canopi virtutem extollunt, victisque Chaldæis insultant.

Sacerdotum impostūras, quibus inter gentiles idololatriam stabilire omnibus modis conati sunt, sequens etiam ostendit historia.

Magorum aduersus Maruthā Episcopum impostura.

Cum inter Romanos & Persas vltro citroque crebri mitterētur Legati, accidit, vt Maruthas, Episcopus Mesopotamiæ, ab Imperatore Romano ad Regem Persarum mitteretur. Rex, quoniam eum virum, pietate singulari præditum esse animaduertebat, in magno honore habuit, & tanquam homini reuera diuino cœpit attendere. Quæ res animos Magorum admodum irritauit. Nam metuerunt nonnihil, ne Maruthæ suasu Rex Christi fidem reciperet. Etenim diuturnum capitis illius dolorem, quem Magi curare non poterant, Maruthas precum subsidio curauit. Proinde Magi fallaciam, qua Regem ludificentur, excogitant. Ac quoniam Persę Ignem pro Deo colunt, & Rex quidem ipse Ignem perpetuo ardentem in domo quadam venerari solet: Subter terram hominem abdunt, eumq; tempore, quo Rex preces facere consueuerat, has voces emittere faciunt; Regē è regno exturbandum esse, quod sacerdotem Christianorum coleret. Quę cum Isdigerdes audiuisset, Maruthā ab se amandare constituit. Tum Maruthas in precibus se penitus defixit, vnde fallaciam Magorum plane deprehendit. Itaq; sic Regem alloquitur: Ne illudaris ô Rex, sed domum ingredere: ac cum vocem audiueris, terra defossa facile dolum deprehēdes. Maruthæ Rex morem gerit, Ignisq; templū denuo ingressus, simul ac vocem iterum audit, terram iubet defodi. Itaq; qui vocem illam, quæ à Deo edi putabatur, emiserat, deprehensus est. Quocirca Rex ira admodum excandescens, decimum quenque ex genere Magorum obtruncari mandat: at Maruthæ præcipit, vt vbi vellet, Ecclesias edificandas curaret. Hac de causa religio Christiana apud Persas vehementer creuit. Tum Maruthas decedens ex Perside, Constantinopolim aduentat. Exiguo tempore post, in Persidem legationis obeundæ causa reuertitur. Magi alias de integro fallacias excogitant, quibus Regis animum ab eo amplexando auerterēt.

Malum quendam odorem dedita opera comparatum in loco quodam, ad quem Rex soleț accedere, effundi curant, cumq; diffusum esse à Christianis falso criminantur. Verum Rex, vbi Magos, quos iamdudum habuerat suspectos, illius facinoris authores esse perspicue deprehendit, complures illorum rursus graui multauit supplicio: Maruthan permagna obseruantia coluit, ac Romanorum amicitiam magnopere amplecti cœpit, parumque abfuit, cũ filium suũ Maruthæ & Ablaati Perfidis Episcopi, sanctis ad Deum fusis precibus, à dæmone, quo agitabatur, liberatum vidisset, quin plene Christianam religionem amplexus esset: Verum morte oppressus, in pietatis studio procrastinationem periculosam esse, nobis documento esse potest. Socrat. Ecclesiast. hist. lib. 7. cap. 8.

Varia nunquam non simulachra & idola mundus impius & immundus, ignorantiæque tenebris occæcatus, ex Satanæ impulsu sibi excogitauit, per quæ gryphos inextricabiles, oraculaque fallacia malignus spiritus proferre, adeoque stupendis prodigijs superstitionem in animis hominũ stabilire solitus est. Nec fuit difficile Diabolo homines decipere, quippe qui ignorantiæ fluctibus agitati, per se ad superstitiones instituendas ruant, & ad cultus Deo præstandos, neglecto verbo & mandato Dei, procliues ferãtur. Hinc primum apud Ethnicos tot idolorum & superstitionum monstra extitere, dum pro suarum quisq; cogitationum vanitate, vel incommoda belli, vel negotiationum, vel etiam matrimonij, vel morborũ, aut tempestatum præcauere voluit, adeoq; singulis rebus singulos tutelares Deos, singulisq; Dijs peculiarem cultum, & superstitiones addidit. Sic aduersus vim tempestatum numen Iouis, aduersus belli furores Martem, ad conciliandas diuitias Iunonem, ad fortunandum matrimonium Venerem olim inuocarunt. Nec vllus huius idolomaniæ finis aut modus fuit. Nam omisso verbo Dei, homo totus in tenebris & mendacijs voluitur. Vnde eo inter gentiles tandem res redijt, vt Festa instituerentur, in quibus cultus Diuinus iudicaretur, virginum & fœminarum pudorem castitatemq; violare, ne quid grauius dicam. Sic etiam sub Papatu eo dementiæ & impietatis homines progressi fuere, vt Diuini verbi & auxilij obliti, ad idola & diuos accurrerent, totidemq; Patronos, quot vel morbi, vel pericula, vel vitæ genera numerari queant, sibi constituerent, & in ijs honorandis occupati, in Deum eiusque verbum blasphemi essent, ne quid de mortuorum vel Sanctorum reliquijs, vel de peregrinationibus ad diuorum idola susceptis, addam. Et hodiernum in diem in hoc totus est Satanas, vt verum Dei cultum euertat, contra idololatricam impietatem instituat, id quod pauca, quæ subiecturi sumus exempla, declarant.

Priapus, sub viri nudi specie factum idolum rancidum, impurum, fœtidum, à gentilibus pro Deo impudicitiæ colebatur. Huic idolo matrona, quæ in vrbe erat spectatissima, sertum imponebat floreum, & quẽadmodum hac ætate solenni ritu noua nupta ad templum deducitur, sic non absq; solennitate sponsa super fœdi istius simulachri phallum (sic membrum virile vocabant) collocabatur. Quis digne fœditatem tantam execrari queat? Hic illa humanæ rationis sagacitas se prodit, quam adeo dementat, adeo excæcat Satanas, vt tanquam sacrosanctum & diuinũ cultũ, id, quo nihil fœdius, nihil detestabilius excogitari poterit, approbet, adeoque veneretur.

Cum mas & fœmina coniungebãtur, vt diuus Aurelius ex Varrone docet, adhibebatur Deus Iugatinus: cum nupta domum deducebatur, Domiducus: vt in domo esset, Domitius: vt maneret cum viro, addebatur Dea Manturna: in cubiculum inferebantur simulachra Deorum, vt ope illorũ sine vlla difficultate virginitas auferretur. Hi erant, Virginẽsis Dea, vt virgini zona solueretur: Subigus Deꝰ, vt viro subijceretur: Dea Prema, vt sub-

acta

acta ne se commoueret, & comprimeretur: & Dea Pertunda, quæ concuteret & penetraret. Item Venus & Priapus. Iubebatur autem noua nupta super ingentem fuscinam, id est, membrum Priapi, sedere. O monstrosam fœlicitatem Ethnicæ religionis. Quid enim aliud hic exclamare liceat?

Saxones idolum Irmunsul, vel Irmensuel, quasi commune perfugium, & asylum omnium, vel quasi Hermionis aulam, qui Germaniæ quintus fuit Imperator, & ob bellica facinora in numerum Deorum relatus, coluerunt; cuius fanum, quod Marspurgi, in monte Eresberg, exstructum fuisse perhibent, Carolus Magnus euertit. Vide Chronica Hedionis, lib. 7. cap. 6. & Sebastianum Munsterum, lib. 3. in descriptione Saxoniæ.

Simulachrū Magdeburgense.

Erat & Magdeburgi huiusmodi simulachrum. Stabat in curru nuda fœmina, myrtea caput cincta corona, ardentem faculam in pectore, in dextera mundi figuram, in sinistra mala aurea tria præferebat. Post eam tres puellæ (Charites Græci, Latine Gratias dixere) nexis manibus nudæ singula poma gestabant, auersis inuicem vultibus dona porrigentes, iugales currū trahentes, erant gemini cygni, totidemq; columbæ. Venerem figurabat hac imagine gentilitas, quæ in omni mundo dominatur. Gratias illa comites habet, quæ alternis obsequijs iunguntur: hoc vult nexus ille manuum. Vultus auertunt, quia beneficia non improperant. Sed bono mysterio vana suberat religio, quam Carolus subuertit. Albertus Crantzius.

In arce Hartesburgi idolum, Krodo dictum, Latini Saturnum nominãt, Saxones coluerunt. Viri illud grandæui simulachrum erat pisci impositū, manibus rotam & vrnam tenebat. Per rotam denotabatur populi coniunctio; per vrnam omnium rerum copia, & affluentia. Et hoc idolum subuertit Carolus. Remansit autem inter Saxones dictio hæc Krodo in horrēdæ abominationis & execrationis significationē. Chron. Alber. Crantz. lib. 2. cap. 12.

Septentrionalium superstitio.

Quidam ex Septentrionalibus ante annos trecentos gentilium superstitionibus, & idololatriæ dediti adhuc fuerunt, quorum & hodiernum in diem permulti omnis de Deo eiusq; verbo doctrinæ rudes sunt. Hic Solē, ille Lunam adorat, alius proceram arborem, rursus alius saxum, aut quicquid ipsi visum fuerit. Mortuos quando lugent, humi se reclinant, poculis se inuicem salutant, & ipsi quoque mortuo propinantes potum offerunt, partemque ipsi debitam super corpus eius effundunt. Hinc eum in sepulchrum reponentes, addunt securim, cibum, potum, & paucos nummos, vt eo contentus, inquientes, hinc in alteram vitam transmigret, vbi in Germanos, quorum ipse in hoc mundo imperium sustinuerit, dominaturus sit. In Cosmographia.

DE VANDALORVM IDOLIS.

VAndali Germani permulta quondam idola coluerunt, a priscis illis Vandalis accepta, quorum barbara nomina Lector forte mirabitur.

Radagistus, Obotritorum, qui nūc Magnopolenses, Deus. Hic Rex fuit Vandalorum, diuinis a subditis suis honoribus post mortem affectus.

Suantouitonem vt beneuolum Deum, eumq; summum coluerunt, cui quotannis Christianæ fidei hominem cremantes sacrificarunt.

Contra nociuum & tetrum iudicarunt dæmonem Zernebock, vel Bohu, quem ex timore, vt eius gratiam adipiscerentur, honorabant.

Flyns Lusatiam incolentibus fuit idolum, quod Lotharius Saxo Imperator euertit.

Proue, in agro Aldenburgensi, vbi olim Episcopalis fuerat sedes, idolum cultum.

Siuua, muliebre nomen, apud Prolabros dominabatur. Idolum hoc Vicelinus Lubecensis Episcopus confregit. Hamburgensium fuere numina,

Iuppiter Hammonius, Neptunus, Pluto, Vulcanus, Mars, Mercurius, Apollo, Iuno, Ceres, Vesta, Venus, Pallas & Diana.

Triphat Brandenburgensium fuit idolum, cuius fanum in monte fuit extructum, vbi hodiernum in diem lignea quædam idola conspiciuntur.

Fuit præterea Brandenburgi delubrum, in quo omnia Vãdalorum idola reseruabantur, eo in loco, vbi iam summi templi facta est dedicatio.

Inter alia idola Sorabi Vandali Martem coluerunt, Marsburgum item Martem coluit, & Zuttiberum syluarum & nemorum Deum, & Venerem. Marsburgensium hæc idololatria vsque ad Caroli Magni tempora durauit. Capitale erat in luco Zuttiberi arborem quouis modo violare, vel ramum inde decerpere. Quotannis certis diebus ingens Vandalorum multitudo in luco conuenit, dæmonem adorarunt, eique sacra fecerunt. Tandem VViguertus Marsburgensis Episcopus tertius, per Henricum secundum, Imperatorem Romanum, post mortem Gysilerij ad Episcopatum euectus, lucum hunc succidit & exussit, cultumque impium cum sacrificiorum ritibus penitus abrogauit, anno septimo supra millesimum. Chron. Ernest. Brottauff.

Somphari, Germanorum Regi, successit in Imperio filius Sueuus, quẽ cum annis quadraginta octo regnasset, post mortem Sueui, vt authorem gentis suæ, inter Deos retulerunt, ipsique in Lusitanorum regione nemus densum & horrendum consecrarunt, quo frequens populus quotannis, indictis sacris, coibat, votaque reddebat, & mactato homine, sanguine humano litarunt. Nefas erat quempiam, nisi post tergum reuinctis manibus, lucum hunc ingredi. Quo ritu Numinis huius potentiam significare, & hunc solum vnicumque esse Deum innuere voluerunt. Et si quis casu lapsus esset, surgere ipsi piaculum erat, sed corpus humi versando tamdiu promouere cogebatur, donec e luco euolueretur.

Sueuo regnante, Libyus Hercules in Hispania moritur. Eius mater Isis, Regina Ægypti, post cædem mariti, interitumque filij, in Germaniam ad Sueuum venit, frumenta temere incognita mortalibus inter cæteras herbas nascentia reperit, serere, molere, & terere, & inde panes conficere docuit. Lanificij, & olei, & vini vsum monstrauit, ob id Dea credita; Sueuique eam consecrarunt, atque pro Dea coluerunt. Signum eius in modum liburnæ figurarunt, quæ docerent aduectam religionem, peregrinumque sacrum. Discessit inde Isis in Italiam, Ceres ibi & Iuno cognominata. Auent. lib. 1.

Teuto, Rex Germanorum decimus, annis septem & viginti Imperium administrauit, ab hoc Teutones, vulgo die Teutschen / originem suam trahunt. Hunc Transrhenani Galliam incolentes, potissimum honorarunt, eique humanas obtulerunt victimas.

Æsculapius Romam translatus.

Graui pugna victis Samnitibus, eorumq; Imperatore C. Pontio secuti percusso, pestilentia vrbem Romanam atq; agros per triennium infestauit, cumq; portento iam similis esset clades, libri aditi, quinam finis, aut quod remedium eius mali a Dijs daretur, quæsitum, inuentumq; in libris, Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum. Legati itaque nobilissimi cum simulachrum Dei petitum ad Epidauros iuissent, anguis stupentibus admiratione per triduum ipsis aspectu blandus apparuit, hinc per mediam lapsus vrbem, nauem Legatorum cõscendit, & in Legati Quinti Virginij tabernaculo quieuit. Inde soluentes Romani, cum ad littus Antiate delati essent, ibique ob sæuientes tempestates quiescerent, draco interim templum Apollinis, in littore ibi positum, naui egressus petijt, hinc inter myrteta, donec tempestas desæuijsset, latuit. Deinde nauim rursus ingressus, Romamq; delatus, insulam Tibris petijt, quo in loco templum ipsi extructum est, & a sæuientis pestilentiæ veneno Romani liberati sunt. Liuius

libro decimo. Ouid. in Metamorph. lib. 15. Chron. Casp. Hedion. 2. parte.

Euidenter hoc demonstrat exemplum, quam gratus Satanæ ludus sit, per portentosa spectra inter homines idololatriam instituere.

IDOLOLATRIÆ PER IMPIAS VICTIMAS INTER *Iudæos, gentiles, & Christianos incrementa, ex Sareptæ Matheſij concione quarta de auro.*

DEVS noster viuus est Deus, essentiaq; spiritualis & intelligens, conditor omnium creaturarum: ipsius sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues. Psal. 50. Quin ipsius est omne aurum in terræ minetis latens. Ezech. 16. Quare nequaquam creaturis exanimis, rationisque expertibus, & holocaustis delectatur, cum omnia sub ipsius sint manu, nec vlla ipse creatura indigeat. Verum vnicum ipse sibi instituit Sacrificium, nempe dilectum suum Filium, iustum, quo vnice delectatur. Et propter vnicum hoc sacrificium omnes eos vltro susceipit, qui in agnitione & fiducia mactati huius Agni, hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo offerunt, Rom. 12. Nempe cor fidei luce illustratum, os vero ad confessionem & orationem promptum.

Aurea sacrificia.

Auro vel argento peccata redimere, & coram Deo pro ijs satisfacere, vel aureis sacrificijs iram Dei placare, summa & extrema est idololatria, ab ipso Sathana inuenta, ad imminuendam sacrificij Iesu Christi gloriam.

Philistini, homines impij, arcam fœderis, vt stupidæ pecudes, aspectabant, penitusque sibi persuadebant, cum arca ista ex tabernaculo Dei Israelis ad se delata sit, sese Deum istum auro placaturos, cum fistulis, ardentibusque papulis in secretioribus corporis partibus percussi essent. Nam vt 1. Samuel. ca. 6. legitur, cum arca Domini a Philistinis capta maximas inter eos turbas concitaret, multique passim, qui arcam intuerentur, graui plaga percuterentur, mortisque pauor in singulis sæuiret vrbibus, tandem Philistini conuocatis sacerdotibus & diuinis, ex ipsis quærunt, quomodo sæuiens plaga auertenda, iratusque Israelitarum Deus placandus sit: ibi iubent sacerdotes isti gentiles, pro peccato, Deo munus offerendum esse, & iuxta numerum Prouinciarum Philistinorum, quinque anos aureos faciendos, & quinque mures aureos. Forte (inquiunt Sacerdotes isti, vt qui de Deo eiusq; verbo nihil certi possent statuere) manum suam releuabit a vobis & a Dijs vestris, & a terra vestra Deus Israel. En ob oculos hic nobis ponitur sacrificium pro peccatis aureum, vel cultus Dei aureus, ex corruptæ rationis iudicio profectum. Nam Deum esse, omnes etiam gentiles confiteri oportuit. Deum autem hunc Israelitarum & fortem esse Deum, & peccatis grauiter succensere, ex pœna, quam præter naturæ modum in corporibus suis sæuientem horrent, cognoscunt. Iram Dei placari & debere & posse, Deumque, si idonea & accepta ipsi offerantur sacrificia, iram suam reprimere, itidem dictat ratio; insitusque per naturam timor, qui, vt gentiles loquuntur, primus in orbe fecit Deos, coarguit. Quale autem sit illud sacrificium, quod Deo acceptum sit, & propter quod irā aduersus peccata conceptam dimittat, factusque propitius clementem & benignum se nobis exhibeat, id neque Philistinorum sacerdotes, neque Turcici Monachi, nec omnes cœnobiorum alumni, nec vniuersus Romanæ Ecclesiæ clerus, intelligunt. Philistinorum sacerdotes hunc ad modum ratiocinantur; Aurum & pulcherrima & preciosissima est creaturarum: Aureum ergo munus DEO erit acceptissimum. Sed vt intelligat, quid hoc munere aut sacrificio quæramus, Certa, inquiunt, auro imprimenda erit forma, pro ratione membri læsi. Quare anos aureos, muresque fieri curemus. Cumque regni nostri quinque sint Principes, quina etiam Deo Israelitarum offerenda formentur munera, & forte manum

suam a vobis, & terra vestra releuabit. En hæ sunt præclaræ illæ Sacerdotum cogitationes, hic sacrosanctus ille cultus Deo præstandus, hæc sacrificia illa, quibus virgam e manibus Dei extorquere nituntur. Et quidem aniles hæ ineptiæ quasi vi quadam in Romanam Ecclesiam inuolarunt, & a multis hodiernum in diem enixe defenduntur, quasi Deo sanctus in primis cultus ijs præstaretur. Nam si malum aliquod vel hominem, vel pecora, aut armenta infestet, protinus cereæ finguntur imagines, pro ratione damni inflicti, eæque Deo vel diuis offeruntur, ea fiducia, quod malum vrgens sint propulsaturi.

Cereæ imagines.

Diuo Leonhardo equorum cura commissa est, cui equi, calcesque ferrei offeruntur, nec non catenæ.

Diuus Liborius aduersus calculi dolores, Simphorianus aduersus ramicem inuocatur. Ipsemet vidi Liborio, cui Rochlicij in templo diui Petri peculiaris consecrata est ara, membrum virile ex puro facto argento, & Simphoriano ramices a plurimis, qui per sectionem ijs leuati essent, offerri.

Quanquam autem & verbum Dei, & multi sanioris iudicij inter gentiles, diuorum multitudinem, ipsaque idola, & aurea sacrificia damnarunt; nunquam tamen in frequentiore vsu fuit aureus ille Dei cultus, quam in Romana Ecclesia, vbi omnia ex puro & solido auro nitere necesse erat; calices, scutellas, candelabra, cantharos, sacrificorum habitum, corollas, capsides, ciboria, adeoq; Deum ipsum & Sanctos ex auro & argento conflatos esse, impia hypocritarum sanctitas vrgebat: Papam enim per aureum illud sacrificium, cultumque Dei aureum vniuerso mundo euidenter testari oportuit, se reuera alterum Antiochum, & Antichristum esse, qui se eleuaturus sit aduersus omuem qui dicitur Deus, aut numen, castarum mulierum amorem auersaturus, coniugium & cibos prohibiturus, sibique pecusiarem Deum Mausim, quemadmodum Missam nominat Daniel, instituturus, quem auro & argento, & lapide precioso, rebusque preciosis colat. Quemadmodum & diuus Paulus Danielis verbis de Antichristo vtitur.

Deus Mausim. Daniel. 11.

Nonne vniuersus Pontificiorum clerus, basilicæ, templa, cœnobia, altaria, & quæ impiæ Sacramenti repositioni destinatæ sunt cistellę, conuincunt, luceque meridiana clarius esse testantur, quod Romanæ Ecclesiæ Mausim, aureumq; Sacrificium, vere Satanica sit Antichristi idololatria?

Hæc ideo prolixius, dum in aureorum templi vasorum mentionem incidi, commemoro, vt vos doceam, aureis simulachris, vel aureis sacrificijs nequaquam Deo acceptum præstari cultum, nec Deum vel aureo vel argenteo simulachro affingendum esse. Nam & Aaron horrendæ idololatriæ autor fuit, & fœde admodum adeoque atrociter lapsus est, cum vitulum conflatilem faceret, & in eo verum Deum, qui ipsos ex Ægypto eduxisset, querendum atque adorandum esse doceret. Quemadmodum enim verus Deus aureus non est, sic quoque extra verbum suum aureæ imagini alligari non vult. Quocirca Aaronis & Hieroboami aurei vituli nihil in se præter vanam & impiam idololatriam habuere. Etiamsi enim vitulum istum Deum esse haud prætendant, nec vitulo aureo Deum placari posse affirment, attamen ad nefaria & exercranda sacra hominum animos lacessunt, Deumque iuxta cæcas rationis suæ cogitationes loco certo alligant, sibique ipsis religionem vel Dei cultum iuxta vanam suæ mentis sapientiam fingunt. Quæ sane omnia primo Dei mandato repugnant. Hæc ex Sarepta.

Aaron idololatriæ autor.

Anno Christi supra millesimum decimoquinto, Henricus Iunior, Imperator, altero bello, aduersus inquietos Saxones moto, cum Saxonum Ducibus, Lothario, Reinero, Episcopo Halberstadensi, Friderico Comite Ambsbergensi congressus, prælio victus & repulsus est. Saxones in Comi-

tatu

tatu Mansfeldensi, ad syluam VVelphici saltus nomine, in historijs ab hoc prælio celebre trophæum erigentes, virum claua armatum statuere, cum dependentibus armis Saxoniæ. Simulachrum hoc progressa temporis superstitionibus addicta rusticorum turba diuinis prosecuta est honoribus, idolumq; nominarunt Iodute. Ea autem est doctorum virorum sententia, quod clamor bellicus, qui in hostili conflictu a militibus, vtrinque arma capessentium, excitatur, non ex futilis huius idoli nomine deducatur, sed quod verba sint Italicâ vel Gallica, Io adiute mi. Viri itaq; prudentiores, cum animaduerterent, idololatriæ & impietatis causam in idolo ista a rudi turbâ arripi, prorsus idipsum euerterũt, elapsisq; a tempore gesti præ lij annis centum, ordinis Prædicatorum cœnobium in loco isto, cui nomen VVeddingstede, erexerunt. Chron. Albert. Crantz. lib. 5. cap. 36.

Iodute simulachrũ.

Lactantius lib. 1. Institutionum, cap. 21.

Apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum à cæteris longe diuersus est ritus. Siquidem non euphimia (vt Græci appellant) sed maledictis & execratione celebrantur, eaque pro violatis habent, si quando inter solennes ritus, vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cuius rei hæc ratio redditur, si tamen vlla esse in rebus vanissimis potest.

Herculis Lindij sacra.

Hercules, cum eo delatus esset, famemque pateretur, aratorem quendam aspexit operantem, ab eoque petere cœpit, vt sibi vnum bouem venderet. Enimuero ille negauit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ, duobus illis iumentis niteretur. Hercules solita violentia vsus, quia vnum accipere nõ potuit, vtrumq; sustulit. At ille infœlix, cum boues suos mactari videret, iniuriam suam maledictis vltus est: quod homini eleganti & vrbano gratissimum fuit. Nam cum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boues deuorat, illum sibi amarissime conuitiantem, cum risu & cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi diuinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, a ciuibus ei ara posita est, quam de facto bouzygon, id est, bouis iugum nominauit, ad quam duo iuncti boues immolarentur, sicut illi, quos abstulerat aratori, eumque ipsum sibi constituit Sacerdotem, ac præcepit, vt ijsdem maledictis semper in celebrandis Sacrificijs vteretur, quod negaret se vnquam epulatum esse iucundius. Hæc Lactantius.

Bouzygos, ara Herculis.

Zenodotus addidit hunc apud Lindios inoleuisse morem, iubente etiam Oraculo, vt inter peragenda sacra, conuitia quædam iactarentur. Meminit huius & Gregorius Nazianzenus, in Orationibus Steliteuticis.

DE HÆRETICIS ET IDOLOLATRIS, & pœnis eorundem.

SEquentia nefariorum hæreticorum exempla in eum finem subiecti, vt inde nostram miseriam agnoscentes discamus, quam leui momento ad errores, & interitũ a Satana impellamur, nisi verbum Dei assidue, & prompta mente audiamus, & corde fideli custodiamus. Nec enim temere Seruator Christus nos admonens, Scrutamini, inquit, Scripturas, hæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me. Iohan. 5. Et Lucæ 11. Beati qui verbum Dei audiunt & custodiunt. Et certum est, si eo nos Satanas impellit, vt posthabito verbo, cogitationibus nostris indulgeamus, de salute nostra actum esse, certamque Satanæ in manibus esse victoriam, nec hæresin vllam adeo vel absurdam esse vel nefandam, cui hominem non inuoluat. Id quod ex sequentibus patebit Exemplis.

1. Corint. 11. Oportet enim & sectas in vobis esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.

2. Pet. 2. Fuerunt autem & Pseudoprophetæ in populo, quemadmodum

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W POZNANIU

inter

inter vos erunt falsi doctores, qui clam inducent sectas pernitiosas, etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi ipsis celerem interitum: & plerique sequentur illorum exitia: per quos via veritatis maledictis afficietur, & per auaritiam factitijs sermonibus de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non tardat, & perditio illorum non dormitat.

Cum Fadus Iudææ præfecturam gereret, præstigiator quidam vafer, Theudas nomine, ingenti hominum multitudini persuasit, vt suis secum comportatis facultatibus, ipsum ad Iordanum fluuium sequerentur. Prophetam enim se dixit esse, & fluuium mandato suo posse dispertire, transitumque illis præstare perfacilem. Hęc elocutus, multos illexit in fraudem. Verum Fadus eos ex ista amętia & temeritate non multum voluptatis capere passus est: sed multitudinem equitum contra illos misit armis instructam, quæ quidem irruptione facta eos adoritur, ex insperato complures interficit, nonnullos viuos capit: ipsi denique Theudæ, cum milites eum prehendissent, superstiti caput abscindunt, secumque deferunt Hierosolymam. Euseb. Eccles. hist. lib. 2. cap. 10. Act. 5. Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 2.

Post seductorem Theudam exortus est Iudas Galilæus, sub Iudææ præside Cyrenio, qui ingenti seducta multitudine, se a iugo Romanorum liberaturum Iudæos gloriabatur: Sed ipse perijt, & omnes qui paruerant ei, dispersi sunt. Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 1. Act. 5.

Iustinus, qui non longe post Apostolorum tempora vixit, quiq; multum nostræ religionis excelluit disciplina, ad Imperatorem Antonium hunc ad modum scribit:

Simõ Samaritanus.

Post Domini in cœlum ascensionem, homines quidam dæmonum impulsu incitati se ipsos Deos esse dixerunt, ex quorum numero fuit Simon quidam Samaritanus, ortus e vico, qui dicitur Gitton: qui Claudij Cæsaris temporibus, per astutiam dęmonum, vim suam in eius animo exercentium, Romæ Magicas virtutes & portenta edens, pro Deo est habitus, statuaque ipsi erecta, hanc inscriptionem impressam habens: Simoni Deo Sancto. Quinetiam Samaritani prope omnes, non pauci quoque ex alijs gentibus, eum tanquam præcipuum Deum confitentes, magna reuerentia obseruant. Itemque Helenam quādam (quæ antea apud Tyrum Phœniciæ meretricio quæstui se ipsam prostituisset) comitem eius per idem tempus assiduam, velut primam mentem ex Simonis sinu elapsam nuncupant. Euseb. lib. 2. cap. 12.

Helena Simonis Magi comes.

Cum Simone hoc magna certamina Petro Apostolo fuisse scribitur: cūque Simon Magus tandem iactitaret, se in cœlum ascensurum esse, sublatus est a diabolis in aerem: Sed Petrus imperauit diabolis, vt eum abijcerent. Ita decidens in terram, extinctus est. Philipp. in Chronicis. Cent. 1. lib. 2. cap. 11.

Bar Iehu, vel Elimas, impietatis seminator, Magus & Hæreticus, diuo Apostolo Paulo & Barnabæ se opponens, cæcitate percutitur. De quo in Actis Apost. 13.

Sub Imperio Adriani, seditiosorum in Iudæa dux factus est Ben Cochab, id est, filius stellæ. Alij scribunt Bar Chobab, quod prorsus idem est: hic se Messiam professus, & tanquam Sidus aliquod e cœlo delapsum, spem ac salutem graui seruitutis iugo oppressis allaturum se commentus est, sed tandem cum magna seditiosorum turba cæsus, occubuit, quem postea Iudæi nominarunt Benecozba, id est, filium mendacij, quod falso iactitasset, se Messiam esse, & recuperatorem Iudææ. Euseb. lib. 4. cap. 6. Philip. in Chron. lib. 3.

Caius Caligula atrociter aduersus Iudæos sæuijt, passimque in ipsorum ciuitatibus, & Synagogis, statuis imaginibusque erectis, adorari vo-

luit. Templum Hierosolymitanum suæ ipsius veneration dicauit, præcipiens, vt deinceps Iouis illustris, Caij scilicet noui ac recentis Dei templum nuncuparetur. Pilatus imagines eius inuolucris quibusdam obtectas noctu in vrbem inuexit. Hic Pilatus, qui Seruatoris neci interfuit, in tantas & tam graues calamitates incurrisse fertur, vt necessitate adductus, sibi propria manu mortem conscisceret. Euseb. lib 2. c. 7. Caius vero Caligula, cum tres annos & decem menses regnasset, interfectus est a Phereo tribuno militum.

Herodes Agrippa maior, se Deum & salutari & honorari passus, ab Angelo Domini protinus atrocibus plagis percussus est, adulatorumq; voces execratus, Ecce qui Deus nuncupabar, inquit, mortis iam vinculis constrictus teneor. Euse. lib. 2. cap. 9. Act. 12. infra in tertio Præcepto de pœna persecutorum.

Menander Samaritanus Simonis discipulus, furore dæmoniaco agitatus se hominum Seruatorem & Saluatorem cœlitus e sæculis inuisibilib. demissum esse prædicabat, docens, neminem ex Angelorum dominatu, qui Mundum fabricassent, se posse eripere, nisi prius doctrina Magica ab ipso tradita instructus esset, & Baptismate, quod ipse instituisset, ablutus. Hic, Tito imperante, Antiochiam peruenit, multosque ibi Magicæ artis prestigijs in fraudem induxit: Sectatoribus suis vitæ huius perpetuitatem, adeoque immortalitatem pollicitus. Euseb. lib. 3. c. 20.

Ebionitæ, Christi Seruatoris nostri maiestatem & gloriam despicientes, eum solum hominem esse statuerunt, ex Ioseph & Mariæ coniunctione natum, & propter progressionem, quam in virtute fecisset, virū sanctum, & iustum. Horum blasphemia motus diuus Iohannes Euangelium suum conscripsit, Christique æternam Maiestatem aduersus Satanæ furores rutatus est. Euseb. lib. 3. cap. 21. *Euangelium Iohannis.*

Cerinthus, in Christum & Spiritum sanctum contumelios & blasphemus, Christum verum Dei filium esse negabat, carnale & terrestre regnum Christi somniabat, nec alia eius de Resurrectione mortuorum erat sententia, quam Satanici Prophetæ Mahometis, infame cinædorum & Veneris regnum fingentis. Refert Irenæus, Cerinthum hunc vna cum suis applausoribus Ephesi in balneo sedentem, & blasphemias contra Filium Dei spargentem, ruina domus oppressum & extinctum esse. Vide Euseb. lib. 7. cap. 20. Inter alias blasphemias, quas ex Satanæ impulsu aduersus Christum euomebat Cerinthus, affirmare non verebatur, cœleste & diuinum Christum in Baptismate primum sub specie columbæ cœlitus delapsum & immissum in ipsum esse, istumque cœlestem Christum miracula edidisse, qui tempore passionis & mortis denuo auolarit, nec Christum a mortuis resurrexisse.

Nicolaitarum Hæresis autorem habet Nicolaum, vnum ex Diaconis, qui ad curam egentium suscipiendam cum Stephano eligebantur. Hic cum vxorem haberet facie honesta & liberali, eam cum ab Apostolis zelotypiæ insimularetur, in medium productam, cuiq; cupienti ducendam permisit. Quod factum imitantes, vxores communes esse debere docent, impudenterq; nefario stupro se polluunt. Euseb. lib. 3. c. 23.

Manes, mentis insania exagitatus (cuius nomen errori dæmoniaco, qui ab eo oriebatur, nō inscite respondit) se iam Christum, iam Spiritum sanctum esse dictitans, eo progressus est vesaniæ, vt duodecim sibi deligens discipulos, falsaque & impia dogmata ex hæresibus iamdiu sopitis in vnum conferciens, in Persia finitimisque regionibus ea disseminaret. Sectatores eius, Manichæi dicti sunt. Christum verum esse hominem negauit, eumque & corporis & animæ expertem nobis, instar hominis, modo phātastico apparuisse, nec vere passum vel mortuum esse, sed omnia quasi per

si per fucum egisse affirmauit, nec verum eũ Deum cum Patre ante sæcula regnantem confiteri voluit. Cent.3. cap.5. Tandem cum Regis Persarum filium grauiter decumbentem, citra omnem omnium Medicorum opem & operam se sanaturum curaturumque pollicitus esset, nec promissis eius exitus responderet, sed filius Regis, Manete accedẽte moreretur, Rex persico eum supplicio affecit. Detracta enim cute, eum ita nudum canibus escam obijci iussit. Ferunt & hodiernum in diem cutem eius paleis differtam in Persidẽ reseruari. Cent.3.cap.11. & Epiphanius.

Marcion Ponticus, primogenitus Satanæ a Polycarpo nominatus, & Cerdon Hæreticorum pessimi, duos finxerunt esse Deos: bonum, boni authorem; & malum, authorem mali. Marcion Christum phantasia tantum & specie hominem fuisse nugatur.

Cerdon, Spiritum sanctum non in Apostolos descendisse affirmans, se esse eum professus est, in quem demissus sit.

Marcion errores erroribus cumulans docuit, Cainum, Sodomitas, Ægyptios, omnesque generis extremæ impietatis assecias, Christo ad inferos descendenti occurrisse, & liberatos esse: Abelum autem, Enochum, Noam, Abrahamum, aliosque Patriarchas & Prophetas salutis haud participes factos esse. Irenæus lib.1. cap.2. Causamque addidit admodum friuolam. Eos enim perspectum habuisse tentationibus semper se subiectum iri: qua de causa nec Christum eos accessisse, nec eius prædicationi credidisse, & idcirco eorum animas ex inferno liberari non potuisse. Sed & aliâ quam plurima contra Deum per insaniam mentis elatrauit: Resurrectionem mortuorum esse negauit, soli animæ salutem esse partam docuit; haudquaquam esse possibile asserens, corpus humanum intra terræ viscera consumptum resurgere. Quis satis mirari queat, Satanæ aduersus veritatem odium, & in tetris erroribus excogitandis vesaniam? Cent.2.c.5.

Montanistæ, a Montano hæretico sic dicti, qui & Pepuziani a vico quodam Phrygiæ Pepuza, quem ille Hierusalem appellare solebat, idem Cataphryges, quasi secundum Phrygas Hæresis, ab ipsa gente scilicet, in ipsam sacrosanctam Trinitatem blasphemi, Christum solum esse hominem ex Maria natum, æternæ Deitatis expertem, impio ore euomebant, Spiritũq; sanctum Apostolis esse donatum negantes, sibi eius præsentiam & virtutem arrogabant, mortuos baptizabant.

Ipse Montanus Paracletum se & diuinum Spiritum nominabat. Mulierculas duas coniuges suas Prisciliam & Maximillam Prophetissas suas vocauit, earumque scripta Propheticos libros esse dixit. Tandem Montanus sibi laqueo vitam finiuit, & alij alijs casibus perierunt. Niceph. lib.4.c.22. Cent.2.cap.8.

Noetiani, Sabelliani, & qui a Paulo Samosateno Hæreseos suæ originẽ duxerunt, Trinitatem negantes, vnam esse personam Patris, Filij, & Spiritus sancti, dicebant, Patremque, Filium, & Spiritum sanctum, vnam eandemque personam esse, hominemque factum & passum, vnde etiam Patropassiani dicti sunt. Cent.3.cap.5.

Basilides, Saturius, Carpocrates, eorumque applausores, imperante Hadriano, anno 137. impij dogmatis assertores Christi humanitatẽ negabãt; phantastico ipsum corpore in terris apparuisse fingentes. Addebant, Christum passum non esse, sed in suum locum Simonem, forma ipsi sua addita, suffecisse; ipsum vero Simonis assumpta facie procul astantem Iudæis & Simone crucifigendo deceptis, cum risu insultasse. Cent.2.cap.5.

Carpocrates Christum naturali modo ex semine Ioseph & Mariæ vt alios homines, natum esse asserebat.

Valentiniani, Anno Domini 144. Christum nihil ex Maria assumpsisse docebant, sed eum cœlitus demissum per Mariam transijsse, quemadmodum

dum fertur aqua per canalem vel impluuium. Suxit hic venenum suum ex Simonis, Menandri, Basilidis, & Carpocratis Hæresi. Cent. 2. c. 5.

Nouatiani, Nouatum impij sui dogmatis auctorem sequentes, semel post Baptisma lapsis pœnitentiam & salutem negabant. Qua sua in Christi misericordiam contumeliosa doctrina, & immiti iustitia plurimos offenderunt, & multum turbarum concitarunt in Ecclesijs.

Arrius, impij dogmatis vesanus autor, Christi æternam gloriam impugnauit, negans eum Patri consubstantialem & ante sæcula genitum esse, multosq; Sophistices vsus præstigijs in suam pellexit sententiam. Quem cum Imperator Constantinus Constantinopolim vocasset, vt eius doctrina ab Episcopis, & Sacerdotibus orthodoxis examinaretur, ortum est ingens certamen inter Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, recte sentientem, & Eusebium Nicomediensem, qui astutissimè subleuabat Arrium. Cum autem instaret magnum certamen, factioque Eusebiana per vim in Ecclesiam introducere vellet Arrium: Alexander Episcopus noctu manens in templo, precatur Deum, vt ipse veritatem tueatur. Mane cum longa esset expectatio, tandem factio Arriana ad publicum consessum accedit. In eo itinere Arrius deflectit de via, subita consternatione oppressus, ac cõsidens in latrinam, ibi effudit intestina, & extinctus mortem dignam blasphema & fœtida mente obijt. Multitudo cognito eius interitu dilapsa est, & rursus cœpit auctoritas maior esse recte sentientium. Theodoret. lib. 1. cap. 14.

Marcus hæreticus.

Marcionitis aduersus veritatem ex fastu Satanico insurgentibus, quidam Marcus, nequitiæ Magicæ peritissimus Ecclesiam noua Hæresi turbauit. Spirituales nuptias ad similitudinem coniugiorum cœlestium per sacra detestanda instituebat, nouisque ritibus suę doctrinæ assclas baptizabat, hæc vsurpans verba: In nomine ignoti rerum vniuersarum Parentis, & veritatis omnium procreatricis, & illius qui a cœlo in Iesum delapsus est. Resurrectionem mortuorum negauit, ad hæc de morte Christi phantastica nugatus est. Euseb. lib. 4. cap. 10.

Olympius Arrij assectator, Carthaginensis Episcopus, cum in balneis lauaretur, impioque ore sanctam lacesseret Trinitatem, trifido telo superne ictus concidit. Anno Christi 510. Paulus Diacon. in Anastasij historia. M. Anton. Sabel. lib. 5. cap. 4.

Anastasius, Romanorum Imperator, Eutychianos palam defendit, & Episcopos ipsis aduersantes, expulit ex suis Ecclesijs, fulmine ictus perijt. Vide Chron. Phil. lib. 3.

Iudæus Cretensis se Mosen simulat.

Temporibus Theodosij, multi Iudæi in Creta Christi fidem receperũt, tali calamitate ad eam rem inducti: Iudæus quidam veterator, simulans se Moysen esse cœlo demissum, vt reduceat Iudæos in patriam per mare, vagatur integro anno per Cretam, & Iudeis diem constituit, fingit vaticinia, colligit pecuniam, & tandem die constituto, multitudinem ad Promontorium, mari imminens, deducit, ex eo se in mare præcipitare iubet. Qui primi desilierunt, partim præcipitio obtriti, partim aqua demersi, statim perierunt. Mox ad eum locum vicini nautæ properant, & aliquos recipiũt, reliquos, ne se in mare deijcerent, prohibuerunt, exitio eorum, qui ante se præcipites dedissent, commonstrato. Iudæi fraude patefacta, Pseudomoysem illum occidere contendunt. At eum nullo modo comprehendere poterant, quippe clam se ex illorum conspectu subduxerat. Vnde nonnullorum animis insedit opinio, eum exitialem dæmonem fuisse, qui ad ipsorum gentis perniciem, hominis speciem induisset. Quocirca multi Iudæi in Creta ea clade impulsi, Iudaismo derelicto, ad fide Christi se transtulerunt. Socrat. lib. 7. cap. 37.

Iudæi in loco quodam Chalcidem & Antiochiam interiacente, qui In-

Iudæorum scelus in Christianũ puerum.

mestar dicitur, cum more suo ludos facerent, tandem prę ebrietate ementis potestare egressi, non Christianos solum, verum etiam Christum ipsum contumelia afficere cœperunt, puerumq; Christianum comprehensum cruci alligarunt, & primum cachinnos in eum tollentes, hinc verberibus sæuientes, eum occiderunt. Hac de causa grauis inter eos & Christianos concertatio oritur. Quinetiam Imperatores certiores de facinore fiunt, qui per literas Prouinciæ illius Magistratibus significant, vt facinoris auctores, & conquirendos curarent, & debitis supplicijs coercendos. Itaque Iudæi, qui ibi habitabant, pro scelere, quod ioco consciuerant, serio pœnas luerunt. Socrat. lib. 7. cap. 16.

Iudæus sæpius baptizatus.

Per idem tempus Iudæus quidam veterator Christianam fidem simulans, sæpius baptizatus est, per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex varijs sectis (Arrianorũ enim & Macedonianorum Baptismum receperat) dolo ludificatus, non habebat amplius quibus imponeret, tandem ad Paulum Nouatianorum Episcopum venit: ait se magna cupiditate, Baptismatis recipiendi flagrare, per eius manum vt illud assequatur, orat: Paulus ritu soleni ad alueum baptisterij eum adducit, in quem cum aqua infusa esset, ea ineffabili quadam diuinę prouidentiæ vi derepente euanuit. Attonitus Episcopus, & alij, & qui aderant, alueũ baptisterij de integro foraminibus vndiq; in eo firme obturatis, diligenter implent. Cumque secundo Iudæus eo deductus esset, aqua rursus disparuit. Itaque tum Paulus, o homo, inquit, aut veteratoris partes agis, aut Baptismum ignorans recepisti. Quare vbi ob miraculum eo a multis concursum erat, forte quidam Iudæum de facie nouit, eumque ab Attico Episcopo Baptizatum viderat. Iudęus itaque, fraude eius detecta cum ignominia ex Ecclesia ejectus est, Socra. lib. 7. c. 17.

Mendicantes milites.

Hac fraude frequenter Garmanis imponunt præstigiatores isti, vanam vaticinandi artem iactitantes, quos recentes Gręci Attiganos, nos Zigeunos nominamus, qui Germaniam percurrentes, in pagis sæpius infantulorum baptismata reiterant, pecunias & munera huiusmodi fallacia venantes, Baptismum interim & verbum Christi ludibrio habentes. Nec dubium quin inter mendicantes istos milites, & circulatores passim fucorum instar circumuolitantes, hæc flagitia in frequenti sint vsu.

Deuterius, Episcopus Arrianę blasphemiæ sectator, cum Byzantij quendam Barbam nomine baptizaturus, contra normam fidei, Filiũ, Spiritum sanctum Patre minorem profiteretur, Baptizo te, inquiens, in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto: Vnda, in qua Barbas iste baptizandus erat, subito disparuit. Quo viso Barbas territus, ad Ecclesiam syncerioris fidei doctrina imbutam protinus festinauit, & iuxta formulam veræ fidei Baptismatis lauacro mundatus, & Ecclesię insertus est.

Alamundarum, Sarracenorum principem, cum iam sacro Baptismatis fonte initiatus esset, Episcopi duo Arrianorum impietatem amplexi, persuasionibus in suam pertrahere sententiam conati sunt. Sed ille ab orthodoxis baptizatus, verbumque Dei incorruptum edoctus, huiusmodi figmento eorum impietatem coarguit: Accepi, inquit, hodie literas, in quib. ad me perscriptum est, Angelum Michaelem mortuum esse. At illi, Neutiquam, inquiunt, fieri potest vt Angelus morte extinguatur. Qui ergo, intulit Alamundarus, iuxta vestræ opinionis deliria Christus cruci affigi, aut quomodo mori potuit, nisi duæ in ipso sint naturæ? Nam si fieri non potest, vt Angelus moriatur, multo minus Deus pati & mori poterit? Quibus verbis pudore suffusos Episcopos a se repulit. Histo. Ecclesiast. Casp. Hed. lib. 3. cap. 12.

Iulianus Apostata aduersus Persas bellum moturus Apollinem Daphnæum de belli euentu consulit. Respondet Apollo, mortuos quosdam in

proximo humatos impedimento esse, quo minus daret vaticinia. Quod vbi intellexit Iulianus, imperauit Christianis, vt reliquias Martyrum ex eo loco transferrent. Porro reliquiæ inuicti Martyris Babylæ, & adolescentum, qui vna cum eo pro fide decertarant, ibi iacuerunt repositæ. Christiani lubentibus animis iussa Imperatoris capessunt, loculum in bigis collocant, omnesque ad vnum antecedentes saltare, Psalmosque Dauidicos canere cœperunt, & inter singula versuum membra hæc verba interponere: Confundantur omnes qui adorant sculptilia. Qua re exacerbatus Iulianus, nouis & atrocibus tormentis adolescentem Theodorum affecit. Interea fulmen de cœlo delapsum, vniuersum incendit delubrum, & ipsam Apollinis statuam in cineres redegit, quæ intus lignea quidem erat, sed extra auro obducta. Theodor. lib. 3. cap. 9. & 10.

Amphilochius senex venerandus, atque in rebus diuinis acri mente præditus, Theodosio Imperatori supplicat, vt Arrianorum conuentus ab vrbibus semoueret. Imperator petitionē eam, quod durior in humaniorq; esse videretur, non comprobauit. Diebus paucis interiectis, cum rursus in aulam Imperatoris venisset, & Imperatorem, ita vt decet, pie & suauiter admodum consalutasset: Filium ipsius Arcadium, qui nuper ad Imperium lectus fuerat, in honoratum reliquit, & veluti cum puero colloquens, manuque eum demulcens, Salue & tu o puer, inquit. Imperator quod senem Amphilochium rudiori animo esse & rusticius agere existimaret, quomodo filium salutare deberet, docuit. Atque ille, sufficere ei talem honorem, dixit. Imperator autem ira percitus, & veluti filius iniuria affectus esset, grauiter commotus, cum conuicio Episcopum abduci iussit. Ille, quamuis protruderetur, conuersus paululum, consiliumque occultatum animo proferens: videsne, inquit, o Imperator, quam tu procaciter filio illatam contumeliam non fers, sed amarulenter propter summissiorem compellationem in nos excandescis? Sic scilicet existimare te oportuit, succensere etiam cœlestem Imperatorem, & Patrem vnigeniti, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem, sed dissimilem & longe minorem Patre vocare audent. Delectatus hoc dicto Imperator senem reuocat, veniam precatur, eiusq; sententiā & petitionem de abrogandis Arrianorum conuentibus approbat. Niceph. lib. 12. cap. 9. Sozom. libro 7. capite sexto.

Tulit idem Imperator constitutiones, quibus sanxit, vt simulachrorum delubra, vbicunq; locorum in Imperio suo inuenirentur, ex ipsis fundamentis euerterentur, & preciosior simulachrorū materia in alimēta paūperum expenderetur. Negotio huic ab Imperatore præficitur Theophilus, vir inter Christianos magni nominis, Episcopus Alexandrinus. Is potestate ea accepta, omnem mouit lapidem, vt Græcorum mysteria cum contumelia traducerentur, omnibusque simulachris Alexandriæ comminutis, atque in cinerem redactis, vnum tantum simulachrum Simiæ deæ reliquit, & in publico loco constitutum seruandum esse dixit, ad perpetuam fœditatis idolomaniæ memoriam.

Simulachrorum delubra euertuntur.

Ad hæc pleraque omnia simulachra, vel ærea, vel lignea, ea parte, qua parietibus admouebantur, excauata erant, vbi impij Sacerdotes occultati, per os simulachri, vel idoli, ad rudem, præstigijsque occæcatam plebem verba effundere, mendaciq; lingua superstitiones confirmare poterant. Et quidem in templo Serapidis tale positum erat idolum, cyclopica corporis vastitate templum ingressis admodum formidabile, de quo gentiles, sacerdotum mendacijs fidem habentes, persuasum habebant, quod, si quis propius accederet, vel terra ei protinus dehisceret, vel pestis eū subitanea opprimeret, adeoque extingueret. Ad quod non sine vociferatione & tremore gentilium Theophilus accedit, arreptaque bipenni caput ei

Fallacia Sacerdotum in simulachris detegitur.

fortiter deturbat, & ecce, non sine astantium risu, & gentilium probro, mures inde prosiluere. Idolo itaque in cineres redacto, grata muribus destructa est habitatio, gentiliumq; Deorum vanitas & fœditas detecta. Refer huc exemplum in sexto præcepto expositum, de idolo Saturni, & impuro Sacerdote tyranno.

Templum Apameense destruitur.

Apameæ templum Iouis fuit, & maximum, & ornamentis varijs & præcipuis pulcherrimum, quod cum Præfectus Orientis, cum duobus Tribunis vrbem ingressus, demoliri vellet, lapidumque & materiæ structuram solidam & firmam admodum esse cerneret, fieri non posse putauit, vt tanta compago soluta diruatur. Diuus autem Marcellus Episcopus, Præfectum sic laborem eum reformidantem cernens, illum quidem ad alias vrbes transire iussit: ipse autem Deum precatus est, vt rei tam difficili & desperatæ exitum aliquem daret. Breui post adijt quidam Episcopum, mercedemque stipulatus, sese igni fundamenta columnarum concussurum, templumque demoliturum pollicitus est. Verum iniecto igni, dæmon quidam ater apparuit, naturalemq; eius vim inhibuit. Quod vbi resciuit Marcellus, templum ingressus, ardentibus ad Deum fusis precibus, dæmonem fugauit, nec mora flammam concipiente materia, fulcrisque columnarum euanescentibus, magno cum fragore tota structura ruinam traxit. Niceph. lib. 12. cap. 27.

Marcellus.

Syluanus Episcopus.

Post mortem diui Hieronymi, Sabinianus quidam, homo peruersus, & Christianæ veritatis depranator, libellum blasphemijs refertum, suæque hæresi patrocinãtem, in vulgus sparsit, cui vt maiorem conciliaret authoritatem, diuum Hieronymum eius authorẽ esse, mendaci ore prædicauit. Aduersus hanc importuni hominis blasphemiam, & in sanctũ virum, vita defunctũ, contumeliam, acriter contendit Episcopus Syluanus Nazarensis: librũ publicè damnauit, lethumq; pro veritate paciscens, cum Sabino ea lege conuenit, nisi postridie edito miraculo testaturus sit diuus Hieronymus, quod falso libri istius, quem ille circumferat, auctor dicatur, sese vltro carnificis gladio ceruicẽ suam resecandam præbiturum: Sin autem miraculo veritas manifestetur, vt Sabinianus propter mendacij sui impudentiam gladio feriatur. Accipit conditionem hanc Sabinianus. Altero die cum magna populi expectatione, in templum Hierosolymitanum ambo ingrediuntur, nulloque apparente miraculo, Syluanus ex pacto, cuius ipse auctor fuerat, pœnam subire iubetur, qui pro veritate mori paratus, alacri animo ceruicem carnifici porrigit. Protinus ibi visa est imago, Hieronymo viuenti similis, quæ carnifici manum, qua gladiũ vibraturus erat, apprehendit. Quod vbi vidit Episcopus, Sabinianum mendacij, impiæq; hæreseos aperte coarguit, simulq; imago ista disparuit, aliudq; miraculum statim subsecutum est. Caput enim Sabiniano, nemine illud resecante, humeris vltro auulsum, in terram decidit. Quo viso omnes vno ore Deum laudarunt, ipsique ob conseruatum Syluanum, & hæresin conuictam gratias egerunt, & quicunque impiam hæretici doctrinam secuti fuerant, relicto errore, Syluano se adiunxerunt. Marulus lib. 2. cap. 11. Item Sabellicus lib. 5. cap. 4. Cyrillus coram se Hierosolymis actum scribit.

Miraculo se veritas detegitur.

Antiochiæ ruina.

Antiochiæ magna semper hæreticorum fuit colluuies, grauissimasq; ex diuina vindicta pœnas vrbs ea iustinuit. Anno Iustini septimo cœlitus delapso igni, magna pars vrbis conflagrauit, partim etiam ex graui terræmotu quassata, cum Episcopo Euphrasio interijt. Paul. Diacon. lib 5.

Iustinianus.

Iustinianus Imp. Aphthardocitarum hæresi addictus, cum exilij, quo Anastasium, aliosq; recte sentientes Episcopos mulctare constituerat libellum dictaret, inuisibili ictus plaga ex hac vita excessit. Niceph. lib. 27. c. 31. Zon. tom. 3.

Heraclius.

Heraclius Imper. in sectam Monothelitarum deuolutus, pios Doctores

persecu-

persecutus est, cumq; peccata peccatis cumularet, gētiliumq; superstitionibus in obseruandis astris, & augurijs captandis addictus esset, grauissimas incurrit pœnas. Nam præterquam quod ab Arabibus & Sarracenis, omne eius imperium infestantibus, vexaretur, aqua etiam intercute laborare cœpit. Fertur etiam, inguine sursum conuerso faciem perminxisse, nisi vrina, tabella imo ventri imposita, auerteretur. Id ei accidisse creditum, ob incestum cum fratris filia coitum. Zonaras lib. 3. Paul. Diacon. lib. 18.

In Phocide duæ olim fuerunt celebres ciuitates, Elatea, & Delphica vrbs, sita iuxta montem Parnassum, in fundo saxoso, quam mons asperrimus, aliaque adiacentia saxa ruentur a quocunque hostili incursu. Templum autem Apollinis Delphici olim positum fuit in monte Parnasso, in rupe vndique impediente, vbi & ciuitatem frequentia hominū fecit. Qui ad affirmationem Maiestatis vndique concurrentes, in eo saxo consedere. Atq; ita templum ciuitatemq; non muri, sed præcipitia, nec manu facta, sed naturalia præsidia defendebant, prorsus vt incertum sit, vtrum monimentum loci an Maiestas Dei, plus hic admirationis habuerit. Alij tamen scribunt, constructum ibi nobilissimum, & celebre Apollinis templum & adytum, quinque tantum constans lapidibus, opus Agamedis, & Trophonij. Media saxi rupes in formam theatri recessit. In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planities exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, & officina Satanæ. Ex eo enim frigidus Spiritus, quodam velut vēto, in sublime expulsus, mentes vatū in vecordiā vertebat, impletosq; non Deo, sed Satana, responsa dare cogebat. Incubabant autē foramini virgines, Sacerdotes, & Pythij vates, alienatique a sensu, de interrogatis responsa dabant. Multa igitur ibi & opulenta Regum populorumq; visebantur munera, nedum ex Græcia, verum ex toto ferme terrarum orbe oblata, quæ sua magnificentia, reddentium vota gratam voluntatem, & dæmonum responsa manifestabant. Hunc immensum auri & argenti thesaurum nemo mortalium audebat inuadere. Nam cum Rex Persarum Xerxes, direpturus Græciam, magnā vim hominum in eam transtulisset, contendissetque Apollinis templum spoliare, deuoluebantur e monte in eius exercitum duo saxa, cadebantque ignita spicula cum horrendis tonitruis e cœlo, & qui montem conscenderant, immani impetu repressi, inde deturbabantur, interieruntq; tum machinatione dæmonis, vt Trogus scribit, quatuor millia hominum. Eadem fata Gallos manebant, cum duce Brenno templum spoliaturi, montem conscendere niterentur. Nam per excitatum terræ motum ingens mōtis portio in exercitum deuoluta, plurimos interimebat. Deinde secuta horrenda tempestas, tonitruaq; & fulmina grandine mixta, Gallos a sacrilegio deterritos, abegerunt. Brennus quoq; Dux grauiter læsus, & dolorem vulneris ferre non potens, ex impatientia sibi ipsi pugione mortem conscisuit. Delphici vero liberati ex illa necessitate, laudauerunt Apollinem Deum suum. Nimirum perfacile est Diabolo inter ignaros veritatis diuinæ, potentiam & tyrannidem suam ita declarare, quasi hominum salutē quærat & incolumitatem, vt suis præstigijs idolomanię impietatem & superstitiones confirmet. Sebast. Munst. Cosmogra. lib. 4. & Chron. Auent. lib. 1. fol. 63.

Templum Delphicum.

Daphida Sophista.

Daphida Sophista mordax & contentiosus, Apollinē Delphis irridendi causa consuluit, an equum inuenire posset, cum omnino nullum habuisset. Cui ex Oraculo reddita vox est, Inuenturum equum, sed vt eo perturbatus periret. Inde cum iocabundus, quasi delusa sacrarum sortium fide, reuerteretur, incidit in Regem Attalum, sæpe numero a se contumelijs dictis absentem lacessitum: eiusq; iussu, saxo, cui nomen erat Equi, præcipitatus, ad Deos vsq; cauillandos, dementis animi iusta supplicia pependit. Valer. Max. lib. 1. de Miraculis, cap. 8. Liquide hinc apparet, quæ in su-

perstitionibus confirmandis inter homines a veritate fidei alienos, Satanæ sit potentia.

Hirpia familia.

Haud procul ab vrbe Roma, in Falisorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocãtur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quo fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam lignorum struem ambulantes, non aduruntur. Plin. lib. 7. cap. 2.

Portentum in Iouis statua.

Alexandro Seuero Imperij habenas moderante, sinistra Iouis manus aurea Romæ liquefacta est. Quo portento Sacerdotes perturbati ad Imperatorem festinant, modis omnibus suadent, per lectisternia & sacrificia Deorum iram placari. Postridie, cum grata cœli affulgeret serenitas, quatuor idolorum Sacerdotes, vna cum altari & idolis fulmine icti & contriti sunt, tantusque tenebrarum horror subito ingruit, vt trepidi formidine, plerique omnes ex vrbe aufugerent. Cent. 3. cap. 14.

Spoletinorũ calamitas.

Spoletini cum sacra idolis suis facerent, eo motu terra quassata est, vt trecenti quinquaginta ex ipsis interirent. Cent. 4. cap. 3.

Helcesaitarum scelerata & maxime impia hæresis, sub Gordiano Imperatore extitit, de qua Origenes hunc ad modum scribit: Nonnulla vniuersæ Scripturæ antiquat testimonia: alijs rursum, cum ex toto vetere Testamento, tum ex Euangelio depromptis vtitur. Paulum autem Apostolum omnino reijcit. Fidem item negare indifferens quiddam esse asserit. Qui enim interiore cogitatione recte de fide sentiat, tametsi ore, cum necessitas illum eo detruserit, fidem perneget, eum tamen animo firme illi adhæsurum. Librum etiam circumferunt, quem aiunt e cœlo delapsum: & qui illum audiuerit, eiusque doctrinæ crediderit, peccatorum remissionem consecuturum, eamque diuersam esse remissionem ab illa, qua Christus Iesus remisit peccata. Euseb. lib. 6. cap. 31.

Duliani, qui ex Arrianorum secta pullularunt, Christum Dei filium Patris seruum nominarunt, hoc vsi argumento. Quod omnes creaturæ Deo, creatori suo, seruiant. Cum autem & filius Dei creatura sit, sequi inde astruebant, Patris eum seruum esse. Quæ blasphemia in Christi Deitatem & Maiestatem horrenda est. Cent. 4. cap. 5.

Macedoniani hæretici, a Macedonio, in sacrosanctam Trinitatem blasphemi, Spiritus sancti Maiestatem & Diuinam gloriam impugnabant. Cent. 4. cap. 5.

Eiusdem farinæ erant Marcelliani & Photiniani, qui sub Imperatore Constantino, & Constante, suam euomebant blasphemiam, tres in Deitate personas discretas esse negantes, & Christum non ante sæcula natum, sed solum esse hominem in tempore natum, impie astruentes. Cent. 4. cap. 5.

Audeani, qui & Antropomorphitæ, Audæum quendam Syrum noui dogmatis authorem sectantes, Deum formam habere humanam existimarunt, eumque membris circundatum humanis suspicati sunt, stulte & inconsiderate intelligentes illud: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hæresis hæc in Ægypto altas egit radices. Sub Imperio Valentis & Valentiniani. Theodor. lib. 4. cap. 9.

Donatus Afer, ex Numidia oriundus, a quo Donatistarum secta, impie ab Ecclesia Romana baptizatos, rebaptizandos esse docuit. Floruit in Africa & Iudæa, anno 353.

Encratitæ, quorum impij dogmatis author extitit Tatianus, coniugiũ damnabant, ab animantibus, quæ ἔμψυχα appellant, docebant abstinendum. Quinetiam saluti Adami hominis primum omnium conditi contradicunt. Euseb. lib. 4. cap. 27.

Metrodorus presbyter, qui erroris a Marcione inuecti fautor esse putabatur.

batur, eodem temporis momento, quo Polycarpus Smyrnæ Martyrium perpetiebatur, in ignem iniectus, migrauit e vita. Euseb. lib. 4. cap. 14.

Nestorius, impio suo dogmate, quo virginem Mariam Θεοτόκον, Deiparam esse negabat, Ecclesiam seditionibus infinitis replet. Quare ab Ecclesia exclusus, circiter extremas Thebaidis oras, in Ægypto vitæ finem miserum sortitus est, a vermibus lingua eius exesa. Euag. lib. 1. cap. 7.

Basiliscus, seditiose imperium rapiens, compluribus sibi iunctis Episcopis, in Eutychis & Dioscori sectam ab vxore impulsus, Chalcedonense concilium abrogauit, & Episcopos recte sentientes sedibus suis eiecit: sed cum biennio tyrannidem tenuisset, a Zenone Imperatore captus, & in exilium missus est, vbi cum frigore & fame morituri essent, complexi se mutuo Basiliscus & vxor, & cognati aliquot, calamitatem suam deplorauerunt. Zonaras tom. 3. Philip. Chron. lib. 3.

Iustinus. Iustinus Imperator, Anastasij successor, Chalcedonensem synodū amplexus est, & Episcopos, qui errores contra receptas synodos defendebāt, remotos ab officijs expulit in exilia. Seuero Antiocheno Episcopo linguam præcidi iussit, vt blasphemiarum pœnas daret. Chron. Philip. lib. 3. Zonaras tom. 3.

Ioannes Cimisces. Ioannes Cimisces, Orientis Imperator, cum hausisset poculum lento veneno infectum, a quodam Basilio Eunucho, cui se potentiam derogaturum fuerat interminatus, longa tabe consumptus, pœnas dedit idololatriæ. Manichæos enim ex Asia in Europam reductos collocauerat in vrbe Philippoli. Interijt cum imperasset annos 6. menses totidem. Chron. Philip. Melanch. lib. 4.

Elpidophorus. Murita. Elpidophorus a Murita Diacono sacro Baptismatis fonte lustratus, a fide Christiana defecit, acerrimusque Ecclesiæ factus est persecutor. Ad quem cum Murita ob Christianæ doctrinæ confessionem captus, adduceretur, depromptum linteum, cui cum sacro Baptismatis lauacro mundaretur, inuolutus fuisset, Elpidophoro ostendit, eumq; fœderis, quod cum Seruatore Christo per Baptismum inijsset, commonefecit, Hoc, inquiens, linteum, in extremo iudicio tuam accusabit perfidiam. Sed parui ista pendens tyrannus, Muritam vna cum alijs fidis Ecclesiæ ministris in exilium egit, qui in itinere in Arrianos incidentes, ijs prædæ & ludibrio fuerunt Victor. lib. 3. de persecut. Vandalorum.

Cabades. Cabades, Persarum Rex, filium suum Pharsuasam Manichæorum sectę inuolutum esse, animo ferens iniquissimo, omnes qui Manichęæ blasphemiæ addicti essent, in vnum locum conuocatos, militibus in ipsos immissis, trucidauit. Casp. Hed. lib. 3. cap. 10. & 15.

Almaricus. Almaricus, Rex Visigothorum, cum vxorem suam Clotildem tractaret indigne, eo, quod Arrianæ sectæ secum adhærere nollet, perimitur in Hispania a fratre Clotildis Childeberto. Sigebert.

Grimoaldus. Grimoaldus, Rex Longobardorum, Arrianorum hæresi infectus, nono die post venæ sectionem, qua vsus fuerat, columbam petiturus, sagittam eiaculatur, ex qua commotione vena rupta, vitæ finem ipsi attulit.

Poppo. Sub annum Christi 966. exorta est apud Danos in conuiuio quædam altercatio, inter clericum Popponem, & alios conuiuas, de Christo Deo, & de cæteris Dijs. Nam aliqui veram religionem, alij vero gentilem qua plures esse Deos credebant, amplectebantur. Contendebant isti, qui Ethnicæ religioni erant dediti, suos Deos longe antiquiores & potentiores esse Iesu Christo, Deo Christianorū. Hisce rixis motus Rex Daniæ Heroldus, siue Araldus, vt alij scribūt, Popponi imposuit, vt suam religionem aliquo testimonio seu miraculo probaret. Ferrum igitur magni ponderis igni calefit, ac iubetur clericus in veritatis signum id circumferre, salua & illæsa

manu: id quod ipse excellenti fide manibus suis, omnibus cum admiratione spectantibus, circumfert. Quo viso, Rex vniuersam idololatriam publice abrogat, populusq; omnis sese religioni Christianæ adiungit. Poppo autem Auruſtij creatus est Episcopus, V Vitich. lib. 3.

Eutychiani. Eutychiani, Christi hunanitatem negantes, eum phantastico more nobis in carne apparuisse, & passum esse docuerunt. Nicephorus lib. 18. cap. 48.

Pelagiani humanis viribus, & voluntati legis impletionem, iustitiam & perfectionem tribuerunt. Bed. lib. 2. cap. 29.

Priscilliani-stæ. Priscillianistæ, Patris, Filij, & Spiritus sancti vnam & eandem esse personam affirmant, Filium, antequam ex Maria natus sit, fuisse negant, nec Christum verum esse hominem, credunt, animas & Angelos ex diuina substantia suam habere originem docent, adeoque hominum animas in cœlis apud Deum pollutas fuisse, eaq; de causa detrusas in hominum corpora, Satanã non a Deo creatũ, sed ex se ipso extitisse, nec vllũ a principio fuisse bonũ Angelum, adeoq; a Satana impuras omnes creaturas esse cõditas, eiusq; opera esse tonitrua, fulgura, tẽpestates, æstum: Homines autem Satanarum viribus subiectos esse. Coniugium, humanique generis in procreanda sobole incrementum damnant, carnes & cibos vt rem pollutam execrantur. Cent. 7. cap. 5.

Paterniani. Meminit diuus Augustinus, Paternianorum, qui Venuscanorum, qui sectæ suæ Paternum quendam habuere auctorem. Isti ex inferiore parte hominem a Diabolo, ex superiore a Deo creatum esse astruebant.

Anno Imperij Mauritij decimo, Christi 593. quidam ex Biturico Galliæ, cum in nemore arborem cæderet, a muscarum agmine circundatus, totum inde biennium ameus est habitus. Cumq; fidei suæ rationem certam non haberet, tandem se Prophetam, Christianorumq; hostem profes-sus, Satana cooperante morbos curabat, futuraq; prædicebat. Vnde breui apud omnes magnam sui admirationem excitauit, & ad maiorem progressus vesaniam, se verum esse Christum iactitauit, cumq; multos suę vanitatis haberet assecias, armis suam propagare blasphemiã aggressus est. Verum occisus, cum ingressus Vellanæ vrbis terminos, Episcopo eius loci Aurelio arma minaretur, & vitæ & blasphemiæ finem pariter fecit. Greg. Turon. lib. 10. cap. 25. Henric. de Etford. cap. 45. Sigib. in Chron.

Eunomius. Eunomius, a quo Eunomiani, & corporis & animæ lepra infectus, omniumq; flagitiorum sordibus pollutus, morboq; comitiali confligtans, filium per omnia Patri dissimilem esse, nec quicquam Spiritui sancto cum Patre & Filio commune esse, blasphemo ore euomebat.

Photinus. Photinus Gallogræcus, Marcelli Episcopi Ancyrensis discipulus, Hebionis hæresin renouans, Christum aiebat iustitiæ laude insignem fuisse virum, ex Maria per naturalem viri concubitum natum. Photinum hũc Imperator Valentinianus in exilium egit. Platina sub Siricio 1.

Malchion. Sub Stephano primo huius nominis, Romano Pontifice 24. Malchion Antiochenæ Ecclesiæ sacerdos, eruditione & eloquentia insignis, acriter Christi honorem aduersus Paulum Samosatenum, Antiochenum Episcopum, propugnauit. Is enim impium Artemonis dogma confirmaturus, Ecclesiam turbabat, Christique æternam gloriam & diuinitatem negabat. Quæ impia eius doctrina in Antiocheno Concilio communibus omnium suffragijs damnata est. De totius rei controuersia prolixam Epistolam in Synodi ipsius nomine, ad fideles scripsit Malchion. Stephanus, cum & verbis & factis, multos a gentilium idololatria, ad fidem in Christum conuertisset, sub Gallieno & Decio, capite ipsi humeris auulso, Martyrio coronatus est.

Stephanus Pontifex.

Meminit Gregorius Turonensis monachi cuiusdam Burdegalensis. Iste

in Turo-

in Turonensium ciuitate Magiæ præstigijs fretus, quorumuis morborum leuationem pollicebatur, Christi nomen & gloriam sibi rapiens. Indutus erat cuculla, & veste ex pilis caprarijs contexta, vitamque sobriam foris agens, domi strenuus erat belluo. Fraude eius detecta, ex ciuitate eiectus est.

Martinus Steinbach/ Pseudospiritus sanctus.

Martinus Steinbach/ victor Selestadiensis, Spiritum sanctum se esse dictitauit incarnatum, vt Christus filius incarnatus, hæreseos suæ fundamẽtum ex Hierem. 48. cap. statuens. Cumque sibi assecias fecisset circiter 20. ex plebe, obijt, ijsdemque se post mortem appariturum, splendore luminis affirmauit. Perstiterunt illi in rustica hæresi non diu. Anno enim 1566. coram Magistratu accusati, quidam recantarunt, alij qui obstinatiores erant, relegati sunt. Orationem Dominicam corrigebant. Neque enim Patrem in cœlis esse, sed extra cœlum, quoad Martinus cœlum aperiret in die iudicij. Neque panem quotidianum hodie esse petendum, sed panem simpliciter, nulla temporis conditione. Neque orandum, Remitte, vt nos remittimus, sed Remitte, & gratiam concede remittendi. Stultã præterea & inefficacem asserebat orationem, in qua Interiectione óre teremur. Nõ secus enim hac exclamandi formula diuinam gratiam impediri, quam aurigæ Germani equorum impetum hoc Aduerbio. Ex Theatro vitæ.

EX CHRON. HÆRET. ROM. ECCL.

ADamiani, qui & Adamitæ, à primo humani generis parente id nominis sortiti, reiecto omni pudore, nudi Festa & Sacramenta celebrant: Ecclesiam suam Paradisum vocant: nuptias damnant: velamenta & coniugium peccati esse indicium & signum dicunt: Si Adamus, inquientes, non peccasset, ipsius liberi nec velamine vllo, nec nuptijs opꝰ habuissent. Multum Cynicæ impudentiæ habet hæc kakozilia.

Abeloitæ, vel Abeliani, eam in coniugio castitatem requirunt, vt absq; carnali commixtione, maritus & vxor vna viuãt. O cæcas Hypocritarum præstigias! Monachi ab omni mulierum congressu abstinentes, castitatem difficulter admodum tuentur. Quid ergo de istorum castitate pollicendum nobis, qui & noctu, & interdiu, vna cum mulieribus viuunt? Scribit de hisce diuus Augustinus, quod puerum puellamque adoptatos educare soliti sint, deinde eos connubiali vinculo coniungere, ea tamen conditione, vt nulla inter ipsos commixtio locum habeat. Hæresis hæc cum omni pugnans ratione & humanitate, paulatim interijt.

Durandus.

Durandus, anno 1340. in Arragonia in Deum blasphemus, coniugium affirmabat nihil aliud esse, quam abditam scortationem. Ab hoc errore cũ nollet desistere, in fauillas redactus perijt.

Hæresis latrocinantiũ, qui Circumcelliones dicti fuere.

Anno 370. Hæresis immanis admodum, & à latrocinio nihil differens, quorundam obsedit animos, qui mutua cæde in se ipsos grassantes, Martyrij coronam se adepturos sperabant. Multi sponte sua in ignes se coniecere, in aquas deturbarunt, ex præaltis rupibus se præcipites dedere. Adhæc in itineribus in viros, & fœminas incidentes, passim eos, quatenus viribus ipsis præstitere, trucidarunt, se gratum ea ratione Deo cultum præstare, si Martyrum augerent numerum, ex Satanica religione persuasum sibi habentes. Hos Augustinus vocat Circumcelliones.

Albigenses.

Albigenses, qui & Albiani, eodem cum Manichæis furore acti, sub pontifice Innocentio tertio, Deum alterum bonum, alterum malum statuebant. Resurrectionem negabant, omnia Sacramenta contemnebant, animas hominum, quamq; pro suo merito, vel in porcum, vel vaccã, aut serpentem, vel agricolam, aut principem transmigrare affirmabant. Tanta erant Satanicæ huius hæreseos incremẽta, vt mille ferme ciuitates veneno suo inficeret, adeoq; vniuersam Europam peruagata esset, nisi omni vi, a-

deoque ferro repressa fuisset. Tanta etiam erat vanissimorum hominum, qui huic sectæ addicti essent, vanitas, vt cũ à Christianis in ciuitate Bideris obsidione premerentur, lotio libros, in quibus Euangelica historia cõscripta esset, conspersos de muris ad Christianos abijcerent, Ecce, inquientes, legem vestram. Alij Tolosę ex fœda impietate aluum in summo tẽplo ante altare exonerabant, araeq; velaminibus coinquinatum corpꝰ detergebant. Alius vxorem altari impositam, ante Christi simulachrum stuprauit, mox simulachro brachia amputauit, funiq; alligatum per ciuitatis plateas raptauit, deinde non sine blasphemijs & execrationibus de muro suspendit. Tanta clade oppressi sunt hi Hæretici, vt eorum vltra centum millia partim cæsi, partim flammis consumpti fuerint.

Albanẽses. Eadem Albanensium vel Alborũ fuit sanctitas vel potius fœditas. Horum princeps vel sacerdos Albus sub Bonifacio nono, anno 1399. magnam hominum multitudinẽm Alpes traijciens, Italiam ingressus est: candicantibus erat indutus vestibus, ingens sanctimoniæ de ipso apud omnes erat opinio. Assectæ eius, quorum maximus erat numerus, cãdido omnes amictu erant conspicui: vbicunque eos nox opprimeret, ibi pecudum ritu citra vllum discrimen mixti concumbebant, in plateis palam cibum, qualis eis submin istrabatur, capiebant. Sacerdos turbam præcedens crucis gestabat imaginem, persuadens rudi plebeculæ, Christi simulachrum ibi hominum peccata deplorare. Cum progrederentur, laudes beatæ Virginis concinebant. Permulti & sacri ordinis & in ciuili statu præpotentes eorum sectæ se adiunxerunt.

Veritus tandem Bonifacius Pontifex, fraudem subesse, & forte Album istũ per suas superstitiones Pontificatũ affectare, aliquot cohortes in turbam hanc immisit, captusque sacerdos inter tormenta, tetra admodum flagitia confessus est, propter quæ damnatus ad rogum, iustas sceleruṁ & hypocriseos suæ pœnas luit. Chronicon Platinæ.

Agareni. Mameluchi. Agareni Mahometo adhærent, vulgo eos Mameluchos vocant, qua voce eos, qui Christianam fidem abnegarunt, accipimus. Hi æternum quidem esse Deum confitentur, Trinitatem autem Personarum negãt: Christum verum quidem esse hominem statuunt, sed verum Deum esse haud credunt, summum à Mahometo Prophetam eum esse astruunt, & à Deo in terras missum.

Carpocratæ. Carpocrates, à quo Carpocratiani, Christum solum esse hominem, naturaliq; modo ex Maria & Iosepho natũ esse asserebat, blasphemias suas euomuit circa annum Christi 214. Carpocratiani artem Magicam, palam, vt sanctam & Christianam doctrinam professi sunt. Resurrectionem vna cum lege Moysis repudiabant. Mundum non à Deo, sed nescio à quo Spiritu conditum esse tradebant.

Faustus. Faustus Manichęorum delitia amplexus, Christum nec nasci, nec mori potuisse, sed phantastico modo in terris apparuisse astruebat: veteris Testamenti Deum malum esse, adeoq; Legem, vt quæ à malo Deo proueniret, tetram & malam esse impie docebat.

Almaricus anno 1204. sub Imperio Ottonis quarti Christi in Sacramẽto præsentiam negabat, Deum æque in Ouidio atq; in Augustino loquutum temere & impie docebat: Doctrinam de resurrectione carnis, de paradiso & inferno, vt anilem fabulam irridebat. Sectatores eius, ex Episcoporum consilio, in spatiosum prope Parisios campum educti, ibi præsente Gallorũ rege, sacris exauctorati & combusti sunt. Almaricꝰ è sepulchro effossus vna crematus fuit. Acciditque, vt cum corpora eorum arderent, tãtæ vehementię tempestas oriretur, vt totum terrarum orbem concussura, & quasi loco motura videretur. In quo turbine, haud dubie impiorũ ho-

minum

minum animę, infernum, & infernales pœnas non esse anile figmentum, expertæ sunt.

Marcellum, à quo Marcelliani, de quibus in præcedentibus, Ancyræ in Galatia Episcopum, Samosateni blasphemiæ assertorem, Hierosolymis Christiani vna cum libris damnatum combusserunt.

Ophitæ serpentem coluerunt, eo quod serpenti se assimularit Seruator Christus, & per serpentem boni maliq; cognitio introducta sit: Serpētem istum impie Christum esse arbitrati. Adeoq; viuum serpentem aluere, qui à Sacerdotibus incantatus ex spelunca, in qua sub altari delitescebat, progressus, sacrificium aræ impositum sinuosi corporis sui gyro circundabat, & libabat, hinc in speluncam retrogrediebatur. Quo facto, ab ipso Christo panem consecratum esse, & stulta & impia persuasione credebant.

Aquarij sacram Domini cœnam apparantes, repudiato vini vsu calici aquam infundebant.

Pepuziani in consecratione cœnę Dominicæ sanguine vtebātur, quem ex infantibus citra noxiam vulneratis eliciebant, ex eodem sanguine libum, vel panem, ad vsum Sacramenti, conficiebant.

Tandemus, diabolicæ improbitatis impostor, contemptor Sacramentorum CHRISTI, eo inflatus erat fastu, vt calamistratus aureoque amictu splendens incederet, circiterque tria armatorum millia secum in comitatu haberet. Videbantur sibi beati, quibus liceret eum aspicere. Aquam, in qua sordes suas abluebat, eius assectæ velut rem sacram colligebant, & bibebant: cum ipse scurra esset impurus, & libidinosus, qui in conspectu parentum filias, maritorum sponsorumque vxores & sponsas stupraret. Quod illi vt sanctum & spirituale opus in eo suspiciebant. Quicquid denique patrabat, id pium & cœleste opus iudicabatur. Tandē cum magno suorum luctu à presbytero quodā occidebatur, cum vna nauigarent, capite sauciato vsque ad cerebrum, anno millesimo centesimo decimoquinto.

Theodotus, qui Christi Deitatem negabat, à dęmone, cui se crediderat, in aērem sublatus, ac derepente pręceps deiectus, misere interijt. Eusebius lib. 5. cap. 15.

Valesij seipsos castrarunt, vana moti persuasione, se hac ratione commodius Deus inseruire posse.

Auerrois homo amarulentus & capitalis Auicennæ hostis, Deum nequaquam hominum peccatis intentum esse, sceleste effutiebat. Christianosq; impie subsannabat, dicens, eos Deum suum deuorare; tetras ad hoc alias euomens calumnias, malitiosiorem aiebat Christianorum gente in terris haud degere. Post Baptismum perfide à Christianorum religione desciuit.

Auxentius Eluidij Hæretici præceptor, Episcopus Mediolanensis, Ambrosij antecessor, Arrianæ blasphemię propugnator acerrimus, totam Italiam suis præstigijs perturbauit, in Ariminensi concilio exustus. Aduersus hunc scripsit Hilarius.

Caiani, à Caiano Alexandrię Episcopo, de Iuda falso sibi persuasum habebant, quod præsciuerit quantum fructus & commodi mors Christi humano generali allatura esset, eaq; de causa Iudæis eum prodiderit. Ijdem Cainum adorant, putantes, Dei in ipso virtutem efficacem fuisse, eo quod in pugna aduersus Abelum prævaluisset. Sunt qui à Caino esse dictos autument. Horum meminit diuus Augustinus de Hæres.

Cumani in multis erroneas concepere opiniones. Sunt qui adorent, quicquid viuum mane primum conspexerint. Nonnulli vnicum confitētur Deum, sed quis ille Deus sit, ignorant. Aliqui Græcorum idolomaniæ adhærent.

Chiliastæ à millenario sic dicti, per mille annos, post mortuorum resurrectionem, Regnum Christi corporaliter in hac terra producendum, ex Apocalypseos 20. capite astruere ausi sunt. Cerinthus eiusdem erroris, de carnalibus regni Christi delitijs, fuit seminator.

Eraclitæ, ab Eraclio hæresin suam deriuantes, coniuges, necnon infantes, Regni Dei participes esse impie negantes, eos, qui Monachorum more, vitam agerent solitariam, solos numerabant beatos.

Euchitæ manuum opus omne, & laborem perinde atq; improbitatem auersantur. Itaque somno dediti, somniorum visiones & phantasias Prophetiam vocant: Sacramenta nihil ad salutem conducere blasphemo ore blaterantes, superstitiosam in suis precibus quærebant pietatem. Horum refellunt blasphemias Augustinus, Cyprianus, & Damascenus.

Michaël Seruetus Hispanus, homo vafer & malitiosus, blasphemiam Pauli Samosateni, aliorumque plurium hæreticorum doctrinam, aduersus Christi incarnationem reuocans, tum de Baptismo & Angelis docens falsa & erronea, iusto & æquo iudicio Geneuę crematus est. Anno 1553. 22. Octobris.

Hermannus Risuuick, tetrum Satanæ organum, anno 1502. horrendas disseminauit blasphemias, mundum ab æterno fuisse, nec à Deo, quemadmodum somniarit stolidus Moses, conditum: Angelos esse nullos, nec bonos nec malos: Infernum merum esse figmentum, nec post hanc vitam aliam restare: Christum rudis plebeculæ seductorem fuisse, vanissimum, qui plurimos in extremas coniecerit miserias, dum propter ineptum eius Euangelium atrocia tolerarint supplicia: Mosi nequaquam à Deo legem esse traditam affirmabat: Christianorum fidem merum esse nugamentū; nec in Biblijs quicquam præter vanissimas contineri ineptias. Hosce articulos horrendæ impietatis, & blasphemiæ plenos, ex diabolica cordis induratione constanti malitia confessus est. Quare vna cum libris suis in Hollandia est combustus.

Peregrinatio puerarum.

In Italia finitimisq; regionibus, anno 1243. admiranda oriebatur puerorum peregrinatio. Horum tenellæ ætatis ferme viginti millia, aut plures, à spectro quodam diabolico incantati, cruciq; signati imagine, certatim ad maris portus ruebant, Turcam regno exuturi, sacrumq; Christi sepulchrum recuperaturi. Quorum plurimi à pyratis capti & abducti sunt, alij alio modo perierunt, pauci ad suos reuerterunt.

Rindtfleisch / Iudæos exterminat. Iudæorum impietas & strages.

Anno 1289. Eques Francus, cui nomen Rindtfleisch / collecto exercitu expeditionem aduersus Iudæos in Germania degentes suscepit, eorumq; vltra centum millia à die Iacobi vsque ad Matthiæ festum trucidauit, eo quod Sacramentum contumelioſe tractassent.

Anno 1343. Omnes ferme Iudæi per Germaniam flammis absumpti fuere, eo quod veneno inficere fontes constituissent.

Anno 1336. in oppido Boiariæ Deckendorff / permulti cremabantur Iudæi, quod hostiam sacram confodissent, hinc in caminum ardentem proiectam super incude malleis contudissent.

Anno 1476. puer Simeon duorum annorum & sex mēsium, Tridenti à Iudęis pridie eius diei quo Christus in cruce passus est, atrociter excarnificatus, & interfectus est. Simile flagitium quinquennio post, in quodam oppido Fori Iulij Mota scelerati Iudæi perpetrarunt. Qui omnes dignas impietatis suæ luerunt pœnas.

Anno 1492. Octobris 22. Iudæus Eleasarus, cum aliquot suis complicibus, hostiam sacram maiorem, & minorem, ab impuro quodam Sacerdote emptam confodit. Propter quod scelus Iudæi vna cum Sacerdote combusti fuere.

Anno 1510. Marchio Ioachimus octo & triginta Iudæos in vincula con-

ijci, & cremari, duos autem, qui Christianam fidem amplexi, Baptismo initiati fuerant, capite plecti iussit, propter simile flagitium. Nam & illi à periuro Sacerdote emptam Sacramenti hostiam eadem cum superioribus contumelia tractarunt.

Anno 147. Iudæus crucis simulachrum, quod clam suffuratus fuerat, telo transfixit, vnde cum miraculose cruor promanaret, territus verpa simulachrum igni abolere voluit. Sed Christiani eum in facinore deprehēsum lapidibus cooperuerunt. Casp. Hed. lib. 3. cap. 26.

Anno 1529. In territorio Bosingensi, in Vngaria, puer quidam, filius carpentarij, non sine magno parentum mœrore aliquandiu desideratus, postmodum die Mercurij, qui sequitur festum Ascensionis Christi, in dumeto extra vrbem repertus est, pronus ibi, manibusque vinctus iacens. Protinus ad Magistratum mortuus, plurimisque ictibus, plagis, & vulneribus defœdatus, inde in paternas ædes deportatur. Cum autem Iudæos, quod tanti sceleris authores essent, plerique omnes suspectos haberent, Magistratus coniecturis motus: Iudæos simul omnes, senes, iuuenes, pueros in vincula coniecit. Seniores, cum grauibus examinarentur tormentis confessi sunt, quod in cella infantem interfecissent, resectisque venis omnibus, sanguinem inde calamis extraxissent, quem non sine plausu & iubilo, in Synagogam suam transportatum, breui post Synagogæ Principi in Marhek obtulissent. Præterea confessi sunt, se quadriennio ante pari atrocitate, Thirnæ in cella, Christianum excarnificatum occidisse, nec se Christiano sanguine carere posse, cum eo ad vngendos Sacerdotes suos necessario indigeant. Omnes itaque damnati, & flammis consumpti sunt, præter aliquot pueros, qui octauum, vel decimum annum nondum complessent, qui à fidelibus adoptati, in Christiana doctrina instituti, sacroque Baptismatis fonte initiati sunt. Reliqui, quorum fuere circiter triginta, vi omnes in flammas coniecti & extincti sunt. Historia hæc fusius descripta est tertio libro Iobi Fincelij. Porro quanam de causa Iudei in Christianorum sanguine disquirendo anxie adeo solliciti sint, Christianorumque pueros suffurentur, & occidant, ex ijs, quæ subnectam patebit.

Iudæi puerum excarnificatum interficiunt.

Annis ab hinc quinquaginta, Vratislauiam se contulit Iudæus quidam Ratisbonensis (qui nuncio remisso Iudaicæ incredulitati, Christianorum fidem amplexus fuerat) vt ibi stipem colligens Christianorum ope sustentaretur. Is cum Hebraicæ linguæ esset peritissimus, ad varias quæstiones dextre de Iudæorum superstitionibus, abusibus & impietate respondit. Inter cætera, cum ex eo quæreretur, cur nam tanto Christiani sanguinis desiderio tenerentur Iudæi, constanter respondit: Prorsus arcanam inter Iudæos hanc rem esse, nec cuiquam, nisi Rabinis, & quidem summis, quicquam de ea constare. Hunc autem apud ipsos eius vsum esse: Si Iudæus in ipso mortis articulo teneretur, adeoque iam animam ageret, tum à Rabinis, qui præsto sint, moribundum Christianorum sanguine inungi, in hūc ferme modum verbis additis: Si is, qui in Lege & Prophetis promissus est, vere iam apparuit, & Iesus iste crucifixus vere Messias fuit, sanguis hic innocentis hominis, qui in fide in ipsum mortuus est, te à peccatis tuis mundet, tibique, vt ad æternam vitam deducaris, sit adminiculo. Iobus Fincelius lib. 3. de miraculis.

Iudæi cur sanguinem Christianū tantopere desiderent.

Testatur Epiphanius, Iudæis Tiberiade, post Hierosolymorum deuastationem hāc fuisse consuetudinē, vt amicis suis & cognatis iam cum morte luctantibus, clam in aurem insusurrarint hæc verba: Crede in Iesum Nazarenum crucifixum, quem nostri Principes morte crucis affecerunt, iste enim veturus est, vt te iudicet in nouissimo die. Admiranda certe obstinatorum hominum cæcitas & diabolica est malitia, quod licet Christum reijcere, & negare non possint, eum tamen palam confiteri nolint.

Quare

Quare quemadmodum Satanæ, sic etiam ipsorum commercia vitanda sunt. Quemcunque puduerit mei, inquit Seruator Christus, ac meorum sermonum, in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis, vbi venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Marci 8.

HISTORIA MEMORABILIS, DE PRÆDICATORVM Bernensium fallacia, & Pseudofrancisco.

ORta est anno Christi 1509. grauis contentio inter duos Mendicantes ordines, Minorum & Prædicatorum, propter conceptionem gloriosæ virginis Matris Christi. Minores eam præuętam gratia Spiritus sancti, nũquam vel vno momento originali malo fuisse obnoxiam. Contra vero docebant Prædicatores, eam conceptam more reliquorum filiorum Adami, atque hoc priuilegium, concipi sine peccato, soli Christo reseruatũ. Quam suam sententiam fictis quibusdã Miraculis, & visionibus à se excogitatis probare nitebantur. Satanæ enim freti auxilio, iuuenem quendam viginti quatuor annorum, hominem simplicem, sartorum opificio deditum, in numerum fratrum cooptabant, quem primum inusitato strepitu, lapidũque ictu incerto misere vexabãt: Deinde diabolicis vsus spectris Supprior in fratris huius cellulam, linteo velatus candido, se insinuat, eum collo apprehensum terret, animam ad purgatorij supplicia damnatam se esse fatetur, auxilium eius implorat. Quid ergo faciendum sibi esset rogitans frater hic, vt per octiduum seipsum virgis cædat, iubetur, cædendoq; sanguinem prouocet; adhæc in sacello diui Ioannis octo missas celebrari curet: ipse interim post altare iacens, orationem Dominicam recitet, & quoties eam repetat, toties terram deosculetur. Hæc si exequatur, se ad diem Veneris, sub horam decimam, reuersurum fictitius hic spiritus pollicetur. Constituta dies cum adesset, vnus ex Monachis istis præstigiatoribus, in habitu muliebri cõram fratre hoc apparet, se sanctam esse Barbaram simulat, animam, quæ ante octiduum ei apparuisset, liberatã, Paradisi frui gaudio denunciat, adhæc Mariam virginem mox ei affuturam indicat, & de suis etiam rebus cum ipso locuturam. Et quidẽm sub noctis conticinium fictitia apparet Maria, spectris, fictitijsq;, & diabolicis instructa miraculis, eum de peccati originalis labe, qua & ipsa polluta sit, informat, & in rei huius testimonium ei offert linteum, aspersum cruore, quem ex filij sui Christi latere affluxisse affirmabat, ad hæc se donare aiebat fratres cœnobij cruce, quinque guttis sanguinis Filij sui aspersa, quam in ciborio inuẽturus sit (fraudulenter autem Monachi crucem inibi reposuerant) aliam quoque tribus guttis aspersam, se Iulio Pontifici transmissuram, vt ipse decideret controuersiam, inter duos ordines motam. Tandem clauo acuminato manum ei perforabat, id signum fore, inquiens, sanctitatis eius; tradebatq; simul vnguentum pro vulneris curatione, iniungens ei, vt vitam ageret solitariam: loquendi parcus esset: singulis diebus orandi studium per tres horas continuaret. His peractis, alijsque pluribus, euanuit Maria hæc Sãtanica. Deinde quatuor isti Monachi in nequitiam coniurati, Magicis artibus potionem quandam apparabant, quæ intra corpus sumpta, & sensum & rationem sopiebat in vniuersum omnem. Huius beneficio plenius dementatum sartorem, vt mortuum prosternebant, eiq; sensus experto, humore quodam mordicante alia quatuor, in manu altera, pedibus & latere imprimebant vulnera, vt hoc modo Saluatorẽ, vel Franciscum repræsentaret. Sartor ad sese rediens, omnis fraudis ignarus, ob miraculum seu metamorphosin ipsemet obstupuit. Rumor de nouo Saluatore, vel Francisco, per totam mox emanauit ciuitatem, & multi vndiq; nouitate rei perculsi, accurrebant, Monachorumque sanctitatem demira-

bantur.

bantur. Tãdem post innumeras fraudes accidit, vt nocte quadam Doctor Stephanus, vnus ex istis fratribus, habitu Mariæ assumpto, fratri huic sese offerret, fuisque colloquijs eo vsque digrederetur, vt ei tandem fraus subolere inciperet. Sub insequentem itaque noctem, Prior cautius fabulam hanc acturus, sub specie Mariæ dementato huic Monacho apparet, Ego sum, inquiens, Maria, mater Domini, de qua præterita nocte addubitare cœpisti. Ne ergo posthac vlla tuum animum turbet dubitatio, en accipe, quod offero tibi, corpus Filij mei. Hæc dicens, hostiam sanguine tinctam ei tradidit, præterea vasculum vitreum, sanguine item plenum, quem item affirmabat sanguinem Filij sui esse, eoque se munere ornare cœnobium. Verum ille fraudem subesse, magis magisque metuens, petebat à personata illa Maria, vt orationem Dominicam recitaret. Quod cum faceret, vocem Prioris sibi visus est agnoscere, strictoque cultro dextrum ei femur læsit. Itaq; infœlix in sua fraude protinus se inde proripuit Prior: At Subprior rem nonnihil turbatam in integrum restituturus, assumpta persona Catharinæ Senensis, fratri huic se offert, eiusq; incredulitatem vehementer increpat. Verum ille hanc quoque Catharinam eo modo à se abigit, vt ad ipsum reuerti haud concupierit. Detectas itaque fraudes suas esse, nefarij Monachi sentientes, anxie apud fratrem hunc instant, ne consilia, quibus hactenus fallaciter vsi essent, prodat, sed inceptum negotium secum ad exitum porro velit perducere. Omnibus enim id maximo fore cõmodo & emolumento. Tandem deducunt eum in sacellum beatæ virginis, vbi ex potionis virtute, quasi extra se raptus iacebat. Interim per dolosas machinationes, Doctor Stephanus post idola clam delitescens, verba ex arũdine eo modo formauit, ac si Christi simulachrum loqueretur, cui, eiusdem fraudis machinatione, Mariæ simulachrum respondebat: Quid ploras Mater mea, inquit Christus? respondit illa: Id ploro, quod causæ meæ veritas non manifestetur. Ad quæ Christi simulachrum: Crede, Mater, manifestabitur. Aderant autem vetulæ quædam, quæ protinus magna cum animi deuotione rumorem spargunt, virginem Matrem ad Prædicatores plorare. Ingẽs confluit turba, isti quoque Monachi festini accurrũt, plurimum se mirari simulantes, qui in sacellum virginis frater iste delatus sit. Ad quos ille, Spiritu se huc raptum esse, ait, nec fas esse inde se moueri, nisi quatuor ciuitatis Primores adessent, sibique sacra hostia esset porrecta. Qui citra moram accersiti aduentant, ijsque frater iste Mariam, ait, deplorare ciuitatis Bernensis interitum, qui iamiam ingruat, nisi Minores, vt impij homines, quiq; falsum ei honorem tribuerent, affirmantes quod citra labem originalis mali nata esset, exterminarentur. Ad quæ illi nihil respondernnt.

Porro, eam spem animo iam fouebant scelesti Monachi, futurũ, vt frater iste in conspectu omnium concidẽs extingueretur: qua de causa veneno infectã hostiam ei porrigere constituerãt, vt eo sublato omnis fallacia inexplorata lateret. Verum id quod erat frater suspicatus, oblatam sibi hostiam accipere recusabat. Quare aliam ei offerre coacti sunt. Quam vbi sumpsisset, ingenti cum veneratione in chorum Templi deductus est. Ab eo die omnes disquirebãt rationes quatuor Monachi, quibus fratrem ingesto ei veneno necarent. Sed ille prouidus insidias sibi paratas solicite euitat. Hinc interiectis aliquot diebus, casu quodãm eos preciosis ornatos vestibus in cœtu mulierculorum genio & libidini indulgentes deprehendit. Ibi aperte necem ei moliebantur, venenatamque hostiam vi in os ipsi ingerebant. Verum ille nauseam concipiens, per vomitum eam in scabellum eiecit, vbi cum nouo miraculo cruorem ex hostia promanare cernerent, attoniti scabellum arreptum cum hostia in ignem coniecere, protinusque tanta in cœnobio trepidatio orta est, vt de salute sua omnes de-

sperarent. Sedata paululum ea turba fratrem istum columnæ alligatum candenti ferro pungebant, vrgẽtes, vt iuramento se obstringeret, se neminí vnquam rem gestam detecturum. Cum autem ille apud fallaces latrones se vitę suę securum esse posse diffideret, tandem rem ad Senatum Bernensem retulit. Itaque Monachi isti in vincula coniecti sunt, & ab omni gradu Clericali depositi, adhibitisque tormentis examinati. Cumque suas fraudes confiterentur, & qua malitia Minoribus exitiũ machinati essent, eorumque reditus ad se pertrahere studuissent, vltimo die Maij combusti, & in cineres redacti sunt. Hanc historiam breuiter concinnatam, ideo recensui, vt inde animaduertere liceat, Monachorum fraudes circa suum Franciscum, Catharinam Senensem, Missas pro defunctis, Vigilias, spectra nocturna idolorum vel lachrymas, vel verba aliasque id genus fallacias, quibus ex Satanica malitia suam existimationem augere, impiasq; superstitiones, & idololatriam confirmare studuerunt.

DE PEREGRINATIONIBVS, RELIgionis ergo susceptis.

Annus Iubilæus.

ANno Christi millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo primo, Romæ sub Nicolao quinto, Iubilæus annus celebratus fuit. Tantaque eo hominum ex omnibus terris multitudo confluxit, vt nullus vicus, nulla platea, nullus campus turbæ capiendæ sufficeret. Cumque aliquando per pontem Adriani transirent, crucisque Christi simulachrum Pontificij præferrent, in tantas angustias ex nimia turba coarctati sunt, vt tres equi, homines autem ducenti vel vltra contriti, conculcati, & suffocati sint. Multi etiam de ponte in vndas delapsi periere, quorum centum & triginta ad sanctum Celsum sepulti sunt. Qua de re lege Platinam de Papa Nicolao Quinto. Auentinus in Chronicis Boiorum affirmat, quingentos sexaginta homines eo die, partim in vndis submersos, partim alio modo extinctos & obtritos perijsse. Hi nempe sunt fructus illi indulgẽtiarum, quas ex atroci blasphemia Pontifex occæcatis hominibus vendit, & anni Iubilæi, quem ex praua & impia cacozelia idem instituit. De Iubilæi anni institutione, vide libro quinto Chronicorum Philipp. Melanth. sub imperio VVenceslai.

Peregrinatio ad S. Michaelem.

Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, orta est idololatrica ad sanctum Michaëlem peregrinatio, eo & officij sui & obedientiæ immemores, quasi enthusiasmo quodam agitati, cateruatim currebant, filij & filiæ insciis parentibus, viri & fœminæ, tam senes, quam iuuenes, qui Michaëlis dicebantur filij; Miraculorumque præstigijs Satanas pro sua malitia multis imponebat, vt veritate oppressa superstitionum impietas confirmaretur. Casp. Goltiorum, in libro de miraculis.

PEREGRINATIO SEEFELdensis.

NE verum Cœnæ Dominicæ à Christo institutæ vsum intemeratũ Satanas relinqueret, falsa sæpenumero edidit Miracula, quibus idololatricas Pontificum Missas tetrumq; Sacramenti abusum confirmaret. Cuius rei in sequenti Historia ob oculos exemplum nobis ponitur.

Præfectus Seefeldensis eminentiore petit hostiã.

In castello Seefeld, quod quatuor milliarib. ab Oeniponte distat, præfectus eius territorij vir generis nobilitate illustris, in festo Paschatis pro cõsuetudine Papisticæ Ecclesiæ ad sacram cœnam accessurus, à parocho petijt hostiam non vulgarem, sed eminentiorem sibi, vt personæ eminentiori, porrigi. Facere id negabat parochus, docens Præfectum, impiam esse tali in re personarum discretionem. Verum fastus & violentia Præfecti

admo-

admonitionem parochi vincit. Cum ergo hostiam vulgari maiorem à parocho nobilis iste accepturus esset, hianti ore (vt perhibent) protinus obstupuit, terraque subsidens vsque ad umbilicũ inclusum eum tenuit. Territus ille diuinum implorauit auxilium, peccatum suum confessus est, & pœnitentiam pollicitus. Ex ore itaque eius hostia exempta est, quæ cum sanguine aspersa esset, magna cum veneratione in locum sacrum est reposita, Præfectusq; diuina gratia ex angustijs, in quibus constrictus tenebatur, est liberatus.

Quanquam non diffitemur, æternum Deum haudquaquam ad contẽptum verbi sui & Sacramentorum conniuere; (nec interim de huius historiæ existimatione disputamus) Attamen hoc extremæ est blasphemiæ & impietatis, quod inde peruersi sacrificuli occasionem arripuerint, ad nouas peregrinationum & idololatriæ superstitiones instituendas. Ipsemet ego puer ádhuc, vidi, quanta huc, ad videndam hanc hostiam, & peccatorum inde remissionem consequendam, multitudo confluxerit: audiui etiam horrẽdas indoctissimorum sacrificulorum conciones, vel potius blasphemias, quibus in animis rudis plebeculæ impios errores, & superstitiones stabilirent. Nec dubium, quin plurimę huius generis superstitiones, & idololatricæ præstigiæ per falsa diaboli miracula institutæ & confirmatæ sint. Quas omnes recensere præter rem fuerit, imo in libro hoc complecti haudquaquam possibile. Caspar. Goltwurm/in libro de Miraculis.

Hoc loci facere non possum, quin & alterius Historię, quæ in Chronicis Pontificum, Cæsarum & Regum varijs depicta est figuris, mentionem faciam.

Anno Christi millesimo ducẽtesimo septuagesimo octauo, Cathedram Romanam obtinente Nicolao tertio, Traiecti in ponte, quo Mosella stratus fuit, iuuenes & puellæ cum tripudio choros ducentes, Sacerdoti cum Sacramento, quod ad ægrotantem transportaturus erat, prætereunti nullum exhibuere honorem, sed diuini Sacramenti immemores, choreis omnes fuere intenti, protinusque rupto ponte ducenti ferme homines in vndas delapsi & extincti sunt. Nec ideo hæc commemoro, quod Põtificiorum circa Sacramenti depraua tionem, impietati & idololatriæ blandiri aut patrocinari velim: Sed vt ostendam, Christum verbi sui contemptum nullo modo ferre posse. Nam licet contra Christi institutum Sacramẽtum à Pontificijs mutilatum fuerit, verbis tamen Christi in porrigendo pane Sacrificuli vsi sunt, Christianique, haud aliter edocti, in eo petendo & percipiendo persæpe & consolationem, & fidei suæ confirmationem cũ magna animi deuotione quæsiuerunt.

Sacramenti contemptus punitus.

Anno millesimo quadringentesimo septuagesimosexto, ad Domũ Nicolai, qui pagus est Franconiæ, ingens hominum turba confluebat, nouum auditura Prophetam. Is erat armentarius, homo miser, iactitans beatam virginem Mariam sibi apparuisse, & mandasse, vt palam doceret populum de Clericorum flagitijs & auaritia, vetare vel tributa vel vectigalia Principibus pendere, amnes, piscationes, nemora, pascua, venationes, idq; genus alia omnia communi omnium vsui patere iuberet; & ne Episcoporum & Sacerdotum dicto sint audientes; ne decimas vel pẽsiones annuas cuiquam persoluant. Ad hunc Pseudoprophetam, hominemque vanum & fatuum ingens vndique factus est concursus, magna pecuniarum vis contribuebatur, miracula ex Satanæ præstigijs portẽtosa edebantur, multaque Christianæ fidei minus conformia inde secuta sunt. Eo enim gratior omnibus fuit noua & Satanica doctrina, quo magis Ecclesiarum iura, Principumque imperia impugnabat. Itaque in omnes finitimas oras & procul etiam dissitas fama de hoc Propheta emanauit, vndiq; innumeræ hominum cateruæ aduolabant; multi in genua procidentes eum adora-

Peregrinatio ad domũ Nicolai. Armentarius Pseudopropheta.

bant, vestes eius vt rem admirandæ sanctitatis attingerent, easq; ad se rapere contenderūt: noctu circum pagum in agris, pratis & nemoribus gregatim, & non sine fœda confusione cubabant. Tandem Episcopus Heribopolensis comprehensum hunc Prophetam, cognita eius fallacia & mendacijs, cremauit, finemq; stolidæ peregrinationi imposuit. Chronicon Hedionis quarta parte.

Peregrinatio ad S. Mariam Ratisbonensem.

Anno Christi millesimo quingentesimo decimosexto, Ratisbonæ Iudæorum Synagoga vicinisque aliquot ædificijs dirutis, in eorum locū extruebatur templū in honorem sanctæ Mariæ, quod cum visitassent aliqui morbis grauati, sanitati suæ restituti sūt. Qui rumor simulatq; emanauit, ex varijs regionibus, prodigioso more, dementati, œstroque Satanico perciti homines huc agminatim aduolabant. Vidisses ibi viros, fœminas, seruos, ancillas, pueros, & cibi & vestimentorum immemores, arreptis armis, quæ fortuna offerebat, vel mulctrali, vel falce, aut bicorni furca, aut rastro, anhelantes accurrere, nec vel salutationi in itinere nec respirationi vacare, sæpiusque vnico die aliquot millia portentosa festinatione accurrere. Magna vis argenti, magna auri offerebatur, cereorum, aliorumq; munerum numerus erat immensus. Quotidie tot celebrabantur Missæ, vt sacrificium sacrificus truderet. Complures varijs pressi morbis adducebātur, qui sanitatem recuperabant, aliaque inusitata edebantur miracula. Multi cum templum ingressi essent, conspecto Mariæ simulachro, quasi extra se rapti omnisque sensus expertes, humi procumbebant. Durauit Satanica hæc effascinatio in septimum fere annum, vxores à maritis, liberos a parentibus obedientiæ à Deo mādatæ oblitos auellens. Talis fuit peregrinatio ad viridem vallem, ad diuum Iacobum, ad S. VVolffgangum, aliæque complures Romam versus. Diabolicæ hæ fraudes postquam veritas Euangelij illuxit, inter nos detectæ sunt, & ex diuina gratia euanuerunt.

Fœmina sterilis alias circumeunt nuda. Indulgētia.

Alicubi in Germania (locum honoris ergo reticeo) ab impijs sacrificulis persuadebantur fœminæ, quæ essent steriles, vt nudæ vlnis agnum tenellum gestantes aram circuirent. Qua in re scelerati illi Sacerdotes, intra cancellos interim latentes, impudicos oculos pascere satagebant.

Sacrificulus quidam Pontificius Indulgentias vendens, impudenter in concione vociferabatur, neminem eo anno pestilentia morituru esse, qui sacra ossa, quæ offerat, osculaturus sit. Accurrit multitudo ad osculum veneratione, cum numulis. Princeps istius regionis ægre ferens histrionis impudentiam, cum ad se accersit, impudensque eius mendacium obiurgat. Qui respondet, se nihil mentitum esse, quia osculum præberetur nō ossibus, sed vitro. Quam scelerati hominis Sophisticen execratus Princeps, mandat ei, vt protinus è suæ ditionis finibus excedat, si supplicium velit euitare.

Palmaris asinus.

Cracouiæ in Polonia legatos suos aliquando Turca habuit, qui eum in Dominica Palmarum Christianorum ceremonias contemplaturi, vidissent Sacrificos ritu Papistico, coram palmari Asino procumbere, eumque adorare, sublatis manibus vociferati sunt: O tetram impietatem, Siccine Asinum brutam bestiam adorari?

Simulachra χύτρόμαλα

Cum Isenaci vna cum Martino Luthero essent viri aliquot eruditione & pietate præstantes, oblatum est ipsis simulachrum Mariæ, puerum Iesum vlnarum complexu gestantis, eo artificio constructū, vt a Monacho post altare clam delitescente facili motu regeretur, vt munera offerenti, capite vna cum puerulo annuens, beneuolentiæ signum ostenderet; rursus ei qui vacuus accederet, capite auerso offensionis signū præberet. Huiusmodi idola, per quæ Monachi & Sacrificuli vel loqui, vel lachrymas effundere potuerūt, aut ficta vel gratię vel offensę indicia ostēdere, in cœno

bijs, &

bijs, & ijs locis, ad quæ ex falsa religione populus frequens accurrit, fuere plurima, quę seductioni simpliciorū & cōfirmādę idolomanię inseruierūt.

DE RELIQVIIS SANCTORVM.

IMperator Ludouicus Ecclesiam Aulicensem (nunc Eltze) in Orientali Saxonia, à patre suo Carolo Magno inchoatam, perficere constituerat. Motus autem prodigioso quodam miraculo consilium mutauit, templique ædificationem Hildesheimium transtulit. Nam cum aliquando venisset deditus, in nemore Missam celebrari iussit. Vbi Sacrificulus Sanctorum reliquias, quas secum receperat, beatæ virginis lac, vel crines, vt fabulantur, ex arbore suspendit, quibus ex oblitione ibi relictis, cum Imperatore in templum Aulicense reuersus est, vbi altare, præsente Imperatore, erigendum erat. Ibi reliquiarum recordatus, festino cursu in nemus se contulit, & sacras quidem reliquias eo in loco, vbi eas suspenderat, illęsas inuenit, sed ab arbore nulla vi aut ratione auellere potuit. Quod miraculum Imperatori protinus retulit, qui in beatæ virginis honorem iuxta arborem istam sacellum extrui præcepit, templique Aulicensis, cuius fundamenta à Carolo Magno iacta fuerant, structuram Hildesheimium transtulit.

Reliquiæ diuæ Mariæ.

Hildesheimensis Ecclesiæ fundamenta.

Albertus Krantz lib. 2. cap. 26. Varijs sane & admirandis modis idolomaniam, superstitiosumque ad diuos concursum, extruendis passim templis atque sacellis Satanas confirmare est solitus. Idcirco vnicuique liberum erit circa huiuscemodi historias iudicium.

Gregorius V I. sancti Ioannis ad portam Latinā Archipresbyter, Pontificatum à Benedicto Nono accepit. Has ob res Henricus secundus in Italiam cum magno exercitu veniens, habita synodo, cum Benedictum Nonum, Syluestrum Tertium, Gregorium Sextum, tanquam tria teterrima monstra, abdicare se Magistratu coēgisset, Suidegerum Bambergēsem Episcopum, cui Clementi secundo appellatio fuit, Pontificem creat. Gilbertus tamen historiarum scriptor affirmat, Gregorium bene de Ecclesia Dei meritum esse, cum sedis Apostolicæ dignitatem, negligentia priorum Pontificum labefactatam, sua authoritate & animi magnitudine, breui restituerit. Nam & ditionem Ecclesiæ recuperauit, & latrones circa vrbem positos, quorum sæuitia peregrini, ad vrbem religionis causa accedentes, necabantur, è medio sustulit, prius execrationibus, & interdictis admonitos, deinde vi & armis domitos. Hanc ob rem ferunt, à pernicioſis hominibus vulgo homicidam, Simoniacum, & sanguinis humani appetentissimum habitum, idque à Cardinalibus etiam quibusdam prædicari solitum. Motum itaque Gregorium ipsum in ea ægritudine, qua postea moritur, Cardinales ad se vocatos verbis castigasse exprobrātem, quod iuste & sancte quicquid feciſſet, ipsi liuore moti reprehenderent, & vt, inquit, scire possitis, vbi mortuus fuero, recte an perperam fecerim, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite vectibus obseratas: si diuino motu aperientur, censetote me dignum Christiana sepultura: sin secus, corpus meum vna cum anima damnatum, quo volueritis, eijcitote. Fecere mandata Cardinales, portæq; coorto graui vento apertæ sunt, & corpus cum admiratione omnium, & opinione magnę sanctitatis intro latum est. Hęc fere sunt, quæ à varijs auctoribus de Gregorio scribuntur, quem quidem constat in Pontificatu sedisse annis duobus, mensibus septem durante schismate. Nam ventus iste, qui fores vectibus obseratas aperuit, an diuinus fuerit, alij iudicent. Certe diabolo inter hypocritas miraculis ludere difficile non est.

Gregorij VI. cadauer quomodo in templo sepeliri meruerit.

Leo tertius Pontifex nonagesimus octauus, cum seditionibus semper vexaretur, ab vrbe discedens Mantuam proficiscitur, ad visendum Christi sangui-

Sanguinem Christi Matua offendent.

sanguinem, qui tum miraculis magno in pretio erat. Is autem a Mantuanis perbenigne susceptus approbato Christi sanguine, ob frequentia miracula, ad Carolum proficiscitur, vt hominem cognoscendæ veritatis cupidum, eius rei certiorem faceret, &c. Platina, de vitis Pontificum. Sãguinem Christi fuisse prestigiatores mentiti sunt, propter miracula edita. Sed quæ miracula ista fuerint, eodem, quo sanguinem istum, vnde acceperint, silentio occultant.

QVOMODO TRIVM REGVM RELIQVIÆ COLONIAM AD RHENVM SINT TRANSLATÆ.

GRaui obsidione Mediolanum premebat Fridericus Barbarossa anno 1168. Tandem fame vrgente, Imperatori se dedere, pacisque conditiones susc ipere parati erant ciues, quatenus certa vitæ spes fieret. Securitatem ciuibus pollicetur Imperator, sed pacto huic eximit primarium quẽdam ciuem, quem reliquis auctorem fuisse rebellionis cognouerat. Istum enim seuerius vindicare constituerat. Porro ciui isti soror erat Abbatissa eius Ecclesiæ, in qua sepulta iacebant Magorũ, quos tres Reges vulgo nominant, corpora. Et de fratris sui periculo anxia, cum Reinholdo Archiepiscopo Colonienſi paciscitur, se trium Magorum corpora ipsi donaturam, si eius intercessione vitam fratris sui ab Imperatore redimere possit. Conscius sibi erat Episcopus iracundiæ vehementissimæ, qua aduersus virum hunc Imperator inflammabatur. Itaque rem astu aggressus, ab Imperatore sibi donari petit, quicquid Abbatissa in tergo suo ex vrbe asportatura sit. Imperator ignorans quorsum ista Episcopi petitio tẽderet, eum voti sui compotem facit. Ibi Abbatissa, quibus poterat viribus, fratrem sum humeris impositum ex vrbe asportat. Quo viso Imperator indignabundus, Sua verba, ait, neutiquam isti viro, quem Abbatissa auferret, salutem promisisse. Verum instat apud Imperatorem Episcopus, ne verborum, quæ semel protulisset, fidem irritam esse velit, impetratque vt illi vita donaretur, cui mortem iurarat Imperator, & hac ratione trib. Magorum corporibus potitus, ea vt venerãdas Sanctorum reliquias Coloniam transtulit, anno 1165. Chron. Alberti Krantz. libro sexto, capite vigesimo quarto.

Reinholdi Episcopi Colonienſis strategema.

Num vera ista Magorum corpora fuerint, nullis adhuc testimonijs cõfirmatum est. Inprimis autem elegans hoc est exemplum de amore sororis erga fratrem suum, quod etiam ad quintum & sextum præceptum inter exempla charitatis, & fidei mulierum referri potest.

Episcopus quidam iactitauit flammam de rubo Mosi. Forte gloriatus fuit sibi esse torrem, aut carbones de rubo isto, qui consumptus non fuit in monte Horeb. Exod. 3.

Aniles de reliquijs nugæ.

Alius quidam gloriatus est, sibi pennam esse de ala Michaëlis.

In Hispania ostentatur vexillum, quo Christus in inferno vsus est.

De qua mendaciorum vanitate mentionem fieri cum audiret comes quidam, Alicubi, aiebat, vt rem sanctam, ostentari matulam, qua vndecim millia virginum vsæ essent.

Itali Germanorum simplicitatem ludibrio habent, & subsannant. Accidit aliquando vt sacerdoti Italo Germanus peccata sua confiteretur, quem ille falsæ admodum hunc in modum irrisit: Inprimis sanctum, ait, apud se latere thesaurum, quo vniuersæ Germaniæ, si eo deportaretur, salus & fœlicitas posset obtingere. Quod si sanctæ huius rei sibi promittat silentium, quãdiu Romæ & in Italia degat, se thesauro isto incomparabili eum donaturum. Protinus alter iureiurando se obstringit, se rem in Italia nusquam propalaturũ. Itaq; ei communicat Sacerdos pedem asini sindoni accurate inuolutum, affirmans, reliquias esse de asino isto, cui Christus

inse-

insedissēt, reseruatas. Munus alter cum magna veneratione susceptum exosculatur, beatum se iudicans, qui tali thesauro Germaniam ornaturus sit. Cum iam Alpes attigissēt, gloriabundus preciosas de sancto Asino reliquias inter comites suos ostentare cœpit, mox alij tres de simili thesauro gloriari cœperunt: nec mora vlla, quin eum cum magna veneratione depromerent, & quo obstricti iuramento eum à Sacerdote acceperint, referrent. Quid verbis opus? Sibi omnes pariter fœlices ob hunc thesaurum videbantur. Quæ cum audiret quintus, qui aderat, itidem à Sacerdote Italo asini pede donatus; Ergone, inquit, asino isti quinque fuere pedes? Ex Colloquijs Mart. Lutheri.

Simulachrū Christi crucifixi in Anglia.

Kandelburgi in Anglia, Christi crucifixi simulachrum ostentarunt monachi, eo apparatum artificio, vt vultum nutabundum erga adorantes exhiberet. Certo quoq; tempore aqua feruida à Monachis in simulachrum hoc infundebatur, quod deinde guttatim per oculos & pedes destillabat, quam superstitiosi & excæcati homines vt sanctam & salutarem aquam anxie collegerunt. Hanc fraudem vbi Rex, instituta visitatione, cognouit, simulachrum cum ludibrio per vrbis plateas raptatum confregit. Ad hæc D. Martinus Lutherus intulit, simulachrum istud in gratiam posterorum reseruandum fuisse. Id quod factum sit à Principe, Electore Saxoniæ, qui vt monumentum fraudis Monachorum, reposuerit simulachrum virginis Mariæ, puerum Iesum vlnis gestantis, quod ea fraude formatum erat, vt ab adorantibus ad matrem puer se conuerteret, manibusq; extensis moneret, apud eam quærendam esse salutem. Omnibus gratæ sunt præstigiæ. Idcirco varijs artibus homines irrisere blasphemi Monachi, iam sacrum Christi sanguinem, iam Spiritus sancti, diui Antonij, Ruperti, Valentini apparitionem iactitantes, nec vllæ nugæ adeo absurdæ vel ineptæ fuerūt, vt ab ijs pudore aliquo suffusi abhorrerent. De lacte Mariæ virginis hunc in modum quidam conuionari non est veritus, quod eum lactaret infantulum, is aliquando commotus, à matre se auerterit; lac interim virgineū emanans, cochleari exceptum fuisse. Romæ persuasum habent, tres fontium scaturigines ortas esse ex saltu capitis Pauli, cum decollaretur. His Satanicis mendacijs deceptus mundus, neglectis Christi & Apostolorum præceptis, absurdas & aniles Monachorum fabulas deuota mente amplexus est.

Simulachrum virginis Mariæ.

Lac Mariæ virginis. Tres fontiū scaturigines ex saltu capitis Pauli.

DE MAHOMETE, SARRACENORVM PSEVDOpropheta, eius origine & peruersitate.

VTile est, Christianis notas esse Turcarum & Mahometis Pseudoprophetæ, quem illi vt Deum colunt, horrendas blasphemias, fœdamque fanatici hominis originem, vitam, & interitum, vt eius execrandam impietatem eo maiore studio fugiamus, ardentioresque ad Deum æternum Patrē Domini nostri Iesu Christi preces fundamus, vt eius blasphemiam confundat, Turcarumque Tyrannidem reprimat; vtque ipsius nomen inter nos sanctificetur, & Christi regnum augeatur, fœliciterque per orbem terrarum verbum eius propagetur. Itaq; quanta possumus breuitate, historiam de Mahomet subijciemus.

Mahomet obscuro natus est genere, in pago Arabiæ Ytarip, patre Abdala Arabe, matre Aarabe Iudæa, anno 597. vigesimo tertio Aprilis. Natalem hunc Dei & Prophetæ sui quotannis religiose per septem dies continuos Turcæ celebrant. Patri eius Abdalæ magna intercedebat familiaritas cum Iudæo quodam Astronomo, qui se ex astris cognouisse affirmabat, infantem natum magnum fore & Imperio, & legis scientia. Quod haud dubie ex Satanico inflatu protulit. Nam & Arabes & Afri tum temporis fluctuantes animis & consilijs, cuinam religioni sese addicerent, dubitabant,

bitabant cum hos Christianorum, illos Iudæorum fidei, rursus alios Arrianorum sectæ deditos esse animaduerterent. Quo tum nihil optatius Satanæ accidere potuit. Cum quatuor annos natus esset Mahomet, Iudæus, cuius paulo ante meminimus, portentoso mendacio insolens, per visionem sibi apparuisse duos Angelos aiebat, qui Mahometis cor exectum dissecuerint, massamq; inde sanguinis exemerint, deinde munda aqua cor ablutum, in alteram libræ lancem imposuerint, in alteram alia eiusdem gentis corda decem, & rursus alia mille, lancem autem illam, in qua eor Mahometis impositum fuisset, tantum propendisse, vt alterius lancis pondus exile visum fuerit. Eaque de causa Angelos dixisse, quod cordi Mahometis omnia alia per vniuersam Arabiam cessura sint.

Educatio Mahometis.

Post vtriusq; parentis obitum, patruus eius Abutalip, Iudæo huic erudiendum Mahometem tradidit, à quo & Iudæorum, & Christianorum legem edoctus fuit. Vsus quoque est magistro Sergio, Nestorianæ impietatis assertore: Præterea Ioanne quodam nefario hæretico, quorum vsus consuetudine, non tam discere, quam deprauare studuit nouum & vetus testamentum.

Captus deinde est à Sarracenis, qui insignes habebãtur inter Arabas latrociniis, vẽditusq; mercatori Ismaelitici generis, quo sine liberis defuncto, viduam eius, locupletem admodum, vxorem duxit. Vxoris opib. elatus, homo nefarius ad immanissima quæq; flagitia animum adiecit, suisq; præstigijs, & Sergij Monachi flagitiosi perfidia effecit, vt breui apud Arabas maximus Dei nuncius, maximusq; Propheta passim vocaretur & crederetur. Nam cum Heraclij tyrannidem, præfectorumq; non tolerandam auaritiam, Persæ, Arabes, Chaldæi iniquissimo ferrẽt animo: Arrepta inde Mahometes occasione, ducẽ protinus seditiosæ turbæ se obtulit, diuinitus se ipsis missum esse, gloriatus, vt & in libertatẽ eos asserret, cœlestisq; Patris voluntatem ipsis reuelaret. adeoq; tum Christianorum, tum Iudæorũ legem mitigaret. Adhæc nouo dolo, fictis miraculis, auctoritatem suam apud stupidam plebem auxit.

Columbam, quam Spiritum sanctum vocabat, assuefecit in aure sua pasci. Hanc sibi secretissima Dei consilia nunciare iactitabat, quoties ad aures nutrimentum quæsitura, auis simplex volitaret. Præterea taurum nutriuit, quem assuefecit, vt & ipsius vocem agnosceret, & ex ipsius nęc vllius alterius, manibus pabulum caperet. Huic intra cornua librum, cui nomen Alcoranus, in quo nouæ sectæ Leges conscripserat, alligauit, & cõstituto die, cum de suis legibus, in maxima populi frequentia, multa declamasset, erupit subito taurus, multisq; in itinere prostratis, volumen per mediam turbam in manus Mahometi deponit, veluti cœlitus missum munus. Mox & columba aduolat, literis aureis schedam sic inscriptam in collo suo afferens: Quicunq; tauro iugum imponet, Rex esto. Sergius itaque iugum afferens, Mahometi tradidit, qui tauro illud facile imposuit. Hoc commento se Regem, Sergium Prophetam fecit. Lege sua promulgata, terram eodem in loco effodi iubebat, & inueniebantur vasa, quæ antea impostor ibi absconderat, quædam auri, quædam vero mellis, alia lactis plena. Quo commento maximam omnium rerum copiam pollicebatur, quam adepturi essent, quicunq; Legi suæ firmiter adhærerent.

Mahometes ex duce la tronum Rex constituitur.

Alcoranus Mahometis.

Docet autem in Alcorano suo, vnum esse Deum, Trinitatem calumniatur. Christum ait meram fuisse creaturam, omniũ tamen hominum post Mahometem sanctissimum, aduentum quoq; suum a Christo prędictum esse mentitur. Sibi datum esse, ait, ad dextrã Dei sedere, Christum autem sedere ad pedes Dei. Christum à Iudæis crucifixum esse negat, Iudam autem loco eius mortem sustinuisse ait. Diabolis, si Alcoranum suscipiant, salutem pollicetur. Corpus frequenter ablui in remissionem peccatorum

præcipit.

præcipit. Fœlicitatem Paradisi, post hanc vitam, prorsus in carnalibus statuit voluptatibus, in exquisitissimis epularum lautitijs, Venereisque amplexibus. In hac quoque vita polygamiam concedit, & sinit fieri diuortia priuato arbitrio, sine cognitione iudicum, & sine manifesta causa.

Cum itaque hac superstitione suos dementasset, sibique Arabas & Sarracenos conciliasset, quibus Romanorum principum tyrannis inuisa erat, rem vniuerso humano generi pernicioſam aggressus, maximũ facile Imperium constituit. Nec disputandum est, quare sinat Deus tantam multitudinem tam horribiliter decipi, & perire, & quare blasphemos occupare summa Imperia sinat: Sed dolendum est potius, tantam esse potentiam diabolorum, & tantam miseriam, & malitiam generis humani.

Comitiali morbo conflictatur Mahomet.

Conflictabatur impostor hic morbo comitiali, à quo cum frequenter, & coram cõiugibus suis, quas habebat quindecim, præter innumerã concubinarum turbam, corriperetur, morbum esse dissimulat, & Gabrielis cubinarum turbam, corriperetur, morbum esse dissimulat, & Gabrielis nuncij Dei, à quo in ecstasi positus, secretiora percipiat, splendorem sese minime ferre posse mentitur.

Libidinum turpitudo.

Fertur inter alia de hoc veteratore, quod aliquando mula vectus in honestam inciderit matronam, cui cum turpiter commiscere vellet, eaq; sui copiam ipsi negaret, protinus mulam suam non absque nefaria fœditate inijt, & conuersus ad comites suos ait, Ingens à muliere ista peccatum esse admissum: in fatis enim fuisse, vt sanctus ex ipsa nasceretur Propheta. Qua de causa & hodiernum in diem Sarracenæ mulieres, fœminę huius inobedientiam deplorant. Palam etiam gloriatus est fœdissimus seductor, sibi a Deo quadraginta virorum circa rem Veneream concessas esse vires, sueq; libidini & homines, & cætera animantia subiacere. Et quidem beatas se fœminæ censebant, quibus contigisset cum scelarato isto adultero concubere. Persuasum enim habebant, sanctissimorum Prophetarum sese fore matres.

Mors eius talis fuisse perhibetur: Gloriatus se tertio die resurrecturum, corpus suum humo tegi vetuerat. Itaque vnus ex discipulis eius Albunor, veritatem & doctrinę & vaticiniorum probaturus, clam ei venenum propinauit, quo hausto, toto corpore tumefactus interijt. Asserunt alij, ratione & sensibus destitutum, atrociterque morbo comitiali per quatuordecim dierum spacium vexatum, impiam efflasse animam. Porro non tantum per triduum, sed per duodecim dies eum discipuli eius insepultum reliquere. Sed cum nulla inde Resurrectio, sed fœtor intolerabilis sequeretur, tandem eum sepelire coacti sunt, & se turpiter deceptos esse, re ipsa didicere. Vnde plerique omnes à doctrina eius defecere. Exactis enim duodecim diebus, Albunor corpus à canibus discerptum offendit, ossaq; reliqua collegit, & in vrnam conclusa sepelijt.

Templum Mahometi.

Mahometi Caliphas succesſit, qui promulgata lege pœnaque constituta capitali, omnes ad Mahometis legem reuocauit. Extruxit quoque insigne templum in ciuitate Persidis Mecha, magnetibus inter laquearia sic coaptatum, vt eorum vi ferrea arca, in qua Mahometis ossa recondita fuerant, in sublime sublata, & diuina virtute in aere hærere, cum rudis populi admiratione, videretur. Quæ sane persuasio altissimas in Turcarum animis radices egit, donec anno 1470. fulmine magna pars templi dissiceretur, adeoq; camera ista vna cum ferreo conditorio in terram demergeretur. Author est Ludouicus Vartamannus, templum, aram, sepulchrum, iuxta priorem faciem omnia denuo instaurata esse, innumerosque ibi lychnos suspensos ardere, & quotannis magna cum religione à Turcis ecclesiam hoc frequentari. Nempe errorum tenebris excæcata corda, mendacium, neglecta veritate, amplectuntur. Nec sane miranda hæc videri possunt, si in animum reuocauerimus, quãta peregrinationum, & idolorum

vanitate, sub Pontificatu nobis impositum fuerit. Nam vbi veritas verbi amissa fuerit, ibi nihil tam absurdum, nihil tam inconditum esse potest, quod non Satanicis præstigijs ornari, summæque sanctitatis habitu circumagi possit.

DE CVLTORIBVS SATANÆ.

VEre dictum est: Primus in orbe Deos fecit timor. Nemo enim hominū adeo effrænis & indomitus est, quin pressus ærumnis & calamitatibus ad Deum confugiat. Verū si expers diuinæ veritatis nesciat, quomodo per Christum in vera fide ad Deum accedendum sit, sibi ipsi, ex suorum affectuū natura, & Satanæ impulsu varijs modis Deū disquirit. Quæ causa est, quod excæcati gētiles, Solem, Lunam, Stellas, Planetas (ne dicam de brutis animalibus, arboribus, Elementis, alijsq; id genus pluribus) imo Satanam ipsum, tartareum draconem venerati sunt & adorarunt. Cuius rei exempla pauca subnectemus.

Indi Cacodæmonem colentes.

Rex Narsingæ & Rex Calechut, amplissimarum regionum obtinentes imperium, opibusque affluentes maximis, incolæ item reliquarum Indiæ regionum Cauul, Dabuli, Bathacala, Onor, Mangolor, Cōnonor, Cucinco, Caicoliri, Colon. Hi Deum esse vnicum, cœli terræq; creatorem non diffitentur, vitam etiam aliam, post hanc restare firmiter credunt. Sed negotium iudicandi orbis Cacodæmoni à Deo delegatum esse aiunt, eique factam potestatem, tribuendi cuique, pro benefactis & malefactis, mercedem emeritam. Huic Deumo nomen indiderunt. Deum vero maximum Tamerani appellant. Deumi imaginem Rex in sacello sedentem habet. Caput eius diademate, in morem Romanorum Pontificum, redimitum est. Sed in eo differt, quod diadema ternis insignitur cornibus. Fulciunt item dæmonis caput quaterna cornua, oreque vastissimo hians, dentes ostentat quaternos, naso est deformi, toruis trucibusque oculis, vultu minaci, aduncas manus vncini instar habet, pedes gallo hand absimiles. Sacellum ambiunt picti dæmones, & in quolibet angulo sedens ex ære conspicitur Satanas, ita fabrefactus, vt vndiquaque flammescere videatur, absumentibus animas terrifico modo flammis. Dæmon dextra animam ori admouet, sinistra ex inferiore loco aliam corripit.

Summo diluculo quotidie Sacerdotes, qui Bramini dicuntur, idolum odorifero latice emaculant, suffiuntque varijs odoramentis, procumbentesque adorant. Sanguinem Galli singulis hebdomadibus ei offerunt. Nec vescitur vllis dapibus Rex, nisi à quaternis Sacerdotibus idolo fuerint oblatæ. Viri nobiles & Negotiatores, vxores inuicē in signum amicitiæ permutare solent. Rex thorum non init, nisi nouam eius nuptam, qui dignior est è Sacerdotibus, deuirginarit. Omnisq; eorum vita diabolicæ abominationis plena est. Sementem facturi (est autem solius Orizæ apud ipsos prouentus (decem vel duodecim adhibent histriones, qui moribus formidandis, habituque terrifico quandam quasi tragœdiam agunt, persuasum habentes, se hoc modo dæmonis gratiam promereri, vt eo maior frumenti sui vbertas inde existat. Eodem modo ægrotos suos inuisunt, flammas in os ingerunt, manibusque iactitant, horrendoque strepitu tumultuantur, fauorem hoc modo dæmonis conciliaturi, vt vel ab ægroto morbum pellat, vel expeditiorem animæ exitum concedat. Vitam agunt in omnibus impiam, seduloque cauent, ne Satanam offendant, quem vbi offensum animaduerterint, proprios etiam liberos ipsi immolant. Sebastianus Munsterus.

DE LYCAONIBVS ET PILAPPIIS, EX *Caſparo Peucero.*

VISA ſunt & nobis fabuloſa eſſe, & ridicula, quæ de hac metamorphoſi hominum migrantium in figuram luporum ſæpe narrari audiuimus: ſed non prorſus fictitia & falſa eſſe, de certis & exploratis indicationibus teſtium axiopiſton comperimus, qui accidere tale aliquid proximis a die natali duodecim diebus annuatim per Liuoniam & vicinas regiones, certo cognouerunt ex confeſſionibus plurimorum, qui ex numero illo propter ſcelera comprehenſi, & tormentis examinati fuerunt. Sunt autem Liuonienſium pars Neutri in extrema ora regionis proxime Roxolanos, vocanturque veteri vocabulo NERVI. Liuonienſes Igilliones ſunt Ptolomæo, his propinqui Sudini, & Ganildæ, vbi hodie Curorum regio. Rem ita geri narrāt: Ineuntibus diebus, qui proximi natalem Domini ſequuntur, circumit puer, altero pede claudus, qui illa Diaboli manicipia, quorum ingens eſt numerus, conuocat, & ſequi iubet, quod ſi ceſſant, aut cunctantur, mox alius vir procerus, flagello ex loris ferreis, ijsque flexilibus connexo perpulſos cogit vt procedant propere. Is cædere miſeros adeo grauiter dicitur, vt multo tempore veſtigia ex vibicibus reliqua, cum magni doloris ſenſu corpora vellicent. Quam primum autem accinguntur ad ſequendum, mox exui priore ſpecie, & lupina indui videntur. Conueniunt aliquot millia. Præit dux cum flagello ferreo: ſequitur agmen eorum, qui ſe luporum ſpecie circūdatos falſa perſuaſione credunt. Educti in obuia pecora irruunt mordicus, & apprehenſa dilacerant: rapiunt quæ poſſunt, dant & alia damna. Sed homines attingere, aut lædere, non illis fas eſt. Ad flumina vbi acceſſerunt, dux flagelli ictu aquas findit, vt dehiſcere & diſcedere videantur, relicto ſicco tramite, quo tranſeant. Exactis diebus duodecim, diſſipatur agmen rurſus: & ad ſe quiſque, depoſita lupi, & recepta hominis ſpecie, reuertitur. Mutationis rationem talem eſſe aiunt: Qui mutantur, conuerſione momentanea concidunt ſubito, vt qui morbo attonito corripiuntur, & iacent exanimis ſimiles, ac ſenſu carentibus, & vita. Non abeunt autem, nec loco mouentur collapſi, neque ita iacentes vlla veſtiuntur ſpecie luporum, ſed cadaueri ſimiles euadunt, & reliquæ in ipſis vitæ ſigna euidentia nulla præbent. Inde perſuaſio nata, eductas e corporibus animas in efficta luporum forma phaſmata immitti, & inde, vbi peractum hoc eſt, quod Diabolus inſtituit, remitti in corpora, quod cum fit, vitam illos recuperare. Confirmant hanc perſuaſionem Lukaones ipſi, qui fatentur, non detrahi corporibus figuram humanam, neque accommodari lupinam, ſed impelli animas tantum, vt egreſſæ ex ſuis carceribus, in lupina corpora inuolent, & ab ijſdem certo ac præſtituto tempore circumferātur. Auditi ſunt, qui ſe ex vinculis lupi forma ad ſuos longis itineribus profectos commemorarunt. Hi interrogati, Qui potuerint clauſo carcere, & cur redierint, & quomodo latiſſima & profundiſſima flumina tranarint. Reſpōderunt, euaſiſſe ſe, nihil impedientibus clauſtis, & redijſſe coactos, & flumina volatu ſe traijcere, terra currere. In collegium Lukanthropon pertrahi dicūtur, qui cum his verſantur crebro, & compotant. Infici enim conſuetudine horum, & compotationibus creduntur. Et quanquam crebro hoc modo afficiuntur, vt videantur fieri lupi, nunquam tamen in vnum colliguntur agmen, niſi ijs diebus, quibus dixi. Talibus luſibus delectatur Diabolus, vt miſera illa, & DEI ignara mancipia ſua excruciet etiam in hac vita ſupplicijs, torturis, excarnificatione corporum, & modis alijs. Plurimi enim propter ea, quæ ſe luporum ſpecie inferre credunt damna alijs, afficiuntur pœnis publicis. Nec miremur has Diaboli præſtigias & machinationes, cum tetriora multo, &

quæ minus vero consona videntur, exerceat & perficiat in extremo Septentrione, vbi homines hactenus cultui dæmonum dediti fuerunt.

Pilappij extremam Scandinauiæ peninsulæ partem ad mare glaciale inhabitant. Hi nec agros colunt, nec vllum animal alunt, præter Tarandum, quo vtuntur pro iumento, tempore hyemis, quando congelatę aquę consistiterunt, & omnia obriguerunt frigoribus. Viuunt ex venatione, & piscatione, & coluerunt hactenus pro Dijs ligna & lapides. Ituri venatum, aut piscatum, aut aliquid aliud incepturi, præmissis quibusdam adiurationibus, suos Deos, quos consulunt, tentant loco mouere. Hi si facile sequãtur, annuunt instituto, & successum promittunt: Si renitantur, successus negant: Si omnino moueri se loco non patiantur, offensos sese ostendunt. Tales ergo sacrificio placandos existimant, quod in hunc modum instituunt: Tympanum habent æneum, in quo depicta sunt ea quadrupedum, auium & piscium genera, quæ ipsis non est difficile consequi. Habent & ranam æneam, ferreæ perticæ annexam, quam in mediũ tympani ad perpendiculum defigunt. Postea adiurationibus editis, pulsant tympanum, ad cuius sonitum desilit rana in depictorum animalium aliquod. Illud animal, cuius effigiem petijt rana, mactant Dijs. Caput suspendunt ab arbore, quam sacram habent: Reliqua coquunt, & amicis adhibitis consumunt, seque illo omnes perfundunt iure, cum quo hostia decocta est. Talibus peractis sacris, succedere quæ moliuntur & parant, experimento sese didicisse aiunt.

Si quis peregrinus cupiat de suorum conditione certi quid cognoscere, præstant vt intra vigintiquatuor horarum spacia resciscat, quid cum illis agatur, vel si trecentis milliaribus absint, hoc modo: Incantator post quam vsitatis ritibus euocatos Deos suos compellauit, subito collabitur, & exanimatur, quasi extincto illo reuera abscedat a corpore anima. Neque enim aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vita sensus aliquis, & motus videtur. Sed vt adsint semper aliqui, oportet, qui proiectum & exanime corpus custodiant, quod cum non fit, Dæmones id abripiunt. Horis vigintiquatuor elapsis, reuertente Spiritu, ceu e profundo somno cum gemitu expergiscitur exanime corpus, quasi reuocetur in vitam ex morte, qui conciderat, postea sic restitutus, ad interrogata respondet, & vt fidem faciat, percontatori recenset aliquid, quod agnoscat ille, & certo sciat in ædibus suis, aut cognatorum fuisse.

Ingens apud eosdem est numerus & ingens potentia spectrorum, quæ versantur, conuiuantur & colloquuntur cum ipsis, neque arceri aut abigi vlla ratione queunt. Cumque præcipue terreantur & exagitentur a manibus cognatorum post mortem, ne id fiat prohibent cadaueribus defossis & sepultis sub foco. Hac medicina sola contra dæmonum sese vexationes & terriculamenta muniunt, ac tutos præstant. Id enim se faciant, nullæ in posterum illorum vmbrę comparent amplius: si negligant, obuersantium perpetuo cognatorum vmbris turbantur & infestantur. Hoc tempore minus est ibi incantationum, quam fuit antea, quod Sueciæ Rex, ne ijs amplius vtantur, seueriſſime prohibuit, & quantum potest, curat eos de religione nostra recte erudiri, quamuis hoc sit difficile, cum certas non habeant sedes, sed vagentur in syluis. Regiones quas incolunt, palustres sunt, nec nisi hyberno tempore peruię, quando omnia congelantur. Pastores ex Finilandia, Norbotnia, Angermania, Midelpadia, Helsignia, & vicinis regionibus hyeme ad eos accedunt, & quos adipiscuntur, docent orare, ac mediocriter institutos baptizant. Dicunt, quod si prouectiores ætate Baptismum suscipiant, ij communiter intra septimum aut octauum diem a Baptismo moriuntur. Idq; præcipue admirabile est. Hæc ex narrationibus hominum dignissimorum fide recitaui, vt cum hæc consideramus, exuſci-

temus

temus nos ad ardentius & vigilantius ſtudium, cauendi inſidias Diaboli, & ad precandum ardentius, vt filius Dei, qui miſſus eſt vt deſtruat opera Diaboli, regat & ſeruet nos, nec ſinat ab ipſo auulſos, in Diaboli poteſtatem redigi. Caſp. Peucerus, de Theomanteia.

DE SECTA ANABAPTISTARVM.

HOrrendam fuiſſe inter Ethnicos diuinæ veritatis rudes idololatriam, mirandum non eſt. Sed multo potius cohorreſcentes miremur, tantam hominum eſſe malitiam, Satanæque potentiam, vt etiam inter eos, apud quos verbum Dei pure & ſyncere docetur, innumeræ ſectæ & hæreſes excitentur, & inter Chriſti fideles ſuam etiam Satanas colligat, confidenterq; confortet Eccleſiam. Nec enim is feriatur, ſed ſecure nobis dormientibus interim tritico immiſcet zizania. Itaque in malitiæ eius teſtimonium, horrendos Monaſterienſium furores, breuiter ex decimo Sleidani libro exceptos, ſubnectere viſum eſt.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, Monaſterij in VVeſtphalia Euangelium, quanquam inuitis Pontificijs, prædicari cœpit, Euangelicosque Doctores eo miſit Haſſię Landtgrauius. Protinus autem quietis impatiens Satanas ſua immiſcuit zizania, quæ quidem & antea, ſed vix vllo animaduertente, ſerere inſtituerat, vſus opera concionatoris Bernhardi Rotmanni, qui, cum Anabaptiſtarum errores antea publice damnaſſet, venenum animo conceptum callide diſſimulans, vt primum ſarcinator Hollandus, Iohannes Leidenſis, Anabaptiſta vehemens, Monaſterium aduenit, ingenium ſuum prodit, & cum Hermanno Strapeda, collega ſuo, paruulorum Baptiſmum, vt impium & execrandum, damnat. Hinc nocturna ſecuta ſunt per vrbem Anabaptiſtarum conciliabula, in quibus, cum ſomnum reliqui caperent, ſua peragebant myſteria. Fit itaque Senatuſconſultum, quo iubentur autores vrbe excedere. Verum egreſſi, redibant alia via, & mandatum a DEO ſibi iactabant, vti manerent, cauſamque ſuam grauiter & ſerio perficerent. Altera quoque vice, cum per Hermannum Buſchium, concionatorem pium, coram Senatu erroris conuicti eſſent, publico decreto eijciuntur: ſed illi nihilominus clam ad ſuæ doctrinæ ſectatores digreſſi, in vrbe latitabant. Interea ex ipſis quidam velut afflatus numine, per vrbem diſcurrit, & Pœnitentiam, inquit, agite, & rebaptizamini: ſin minus, iam ira DEI vos obruet. Hic cœptum eſt vulgo tumultuari, & quicunque rebaptizarentur, eadem quæ ille, eodemque modo declamabant. Audiebantur etiam palam voces, vt quicunque non rebaptizarentur, tanquam impij gentiles, e medio tollerentur. Adhæc anteſignani huius ſectæ, occulte miſſis literis in oppida vicina, ſui generis homines mouebant, vti fortunis omnibus relictis, ad ſe quamprimum aduolarent: quicquid reliquiſſent, fore vt cum vſura decupli recipiant. His tam magnificis & amplis excitati promiſſis, maximo numero commigrant, viri pariter ac mulieres, & certiſſima ſpe conſequendi maiora, præſertim tenuiores, & qui domi ſtare non poterant, Monaſterium petunt. Oppidani autem, ij præſertim, qui erant re lauta, cum viderẽt externis hominibus vrbem compleri, ſub ducunt ſe quam poſſunt cõmodiſſime, relictis Anabaptiſtis, & promiſcua plebe. Ad hunc modum debilitatis alterius partis viribus, Anabaptiſtę nouum deligunt Senatum, ſuæ factionis omnes, creant quoque Conſules, & in his Knipperdolingum, & quicunque non eſſent ipſorum ſectæ, ſtatim ex vrbe propellunt, continuo poſt, eorum, quos eiecciſſent, bona occupãt. Hoc nouæ tyrannidis fundamento poſito, primi nominis apud ipſos Iohannes Matthæus, mandabat, vt quod quiſque haberet auri, argenti, rei

mobilis, id omne deferret in medium, capitis proposita pœna. Hac edicti seueritate populus valde attonitus, obtemperabat, nec integrum erat cuiquam fallere, aut partem aliquam defraudare: Nam puellæ quædam duæ vaticinantes, quod commissum esset fraudis denunciabant. Post hæc idem Propheta mandabat, ne quis vllum deinceps librum haberet, aut sibi seruaret, præter sacra Biblia, reliquos omnes in publicum deferri iussit, & aboleri. Forte per id tempus faber quispiam, Hubertus Trutelingus, ridiculum quid in eos dixerat, qui se Prophetas ipsi vocabant, eum protinus Propheta iste, quem diximus, humi prostratum hasta transfodit. Quæ res magnum terrorem populo incussit. Hoc quasi palmario facinore patrato, prælongam hastam corripit, & incitato impetu per vrbem procurrens, Deum Patrem sibi mandasse clamabat, vt hostem ab vrbe reijceret. Vbi propius ad castra venit, exceptus a milite quopiam, confoditur. Proximus ab illo vates Iohannes Leidensis, iubet eos esse animo præsenti: multo enim ante sibi reuelatum, illum esse talem habiturum vitæ exitum, & quam reliquisset vxorem, eam in matrimonium se ducturū. Biduo ante Pascha decurrunt in templa, & simul omnes vbiq; campanas impellunt. Aliquot post diebus vaticinatur Knipperdolingus, fore, vt in summo gradu collocati, deturbentur, alij autem e sordibus & infimis emergant subsellijs. Itaque Iohannes Leidensis gladium tradit Knipperdolingo, carnificemque eum constituit: sic enim visum esse Deo, vt qui summū antea Magistratum gesserit, Consulq; fuerit, nūc infimum locū obtineat, & sit carnifex. Ille minime recusans, gratum etiam habuit delatum munus. Post frustra tentatam ab Episcopo eiusque socijs oppugnationem, Iohannes Leidensis ad quietem se componit, & totum triduum somniat: expergefactus nullū verbum facit, sed chartā poscit, in eaq; duodecim viros describit, & in his aliquot nobili genere natos, qui summæ rerum præessent, & tanquam in Israële cuncta gubernarēt: hanc enim Patris cœlestis voluntatem esse dicebat. Pallium sibi detrahens, & in terram abijciens, vna cū libro Noui testamenti, per ea veluti symbola testatur, & iurat quod promulgasset dogma, cœlitus esse patefactū sibi. Mox ternas ducit vxores, alijsque pro vniuscuiusque arbitrio, quot quisque vellet, vxores ducere liberum esse pronunciat. Ciues autem nonnulli, quibus hoc institutum valde displicebat, Prophetam, & Knipperdolingum, & Doctores omnes comprehendunt. Quod vbi vulgus accepit, ad arma procurrunt, captiuos illis extorquent, & ad quinquaginta circiter magno cum cruciatu interficiunt. Nam religatos ad arbores atq; palos tormentis traijciebant, acclamante Propheta primario, vt qui rem gratam Deo facere vellent, primum telū emitterent. Alij alio modo necabantur. Ad octauum Kalendas Iulias oritur Propheta nouus, aurifex. Is cōuocata in forum multitudine, commemorat, Patris cœlestis hoc esse mandatum & voluntatem, vt Imperium totius orbis terrarum Iohannes Leidensis obtineat, vt cum validissimis copijs egressus, Reges atque Principes omnes promiscue interficiat, vtque sedem Patris sui Dauid possideat, donec regnum ab ipso Pater repetat. Sic ergo Rex factus Iohannes Leidensis, illico duodecim viros abrogat, & pro consuetudine Regum deligit sibi Proceres, coronas etiam duas, & vaginam, & torquem & sceptrum, & alia id genus ornamenta sibi parari iubet ex auro lectissimo. Accidit autem, cum in foro staret populus, audiendi causa, condensatus & arctus, ecce Knipperdolingus exilit, & manibus pedibusque reptans per homines confertim stantes, in sublimi discurrit, & in os illis inhalans, Pater, inquit ad singulos, te sanctificauit: accipe Spiritum sanctum. Alio quodam die choream ducens coram Rege, Sic solebam, ait, aliquando cum mea meretricula: Nunc autem Pater mādauit, vt in aspectu Regis ita faciam: Cumque nimius esset, neque desiste-

Nouus Propheta aurifex.

Regnū Leidensi decernitur.

ret,

ret, Rex offensus, abit. Tum ille conscendit in solium, & pro Rege se gerebat: Interueniens autem Rex deturbat hominem, perque triduum in carcere detinet. Paucis deinde post hebdomis ciues ad primarij templi vestibulum ex edicto Regis conueniunt: vbi cœnam reperiunt paratam. Iussi discumbunt ad millia quatuor: Rex & Regina cum suis domesticis ministrant: sumpto cibo, iamque fere peracta cœna, Rex ipse panem singulis porrigit, his verbis: Accipite, comedite, annunciate mortẽ Domini. Regina vero poculum porrigens, Bibite, inquit, & annunciate mortẽ Domini. Post ille, quem diximus, Propheta, consedit in suggestũ, & rogat, an verbo Dei velint obtemperare? Cum affirmarent omnes, Patris, inquit, mandatum est, doctores verbi esse emittẽdos, circiter XXVIII. qui ad quatuor mundi plagas profecti, doctrinam, quæ in hac vrbe celebratur, denunciẽt. Inter cœnandum Rex consurgit, ait sibi quidpiam esse negotij, quod Pater mãdarit. Forte captus erat miles quidam: hunc proditionis, vt alterum Iudam, Rex insimulat, & decollat ipse, post redit ad cœnam, & facinus illud suum facete commemorat. Cœnati dimittuntur ij, quos diximus, XXVIII. Hi cum egressi ad locum quisque suum venisset, captiq; primum amice, deinde per tormenta examinarentur, responderunt: Inde ab Apostolorum ætate, neque recte denunciatum verbum DEI, nec vllam fuisse iustitiam: Esse quatuor omnino Prophetas, quorum duo sint iusti, Dauid, & Iohannes Leidensis: Duo autem iniusti, Pontifex atque Lutherus: Regem suum, simulatque copiæ e Frisia & Hollandia aduenissent, omni cum exercitu prodituros, vt mundum sibi subijciat, interfectis regibus, ob nõ administratam iustitiam. Post habitam quæstionem, cura in proposito manerent, nec vllum agnoscerent Magistratum, præter Regem suum, capitis pœna mulctati sunt.

Militẽ Rex decollat.

XXVIII. Apostoli emittuntur, annunciatũ doctrinam Anabaptisticam.

Interea ciues de suo periculo soliciti, cogitabant comprehendere Regem, & vinctum tradere Episcopo. Rex, qui per indicium rem cognouisset, electis duodecim ducibus, quos sibi fideles esse putabat, singulis attribuit partem aliquam vrbis tuendam, & satellites, vt ne quis populi motus exoriri posset, nominatim etiam, quam cuique prouinciam, quas arces atq; prædia daturus esset, exponit. Durante obsidione, Principes missis literis, grauiter eos monent, vt a proposito desistant. Illi rescribunt, multis quidem verbis, verum aliene, sic tamen, vt institutum suum laudarent, atque defenderent, multa locuti de clade & internecione omnium impiorum, deliberatione, & regno piorum in hac vita. Ingraueſcẽte vero annona per vrbem, sic vt nõnullis etiam fame ac rerum inopia pereundum esset: quẽpiam ex Reginis miserata vicem populi, forte ad alias dixit, Non putare se, Deum hoc velle, vt ad hunc modum homines inedia consumantur. Rex, qui penum haberet instructam domi, nõ ad vsum modo necessarium, sed ad luxum etiã, vbi resciuit, in forum illã producit, & vna reliquas omnes, & in genua cosidere iussam, capite plectit, & mortuam ignominia notat, vti scortum. Eo facto, reliquę concinunt, & Patri cœlesti gratias agunt: deinde choream Rex ducit: multitudinem etiam, cui præter panem atq; salem nihil iam erat reliqui, ad saltationem atq; lætitiam cohortatur. Cum intra vrbem iam res in eum esset deducta calum, vt fame compl res quotidie morerentur, tandem noctu industria perfugæ, copiæ ad vrbem accedunt, eamque magno cum impetu occupant. Rex & Knipperdolingus capiuntur: Rotmanus abiecta spe salutis, cum in cõfertam hostium turbam incurrisset, confoditur, ne viuus in illorum veniret potestatem. Rex & soci duo captiui, Knipperdolingus, & Crechtingus, ducebantur huc illuc ad Principes, spectaculi & ludibrij causa. XIII. deinde Kalendas Februarij, Monasterium reducuntur, quod secutum est biduum, pijs admonitionibus datum est, vt ab errore deducerentur. Et Rex quidem agnouit peccatum

Rex Reginã suam manu obtruncat.

Monasteriũ expugnatur.

tum, ac precibus ad Christum confugit: reliqui duo nec vllum fatebantur delictum, & obstinate sua defendebant. Postridie Rex in locu editiorem productus, alligatur palo: aderant bini carnifices, & forcipes ignitii: ad tres primos morsus conticuit, deinde misericordiam Dei continenter implorans, cum horam & amplius ad hunc modum laceratus esset, transacto demum per pectus mucrone, decessit. Ideni supplicium & socios eius perculit. Extincti caueis ferreis illigantur singuli, & ad summam turrim exponuntur pensiles, Rex quidem medius, & quanta est hominis statura, sublimius illis. Hæc historia, quæ plenius libro decimo Sleidani describitur, satis, puto, euidenter ob oculos nobis ponit Satanæ potentiam, nostram cæcitatem, tum quæ sit vitę nostræ miseria, & in quantam fraudem, si verbo Dei neglecto nostris indulgeamus cupiditatibus, conijciamur.

DE SECTA DETESTABILI DAVIDIS GEORGII

Batani, seductoris pessimi, qui se ipsum & Regem & Christum constituit, adeoq; multis partibus Christo se prætulit, breuis narratio.

DAuid Georgius, qui se postea Iohannem a Bruck voluit appellari, Delphis, quod est Batauorum oppidum in Hollandia, natus, venenatū dogma in inferioris Germaniæ nationibus sparsit, quo cum permultos inficeret, diabolicæ sectæ Dauidicæ author extitit. Deinde anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimoquarto, cum aliquot suæ blasphemiæ assecłis & clientibus Basileam profectus, se coram Senatu, propter Euangelij confessionem exulē esse professus est, supplexque a Senatu in ciuitatem se recipi petijt. Cumque esset homini dignitas quædam, & species liberalis, qualis esse probis viris solet, facile suam occultare potuit malitiam, præsertim cum eius anteacta vita ignoraretur, itaque a Senatu cum satis numerosa familia, vxore, liberis, clientibus, & seruis in ciuitatem recipitur.

Vbi per aliquot annos egregie, quid monstri aleret, dissimulare potuit. Interim magnam discipulorum in Batauia habuit colluuiem, quibus libellum, in quo Doctrinam suam blasphemiæ plenam conscripserat, ante discessum suum tradidit, & deinceps sæpius eos literis confirmauit. Basileæ propriam sibi domum emit, deinde extra vrbis mœnia aream & prædia quædam opima. Nefarius hic impostor, qui se immortalem ipsoque Christo diuiniorem, maioremque fecerat, cum annos circiter vndecim in summo vixisset otio, anno salutis Christianæ 1556. mortua prius vxore eius, in morbum & ipse incidit, mortuusque honorifice in diui Leonhardi æde sepultus est. Qua eius morte discipuli ipsius vehementer territi sunt. prorsus enim infixum animis habebant, eum immortalem esse, attamen adhuc firmam spem fouebant, fore, vt elapso triennio, quemadmodum prædixerat, a mortuis resurgeret, & Dauidicum regnum, de quo gloriatus fuerat, iuxta articulos, quos subijciemus, instituęret. Interim magis magisque de impia eius secta rumor innotuit. Quæ res Senatui causam præbuit, omnia quam exactissime explorandi, eiusque libros, & scripta in arce & ædibus abdita perscrutandi, in quibus repertæ sunt blasphemię horrendæ. Capita eius hęreseos, vt ex eius libris partim editis, partim manuscriptis, desumpta fuerant, hæc sunt:

1. Omnem doctrinam hactenus a Deo per Mosem, Prophetas, ipsumque Christum Iesum, eiusque Apostolos ac discipulos, traditam, esse mancam, imperfectam, & inutilem ad veram & perfectam consequendam fœlicitatem: atq; in eum tantum vsum traditam, vt homines quasi pueros adolescentesve coerceret ad hoc vsque tempus, atque in officio contineret. Dauidis autem Georgij doctrinam perfectam esse, atque efficacem, ad hominem, qui eam susceperit, beandum.

2. Asserit se verum Christum & Messiam esse, patris charissimũ filium, in quo se oblectet Pater: natum non ex carne, sed spiritu sancto, & spiritu Christi Iesu: qui Spiritus Christi, carne eius in nihilum redacta, quodam in loco sanctis omnibus ignoto, hactenus seruatus, nunc Dauidi Georgio totus est traditus, atque in eius animam infusus.

3. Se igitur eum esse, qui domum Israelis, verosq; Leui filios, (nimirum eos qui dogmata sua suscipiunt, eumq; sequuntur) vna cum vero Dei tabernaculo, sit spiritu instauraturus: non cruce, rebus aduersis, aut morte, quemadmodum ille alter Christus, sed clementia, & spiritus Christi amore & gratia, qui sibi a Patre sit datus.

4. Se ea potentia præditum, qua salutem tribuere, & condemnare, peccata remittere, & retinere possit. Idcirco se illum esse, qui extremo iudicio sit totum mundum iudicaturus.

5. Christum Iesum in hoc a Patre missum esse, atq; in carnem venisse, vt sua doctrina & Sacramentorum ceremonijs, homines veluti pueri & parũuli, nondum perfectæ doctrinæ capaces, in officio retinerentur, donec Dauid Georgius adesset, qui perfectam & efficacem illam doctrinam proferret in lucem, quæ homines perfectos redderet, repleretq; cognitione Dei, & filij sui Dauidis Georgij.

6. Hæc autem omnia non humano more, crasseue esse peragenda, vt olim per Christum Iesum, sed Spiritu & abscondite: quæ nemo intelligit, nisi qui Dauidi Georgio fidem habuerint: eiusq; sequentur institutum.

7. Ad hęc probanda, vt etiam ad alia omnia, authoritatibus, & testimonijs Sacrarum literarum abutitur: quasi Christus & Apostoli non se, & omnia Ecclesię tempora, sed Dauidis Georgij aduentũ, illis quę citat proferendis, spectassent.

8. Itaque sic ratiocinatur: Si Apostolorum & Christi doctrina vera illa & perfecta fuisset, Ecclesia quoque, quam sua doctrina excitarunt, & formarunt, necessario permansisset, neq; perijsset: quia aduersus veram Ecclesiã ne Orci quidem portę (vt Iesus ipse ait) quicquam valent. Iam vero constat, Antichristum, Apostolorum doctrinam & structuram funditus euertisse, id quod in Papatu euidens esse ait, ex quo consequi vult necessario, Apostolorum doctrinam & ædificationem mancam & imperfectam fuisse: sed eam demum veram perfectamque esse, quam Dauid Georgius instituit & profert.

9. Ait etiam, se Iohanne Baptista, cæterisque omnibus Sanctis, qui olim antę eum extiterunt, excellentiorem esse, quoniam ipse minimus ille sit in regno Dei, de quo Christus ait: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. At qui minimus est in Regno Dei, maior est illo. Imo vltra etiã progreditur, vt dicat, se ipso etiam Iesu Christo maiorem. quod hic ex muliere in carnẽ natus est, se vero e Spiritu sancto cœlestem Christum natum & vnctum.

10. Omne peccatum in Patrem & Filium remitti & condonari asserit, vt Christus ipse testatur: quod autem in Spiritum sanctum, hoc est, in Dauidem Georgium commissum fuerit, nunquam neque in hoc neque in altero seculo remittendum. Ex quo satis constare ait, se Christo esse præstantiorem.

11. Matrimonium liberum esse: eoque neminem vni mulieri obstringi: liberorum procreationem communem esse, ijs qui Dauidis Georgij Spiritu renati sunt.

Sunt & alia multa nefanda, in Dauidis Georgij libris & operibus: verũ his paucis gustum tantum Lectori præbere placuit, alijs consulto suppressis. Familiares eius Basileæ degentes, a fœdissimo errore reuocati, & ad Christum conuersi, ipsique Ecclesiæ reconciliati sunt, cum & ipsi confite-

rentur,

rentur, sibi non parum impostoris doctrinam displicuisse. Multi autem in inferiore Germania, qui altius venenum hoc imbiberant, in errore obstinati perierunt. Nam & mater eius, alijque plures tum viri tum fœminæ, cum a concepta semel impietate nollent desistere, supplicio affecti sunt. Anno deinde millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, cadauer diabolici huius impostoris effosso sepulchro exemptum, & a carnifice vna cum eius libris, & imagine in maxima hominum frequentia publice combustum fuit.

Cadauer a carnifice e loculo exemptum, satis adhuc integrum erat, præsertim barba, quæ vt erat flaua satis hominem indicabat. Erat autem ornatus in hunc modum: In capite villosum, e serico pileum purpura suffultum, habebat, & e rosmarino corollam. Caput puluini nō ignobiles fulciebant: ipse vndulata toga, quod camelotum vocant, vestitus, ac sindone munda inuolutus. Hoc enim modo illum hæredes sepeliendum adornarunt. Sic positum inter impia scripta, subiectis flammis exustum est

Dauidis Georgij, qui se Regem & Christum fecerat, corpus biennio & semestri fere, postquam est mortuus.

Finis historiarum & exemplorum primi præcepti.

SECVN-

SECVNDVM PRÆCEPTVM.



IN secundo Præcepto quatuor virtutes nobis commẽdantur, Inuocatio Dei, Gratiarum actio, Confessio veræ doctrinæ de Deo, & Religio iuramẽti. Præcipit enim æternus Deus, vt linguam nostram sic formemus & rẽgamus, vt ipsius honori & glorię inseruiat, nec per ipsius nomen execrationibus aut iuramentis nos temere obstringamus, aut alio quouis modo eo in res vanas abutamur. Tristes etiam minatur pœnas ijs, qui nomen eius vel per execrationes vel per iuramenta, vel aliam impietatem prophanant. Cuius rei sequentia nos commonefacient exempla.

Leuitici 24. ca. Filius mulieris Israelitidis, quẽ pepererat viro Ægyptio, cum blasphemaret nomen Domini, & malediceret ei, ab vniuerso populo iuxta mandatum Domini lapidatus est. Et ait Dominus: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; & qui blasphemarit nomẽ Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi. *Blasphemus lapidatur.*

Core, Dathan atque Abiron, alijque filiorum Israel ducenti quinquaginta viri, Proceres synagogæ, insurrexerunt contra Mosen, & Aaronem, nomen Dei blasphemantes: Ecce autem terra aperuit os suum, & deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum Num. 16. *Blasphemi terra deglutit.*

Rex Israelis Saulus mulierem Pythonissam, contra Præceptum Dei cõsulens, in peccatis suis moritur. 1. Samuel. cap. 28. 31. *Saulus.*

Nathan Propheta, obiurgans Dauidem ob admissum peccatum, Quoniam, inquit, blasphemare fecisti inimicos Domini: propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. 2. Reg. 12.

Accedens vir Dei dixit ad Regem Israel: Hęc dicit Dominus, Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis, quia ego sum Dominus. 3. Reg. cap. 20.

Sanheribis, Assyrius Imperator, conuiciatus nomini Domini ad mœnia vrbis castra metatur, ad quam vna nocte exercitus eius maximus ab Angelo extinguitur. Ipse cum dedecore Ninum, vrbem imperialem, rediens, ad reparandum numinum fauorem, superstitione crudeli duos paruos filios immolat: ideoque a duobus natu maioribus Adramelecho & Sarefsare inter sacra immanissima ferro transfoditur. 4. Regum 18. 2. Paralip. 32. Esa. 37.

Nebucadnezar, Dei gloriam & omnipotentiam celebrans, cum vidisset diuinitus misso Angelo fidos Dei ministros & confessores in ardenti camino esse conseruatos, præcepit, vt omnis populus, tribus & lingua, quęcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sadrach, Mesach & Abednego, dispereat, & domus eius vastetur. Dan. 3.

Nebucadnezar suam potius prædicans potentiam, quam gloriam Dei, e Regno eijcitur, & in solitudinem syluestrem fugiens, bouis pabulo vtitur, cœli tempestatibus sub dio obnoxius, & mente atque sensu, animante bruto nihilo senior: donec ad sanitatem post annos septem rediens, in solium Regium rursus collocatur. Daniel. 4.

Balsaar, Rex Assyrius, conuiuium optimarum ciuibus & militi parat, vasa sacra e templo rapta profert, & contaminat, & ex ijs ad mensuram cum aulicis & concubinis potat, laudans Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos. Inter vinum manus Dei apparet, & literas in parietis tectorium ignotas pingit, quas Daniel a matre Regis aduocatus, solus intelligit, & interpretatur, & subitam Regi perniciem nunciat. Eadem nocte Babylonijs helluantibus, per siccatum fluminis alueum, milites Cyrus introducit, Regem interficit, aulicos ebrios capit, vrbe & arce potitur: quam vel opere humano extrui potuisse, vel humana virtute destrui, pene incredibile apud mortales habitum.

Propheta Elias occidit & mactat omnes Prophetas Baalis, & Prophetas lucorum, qui abnegato vero Deo, Baalem adorabant. 3. Reg. 18.

Iezabel Eliæ perpetuo insidiata, per Deos suos iurat, se vitam ipsi adempturam. Sed tandem ipsa de fenestra præcipitata perijt, & equorum vngulis conculcata, & a canibus laniata fuit. 3. Reg. 19. & 4. Reg. 9.

Zedechias Sacramenti immemor, & Ieremiæ faciem non erubescens, a Rege deficit, & induruit ceruicem suam & cor, vt nō reuerteretur ad Dominum Deum Israel: Sed & vniuersi principes Sacerdotum, & populus, præuaricati sunt inique iuxta vniuersas abominationes gentium. Subsannabant nuncios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebantq; Prophetis. Donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio. Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: Non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius. 2. Paral. 36.

De pœnis Iudæorum, quas aduersus se prouocarunt, eo quod verbum quod in ore eius posuerat Dominus, cōtemnerent: Lege 44. Ierem. caput.

Antiochus Eupator Epiphanis filius, violato Sacramento, mœnia arcis Hierosolymitanæ diruit: Sed mox capitur a militibus, & interficitur ab agnato Demetrio. 1. Maccab. 6. & 7.

Holofernes indignatus vehementer propter verba Achior, quibus gloriā Dei Israelis prædicarat, Quoniam, inquit, prophetasti nobis, quod gens Israel defendatur a Deo suo, re ipsa experieris, quod non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cum gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israel. Iudith 6. verum hic blasphemator diuini nominis postmodum a Iudith interfectus est. cap. 13.

Iudęis Deum cœlorum Regem & Dominum prędicantibus contra Ni-

canor,

canor, At ego, inquit, potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negocia Regis impleri: postquam blasphemiam infœlicer pugnans, & cæsus misere interijt. 2. Macchab. 15.

DE ABVSV DIVINÆ VERITATIS, DIVINIQVE nominis, & agnitæ veritatis abnegatione.

Persecutio Lugdunensis.

ANtonino Vero Imperij gubernacula moderante, Lugduni & Viennæ grauis tempestas Ecclesiam turbauit. Plurimi per grauissima tormenta, & varia mortis genera, cum admiranda animi constantia, Christũ confessi sunt, & illustri Martyrio coronati. Nonnulli autem animo erant fracto, qui acrem certaminis impetum ferre non poterant, ex quibus circiter decem numero, animis ignaue & muliebriter conciderunt, metuq; mortis territi, Christum Redemptorem perfidiose abnegarunt. Nihil autem illis profuit hæc negatio. De reliquo enim in carcere, tanquam homicidæ & scelerati detinebantur, duplo grauiore cruciatu & angore quam cæteri, afflictati. Euseb. Histor. Eccles. lib. 5. cap. 1.

Christum abnegantes, grauius quã cæteri affliguntur.

Iulianus Apostata fallacissimas tendebat plagas, quæ homines errore deceptos, in impietatis perniciem inducerent. Inter alias autem & hanc machinam ad pietatem oppugnandam excogitarat: Cum diebus Festis natalibus, pro solenni consuetudine, militibus offerret munera, dedit in mandatis, ne quis ad manus Imperatoris accederet, munera ab eo accepturus, nisi coram ipso incensum obtulisset (in proximo autem erat & thus positum, & ignis.) Et quidem nonnulli absque metu præsentiam animi & magnitudinem declararunt, neq; incensum offerre voluerunt, & donum ab Imperatore accipere prorsus renuerunt: Alij vero fraudis ignari, solenni obtemperarunt consuetudini. Qui deinde cum amice inter se epularẽtur, sibique mutuo, vti in potando fieri solet, propinantes, Christum super poculis nominarent; quidam ex conuiuis eos interpellauit, exprobrãs ipsis, quod Christum, quem paulo ante abnegarint, modo inuocẽt. Quod simulatque audiuere, propere egressi, palam per plateas cursitare, clamare, lachrymas fundere, Deum ipsum & omnes homines testari, se Christianos esse, solamque manum, animo prorsus repugnante, gentilitatis labe pollutam fuisse. Proiectoque ad pedes Imperatoris auro, valde constantibus & generosis animis postulant, vti suum ac proprium munus recipe-rent, hoc est, vt necem subirent. Imperator vero, licet ea re grauiter cõmotus, noluit tamen eos interficere, quod inde illis honor tribueretur Martyrij, sed e militum numero exemptos aula sua exturbauit. Sozom. lib. 5. cap. 16. Theodor. lib. 3. cap. 15. & 16.

Iulianus.

Fœlix.

Elpidius.

Euzoius.

Iulianus Imperatoris Iuliani auunculus, Præfectus Orientis, Fœlix Regij thesauri quæstor, & Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum Imperatoris procurator in gratiam impij Imperatoris Christianam fidem abnegantes, templa Christianorum diripuerunt. Iulianus aduersus sacram mensam minxisse dicitur, atq; Euzoio eum prohibere conanti colaphum infregisse. Fœlix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus: Ecce, inquit, quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur. Cuius suæ impietatis non diu post pœnas expenderunt. Iulianus cofestim in grauem morbum delapsus, visceribus putredine exesis, stercoreque per sceleratum os egesto interijt. Ferunt eius vxore, mulierem ob fidei præstantiã egregie nobilitatam, hæc ad maritum dixisse: Debes merito, mi vir, Christum Seruatorem laude prædicare, quod tibi hac castigatione tua potentiam ostenderit. Nam quem oppugnasses, plane te præterijsset, nisi consueta sua lenitate vsus, has plagas diuinitus tibi inflixisset. His verbis perculsus, Imperatorem orat, vt Ecclesiæ ablata restitueret. Sed neque ei hoc persuasit: & ipse exemplo in grauit e vita. Fœlix quoque derepente flagello cœlitus

impacto oppressus, sanguinem dies noctesq; ex ore fundēs extinctus est, & æternæ morti traditus. Theodor. lib. 3. cap. 11. & 12.

Elpidius omnibus bonis exutus, in situ squaloreque carceris miseranda morte interijt. Cent. 4. cap. 3.

Libanius Sophista Christum irridet.

Antiochiæ vir quidam pius adolescentibus doctrina instituendis operam dabat, a quo (Iuliano in Persis agente) Libanius ille Sophista, quo nostram religionem irrideret, sciscitatur, Quid rerum gerat fabri filius? Qui diuina completus gratia, prædixit, quod erat paulo post euenturum. Nam huius, inquit, vniuersitatis opifex Deus, quem tu per risum fabri filium nominas, loculum fabricatur. Neque certe multi dies præterierant, cum nuncius allatus est de scelerati illius morte, qui in loculo reconditus, & ad sepulchrū elatus, se frustra minas iactasse declarauit: ex qua vna re Dei gloria fuit magnopere illustrata.

Iulianus Sabba.

Eodem tempore Iulianus, cognomento Sabba, vir angelicam Sanctitatem in vita sua repræsentans, cum esset de Iuliani minis certior factus, longe attentius preces Deo omnium moderatori adhibuit. Atque eodem ipso die, quo Iulianus interfectus est, quanquam iter viginti dierum & amplius aberat ab exercitu, cædem eius inter precandum cognouit, lætusque ad familiares suos ait: Aper ille syluestris, hostis vineæ Domini, meritas deuastationis suæ pendit pœnas, mortuus iacet, nec amplius Christianos minis & sæuitia sua terret. Quibus cognitis, omnes triumphare gaudio, & hymnum, quo Deo gratias agerent, cantare cœperūt. Nec multi dies elapsi sunt, cum nuncius allatus est, Tyrannum extinctum esse, eadem die ac hora, qua diuinus ille senex Iulianus eum cecidisse & cognouerat, & prædixerat. Theodor. lib. 3. cap. 29.

Commentary de Christi rebus gestis blasphemiæ pleni.

Maximini Imperatoris in persequenda Ecclesia ministri, Pilati & Seruatoris nostri rerum gestarum tanquam commentarios quosdam, omni blasphemia & conuicio contra Christum refertos, confinxerunt, quos de sententia Imperatoris in totum Regnum mittunt, perque literas iubent, vt ludimagistri pro alijs disciplinis pueros in hisce sedulo exercerent, hosque illis memoriæ mandandos traderent. Quibus ad hunc modum confectis, alius dux exercitum apud Damascum Phœniciæ, mulierculas quasdam infames, impurasque e medio foro arripit, easque grauibus tormentis eo perpellit, vt asseueranter dicerent, cum quod olim fuissent Christianæ, tum quod nefandi sceleris cum Christianis conscię extitissent: tum quod in suis ipsorum templis, quæ Græci Dominica vocant, res obscœnas & libidinosas gessissent: Quarum voces in commentarios relatas, Imperatori etiam ostendendas curauit: cuius iussu in singulis vrbibus locisque hæc scripta diuulgantur. Verum dux iste non longo temporis interuallo interpositio, sibi ipsi manus graues inferens, debitum suę improbitatis supplicium luit. Euseb. lib. 9. cap. 4. De Maximini pœnis infra in tertio præcepto, de tyrannis & persecutoribus.

Κυριακὰ vnde Germanorum, Kirchen.

Diocletiani impietas.

Anno decimonono Imperij Diocletiani, mense Martio, cum salutaris Dominicæ passionis Festum iam præ foribus esset, omnibus in locis per Imperatoris literas palam edictum fuit, vt deturbarentur Ecclesiæ, soloque æquarentur, scripturæ absumerentur igni, &c. Eusebius libro octauo, capite tertio.

Magnus ad negandum Christum nullis tormentis adducitur.

Magnus gentilibus quidem, sed honestis prognatus parentibus, cum iam ætate grandis esset, Christianorum se adiunxit cœtui, eorumque doctrinam crebro audiens, fidelis & constans Christianæ veritatis assertor factus est. Qui sub Tyrannide Decij comprehensus, vinculisq; misericorditer constrictus, verberibus fœdatus & ad iudicem Seuerinum raptatus est. In hisce constitutus angustijs, filium Dei Iesum Christum assiduis precibus inuocauit: O Iesu Christe, inquiens, ne deseras me in mea tribu-

latione.

latione.ne discesseris a me,& in hac vita, & in æternum: Custodi me secũdum diuinam tuam gratiam & corpore & anima. Hinc ad Tyrannũ conuersus: Discedite a me, inquit, qui operamini iniquitatem, nulla vi aut ratione me ad tantam adigetis impietatem, vt idolis sacrificẽ. Nam in Christo vero Deo consistit & salus & consolatio mea, cui soli animam meam commendo. Propter quam confessionis constantiam post varia tormentorum & suppliciorum genera tandem est decollatus.

Maris Episcopus Iuliani blasphemiam grauiter reprehendit.

Iulianus Apostata cum Constantinopoli in ipsa Regia Fortunæ immolasset victimas, Maris Episcopus Chalcedonensis manu ad Imperatorem deductus, eum grauiter reprehendere, impium, desertorem Ecclesiæ, Dei hostem appellare cœpit. Iulianus par pari relaturus, cæcitatem ei exprobrauit (nam senex admodum oculorum suffusione laborabat) Non te, inquit, Galilæus Deus tuus sanabit. Ad quæ respondit Maris: At ego gratiã Deo meo habeo, quod cęcus sum: ne te, qui a pietate excideris, oculis aspiciam. Imperator ad hæc nullo dato responso abijt. Sozom. lib. 5. cap. 4. Socrat. lib. 3. cap. 10.

Iulianus sacrum lauacrũ abluit.

Iulianus hic Imperio potitus adeo impudenter religionem Christianam abiurauit, vt sacrificijs quibusdam, dæmonumque detestandis inuocationibus & victimarum sanguine sacrum abluerit lauacrũ, atq; seipsum a mysterijs Ecclesiæ exauctoratum excluserit. Nicephorus libro decimo, capite tertio.

Pictor Christum derisui habens, punitur diuinitus. Gennadius.

Anno Christi 467. Pictor quidam Christum derisui habens, eum sub forma Iouis pingere animum induxerat. Verum diuinam statim Christi expertus est potentiam: Nam subito ei manus exaruit. Per quam pœnam ad peccati agnitionem perductus, Christo dedit gloriã, & Gennadij, Constantinopolitani Episcopi, precibus sanitati est restitutus. Casp. Hed. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 8.

Romani Christianos vocant Asinarios.

Romani veteres Christianos æque ac Iudæos Asinarios vocarunt, obstinato videlicet in Christi nomen odio. Sed ex figuris picturisque Christianis illudebant, quando infando etiam picturæ genere Deum nostrum sic depictum spectanti populo proposuerunt, vt is foret auribus asininis, pede altero inungulatus, librum gestans, & togatus. Cui flagitio vt scelus adderent, tali titulo Christi effigiem dedecorarunt, Deus Christianorum anochilus. Crinitus.

Valerianus a Mago seductus, nefariam impietatem exercet.

Valerianus primis Imperij annis tantam erga Christianos declarauit beneuolentiam, quantam nemo Imperatorum, qui eum ante iuerant. Et quidem tota domus eius pijs hominibus complebatur, eratq; plane Dei Ecclesia. Verum Doctor quidam & Princeps Magorum Ægypti, illum tandem perdito consilio deprauauit, & non impulit solum vt homines culpa vacuos, ac sanctos Dei, acerbe persequeretur, neciq; traderet: Verumetiã, vt impuras ceremonias obiret, profanas exerceret præstigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros missellos, prolem infœlicem parentum sacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera, dæmonumq; inde responsa & oracula disquireret. Euseb. lib. 7. cap. 9.

Iulianus signo crucis se conſignat.

Iulianus Apostata cum Mago quodam, sacrorum dæmonia corã Principe, in adyta quædam celeberrima, eaque terribilia maxime, seu mysterij cuiusdam obeundi, seu oraculi consulendi causa descenderat, vbi cum spectra vel dæmones ei ex improuiso apparerẽt, territus Iulianus, seipsum signo crucis consignauit, quo facto, spectra e vestigio euanuerũt, & conatus vatis impeditus est. At sacrorum Antistes simul, vt intellexit causam, cur dæmones fugissent, factum Iuliani scelus appellauit, iussitque tum vt animo excelso esset, tum vt postea nihil, quod ad Christianorum professionem spectaret, vel faceret vel cogitaret. Admiranti autem Iuliano vim crucis: Aufugerunt, inquit ille, dæmones, quod signum hoc perinde atque

execrandum piaculum odere. Sic effascinatum Iulianum odio Christianæ religionis impleuit. Sozom. lib. 5. cap. 2. Niceph. lib. 10. cap. 3.

Maxentius Tyrannus, magicis deditus præstigijs, interdum mulieres grauidas dissecuit, nonnunquam tenerorum infantium scrutatus est viscera, aliquando leones mactauit: infandas, non raro adiurationes, ad dæmones excitandos, quo illorum subsidio bellum ingruens depelleret, auerteretq; vsurpauit. Euseb. lib. 8. cap. 26.

Nicomachus inter tormenta deficiens, Christum negat.

Nicomachus Christum quem firma fide confessus fuerat, Troade inter tormenta negabat, liberatus itaque & idolis sacrificare iussus est. Qua in re cum Præsidis dicto audiens esset, mox cum sacrificasset, a Satana arreptus, & in terram collisus est, vbi sibi ipsi dentibus linguam præmordens, expirauit. Cent. 3. cap. 12.

In sermone quinto de lapsis refert Cyprianus, quod sub Decij tyrannide, quidam mortis & tormentorum metu perculsi, a fidei veritate desciuerint. Inter quos vnus, qui palam in Capitolio surgens, Christum negabat, subito, stupescente sermonis organo, obmutuit.

Virgo quædam abnegato Christo a dæmone protinus vexata, sibi ipsi linguam præmordit, & ex grauissimis ventris intestinorumque doloribus extincta est.

Huc refer Olympij interitum, cuius facta est mentio in primo Præcepto.

Quidam post temerariam Christi abnegationem ad sacram Domini cœnam in fideliũ cœtu accessurus erat: Ei manus, cuanescente in ea, quem exceperat, pane consecrato, cinere fuit oppleta.

Vrbanus Formensis, & Felix Idicrensis Donatistæ, irruentes in Thipasam Cæsareensis Mauritaniæ ciuitatem, iusserunt Eucharistiam canibus obijci. Canes vero accensa rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laceraruntRefert Optatus Meleuitanus libro 2. contra Parmenianum. Cent. 4. capite sexto.

Stiliconis scribam ab Ambrosio excommunicatum spiritus immũdus, cum verba excommunicationis vixdum absoluta essent, discerpere cœpit. Paulinus in vita Ambrosij.

Theotecni impietas.

Theotecnus Antiocheuus, vir impostor, & ingenio deprauatissimo præditus, suis technis, & sycophantijs in grauissimum odium Christianos apud Imperatorem Maximinum adduxit. Idolum enim vel simulachrum Iouis Philij erigit, inq; eo magicis præstigijs falsa edit miracula, & ad eius cultum nefaria mysteria, initiationes impuras, & sceleslas expiationes excogitat. Quin etiam quo assentatione, & blanditijs in Imperatoris animum influeret, dæmonem eõtra Christianos excitat, asseritq; Deum præcepisse, vt illos tanquã ipsi infestos ex vrbe agrisq; penitus expellere properarent. Vnde grauissima aduersus Christianos mota est persecutio, nomenq; Iesu passim apud omnes adeo fuit infensum, vt & pueri in Scholis illud exibilarent. Euseb. lib. 9. cap. 2. & seq.

Hic Theotecnus cum omnibus alijs præstigiatoribus, & Prophetis statuæ istius, post Maximini mortem ad supplicia raptus est & interfectus. Euseb. lib. 10. cap. 9.

Maximini pœna.

Nec pœnas easque grauissimas effugit Maximinus, qua de re videbis Cent. 4. cap. 3. Euseb. lib. 10. cap. 8. refert, eum in secunda belli conflictatione repentina Dei plaga percussum, toto corpore contabuisse, oculosq; e propria sede elapsos, eum cæcum omnino reliquisse, & ad extremũ eum fateri coactum, quod propter amentiam & temeritatem contra Christianos admissam merito ista perpetiatur. Nonnulli perhibent, quod in fugam a Licinio actus, se ipsum interfecerit. Vide Zonaram lib. 2. Vniuersi porro qui videbantur Maximini partes defendere, & in nostram religio-

nem

nem proterue impetum fecerant, interfecti sunt, eiusque liberi omnes e medio sublati. Euseb. lib. 10. cap. 9.

Scurra quidam in publico diuersorio poculis indulgens, ex combibonibus suis quærebat, num ipsi crederent, homini animam esse immortalem; sibi vero consentaneum haud videri. Nec enim vnquam animam sibi visam. Esse autem meras sacerdotum nugas, quas sui lucri causa ipsi excogitarint, quicquid vel de inferno, vel de anima, aut æterna vita blateret. Ad quæ respondérunt nonnulli, animas hominum immortales esse, & quidem alias in cœlis, alias in tartaro in æternũ viuere. Id enim & in Prophetarum, & Apostolorum scriptis doceri. Ad quæ ille, Se paratum esse, inquit, animam suam cuiuis vendere. Ibi vnus ex assidentibus, En, ait, cantharum vini plenum, pro quo animam mihi vende. Accipit ille conditionem, protinusq; cantharum ori admotum exhaurit. Aderat autem & Satanas, humanam indutus speciem, qui ab altero pari precio animam redimit. Eo quoque vino exhausto, Cedo, inquit Satanas, animam, quam emi. Ad quæ alij: Fas est, vt quod quisque emerit, eius quoque possessione gaudeat. Nec mora, venditorem istum animæ Satanas arreptum, omnib. cum stupore aspectantibus, per aerem sublimem auehit. In discipulo de tempore, Serm. 132.

Scurra blasphemus animam vẽdit.

Imperatoris Sigismũdi vxor Barbara, virgines castitatis laude insignes, quæ propter Christum martyrij corona ornatæ fuerant, stultas fuisse dictitabat, eo quod carnalibus in hoc mundo voluptatibus frui neglexissent, eundem & corporum & animarum esse interitum affirmans, nec aliam, post hanc restare vitam.

Barbara imperatrix impia.

Imperator Heraclius ad Persarum Regem Cosroën legatos miserat, pacem cum eo initurus. Sed irrisit eos Cosroës, Non prius, inquiens, armis vos facessere desistã, quam abnegato vestro Christo crucifixo, Solem adoretis. Paulo post Rex impius ab Heraclio victus, & domestica calamitate oppressus, blasphemiæ suæ pœnas expendit. Chron. Abb. Vrspergen. & Chron. Philip.

Cosroes blasphemus.

In regno Angliæ Regi Eduiano successit Ofrichus Deiorũ Rex, & Eanfridus Berniciorum. In has enim duas prouincias gens Nordhumbrorum antiquitus diuisa erat. Vterque autem vt terreni regni insulas sortitus est, sacramenta Regni cœlestis, quib. initiatus erat, anathematizando perdidit, ac se priscis idololatiæ sordibus polluendum, perdendumq; restituit.

Ofrichus. Eanfridus.

Nec mora a Rege Britonũ Ceduella, pariter & regno & vita exuti, perfidiæ suæ & impietatis luerunt pœnas. Beda lib. 3. c. 1.

Ceduella.

Pherecydes, Philosophus & Poëta tragicus, cum impudenter inter discipulos suos de sua felicitate, sapientia & eruditione gloriaretur, se, licet nullas dijs mactaret hecatombas, vitam tamen tranquilliorem & beatiorem agere dicebat, quam eos, qui Deorũ cultui toti essent addicti. Cuius impietatis & blasphemiæ pœnas protinus dedit. Fœtidus enim & instar mucoris viscosus sudor toto ipsius manans corpore, vermes & pediculos tanta produxit copia, vt per eos absumptis visceribus horrẽda admodum Phtiriasi moriendum ipsi fuerit. Meminit Ælian. lib. 4. de varia Historia.

Pherecydes.

Pherecydes Syrus, inquit Plinius, copia serpentum ex corpore eius erumpente expirauit.

Iosephus author est lib 12. Antiquitat. cap. 2. Theopompum Philosophum volentẽ ex lege Dei per Mosen reuelata quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta, & per interualla insaniæ precibus Deum placasse, facile conijcientem, quæ morbi causa fuerit: Atq; etiam in somnis monitum hæc ideo pati, quod fuisset circa diuinas res curiosior, easque voluisset proferre prophanis hominibus. Quare cum a cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodectæ etiam Poe-

Theopompus.

Theodectes.

tæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid e Sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse, & cum erratum agnouisset, exorato Deo redditam aciem.

POENÆ EORVM QVI IN VERITATEM DIVINAM blasphemi hac nostra memoria extitere.

Concionator blasphemus fulmine ictus.

REfert D. Martinus Lutherus ex literis Adami Budissinæ VVitebergam transmissis, concionatorem quendam relicta ciuitate, in qua synceram Euangelij doctrinam tradiderat, blasphemam Pontificiorum doctrinam amplexum esse, & in pago Kühnerwalde aduersus Lutherum diris execrationibus e suggestu intonuisse, interq; alia vociferatum: Si doctrina Lutheri vera sit, se optare, vt fulmine ictus pereat. Hinc diebus aliquot interiectis, graui sæuiente tempestate, sacerdotem impium suarum execrationum memorem, trepido cursu in ædem sacram festinasse, & cū campanas pro cōsuetudine Pontificiorum agitari iussisset, ante aram ad fundendas preces prouolutum, ibiq; fulmine ictum concidisse, mox adhibitis fomentis vires recollegisse, sed cum per cœmeterium duceretur, iterum tanto fulminis impetu percussum, vt eius vis per verticem capitis immissa totum corpus, quantum est, & ima ventris penetraret, & ipse toto adustus corpore iusto Dei iudicio extingueretur. Ex colloquijs Lutheri.

Sacerdos blasphemus a diabolo arreptus.

Anno 1557. pridie eius dici, quo CHRISTVS in cruce passus est, Forchemij, quę ciuitas est in Episcopatus Bambergēsis diœcesi, Sacerdos quidam decrepitæ ætatis, qui baculis innitens difficulter se mouebat, a duobus diaconis in suggestum deductus, verba diui Pauli ex prioris Epistolæ ad Corinth. 11. de cœna Domini enarrabat, anxieq; errores Papisticos, & Missæ idololatriam defendens, inter alia proclamabat: Paule, Paule, si tua doctrina veritati consentanea est, vsusq; Sacramenti sub vna specie impius, precor vt arreptum me Diabolus hinc auferat. Hinc ad populū conuersus vociferabatur: Si Papę doctrina vera non est, Satanę esse mancipiū, meamq; ipsi animam oppignorare haud quaquam verebor. Has & plures eius blasphemias non sine stupore & trepidatione auditores percepere. Nec mora tantus in templo strepitus & fragor auditus est, vt omnia inter se collidi, ruinamq; minari viderentur, tum vir proceræ staturæ atro colore formidabilis, in templo apparuit, ante quem venti vehementis flamina per totum templum resonantia ferebantur: is impium sacerdotem arreptum secum abstulit, nec vlli, quorsum ille abductus sit, in hodiernum vsque diem constat. Eo abducto denuo apparuit vir iste procerus, & recta in sacrarium pergens, Episcopi fratrem de Rugenstein vnum ex omnibus petit. Is qua potuit vi, spectro se opposuit, strictoque gladio eius incursum auertere conatus est, sed spectrum læsurus se ipsum vulnerauit. Tandem non sine magna difficultate e templo se proripuit, ingensq; populi fugiētis trepidatio exorta est. Eadem hora ingentes ante mœnia ciuitatis visæ sunt copiæ, eaque rerum erat facies, ac si omnia ab hostibus occupata tenerentur, tum buccinatores e turribus hostium equitumq; præsentiam significantes, terrorem ingeminabant. Nec vel Episcopo vel alijs, vbi tuto deliteſcerent, in tota ciuitate vllus se offerebat angulus. Deinde in subsequenti die Dominica terrore hoc omnium adhuc oculis animisq; obseruante, cum sacrificuli in consecranda Baptismatis aqua essent occupati, & inter alias ineptias Baptisterium circumirent, tantus denuo fragor in templo excitatus eos terruit, vt relictis sacris trepidi omnes inde profugerent. Iob Fincelius, lib. 3. de Miraculis.

Monachus D. Paulum mendacij arguit.

Monachus quidam annos aliquot diuum Paulum in concione mendacij arguere nil veritus, statim in suggestu subitanea morte concidens, blasphemiæ suæ pœnas dedit. Anno 1536.

Cum

Cum nouum genus morbi, quem sudorem Anglicum vocant, Germaniam affligeret, Anno 1529. Concionator quidam è suggestu ad populum clamabat: Puniri mundum nouis morbis, eo quod nouam doctrinam nouamque fidem susciperet: Veteri itaque Romanæ Ecclesiæ adhærēdum, eique fidelem obedientiam præstandam esse. Hinc indixit solennem processionem postridie instituendam, vna cum precibus Litaniæ Papisticę, ad morbi sæuientis propulsationem. Sed ecce postridie summo diluculo Sacerdos iste improuisa morte extinctus est, & in locum processionis indictę processio funebris fuit instituta.

Sacerdos subita morte extinctus.

Extremus verbi DEI & Sacramentorum contemptor erat rusticus quidam in pago Itzsch. Is vino obrutus grauibus maledictis verbi diuini ministrum impudenter lacessebat. A quo digressus in campis inter oues suas impietatis præmia à Satana mox adeptus est. Repertus siquidem postridie ibi fuit, toto corpore suggilatus, & carbonis instar adustus, horrendaque morte extinctus. Referebat Doctor Iustus Ionas, in Colloquijs Lutheri.

Rusticus contemptor verbi & Sacramentorum.

Anno 1542. Iunij decimoquarto, Budæ horrenda admodum tempestas sæuiens, suo impetu fastigium turris ad sanctum Stephanum solutum in campum Herculis, vbi commisso inter Regem Ludouicum & Turcas acri prælio, plurimi interierant Christiani, horrendo cum fragore deiecit. Quā cum præstigioso sacrificulus compescere sibi proposuisset, caputque ouis superstitioso ritu, ante se portans, ad Missam in templo celebrandam festinaret, turbo vehemens eum vna cum ouis capite in sublime arreptum, è conspectu omnium abstulit, vt nūquam suorum oculis postea fuerit redditus. Iob. Fincel. lib. 8. de Miraculis.

Sacrificulus superstitiosus turbine aufertur.

Cum frequens vbiq; de Cæsaris Caroli in Germaniam aduentu rumor esset, Comes quidam magni nominis, Euangelicæ religioni insultans, exclamabat: Saluator venit: Saluator venit. Idem cum audiret concini Lutheri Psalmum, cuius initium: Firmū propugnaculum noster Deus: Istud, inquit, propugnaculum tormētis concutiam & deijciam, vel non viuam. Sed tertio post die extinctus est.

Comes Euangelicis insultās, diuinitus punitur.

Faber Constantiensis in cōuentu Spirensi, palam in concione huiusce modi verba euomuit: Potius quam Lutheri fidem amplectar, vel Turcarum Deum adorabo. Illi enim ceremonias ieiunando, orando, alijsque bonis operibus non omnino abijciunt. Ad quæ respondit Lutherus: Vereor ne cum Caipha prophetaueris, vt velis, nolis, cogaris fidem Turcarum suscipere, potius quam ad veritatis agnitionem peruenias.

Fabri Constantiensis blasphemia.

FRANCISCI SPIERÆ DESPERATIO.

QVAM graue sit peccatum, à Iesu Christi, eiusq; saluifici verbi agnitione & confessione, ex metu hominum, vel amore vitæ, caducorumq; & fragilium bonorum deficere, & quam palam confessus sis veritatē, rursus palam abnegare, scientemq; aduersus Spiritum sanctum peccare, eius rei, adeoq; diuinæ iræ aduersus desertores veritatis, exemplum inprimis euidens ob oculos nobis ponitur in subiecta historia de Francisco Spiera, qui anno 1548. Patauij in Italia agnitam veritatem abnegans, in horrendam desperationem incidit, interq; grauissimos terrores extinctus est.

MArci 3. Amen dico vobis: Omnia remittentur filijs hominum peccata, & conuitia, quibuscunq; conuitiati fuerint: At qui conuitium dixerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio.

Est in agro Patauino, Venetorum ditionis oppidum, Citadella, huius ciuis erat Franciscus Spiera, vir in Iure & causis agēdis valde exercitatus, annos natus ad quinquaginta, honesta cōiuge fœlix, vndecimq; liberorum parens, alijsq; fortunæ bonis, honoribus, & dignitatibus insigniter clarus.

Is incredibili quodam ardore cœpit complecti puriorem doctrinam, & ex Spiritus sancti gratia, IESVM CHRISTVM, vnicum Redemptorē agnouit, passimque apud omnes magna animi constantia prædicauit, docens, per hūc vnicum Saluatorem iustitiam & salutem partam esse, nec vllius hominum meritis aut operibus innitendum. Quę res ab hostibus veritatis, apud Legatum Pontificium, qui tum erat Venetijs, ipsi data est crimini, à quo citatus, minisq; & increpationibus ita fuit exceptus, vt mortis formidine, bonorumque, quæ ipsi erant amplissima, iactura territus, agnitam veritatem abnegaret, abiuraretq;, adeoq; promitteret, se, simulac domum reuersus esset, publice hanc suam abnegationem confirmaturū, & antedicta reuocaturum. His ita peractis, à legato Pōtificio dimissus est. E vestigio autem grauis animi perturbatio eum obruit, & diu multumq; secum ipse in itinere disputauit, vtrum potius ad suos reuerteretur, & veritatem, quam antea palam docuerat, abnegaret, an vero relictis omnibus cum Christo sese reconciliaret. Conscientia quidem adeoq; Spiritus sanctus iubebat, vt spreta omni huius mundi vanitate, caducis opibus contemptis, breuiq; interituris dignitatibus posthabitis, Christum sequeretur, nec peccatum, quo conscientiam iam aggrauasset, longe grauiore cumularet. Ipsemet quoque in grauissima sua afflictione sæpe confessus est, sibi in itinere à Spiritu Dei huiuscemodi fere verba inculcata fuisse. Absit procul à te mi Francisce, vt literas, quibus scribēdis manus tuas polluisti, corde etiam tuo obsignes, liber adhuc es, caue ne deficias, resipisce, in agnita veritate perseuera, & licet imbecillitas carnis te vicerit, ei tamen caue porro indulgeas. In graui hac lucta, caro tandem, externorumq; bonorum, & honorū splendor, captiuum eum detinuit & vicit. Pridie eius diei, quo palinodia ipsi canenda erat, formulam retractationis, qua publice coram populo priorem doctrinam damnaret, Pontificius quidam Sacerdos ei sub vesperam præscripsit. Totamque noctem misere perditus hic Franciscus duxit insomnem. Mane deinde, in die Dominica, celebratione Missæ peracta, præsentibus eius amicis, ciuitatisque Proceribus, in frequentia totius populi (erant autem vna circiter duo millia) doctrinam veritatis, quam antea palam docuerat, publice damnatam reuocat, statimque multa ipsi irrogata, triginta aureos numerare iussus est. Nec mora horrēdum Dei iudicium in corde suo persensit, omnibus Spiritus sancti donis priuatus est, Christus ab ipso discessit, omnis consolatio, fides, charitas prorsus in eo euanuere. Cor eius mera inuidia, odio, & blasphemia aduersus Deum inflammatum; Diabolus, Mors, æternaque desperatio ad ipsum diuertere. His furijs iam per sex menses agitatus, Patauium se vna cum coniuge & liberis contulit. Sed indies eius miseria deterior & immanior facta est. Lecto affixus iacuit morbi omnis expers, suæque rationis & intellectus compos, toto corpore contabuit, omniaq; eius membra præter solam linguam elanguerunt. Cibo omni abstinuit, & si per vim liquida in os ipsi ingererentur, ea quantum potuit, respuit. Quicunque ipsum inuiserent, eos placide admisit, & prudēter admodum cum ipsis verba commutauit. Subinde testatus, se iusto Dei iudicio damnatum, ad inferos iam morari, indesinentibusque confici doloribus: Se enim in Spiritum sanctum peccasse: quod peccatum in æternum sibi condonari nequeat: Christi meritum, Deique misericordiam in æternum sibi negatam, & horrendum adeo vitæ suæ exitum sibi ex iusto Dei iudicio ideo irrogatum, vt suæ abnegationis causa omnibus electis sit exemplo.

Hæc & similia desperationis extremæ verba fecit, donec plurimi ijque doctissimi viri ad ipsum conuenirent. Inter quos fuit Episcopus Vergerius, qui omnes vias & rationes, quibus eum cōsolaretur, inijt. Doctor Gribaldus, qui grauibus verbis eum consolatus est, serioque hortatus, vt ad

miseri-

misericordiam Dei confugeret: Si totius, aiebat, mundi peccata vni homini incumberent, nullo tamen modo ineffabili misericordiæ Dei comparanda essent, multaque ex Spiritus sancti oraculis dicta & exempla in medium depromebat. Ad quæ ille constanti animo respondens ait: Hæc vt credam nunquam adduci possum. Ibi præclaris admodum verbis denuo Vergerius eum consolari cœpit: & tandem, Non ergo desideras, inquit, vt Deus tui misereatur? Ad quæ ille: Quicquid sane affertis id credo, quod & Diaboli credunt, & contremiscunt: Sed inde nulla mihi spes salutis existit. Nequaquam enim peccatum meum veniale est. Quid magis mihi in votis esse queat, quam Deum experiri benignum & misericordē? Sed talem se mihi exhibere renuit, tum omnis fidei vis mihi adempta est. Omnia quidem audire paratus sum, verbis etiam ijsdem, quibus vos præitis, subsequi: Interim cor meum odio, execratione, & blasphemia aduersus Deum abundat. Nam reipsa sentio, in quantum auersetur me. His ab eo prolatis, vrgebat Vergerius, vt vna cum astantibus orationem Dominicam proferret. Quod eo faciebat ardore, gestibusq; ad religionem sic compositis, vt omnibus esset admirationi: Precatione finita, lingua quidem, ait, orauit, sed procul inde fuit animus remotus. Omnem suam gratiam Deus mihi eripuit.

Postridie rursus eum accessere, & salutatione præmissa, ex ipso quęsiuere, num quam ex tam multiplici cōsolatione, qua ipsius animum erigere conati fuerint, spem concepisset. Ad quæ ille: Nullam prorsus, Imo, ait, indies deterius mecum agi, meamque miseriam magis magisque augeri sentio. Ibi de varijs rebus eum interrogarunt, inprimis autem, quomodo vermis ille conscientiam eius infestare & rodere cœperit? Ad omnia ille præsenti animo respondens, indicat, Quomodo ab eo die, quo veritatis agnitæ doctrinam reuocarit, cordi suo vermis ille rodens, & ignis inextinguibilis à Deo immissus sit, vt iam longe deterior sua sit conditio, quam vel Caini, vel Iudæ, & quidem malle se iam mortuum & damnatum esse, quam in hac vita talibus premi angustijs: adhæc ipsis significauit, quam horrenda oculis suis crebro obuersentur spectra.

Cum ergo rursus, quisque pro sua virili, eum consolati essent, hortati sunt ipsum, vt orationis Dominicæ verbis DEVM inuocaret, quod ille large profusis lachrymis, ijs cum gemitibus, tanta cum deuotione animi præstitit, vt nemo ex astātibus sibi à lachrymis temperare posset. Visis lachrymis, Doctor Gribaldus, eas pœnitentiæ signum esse ratus, Mî Franciscę, inquit gratulabundus, hæ lachrymæ indicant, te à DEO non omnino reprobatum & abiectum esse, quin & alij omnes optimam de eo spem animis concepere. Ad quæ Franciscus: Non equidem harum rerum sum nescius: Sed fides talis, & fiducia, quam vos quæritis, donum DEI est: Eo autem ego destituor. O si hoc vnico dono me dignaretur DEVS, vt vel modicum spei de misericordia eius in corde meo perciperem. Sed id fieri tam non est possibile, quam impossibile, cochleari vastum mare exhaurire, & ebibere. Hoc exploratum habeo, neminem vnquam in terris fuisse mortalium, qui iram DEI manifestius quam ego senserit. O vtinam mihi daretur, in cuiusuis alterius damnati locum succedere. Interim non intermittebant, qui aderant, firmissimis ipsum consolationibus erigere, sed omnis frustra sumebatur opera. Cum autem cibo prorsus abstineret, ne ex inedia vitam sibi abrumperet, vi magna manibus ipsi vinctis, oreq; effracto, iusculum infundebant, quod licet lingua, quantum poterat, retunderet & reuomeret, aliquid tamen in ventriculum vsque deferebatur. Sed nihil vnquam per inferiora egessit. Vnicum eius & assiduum votum erat, mori, & ad inferna deferri.

Tertio ab hinc die, & superiores illi viri docti, & complures Studiosi

eum

eum rursus visitarunt, cumque ipsis Sacerdos quidam Citadellensis, vir ætate venerandus, qui propius accedens, Num agnoscis me, inquit, Franciscæ, Antonius Fontanina ego sum, qui cum Venetias versus iter susciperes, tecum fui. Quibus ille auditis, gemitus & querelas reiterans, O execrandum, inquit, diem, ô diem detestabilem, vtinam Venetias nunquam vidissem, vel protinus cum eo me conferre animum inducerem, morte extinctus essem. Rursus ergo consolationibus varijs confirmabatur, ipsique merita & beneficia CHRISTI commendabantur. Tum ille nunquam CHRISTI beneficia vere se agnouisse ait, ijs se abusum, carnalique suæ fidei nimium tribuisse, conuersusque ad Studiosos adolescentes, O mei filij, inquit, nihil Euangelio derogatum volo, agnosco enim, quod ipsa sit Veritas: verum cauete, ne nimium fidei tribuentes, fide digna & Christiana opera negligatis, id fides à nobis exigit, ne tantum oretenus Christiani simus. Fidem mihi habete, tanquam ei, qui rem ipsam vere expertus sit. Hæc dicens, diui Petri Epistolam, qua fideles ad pietatē, castitatem, & sanctitatem admonet, subinde laudabat. Quę verba astantibus causam præbuere, multa pie admodum ex verbo DEI disputādi, quæ cum attente auscultaret, interrogatur tandem, Num quid consolationis ex pia hac collatione perciperet? Respondit ille: Ad mortem æternam ego damnatus sum, nec vlla Redemptionis spes mihi potest esse reliqua. O si vel minimam in misericordia DEI fiduciam vel spem collocare possem, & haud graue mihi futurum sit, per multas annorum myriadas (dummodo aliqua liberationis spes superfit) in inferorum barathro torqueri. Ad quæ Doctor Gribaldus, Non omnem, inquit, ô Franciscæ, de liberatione tua spem abijcio, forte DEO ita visum est, in hac vita iræ suæ tibi sensum immittere, & tandem in secutura vita suam erga te exercere misericordiā. Ad quæ ille, Me reprobum esse, certo scio. Rursus ex eo Gribaldus quærit, quidnam facturus esset, si ipsi cultri daretur copia, num etiam sibi ipsi, cum mortem ardentibus adeo votis desideret, manus allaturus esset? Respondit ille: Cedo cultrum, & quid facturus sim videbitis. Non ita, inquit Gribaldus, sed animum tuum Franciscæ penitus quæso nobis declara. Ipsemet, respondet ille, ignoro, quę mei sit animi vel voluntatis ratio, Episcopus Vergerius multam, sed inanem in eo consolando sumebat operam, difficulterque eum adducere poterat, vt orationis Dominicæ verbis cœlestem Patrem inuocaret. Et licet Episcopo tandem obsequeretur, nequaquam tamen eo feruore, qua antehac vsus fuerat, vtebatur, sed confessus, animum suum à Deo sic alienatum esse, vt eum Patrem appellare haud possit, omnes qui aderant hortabatur, ne in se consolando posthac suam perderent operam, adeo enim omnem consequendæ fidei misericordiæq; Dei spem præcisam esse, vt facilius sit grano milij mundum impleri, quam fide & gratia Dei se donari. Per quæ verba, qui astabant, vehementer sunt territi.

Cum ergo amici & cognati cōstituissent ipsum in patriam Citadellam reducere, monebantur ab his qui consolandi gratia Franciscum accedebant, vt assidue viros ipsi pios & doctos adiungerent, Deique gratiam & misericordiā sedulo implorarent. Mane cum indutū eū lecticæ imposituri essent, oculos ipse furibundo intuitu circumuoluens, cultellum forte cōspicatus est, quo protinus arrepto sibi ipsi vitam finijsset, nisi duo eius filij, qui præsto erant, magna illum vi è manibus ipsi extorsissent. Citadellam hinc deportatus, paucis diebus post mortuus est. Horrenda hęc est historia, quæ certe Pontificiorum animos ad veritatis agnitionem pellicere potuisset, nisi animi eorum, quemadmodum Pharaonis, indurati essent. Nec clam hæc acta sunt, sed vel sexcentis literis Patauio in alias ciuitates & regiones transmissis, passim omnibus manifestata. Pleniorem huius hi-

storiæ descriptionem pete ex tertia parte Lud. Rabi de Martyrib.

Refert Philippus Melanchthō punitæ impietatis exemplum de Sartoris cuiusdam seruo, qui cum Cœna Domini vsus esset sub vtraque specie, postea persuasus sub Papatu vna specie sumpserat; Deinde rursus ad priorem delatus herum, ab eo admonitus est, vt ad sacram synaxin accederet, sed obmutescens ille nihil respondit: Tandem cum ingenti, & horribili boatu clamat: O, ô perpetuum ego diaboli sum mancipium, simulq; cum impetu se per fenestram præcipitem dedit, omniaque interiora viscera effudit. Anno 1553. in Collectaneis Manlij. *Sartoris seruus seipsum præcipitat.*

Latomus hæreticæ prauitatis Inquisitor, Christique fidelium persecutor immanissimus, paucis abhinc annis in horrendam desperationem incidit. Nam cum ex ambitione, contra conscientiam, veritatem Euangelij atrociter impugnasset: corpore vegeto & sano, subita trepidatione, & terroribus ita perculsus est, vt quos ex amicis nouerat doctissimos ad se accerseret, suamque impietatem in extrema constitutus desperatione vltro fateretur, Graue est, inquiès, peccatum meum, qui præsidens scienscq; in verbo Dei persequendo & opprimendo alijs meam locaui operam. Quare aduersus Spiritū sanctum peccaui, nec vlla vel in hac vita, vel in æternum peccati mei condonatio mihi speranda est, sed diaboli & corpore & animæ æternum sum mancipium, adeoque iam in regnum eius incorporatus. Quinimo haud porro Latomum vt hominem intuemini, sed vt ipsum diabolum, & si aperirentur vobis oculi, manus pedesque meos tetris vnguibus deformes & formidabiles esse deprehenderetis. Per hæc eius verba, qui aderant viri docti, supra modum territi sunt. Inter quos Doctor Theologiæ amicus eius intimus consolari eum cœpit, & docere, nullum peccatum adeo graue esse, quin per misericordiam Dei condonetur. Ad quæ respondit Latomus: Sibi non ignotas esse plurimas ex sacris literis depromptas sententias, quæ præclaræ admodum sint, & consolationis plenissimæ, sed deesse sibi fidem & fiduciam in Deum. Et ne vobis dubium sit, certa esse quæ de mea damnatione loquutus sum, videbitis quod lecto iam affixus moriar. Sim autem vobis exemplo, eaque de causa, vos accersi iussi, vt per me moniti resipiscatis, & persequendis fidelibus finem faciatis. Hæc & plura cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuus est, eaq; oris eius totiusq; corporis apparuit fœditas, vt omnibus esset terrori. Iob. Fincel. lib. 3. de Miraculis. *Latomus in desperatione mortuus.*

Dominicani ordinis Monachus cum acerrime in cœnobio suo in Euangelicæ veritatis doctrinam inueheretur, inter concionandum fulmine ictus perit. Collectanea Manlij. *Monachus fulmine ictus.*

Tameri frater synceram Euangelij doctrinam professus, à fratre suo Tamero, vt hypocriticæ religioni adhæreret, permotus est, propter quam à veritate defectionem in desperationem incidens, vitam sibi ipse laqueo finiuit. *Tameri frater.*

Alphonsus fratrem suum Diasium ab agnita veritate verborum blanditijs abducere frustra conatus, perfide eum occidit. Quę historia in quinto Præcepto recensebitur. Ipsemet autem in Concilio Tridentino de collo muli sese suspendens, miseranda morte ex desperatione interijt. Anno 1551. *Alphonsus Diasij frater.*

Deus iustus est Iudex, eiusque iudicium rectum est, qui blasphemos & contemptores sui verbi impunitos haud finit. Id quod paucis abhinc diebus Hamburgi testatum reddidit. Sūmus ibi verbi Euangelijque fuit contemptor, qui multos ad impietatem pertractos seduxit, nec vlla ipse doctrina à concepto errore auocari potuit. Hic extrema tandem circumualatus desperatione, omni consolatione, quam verbum Dei credentib. suppeditat, excidit, suaq; peccata deplorans, ea maiora esse confessus est, quā *Impietas punita in ciue Hamburgensi.*

quæ

quæ condonari sibi possint, eo quod multos in fraudem illectos perdidisset. Desperationis itaq; agitatus procellis, summo cũ impetu e fastigio ædium in puteum se præcipitem dedit, vbi cum aquæ ea profunditas non esset, vt submersus statim periret, seipsum, ne ab accurrente turba viuus eriperetur, immerso in aquas capite suffocauit.

Eodem fato interijt quidam, qui Basileæ veritatem suis blasphemijs insectabatur. Ex Luth. Colloquijs.

Hofmãnus.

Hofmannus Ratisbonam versus tendens, vt Colloquio religionis nomine ibi instituto interesset, in itinere non procul ab Vima, vt hostis veritatis dira desperatione agitatus, inter horrendos mugitus impiam efflauit animam.

Canonicus Magdeburgensis a diabolo vexatus.

Bernburgi ante annos aliquot bonarum literarum fuit Studiosus, qui ex Abbatis cuiusdam promotione Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Magdeburgẽsi adeptus est. Hic cum otium & tranquillitatem propter annuos suos redit⁹ sibi polliceretur, & Babylonicæ meretricis signaculo gauderet, subito in extremas deductus est angustias. Nam cum aliquando equo vectus Magdeburgo egressus esset: ijs diabolici spectri demetatus est præstigijs, vt se corpore & anima à Satana iamiam abreptum iri putaret, quod & factum esset, adeoq;, vt ipsemet confessus est, in angustijs istis de consolatione arrepta seipsum confortasset: Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quo dicto tanquã sacro scuto tum tẽporis Satanam à se abegit, sed relicto fœtore pessimo, qualis aduersarũ est vestium. Mœstus itaque, & animo turbidus domum reuertitur. Vbi cum mensæ assideret, fratrem lateri affixum habens, spectrum illud animo eius obuersatur, & in tantas eum denuo redigit angustias, vt flebilibus gemitibus testaretur, se Satanę & corpore & anima esse proprium. In qua desperatione festino cursu in puteum proximum se præcipitat. Sed ex diuina gratia, vtnam in aquis pensilem apprehendens, se sustentauit, illæsusque inde extractus est. Ab eo tempore consolando hominem hunc turbidum, grauibusque tentationibus oppressum, admodum occupati fuere Ecclesiarum eius loci ministri, animarum curam sibi demandatam habentes. Sæpe enim numero accidit, vt concioni sacræ cum interesset, tanti subito eũ opprimerent terrores, vt amentis instar in sacrarium se propipiens, ex Concionatoribus aliquem accerseret, supplexq; ab eo consolatione ex verbo DEI desumpta erigi se peteret. Tanto ipsi Canonicatus iste cõstitit. Quoniam autem & lapsum & peccatum suum agnouit, & vere ob peccatũ dolens, gratiam & consolationem anxie disquisiuit: Misericors Deus, qui nõ vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, gratiæ & consolationis ex verbo suo eum participem reddidit, & ex mera sua misericordia, in agris, in puteo, & alijs quibusuis tentationibus mirabiliter conseruauit, omnibus periculis eripuit, vt malit iam plebeius esse eiuis, dummodo saluã habeat conscientiam, quam magnificus & diues Canonicus turpi conscientiæ labe aspersus. Hoc exemplum in promptu esse debebat omnibus ijs, qui parum salutis suæ memores Pontificiorum inhiant delicijs, & in fronte signati charactere bestiæ, fornicationis mercedem ad se pertrahũt, nec vel solo gemitu animarum & vitæ iacturam deplorant.

Lucta Christiani hominis cum Satana.

De lucta Christiani hominis aduersus Satanam Lutherus hęc referebat: Si de ijs quæ vel commisi, vel omisi cum Satana disputauero, actũ erit de victoria, & salute mea. Verũ si ex doctrina Euangelij ei respondero, & Remissionem peccatorum obiecero, victor ero, & ab eius insidijs immunis. Si quem Satanas eo adegerit, vt ijs tãtum, quæ fecerit, quæue omiserit, insistat, victoriam habet in manibus, nisi quis ex peculiari gratia & miseri-

cordia

cordia Dei hunc ad modum ei respondérit: Quamuis hoc vel illud fecerim, attamen per Remissionem peccatorum salutem consequar, Baptisatus enim sum, Cœnæ quoque Dominicæ sum factus particeps, & à peccatis meis absolutus. Si hanc consolationem non arripuero, in eandem cum Doctore quodam magni nominis desperationem facile incidero. Is præpotentis cuiusdam Episcopi minister, anno 1526. primum Euangelicæ veritatis assertor erat strenuus, sic vt neglecto etiam Domini sui edicto, Sacramento sub vtraque specie, iuxta Christi Seruatoris institutum, vteretur. Quare cum gratia Domini sui excideret, multosque propter veritatis confessionem in exilium agi animaduerteret, mutata sententia doctrinâ, quam paulo ante confessus erat, abnegauit. Mox cum videret, magno animo ab alijs Episcopi tyrannidem contemni, & fortiter tum exilium, tum alias ærumnas perferri, in ægritudinem & mœrorem tantum incidit, vt nulla apud ipsum admonitio, nulla consolatio ex verbo Dei desumpta locum haberet, sed desperatione oppressus de Christi iudicio cõquereretur: Christus inquiens, coram Patre suo cœlesti me accusat, & ait: Ne huic propitius fis, ne ei peccatum blasphemiæ & abnegationis remittas. Nam me & Euangelium meum coram Episcopo confiteri noluit. Hisce præstigijs Satanas eum efrascinauit, vt Christum intueretur, vt seuerum iudicem, tẽtatorem, accusatorem, non vt Seruatorem, Mediatorem, summum Sacerdotem, propitiatorem, & thronũ gratiæ. Quod si adfuisset ei fidelis Christi minister, eumque his verbis consolatus esset: Si fecisti, factum est, Inferat ergo Satanas: Ergo meus es. Minime gentium, tu respondeto: Non enim quid fecerim, sed quid credam spectandum est. Hac consolatione desperationi forte succurrere potuisset. Non enim in verbo Faciedi, sed Credendi acquiescendum est. Quare temerarij ne sitis. Legis & Euangelij discrimen exacte discite, id enim solum desperationis pellendæ modum exhibet. Ex Colloquijs Luth.

Desperationis exemplum.

Michaël Princeps Rabinorum, à Iudæis tantum nõ pro Messia habitus, opiparo inter suos complices instructo conuiuio, inter alia eius condimẽta, horrendas in Christum Virginemque matrem adhibuit blasphemias, adeoque impius iste Michaël de Victoria aduersus Christianorum Deum gloriatus est. Mox cum per gradus descenderet, à Sathana detumbatus, ceruicem confregit. Fincel. lib. 2. de Miraculis.

Michaël Rabinorum Princeps.

Fertur de Papa Leone, quod duos Philosophos coram mẽsa sua, de animarum immortalitate, disputare iusserit, quorum alter animam esse immortalem, alter vero animam esse mortalem contendebat. Cumque disputatio acriter intenderetur, & prolixitate ac vehementia creisceret, iamque Pontificis esset, sententiam ferre, vter illorum commodius de proposita quæstione disseruisset: Ille conuerso sermone ad eũ, qui animam immortalem esse contendebat, Vera quidem, inquit, tua videtur sentẽtia, sed aduersarij tui sententia lætum parit vultum. Hęc Epicureorum natura est, nempe quod carni blanditur, & rationi consentaneum videtur, id contra manifestam veritatem amplecti, Luth. in Genes. supra capit. 19. Adeo solida fides est Papæ circa Articulum de Resurrectione mortuorum, & æterna vita.

Disputatio de immortalitate animæ.

Thomas Blauerus, Regis Scotorum Consiliarius summus, author persecutionis aduersus Doctores Euangelicos susceptæ, cum horam mortis iam ingruere intelligeret, se damnatum & perditũ esse assidue clamauit. Cumque Monachi lecto assisterent, eumque consolari vellẽt, Apagite, inquit, cum vestris ineptijs. Nunquam enim adduci potui vt crederẽ, Deum esse, vel Satanam, infernum, vel cœlum, & in pari pretio tam vestram, quã Euangelicorum doctrinam habui. Solam spectaui in meis consilijs pecu-

Thomas Blauerus in desperatione mortuus.

niam. Et eius rei gratia Episcoporum causam egi, Regique author fui, vt vestros aduersarios eijceret. Idcirco nihil proderunt mihi vestræ vel Missę vel Vigiliæ: sum enim damnatus, & Satanas iam constrictum me tenet, vt in abyssum inferorum me arripiat, & in æternum illic secundum mea merita me affligat. In hac desperatione misere extinctus est.

DE IVREIVRANDO.

MAtthei 5. Seruator Christus ait: Audistis quod dictum fuerit antiquis, Non peierabis, sed persolues Domino quæ iuraueris. At ego dico vobis, ne iuretis omnino, &c. Sed erit Sermo vester, Est, Est, Non, Non, Porro quod vltra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur.

In secundo Præcepto omnis generis periuria prohibentur. Obijciunt autem hic nonnulli de iuramento coacto, quod Deo displiceat, ideoque minus aliquem obstringat. Hac de re quid iudicãdum, subiecta distinctio declarabit.

Iuramentum quadruplex est:

1. Iuramentum pium & Christianum, quale est Magistratus & subditorum, cum Magistratus subditis defensionem, subditi vicissim Magistratui obedientiam pollicentur. Item cum iniungitur alicui iuramentum ad cõfirmationem veritatis. Iuramentum hoc, sine vlla exceptione, semper firmum erit & inuiolabile.

2. Iuramentum coactum, quale est eorum, qui ab hostibus capti iuramento sese obstringunt, quanquã inuiti, se pro liberatione sui, iniunctam pecuniæ summam numeraturos, nec vllam vnquam aduersus eos actionẽ instituturos. Quo in casu si iureiurando quidpiam promisisti, id re ipsa præstare teneris, ne nomen Dei in iuramento in vanum assumas.

3. Iuramentum conditionale, quale est Principum vel Regũ, qui fœdera percutientes, ea Sacramento interposito confirmant. Vbi si altera pars promissis minus firmiter steterit, aut fœdus prior ruperit, tum altera pars à promissis & iuramento soluta fuerit.

4. Iuramentum impium, quale est eorum, qui vel ex imprudentia, vel iracundia iurant se facturos quippiam, quod citra peccatum & scelus perfici nequit. Huic nemo obstrictus est, nisi qui scelerí scelus velit addere. Ideo meretur laudem Dauid, quod iusiurandum, quo affirmarat, sese superbum Nabalem interfecturum, violarit. Eo namque si stare voluisset, peccatum suum geminasset. Et contra grauiter peccauit Herodes, quod impium iusiurandum, quo se deuinxerat, religiose seruandum putarit, sanctumq; Iohannem capite truncari iusserit.

Solon tantam morum probitatem inesse hominibus oportere dicebat, vt non opus esset ligare iuramento.

Socrates bonos viros decere dicebat, vt eos mores ostenderent hominibus, qui essent iureiurando firmiores.

Tibullus ex versibus Homeri:

Ah miser, & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Quantum honoris Athenis Xenocrati, sapiẽtia pariter & sanctitate claro, tributum est. Cum testimonium dicere coactus, ad aram accessisset, vt more eius ciuitatis iuraret, omnia se vere retulisse, vniuersi iudices consurrexerunt, proclamaruntque, ne iusiurandũ diceret, quodque sibimetipsis postmodum dicendæ sententiæ loco remissuri non erant, synceritati eius concedendum existimarunt. Val. Max.

Duabus de causis iureiurãdo vtendum esse dicebat Isocrates: Primum, vt seipsum à culpa iniuste sibi imputata liberet: Deinde, vt ex graui peri-

culo

culo amicum eximeret. Pecuniarum vero gratia, etiamsi causa alicuius & iusta & vera sit, nunquam tamen per Deos iurandum esse. Stobæus. Ser. 25.

Lycurgus Legislator, ita amicis consulendum esse dicebat, sic eos monendos & interpellandos, ne opus sit iurisiurandi vinculo. Ibidem.

Pericles Athenienſis ab amico rogatus, vt pro re causaque eius falsum deieraret: Respodit, Δεῖ με συμπορκῆσαι τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμοῦ, Decet me opitulari amicis, sed vsque ad aras.

Phryges iureiurando prorsus abstinent, & neminē ad iusiurandum cōpellunt. Satius esse, aiūt, fidem seruare quam fallere, eo quod testimonijs & exemplis edocti, sciant a Dijs fidei violationem grauiter puniri. Stobæus Ser. 24. Nicolai de gentium moribus historia, Alex. lib. 5. cap. 10.

Apud Persas firmissimum erat fidei datę & seruandæ vinculum dextrarum coniunctio.

Numa Pompilius, Romanorum Rex, fidem dextra data promissam sacrosanctam & inuiolabilem esse volebat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Parthi fœdera aut pacta ineūtes, coram altari dextras sibi inuicem porrexere, hoc ritu Deos fidei datæ testes adhibēntes.

Afri & Numidæ in cuiusuis boni & honesti viri dextra, firmam & inuiolatam fidem consistere iudicabant. Alex. lib. 5. cap. 3.

Alexander Magnus statuerat Lampsacum diruere. Ad id tendenti quū Anaximenes Alexandri Præceptor veniret obuiam extra muros, deprecaturus suæ ciuitatis perniciem, Alexander suspicans quid esset petiturus, luro, inquit, me non esse facturum quod petit Anaximenes. Tum Anaximenes, peto, inquit, vt Lampsacum diruas. Captus erat Alexander, & iureiurando compulsus est seruare, quos demoliri statuerat. Erasmus lib. 6. Apophthegmat. *Alexander Magnus Lampsacū diruturus, iuramento prohibetur.*

Agesilaus Rex Spartanus, cum Tisaphernes dux Barbarorum Sacramēto, quod præstiterat, violato, inducias fidem violasset, hilari admodum vultu renunciare Legatos Tisapherni iussit, habere se magnā ipsi gratiam, quod periurio Deos sibi quidem infestos reddidisset, Græcis vero belli socios. Xenophon in Orat. de Agesilao Rege.

Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator, cum Rempubl. legibus, quas iudicabat optimas, constituisset, se Delphos profecturum, vt Apollinis oraculum de salutari Reipubl. administratione consuleret, ad ciues ait, eosque iuramento obstringit, ne quid ante suum reditum in forma Reipubl. iam constituta mutaret. Vt autem ciues firmiter fixis Legibus semper starent, ipse in Cretam exulatum abijt, vbi vitæ suæ terminū clausit, iussitq; ante mortem, vt corpus suum, vt primum e viuis ipse excessisset, cremaretur, cinereſque in mare dispergerentur, ne suis reliquijs Spartam allatis, tanquam ipse si redijsset, ciues soluto iuramento Rempublicam à se institutam mutarent. Plutar. *Lycurgus.*

Ea Romanorum fuit consuetudo, vt aduersus hostem pugnare, nisi Sacramento obstrictis haud liceret. Quod ea de causa factum est, vt & acrius aduersus hostem prælìarentur, & Duces vel Imperatores deserere, ipsis esset religio, scirentque si abiectis armis fugerent, mortis aliorumque supplicium se esse reos.

Philippus Macedonum Rex iusiurandum semper contempsit, fœderūque religionem nunquam sanctam habuit. Ea propter tandem, cum vix 46. annum excessisset, interfectus est; tota denique domus illius paruo post tempore extincta est. Aridęum enim Olympias e medio sustulit, item & filium, quem Philippus ex Cleopatra Attali nepte susceperat, in ænea pelui circundatis ignibus excruciauit. Cassandri filij, quos ex Thessaloni- *Philippus Macedo periurus.*

ca Philippi filia susceperat, non multo post interierunt. Alexander filius post res maximas in medio victoriarum cursu miserrime periit. Pausanias in Arcadicis.

In Ecclesia Aruernensi quidam impius homo mendaciter iurauerat. Subito autem linguam sibi ligatam sentiens, mugire incipit. Ac de admisso scelere dolens & gemens, prosternitur ante sepulchrum Dretemonij Episcopi, eius opem (non ipsum Deum, vt præceptum est) supplex implorãs. Sentit ita q; sibi relaxari vinculum linguæ: & expedite rursus, vt ante, loquitur, publice confitens suum peccatum, quo sibi hanc pœnam sciens ac volens accersiuerat. Greg. Turon. de Confessoribus, capit. vigesimo nono.

Homicidiũ & falsum iusiurandũ puniuntur.

Goduinus, Cantianorum Comes, Anglis, mortuo Canuto III. Alfredum Etheldredi Regis exulis filium reuocantibus, ipsius virtutes formidans, calumnijs circumuenit, per insidias in itinere necauit, auctorq; fuit Anglis, Eduardum III. Alfredi fratrem, ad regnum vocandi. Eduardus Goduino scelus in fratrem commissum condonauit, eius filiam Editham vxorem accepit, & perduellionis reum in integrum restituit. Verum Goduinus nullo consilio effugere potuit meritum supplicium. Accidit, vt Haraldus filius, qui regium poculum miscebat, Eduardo prandenti daret bibere. Is forte vno pede offenso pene lapsus, auxilio alterius pedis sese à casu recepit, stetitq; vino nequaquam effuso. Tum pater, qui cum Rege discumbebat: Nunc, inquit, frater, fratrem iuuit. Ad hanc vocem etsi per iocum emissam, Eduardus turbatus animo (nam in mentem ei venit subito interitus Alfredi fratris) in Goduinum conuersus ait: Sic mihi meus frater auxilio esset, si per te licuisset. Tum homo facinorosus iram Regis veritus, cœpit sese excusare, diuinumq; numen ad innocentiam declarandum, iusiurandum adijciendo, perinde quasi cum ignaro ageret, appellare, dicens: Si vnquam Rex quicquam in necem fratris tui, aut in te machinatus sum, precor vt Dei nutu, istud panis frustum me ilico strangulet. Quæ vbi dixerat, sumpto pane, subito, præclusis faucibus, suffocatus est, ac ita parricidium morte compensauit. Polydor. lib. 8.

Franciscus Zabarella Cardinalis, cuius scripta à Iureconsultis summopere probantur, legatus missus à Ioanne 23. ad concilium Constantiense, auctor fuit Ioannis e statu deijciendi, ea spe, vt ipse voluntate Concilij ei succederet. Verum morte præuentus, ambitioni & perfidiæ simul satisfecit. Garimbertus lib. 5. de vitis Pontificum.

SACRAMENTA ET FOEDERA MAGNATVM: periuria, & infidiosa iuramenta.

Fœdus inter Ladislaum & Amurathem ruptũ.

INter Regem Ladislaum, & Turcicum Imperatorem Amurathem, pax concluſa erat in annos decem, & iureiurando sancita. Sed pacis Leges violauit Ladislaus, ex Eugenij Pontificis instinctu. Sedegino egressus cum vniuersis copijs, & VValachiam Bulgariamque omnem magna celeritate emensus, ad Varnam Bulgariæ oppidum substitit. Amurathes quoq; magnis instructus copijs, aduersus Ladislaum progreditur. Acre committitur prælium: certatur diu fortuna ancipiti. Tandem in summas redactus angustias Amurathes, fertur oculis in cœlum sublatis exclamasse: Iesu Christe, en hæc sunt fœdera, quæ Christiani tui per nomen tuum iurãtes, mecum percussere, suoque periurio te Deum suum abnegarunt. Quare si Deus es, vt ipsi aiunt, hanc & mihi & tuo sancto nomini illatam iniuriam vlciscere. Protinusque mutata fortuna Rex Ladislaus lethaliter sauciatus est, vndecim Christianorum millia trucidata, victoriæque iam desperatæ Amurathes compos redditur. Antonius Bosininus, lib. 26. Vide de hoc bello Chron. Philip lib. 5.

Æqui

Æqui Volscorum vicini, rupto fœdere, quod ictum erat priore anno cum Romanis, imperium ad Gracchum Cluilium deferunt, quo duce in Lanuuinum agrum, inde in Tusculanum hostili populatione veniunt, plenique prædæ in Algido castra locant. In ea castra Q. Fabius, P. Volumnius, A. Posthumius legati ab Roma venerunt questum iniurias, & ex eo fœdere res repetitum. Eos Æquorum Imperator, quæ mandata habeant ab Senatu ad quercum iubet dicere: se alia interim acturum. Quercus ingens arbor prætorio imminebat, cuius vmbra, opaca sedes erat. Tunc ex Legatis vnus abiens, Et hæc, inquit, sacrata quercus, & quicquid Deorum est, audiant fœdus à vobis ruptum: nostrisque & nunc querelis adsint, & inox armis cum Deorum hominumque simul violatâ iura exequemur. Quibus verbis Æquorum periurium reprehendit, Romanosque paratos esse indicat, qui auxilio Deorum perfidiam eam vlciscantur. Legatis domum reuersis, Romani conscripto exercitu fœdifragos vicerunt & fuderunt. Liuius lib. 3.

Æqui fœdifragi.

Anno ab V.C. 317. Fidenæ Colonia Romana, ad Lartem Tolumnium Veientium Regem ac Veientes defecere. Maius additum defectioni scelus. C. Fulcinium, C. Iulium Tullum, Sp. Nautium, L. Roscium legatos Romanos, causam noui consilij quærentes, iussu Tolumnij interfecerūt. Quod facinus in quo ferentes animo Romani, bellum aduersus Fidenates decernunt. Et licet magna Fidenatium essent auxilia, tandem tamen à Romanis victi & cæsi sunt. Erat inter equites Romanos Tribunus militum, A. Cornelius Cossus, is cum ad impetum Tolumnij quacunque le intendisset, trepidantes Romanas videret turmas, insignemque eum Regio habitu volitātem, tota acie cognouisset, Hiccine est inquit, ruptor fœderis humani, violatorq; gentium iuris? Iam ego hanc mactatā victimam (si modo sancti quicquam in terris esse Dij volunt) Legatorum manibus dabo. Calcaribus subditis infesta cuspide in vnum fertur hostem, quem cum ictum equo deiecisset, confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit. Assurgentem ibi Regem vmbone resupinat, repetitumque sæpius cuspide ad terram affixit, tum exangui detracta spolia, caputq; abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi Regis hostes fundit. Liuius lib. 4.

Fidenæ fœdifragæ.

A. Cornelius Cossus.

Cleomenes Lacon, assumpto vno ex familiaribus suis Archonide, eum consortem & adiutorem sui propositi fecit. Iurauit igitur ei, si voti compos fieret, se omnia cum ipsius capite transacturum esse. Cum vero potitus rerum esset, occiso socio, caput eius exectum vasi pleno mellis imposuit, & quotiescūq; aliquid agere instituisset, oculos in vrnā deflexit. Atq; sic omnia peregit, dicens se pactum non violare, neq; iusiurādum fallere. Etenim consilium se cum Archonidis capite capere, Ælian. lib. 12.

Thibron in Asia castellum oppugnans, præfecto castelli persuasit, vt ad faciendum fœdus prodiret, iurans si res componi nequeat, se incolumem ipsum in castellum restituturū. Egressus ille ad Thibronē in colloquium venit. Custodes autem castelli spe pacis dissolutius agebant. Interea Thibronij impressionem facientes, vi munitionem capiunt. Thibron vero, ne iusiurandum violare videretur, prefectum incolumem in castellum reduxit, sed reductum intus interfici iussit. Polyæn. lib. 2.

Eadem fraude vsus Pāches, cum Notium oppugnaret; Ducem enim Hippiam interposito iureiurādo, se illæsum & viuum remissurum, ad colloquium euocauit. Interim Notium vi cæpit, atque tum Hippiam viuum in vrbem reduxit, quemadmodum in fœdere promiserat, & postea iaculo peremit. Polyæn. lib. 3.

Alexander Magnus mercenarios Indorum milites pacto secum initō ex vrbe quadam discedētes, in itinere adortus vniuersos interfecit. Cumque illi contrā iusiurandum se violari clamarent, adeoque violatos Deos

implorarent: Respondit Alexander, Se quidem liberum ipsis ex vrbe discessum promisisse, non autem plenam in perpetuum securitatem. Quod eius facinus cæteris rebus iuste & regi conuenienter gestis maculam inusit. Plutarch. in vita Alex. Polyæn. lib. 4.

Timoleon oppugnabat Milarcum tyrannum, qui multos dolis circumuenerat, & neglecta iurisiurādi religione trucidauerat. Tyrannus simulabat se iudicium apud Syracusas subiturum, si Timoleon non accusaret. Ille iurauit se non accusaturum. His intercedentibus conditionibus, Milarcus Syracusas venit. Timoleon cum eum in concionem protraxisset: Nequaquam, inquit, eum accusabo: sic enim pactus sum, verum interfici celerrime iubeo. Nam æquum est, qui multis verba dedit, eum aliquando simili ratione circumueniri. Polyæn. lib. 5.

Locri Italici fœdus cum Siculis facientes, allij capita sub tunicis super humeros imposuerunt, & terram iniectam calceis sub pedibus habentes iurarunt, se firmam ac solidam ipsis Rempub. conseruaturos, donec eam terram calcarent, & capita in humeris ferrent. Iurijurando fidem habentes, Siculos omnes postridie Locri interfecerunt, quasi iam non amplius in eadem terra ingredientes, neq; capita in humeris ferentes. Polyæn. lib. 6.

Caunitæ cum hostibus iusiurandum inierunt, & fœdus de pace constituerunt, ea conditione, vt nihil aliud, quam lapidem per vniuersum murorum circuitum eximerent. Quibus eam rem tolerabilem existimantibus, hostes infimos lapides e muro eruerunt, sic vt facile moles vniuersa collaberetur. Polyæn. lib. 6.

Albertus Comes Frāconiæ. Atto Episcopus Moguntinus.

Imperatoris Ludouici Quarti fratrem Conradum, Orientalis Franciæ Ducem, Comitem Lotharingię, interfecerat Albertus Comes Franconię. Itaque Imperatoris sibi infensissimi iram fugiens, se in munitissimam arcem Bambergensem conclusit. Vbi cum frustra iam in septimum annum Imperator eum oppugnasset, tandem inops consilij, ex Attone Moguntino Episcopo, quid agendum sit, quærit. Is pollicetur, se Comitem in manus Imperatoris traditurum. Simulans itaque periurus Episcopus, sacram amicitiæ fidem, ad Albertum proficiscitur, Iureiurando ei promittit, si ad colloquium cum Ludouico ab vrbe descendisset, in Bambergam se eum incolumem restituturum: Posteaquam vrbe Albertus est egressus, Atto tanquam si melius ad hoc cogitasset, mutata sententia, cum Alberto egredi se in vrbem velle, vt pranderet, dixit: affirmans quod hora tardior videretur, satius esse prius discubitum redire, moxque ad Ludouicum ab arce descendere. In vrbem itaque regressi & pransi sunt. Deinde cum ad Ludouicum descendisset Albertus, captus est, & securi percussus, propter Conradi Ludouici fratris mortem, qua eum Albertus affecerat. Cum autem ineusaret Albertus, non seruari sibi pactam fidem: Atto aperte respondit, se eum incolumem reduxisse in vrbem, cū prāsus cum eo profectus esset, & quia semel tantum promiserat, eum se restituturum, idq; seruauerat, iniuste eum queri violatam, quæ data fuerat, fidem fuisse. Campofulgos. lib. 7. cap. 3. Chron. Philip. Melanchth. lib. 4 Imperator proditori Episcopo arcem & bona Alberti reliqua occupanda tradidit. Nec longe post tempore diuina etiam pœna episcopum obruit, fulmine siquidem ictus interijt. Scribitur eum corpore & anima à dæmonibus in Ætnam flammiuomum Siciliæ montem abreptum esse, cum tali clamore: Sic peccata lues, atque ruendo rues: Historiam vide Ecclesiasticam Doct. Gasp. Hedionis, lib. 8. cap. 10. Infra de proditione in Præcepto septimo huius etiam Attonis fit mentio.

Amasis Persarum Dux.

Amasis à Persis aduersus Barceos missus, ij enim sunt, qui postea sub Ptolemaidis nomine vrbem incoluerunt, cum vi potiri vrbe non posset, pacem cum Barceis iniuit. Cæterum nocte ea, quæ pacem antecessit, in-

gentem fossam effodit, totamq; postea, subiectis lignis, vt æqua cum aliâ humo esset, constrauit: eo in loco fœdus initum cum Barceis iuramento confirmauit, cuius vnum erat caput, nunquam violaturum ipsum eam pacem, dum terra, quam calcabant, formam quam habebat, seruaret: eo verbo Barceos fefellit, arbitrantes intelligi, dum orbis terrarum duraret: Itaque proxima nocte fossam aperuit, atq; ita sacramento solutum se arbitratus, Barceos nullam vim, facta iam pace, verentes inuasit, atq; ditioni suæ subegit. Campofulg. lib. 7. cap. 3.

Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, cum septem dierum cum Argiuis inducias fecisset, tertia nocte cum Argiui securi agerent, incautos adortus, magnum eorum numerum cecidit atque cepit. Cum autem perfidiæ Argiui eum arguerent, septem dierum se inducias dixit pepigisse, cæterum de noctibus nullam prorsus fecisse mentionem. Hoc enim responso perfidiam suam ex parte velare voluit, quam totam tamen tegere non potuit. Ibidem. Nec tamẽ ex voto res ea Cleomeni cessit. Fœminæ siquidem ætate florentes, duce Tolesilla, arma capiunt, in pinnaculisq; stantes muros corona cingunt, attonitis miraculo hostibus Cleomenem multis amissis repellunt, qui tandem in Ægypto exul sibi ipsi manus inferens, vitam misere finijt. Plutarchus de virtutibus mulierum, & in vitis.

Rodericus Gutherius.

Cum Rodericus Gutherius Comes in prælio captus esset à Ferdinando Castulonensi Rege, in quo prælio ipsius Roderici frater Aluarus mortuus erat: hac conditione à Ferdinando dimissus est, vt iuraret, se fratre sepulto rediturum. Itaque vt promissa Rodericus præstaret, fratris corpus aromatibus conditum, atque capsæ inclusum, quocunque proficisceretur secum ferebat, neque ante sepeliuit, quam Ferdinandum Regem decessisse intellexit. Ea enim arte ad Ferdinandum non redeundo, Sacramenti religionem se seruaturum putauit. Campofulgos. lib. 7. cap. 3.

Henricus quartus.

Aistulfus, Rex Longobardorum, cum pactis cum Francorum Rege Pipino initis minus firmiter staret, res nouas moliebatur. Sed diuinitus eius perfidia & ferocia repressa est, cum in venatione equo lapsus, paucis diebus post extinctus est. Anno 756. Conrad. à Liechtenaw in Chron. Sigebertus in Chron.

Pontifex, Episcoporumque colluuies Henrico eius nominis Quarto acriter sese opponebant. Pontifex decretum in Germania promulgat, quo Henricum ex Ecclesia proscripsit, & miserat hortatu Saxonum ad Rudolphum Sueuorum ducem, nouo & inusitato exemplo coronam auream, cũ hac inscriptione: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho. Rudolphus etsi alienum à boni ciuis officio videbatur, Principis, cui fidem dedisset, Maiestatem lædere, persuasus tamen Episcoporum argumentis suscepit Cæsaris titulum. Proinde propere in Germaniam redit Henricus, Rhenanorum & Francorum instructus copijs conflixit cum Saxonibus nouẽ iustis prælijs. Quarto Rudolphus profligatus, & lethaliter sauciatus, ad Elistrum Mysiæ occubuit, amissa dextra, anno Christi 1080. idibus Octobr. Vbi cum iam expiraturo dextra, quã in prælio amiserat, allata esset, nimis sero scelera & perfidiam pontificum detestatus, Hęc (astantium Episcoporum agmẽ allocutus) dextra est, inquit, qua Imperatori promissam fidem confirmaui. Hæc violatæ à me vobis impulsoribus fidei argumentum, & nefariæ perfidiæ vestræ testis est, de qua nobis rationes reddendæ erunt Deo. Nihil tamen hoc diuinæ pœnæ exemplo mori Pontifex & Episcopi, non cessarunt Imperatorem Henricum insectari, adeoq; filios eos. Conradum, quem Italiæ pater præfecerat, eoq; mortuo, Henricum Quintum aduersus patrem concitarunt. Chronica Carionis.

Rudolphus Habspurgensis.

Anno 1273. solenniter Imperator electus est Rudolphus Habspurgensis Comes, quo Rex Boëmiæ Ottocarus non ita multo ante Magistro Cu

riæ in aula sua mercede fuerat vsus. Qua de causa Imperatorem contemnens Ottocarus, ei parere recusauit, Austriamque cum finitimis regionibus occupatam ad se rapuit. Imperator missis Legatis ea quæ Imperij erant, propria reposcit, quos cum ille contemptui haberet, bellum inter eos exarsit, in quo victus Ottocarus, Austria cessit, feudaque regni Boëmici & Moraviæ ab Imperatore supplex petere coactus est. Quam mariti sui coram Imperatore humiliationem regina vbi comperit, conuitijs & probris Regem incitat, vt violato fœdere, & Sacramento, quod Imperatori præstiterat, bellū redintegraret. In quo bello victus Ottocarus, perfidiæ suę pœnas luit: cæsis enim in conflictu Boëmorum quatuordecim millibus, ipse quoq; Rex equo deijcitur, gladioque transfixus moritur. Anno millesimo ducentesimo septuagesimo octauo. Munsterus in Cosmograph. lib. 3. Chron. Philip. Melanchth. lib. 5.

Tassilo Boiorum Rex, gener Desiderij Longobardorum Regis temere aduersus Carolum Magnum ex Italia reuertentem, vbi Longobardos tumultuantes compescuerat, bellum mouit. Carolus ergo occurrit Tassiloni duobus distinctis exercitibus, quorum vnum duxit Pipinus filius per Iulias & Carinas alpes. Hac celeritate territus Tassilo, pacem petiuit, & impetrauit. Factam pacem scribunt Augustæ Vindelicorum ad Lycum amnem, qui distinxit Alemannos à Boijs. Sed non multo post Tassilo violatis pactis, & fœdere inito cum vicinis Hunnis, & Auaris, renouauit bellum, in quo non destitutus tantum, sed insuper accusatus etiam à suis violatę fidei, ac Carolo traditus, lege Salica condemnatus est ad regni abdicationem. Regno ergo mulctatum vna cum filio Dedone, vt nouarum conspirationum & molitionum occasiones omnes vtrique adimeret, in monasterium inclusit, quod adhuc non procul ab Heidelberga nomen Laureaci retinet. Chron. Philip. Melanchth. lib. 4.

Ioannes dux Burgundiæ.

Anno 1416. Ioannes dux Burgundiæ graui bello Regem Gallorum adortus, plurimum regno eius detrimenti intulit, Lutetiam Parisiorum vi cepit, multos in ea Episcopos, Sacerdotes, Doctores, Studiosos, & Ciues trucidauit, totamque ciuitatem diripuit. Anno sequenti Dux ille Burgundiæ contra datam fidem Rege inspectante decollatus est. Fœdus siquidem iam inierant, idque interposito per corpus Christi iuramento confirmarant, & vt pactum illud sacrosanctum esset, ambo hostiam sacram è manu Sacerdotis coram altari, diuisam sumpserunt. Hanc Ducis Ioannis mortem filius eius Philippus atrociter admodum vltus est. Nam societate cum Rege Angliæ inita, vniuersum Gallorum regnum incendijs & direptionibus deuastauit, Parisiorum vrbem expugnauit, multisque millibus in ea cæsis ferme ad internecionem vsque regnum depopulatus est, & in tantas Regem angustias redegit, vt aliquandiu ipsi relicta Gallia exulandum fuerit. Chron. Casp. Hedion. lib. 4.

Narcissus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus, magnis virtutibus & miraculis nobilitatus, qui in solenni vigilia Paschatis, cum oleum Diaconis & ministris Ecclesiæ defuisset, his qui luminaria apparabant, præcepisse fertur, vt aquam è proximo puteo haurirent, quam allatam, in vasa luminarium infundi iussit, eaque diuina quadam virtute in olei naturam mutata est. Aduersus hunc Narcissum quidam scelerati homines, cum eius in corrigendis vitijs asperitatem neutiquam ferre possent, consutis dolis conspirarunt, qui vt auditoribus criminationis falso obiectæ fidem facerent, cum iureiurando confirmarunt, diris sese, si fallerent, deuouentes. Primus quidem: Si non vere dixerim, inquit, opto vt ignis incendio misere dispeream. Alter vero sic: Si non vere dixerim, opto vt fœdo ac sæuo morbo corpus absumatur. Tertius autem hoc modo: Opto, si non vere dixerim, vt luminibus penitus orbatus sim. Verum quamuis nemo ex fi-

delibus, quibus caſtitas Narciſſi, & vitæ ratio ex regula virtutis traducta, perſpecta eſſet, illis vel grauiſſimo iureiurando ſe obſtringentibus fidem adhibuerit, tamẽ partim præ indignitate falſo obiectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in ſapientiæ ſtudio degendæ, ab oculis vniuerſæ multitudinis ſe penitus remouit, & in ſolitudine ad multorum annorum ſpatium vitam tranſegit. Verum ſublimis ille diuinæ iuſtitiæ vltioniſque obtutus, protinus impios illos & ſceleratos homines oppreſſit. Primus igitur ſcintilla perexigua noctu in ædes ruente, miſere cum tota familia & ſtirpe ſua, rapido flammarum ardore omnino conflagrauit. Alterius corpus, eodem morbo, quem ſibi imprecatus fuerat, ab extremis pedum digitis ad caput vſq; infectum contabuit. Tertius ærumnoſos priorũ euentus aſpiciens, palam maleficia a ſe, ſuiſque ſocijs, per fraudem contra Narciſſum admiſſa, confeſſus eſt, ſeq; acerbis lamentis confictans, vſq; eo lachrymas effundere non deſtitit, quoad vtrunque oculum ſibi penitus extinxiſſet. Euſeb. lib. 6. cap. 8.

Burghardus Archiepiſcopus Magdeburgẽſis, frater Epiſcopi Geuehardi, Epiſcopi Mersbergenſis, anno milleſimo trecenteſimo, decimoquarto, graui obſidione Magdeburgum preſſit, munitus auxilijs Frederici primi, in Miſnia Marchionis, Ducis Brunſuicenſis, aliorumque Principum & Comitum, ciues ingentibus animis hoſtem repreſſerunt. Mox pacis inito fœdere, certam pecuniæ ſummam Epiſcopo numerantes, ab omni inſultu hoſtili ſe liberarunt. Verum licet variis modis fidem ſuam Epiſcopus aſtrinxiſſet, eam tamen perfide violauit, nouiſq; molitionibus & machinis ciuitatem infeſtare aggreſſus eſt. Quam perfidiam vlturi ciues, Archiepiſcopum ceperunt, eumq; in turri S. Iohannis areæ quernis compactæ trabibus, includere decreuerunt. Qua ciuium ſeueritate intellecta, omnem ferociam exuens Archiepiſcopus, humili ſua deprecatione ciuiũ animos ad miſericordiam adduxit, pollicitus, ſe ſummum ciuitatis per omnes vitæ ſuæ dies amicum fore, & defenſorem, nec quicquam eorum iuri vnquam derogaturum, ſeque hanc ſuam promiſſionem iureiurando per ſacrum Chriſti corpus confirmaturum, ſolenniq; ritu in cœtu Eccleſiæ ſe corpus Domini manducaturum. His eius promiſſis fidem habentes ciues, omni rurſus honore eum proſecuti ſunt, & ſolenni cum pompa, & populi tripudio, in Epiſcopalem domum reduxere. Edicto quoq; vetuit Senatus, ne quis vnquam de his rebus Epiſcopo vel minimum exprobraret, ſed debita ipſum obedientia atq; officijs ciues ornarent.

Burghardus Archiepiſcopus Magdeburgenſis.

Cæterum liber factus Archiepiſcopus, ad ingenium redit: à Iohanne Pontifice eius nominis viceſimo tertio impetrat, vt à iuramento ſoluerẽtur, varijs inde machinationibus ciues oppugnat, in VVeſtphalia per inſidias duodecim ex primoribus ciuitatis captos abducit. Quibus iniurijs Senatus Magdeburgenſis motus, denuo eum comprehendit, anno milleſimo trecenteſimo viceſimo quinto, in die decollationis S. Iohannis Baptiſtæ, captumque carceri incluſum cuſtodiuit. Interea amicis eius varia conſilia agitantibus, nouaſq; ſubinde turbas excitantibus, à præfecto carceris veſte cæſus, vel, vt alij memorant, virga ferrea ex clathrata feneſtra exempta, interijt, fideique toties violatæ & periurij pœnas luit. In Chron. Erneſti Brotauff.

Diſſentientibus Electorum ſuffragijs Imperij adminiſtrationem capeſſunt Adolphus Naſſauienſis, & Albertus Auſtriacus. Vnde grauia per Germaniam orta ſunt diſſidia, omniaque bellis æſtuarunt, donec prope Spiram commiſſo acri prælio, Adolphus lethali vulnere ab Alberto ſauciatur. Sunt qui ſcribunt, omnes qui aduerſus Regem coniurarint, mala morte perijſſe, quaſi quodam fato. Comes Albertus de Haigerloch occiſus, Otto de Ochſenſtein ſuffocatus, Epiſcopus Moguntinus ſubito in ſella apoplexia

Adolphus Naſſauieſis. Albertus Auſtriacus.

tactus, Episcopus Argentinensis à Ianio ante Friburgum ense traiectus, Comes de Leiningen phrenetide correptus. Albertus ipse à fratris filio Iohanne interfectus, memorabili exemplo vindictæ diuinæ, expetentis pœnas pro Magistratu ab ijs, qui Magistratum violant. Cosmograph. Munst. lib. 3. Chronic. Philip. lib. 5.

Imperator Sigismundus ad Constātiensem synodum Iohannem Hus, & Hieronymum Pragensem data ipsis fide publica vocauit (exemplar literarum, quibus saluus ipsis conductus promittitur, in 2. parte de Martyr. apud Lud. Rabum ponitur) sed nulla promissorum habita ratione Pontificiorum tyrannidi ministrum se præbuit, suaq; sententia ad ignis supplicium eos damnauit. A quo tempore parum prosperi eius fuere successus.

Hospes periurus à Satana aufertur.

Periurijs & execrationibus summopere abstinendum esse exemplum sequens, quod à Iobo Fincelio lib. 1. de Miraculis describitur, nos monet. In Marchia, hac nostra ætate, miles quidam in morbum incidens, hospiti suo, ad quam diuerterat, marsupium pecuniæ plenum custodiendum tradit. Vbi conualuit, depositum repoſcit, hospes re cum vxore sua prædeliberata, se quicquam accepisse constāter negat. Vnde acris inter eos existit contentio: miles hospitis in negando depositō impudentiam & perfidiam iniquius ferens, stricto ense ipsi exitium minatur. Qua de causa miles, vt pacis publicæ violator; protinus à lictoribus arreptus, in vincula conijcitur, adeoq; capitis damnatur. Cumq; iam instaret dies iudicij, Satanas miliiti in carcere apparet, liberationem a morte ipsi promittit, quatenus ei sese addicere velit. Respondit miles, se malle vel decies mori, quam eam cōditionem accipere. Tandem promittit ei Satanas absque vlla conditione liberationem, monetq; vt mane ad Prætorem & Iudices adductus, è turba sibi aduocatum addi petat eum, quem cæruleo tectum pileo conspecturus esset. Mane postquam ad Iudicem peruentum est, miles quod à Satana iussus erat, facit. Procedens itaque Aduocatus ille, nempe Satanas ipse, disserte, & ex ipso fundamento de iure disputat, qua ratione furtum sit commissum, quanta pecuniæ summa, & vbi repositā sit, ordine indicat. Contra hospes diris se deuouet, & subinde imprecationem repetit, si quicquam sibi de pecunia ea constet, se optare, vt protinus à Diabolo arreptus auferatur. Nec mora Satanas, omisso causas agendi munere, omnibus ibi aspectantibus, hospitem arreptum sublimem secum in aere aufert. Nec postea vsquam corpus hospitis inuentum est.

Quidam dira sibi imprecatus, à Satana verberatur.

Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, in Heluetia ad S. Gallum, quidam qui in apricis campis lintea rudia mundando victum quærebat, vinariam ingressus tabernam, poculis se obruebat, vino demētatus, diras euomebat execrationes, inter cætera exclamans: Si vnquam posthac in campos ad mundanda lintea descendero, opto vt Satanas aduentans ceruicem mihi elidat. Postridie memor quidem suorum est verborum, nihilominus autem ad consuetos labores redit, protinusque obuium habet virum procera statura, atroq; colore formidabilem, qui truculento vultu eum alloquens: Heus, inquit, memorne es hesternæ tuæ deuotionis, nonne mihi iam licitum est ceruicem tibi elidere? Quæ audiens ille toto cōtremuit corpore: interea diabolus humeros ei verberat, ex qua plaga derepente & manus & pedes ei exaruerunt, prostratusq; ibi in terra iacuit, donec à prætereuntibus conspectus, & domum deportatus est. Iob. Fincelius lib. 2. de Miraculis.

Nobilis mulierem decipit & defraudat.

A Magistratu si qua minus puniantur scelera, ea certe diuinam pœnam haud effugient. Cuius rei testimonio est, vir quidam genere nobilis, de Greffendorff, is viduam quandam de nobili item prosapia oriundam, annis adhuc floridam, magnis pollicitis induxit, vt eius libidini obtemperaret, promittēs se eam ducturum vxorem. Cumq; magna bonorum par-

te eam defraudasset, impudicam eam esse clamitat, fidemq; coniugalem se ei promisisse negat. Perfide se deceptam esse mulier animaduertēs, periurum istum desertorem apud iudicem accusat. Sed rursus ille suis blanditijs simplici mulieri persuadet, vt ab accusatione desisteret, & si a iudice ea de re examinaretur, sibi promissum esse coniugium diffiteretur, se enim nunquam ipsam deserturum. His verbis credulæ mulieri imposuit. Cum autem nō ita multo post alij cuidam virgini nuptias promisisset, protinus vltrices sensit furias, & quidem atroces adeo, vt consolationi nihil relictū esset loci. Sub noctem deinde equum conscendens, vno comitatus seruo ab hospitibus suis discessit, cumq; per agros equo suo veheretur, visus est sibi multas equitum turmas habere obuias, tandem ab equo delapsus, se ipsum gladio suo traiecit. Iobus Fincel. lib. 3.

Praua imprecandi consuetudo punitur.

Anno millesimo quingentesimo quinquagesimonono, Mansfeldiæ in arce tale quid accidit: Adolescens quidam aulicus ex praua consuetudine singulis fere verbis hanc attexebat execrationem: vel auferat me hinc diabolus. Cum itaque tempus sibi idoneum nactus esset Satanas, noctu eum abreptum e lecto in imam fossam, cuius altitudo erat a fenestra, per quam adolescens terebatur, viginti sex cubitorum & dodrantis, deiecit, lapidumque acerno inuoluit, quo tamen lapsu non admodum læsus, aliis exemplo fuit, ne temere execrationibus vtantur. M. Cyriac. Spangenb. in Elegantijs veteris Adami.

Refert Albertus Krantz lib. 6. in Chronicis Saxonicis Comitem quendam Henricum a Schwartzburg / ex praua consuetudine sibi impecari solitum, vt in latrina mergeretur. Quod ipsi anno millesimo, cētesimo, quadragesimo octauo, Erfordiæ in monasterio ad S. Petrum accidit.

Quidam ex impia consuetudine assidue vtebatur, quasi prouerbiali dicto, his verbis: In nomine Diaboli. Et licet sæpius a bonis viris reprehensus, vt a praua adeo consuetudine desisteret, moneretur, ne ingēs aliquod malum sibi ipsi crearet: ipse tamen in consueta verborum impietate perstitit. Accidit tandem, vt ipsi per ponticulum, quo paluſtres fauces stratæ erant, transeundum esset, ibi cum ponticulum ascensurus forte impingeret, pro consuetudine sua, In nomine, inquit, diaboli. Protinusq; a Satana, elisa ceruice, in paludem deiectus est. Ex Colloq. Lutheri.

Quidam qui peierauerat, in sacra concione damnari periuria, eaque a pœnis diuinitus irrogatis, immunia esse haud posse, docere audiens, Non video, inquit, brachium, quo pieraui, altero esse breuius. Vix hæc dixerat, ecce tanta inflammatione manus ipsi subito exarsit, vt eam chirurgo præcidendā præbere cogeretur. Sic brachium illud altero breuius factum est.

DE BLASPHEMIS, EORVNDEMQVE POENIS.

BLasphemus a filijs Israel lapidibus obruitur. Leuit. 24.

Sichemitæ maledicentes Abimelecho, ab eo cęduntur, ciuitasq; ipsorum funditus euertitur. Iudicum 9.

Goliath clamans aduersus phalangas Israel, maledixit Dauidi in Dijs suis, sed mox ictu lapidis e funda Dauidis emissi, extinctus est. 1. Reg. 17.

Semei Dauidi Regi maledicebat, qua de causa tandem interfectus est. 2. Reg. 16. & 3. Reg. 2.

Iudas Machabæus præsidium munitum Gazarā occupans, omnes quos in eo comprehendit ciues & milites, propter blasphemiam & maledicentiam viuos concremauit.

Blasphemiæ horrendæ exempla.

Preces matutinas accessurus vir pius & sanctus, œnopolium præterijt, in quo iuuenes quidam compotationibus & lusibus iam totam noctem triuerant, & inter iurgia & rixas atroci blasphemia DEVM offenderant.

Cum ergo paululum ille perrexisset, conspexit hominem fœde per totum corpus vulneribus laceratũ: admirabundus accedit, a quonam fœde adeo sauciatus sit, sciscitatur? Respondet iste, se a iuuenibus istis, qui in cella vinaria ludant tetris adeo vulneribus affectum. E vestigio itaq; ille in cellam vinariam descendit, gtauibusque verbis iuuenes percontatur, quanam de causa miserum hominem, foris in platea iacentem, fœde adeo laceraríint? Attoniti iuuenes respondent, Neminem in cella vulneratum per eam noctem fuisse, se solos perpetem noctem ludo duxisse. Interim cum eo egrediuntur visuri, quisnam esset ille qui vulneribus coopertus foris iaceret: Sed nusquam ille reperiebatur. Itaque animis turbati, prorsus credidere, sese horrenda sua blasphemia Christum quasi de nouo excarnificasse. Discipulus de tempore in Promptuario.

Vera hæc esse potest historia, vel vt parabola a viro sancto & pio sic conficta. Verum vtut sese res habeat, fateri certe cogimur, Christum per diras blasphemorum hominum execrationes, quæ per amaram eius mortem & passionem fiunt, per vulnera, crucem, & Sacramenta denuo & vulnerari & crucifigi.

2. Legitur in libro de Apibus hoc punitæ blasphemiæ exemplum: Iudęus in pago quodam Campaniæ cum homine Christiano ludens, magnæ pecuniæ summam, quam in ludo deposuerat, perdidit. Qua iactura animo turbatus, diras inter ludendum in Christum eiusq; matrem virginem Mariam, execrationes euomere cœpit, subitoq; inter execrationes istas morte oppressus interijt. Christianus quoque, qui execrationibus istis interesset, nec eas cõpescere, aut redargueret, statim mente captus, miseranda tandẽ morte extinctus est. Discip. de Temp. serm. 12. Item in Promptuario.

3. Anno 1553. in Heluetia prope ciuitatem Willisauw / quæ tribus distat milliaribus a Lucerna, facinus hoc tragicum & horrẽdæ impietatis & blasphemiæ plenum, accidit. Tres aleatores in die Dominica super abaco in campis ante ciuitatis mœnia posito, luserunt. Quorũ vnus Vlricus Schrœterus cum multum pecuniæ ludendo insumeret, crebrisque interim execrationibus Deum offenderet, accidit vt fœlix iactus fortunam ipsi optatam in ludendo sponderet: Ibi execrationibus iam assuetus homo impius, Si, inquit, modo fortuna me fefellerit, arreptum pugionem in ipsius Dei corpus, quousq; potero, intorquebo. Fortuna eum fallit, & protinus ille pugionem stringit, eumq; cuspide arreptũ, cœlum versus eiaculatur. Pugio in aere euanescit, & quinq; sanguinis guttæ in mensam decidunt. Nec mora Vlrichum istum Satanas & corpore & anima arreptum aufert, tanto quidem cum impetu & stridore, vt per totam ciuitatem & pauor & tumultus excitaretur. Reliqui duo extremo consternati pauore, sanguinem de tabula abstergere conantur, sed quo studiosius tabulam mundant eo exactius purpureus cruoris nitor apparet. Rumor facinoris huius ciuitatem implet, certatim omnes accurrunt, duosq; reliquos colluſores tabulam frustra aquis tergentes, offendunt, quos examinatos statim ante mœnia in vincula conijciendos esse Senatus decernit. Cumq; iam per ciuitatis portam ducerentur, alter viribus prorsus destitutus corruit, tantaque copia vermes & pediculi ex corpore eius prodierunt, vt ab eis excarnificatus, miserrima & fœdissima ibi morte extingueretur. Quo viso, nulla interposita mora tertius intra ciuitatis mœnia capite truncatus est. Tabulæ pars, quæ sanguine respersa erat, resecta, & vt testimonium monimentumque huius facinoris reposita est. Iobus Fincelius. Meminit quoq; huius facti Andreas Musculus in diabolo blasphemiæ.

4. Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, in finibus Magnopolensibus, complures vna, ferijs Pentecostalibus abusi, cereuisiæ ingurgitandæ studuerunt. Ibi mulier quædam diris modis Deũ

detestans,

detestans, meros crepabat diabolos, quæ e conspectu omnium, qui aderant, a Satana abrepta, & sublimis per aerem ablata est, & inspectante populo tandem exanimis decidit. Iob. Finc. lib. 1.

Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo primo, apud Tyrigetas tres milites nemus trãsiere, ex quibus vnus, orta tempestate, grauiterque cœlo tonante, diris execrationibus Deo maledixit, subitoque impetuosi venti violentia arborem prægrandem cum radicibus ex ima terra euulsam, in blasphematorem coniecit, eumq; profundæ terræ illisit, vt solo extaret capite. Ibidem.

5. Huc referendum quoq; horrendum in primis facinus de quinque ebriosis hominibus, qui postridie diei Dominicæ verspertinas horas cyclopica potatione, impijsq; execrationibus prophanarunt. Diabolus in pariete depictus erat, cui subinde ex impia vecordia pocula propinabãt. Verum ad pocula diabolus eo modo respondit, vt postridie mane quinq; isti mortui reperti sint, ceruicibus sic contritis & fractis, ac si rota carnificis fuissent contusæ. Cõcretus intra fauces hærebat cruor ex ore, naribus, adeoque auribus sanguis emanarat. Qua de causa elapso prius triduo Magistratus cadauera auferri præcepit, vt omnibus interim spectaculo, terrori & exemplo essent. Factum in finibus Bohemicis, Anno Dom. 1551. Historia hæc prolixius describitur in diabolo potatorum. Et in 1. lib. Iobi Fincelij.

6. Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo tertio, iuuenes quidam pagum Wettnaw in Comitatu Nassouiensi animi gratia ingressi sunt, vnde ad suos regressuri inter eundum verborum scurrilitate & execrationibus nefariam exercuere impietatem, qua reliquis atrociores fuere duo, quibus solis iter facientibus diabolus se adiunxit, eosq; vi per aerem sublimes rapuit. Exactis aliquot diebus, cum ex mandato Comitis diligenti passim inuestigatione quærerentur, sed nusquam inueniri possent, ea occasione tandem reperti sunt. Cum venando generosus Comes se exerceret, lepus ex virgultis se proripiens, festino cursu recta ad eum tẽdebat locum, vbi vnius exanime iacebat corpus, insectãtesq; leporem venatores, in corpus per aliquot dies anxie quæsitum incidunt. Erat autem magna ibi niuis copia, & circumcirca prægrandium taurorum apparebant vestigia. Sic leporis ductu corpus repertum fuit, quod putrefactionis adhuc expers erat, necdum indurierat. Nec multo post alterius quoque corpus simili occasione repertum est.

7. Maritus quidam coniugi suæ succensens, dira ipsi imprecatus est: Vade, inquiens, in omnium diabolorum nomine. Nec mora mulierem Satanas obsedit, omniq; rationis iudicio priuauit. Et sic magna cruce confictatus vir iste, sibi alijsq; documento & exemplo fuit, ne temere mala alijs imprecarentur. Ex discip. de temp. serm. 116.

8. Paucis abhinc annis inter se contenderunt duo adolescentes, vter eorum atrociores euomere posset execrationes, protinusq; alter eorum furijs agitatus, insanire cœpit.

9. Pari modo in festo Bacchanaliorum, vt vocant, quod e Romanorum Lupercalibus remansit, adolescentes aliquot ludos exhibentes, tixas inter se mouerunt, tandem ita conuenere, vt ei cederet victoria, qui execrationum diritate alios vinceret. Quod impium certamen vbi incepere, primus statim linguę vsu priuatus obmutuit, alter furore correptus, rationis integritatem amisit.

10. Eslingæ in die sanctæ Catharinę, quo ibi frequens est mercatus, Nobilis quidam, cum magnam pecuniæ summam lusu perdidisset, equos adduci iubet discessum parans, horrendis interim & abominandis execrationibus vsus. Dehortatur equitem seruus a proposito eius, periculosum esse asserens noctu iter facere, propter viarum difficultates, & aquas paludesq;

desq; interiacentes. Verum ille execrationibus suis magis magisq; furere pergit, dictoq; audientem esse seruũ iubet. Seruus obtemperat, cõscensis equis, vrbe egrediuntur. Fuerunt omnino eorum tres. His non ita longe progressis, occurrunt plurimi equites, (erãt autem diabolica spectra) horrendo sonitu Nobilem medium complectuntur, exanimatumque equo deturbant. Aderat autem nobili præter seruum adolescens magno præditus animo, qui fretus conscientiæ suæ integritate, diabolicum istum equitatum penetrat, dominumque suum erectum, & equo impositum ducit. Sed viarum errore vagantibus & impeditis, tota illa nocte, ab altero latere, quod adolescentis istius latere muhitum non erat, auditus est molestus iste equitum strepitus. Nihil autem damni adolescenti inferre poterant equites isti tartarei. Deinde circa auroram deducunt dominum ad monasterium Bebenhausen. Vbi cum decubuisset triduo, moritur. Talis nempe exitus est horribilium & dirarum execrationum.

11. Pontifex Iulius in festo Paschatis acre cum Gallorum Rege prope Rauennam commisit prælium, in quo victoria, licet cruenta, penes Gallum fuit. Quod vbi Pontifici est nunciatum, qui tum forte camino assidens, precationibus erat intentus, sublatis cœlum versus oculis, Deo maledixit: Gallorum, exclamans, faue partibus in omnium diabolorum nomine: Nempe gratã Satanæ missam legere noluit sanctissimus pater eo die, quo sedecim Christianorum millia misere occubuerunt. Ex colloquijs Lutheri. Vide & Chron. Hedionis quarta parte.

12. Oenopola quidam promiscuam impiorum militum, scurrarum, prędonum, scortatorum turbam hospitio fouebat, eorumq; lusibus, blasphemiæ, turpitudini, impudicitiæ, choreis indecentibus vltro applaudebat, vilissimi lucelli gratia. Tandem cum die quadam Dominica vinum e cella deprompsisset, & astans foribus, plurium hospitum aduentum expectaret, licet hospitibus iam referta esset domus; Ecce turbo subito exortus magno impetu cum sublatum per aërem e conspectu omnium abstulit. In discip. de temp. serm. 116.

13. Aleator quidam cum omnis suę pecuniæ, vnico numulo excepto, fecisset iacturam, furiosa concitatus iracundia, abominandis execrationibus Deo maledixit, seque Satanæ dedidit, qui tandem eo abducto, oblata sibi præda potitus est. Quæ historia prolixius descripta est in discipul. de Tempor.

14. In die Iohannis Baptistæ, in pago Oster, qui est sub Ducatu Magnopolensium, nuptiale celebrabatur conuiuium, cui mulier quædam effrænatæ malitiæ intererat, quæ horrendis suis execrationibus per totos continuosque dies durantibus, diabolo sese in adoptionem quasi mancipabat, nihil sibi cum Deo commercij esse clamitans, Satanæ & corpore, & anima, se esse mancipium. Quam furialem eius insolentiam & viri & fœminæ, parochus ipse, & prętor cum duobus qui aderant fratribus, grauiter reprehenderunt, eamque, vt ab huiusce modi execrationibus desisteret, sedulo hortati sunt. Sed nihil illa, nec admonitiones, nec increpitationes curans, tandiu in sua impietate perstitit, donec Satanæ plena in ipsam a Deo daretur potestas. Cum ergo omnes animo essent securissimo, totaque atria lætitiæ personarent vocibus, Satanas præsto fuit, arreptamque mulierem & corpore, & anima, cum horrisono mugitu sublimem abduxit, eoq; clamore & lamẽtis circum pagum circumuexit, vt omnes pagi incolæ terrore perculsi, prosternerentur, & quidam subito anxietate & motu quasi suffocati, extinguerentur. Cumque aliquandiu cum misero eiulatu, atrocibusque tormentis eam in aere circumegisset Satanas, in quatuor deinde partes corpus discerpit, easq; per quatuor, circum pagum, vias affigit, vt omnibus qui præterirent, punitæ blasphemię exemplo esset. Deinde ad

conuiuas reuersus, intestina mulieris in mensam, cui assidebat prætor, proijcit, En, inquiens ad prætorem, hæc tibi debentur fercula, te eade cum isthac muliere manent fata, nisi ab execrationibus, subditorumque expilationibus desistiteris.

Vere rem ita gestam esse, confirmant Iohannes Hermannus, verbi diuini in pago Oster præco, & cum eo prætor ipse, omnesq; pagi incolæ, qui & alijs factum hoc notum esse voluerunt, vt omnibus exemplo esset punitæ impietatis, & incitamento ad nouam vitæ obedientiam amplectendam.

DE POTESTATE SATANÆ.

SAtanas sub specie serpentis primos parentes, Adamum & Euam, seduxit, & loco pœnarum, quas ipsis Deus minatus fuerat, summa promittit bona. Genes. 3.

Satanas Regem Saulum inquietat. 1. Reg. 16.

Satan consurrexit aduersus Israel, & incitauit Dauid, vt numeraret Israel. Qua in re offensus Dominus, graui pestilentia Israelem percussit. 1. Paralip. 21.

A Deo potestatem obtinet Satan, vt graui vlcere, alijsque plagis atrocissimis Iobum affligeret, Iob. cap. 2.

Satan septem viros, quibus nupserat Sara, filia Raguelis, occidit. Vide historiam Tobiæ.

Satan cor Iudæ Iscariotis intrat, eumque impellit, vt & Christum abnegaret, & sibi ipsi vitam laqueo finiret. Iohan. 13. Act. 1.

Satanas Ananiam eiusq; vxorem instigat, vt Spiritui sancto mentiantur. Quam ob causam ambo subitanea morte perierunt. Act. 5.

Potestas ex permissu Dei Satanæ ingens.

1. Retulit Philippus Melanchthon, se ex viris fide dignis, Christophoro Groß/ & Sigismundo Gelenio, audiuisse, virginem quandam Bononicam, biennium post mortem inter homines versatam, conuiuijsq;, ad quę vocabatur, interfuisse, sed parum cibi degustasse. Ea cum aliquando inter alias virgines incederet, forte adest Magus, qui diabolicam fraudem agnoscens, ad astantes ait: Virgo hæc pallida mortua est, protinusque ad eam accedens, summouet sub dextro humero fascinum, quo sublato, turpe cadauer concidit. Illud fascinum ab alio Mago erat impositum, diabolusque corpus hoc toto tempore circumgestauit.

2. Effordiæ insano virginis amore iuuenis studiosus correptus, ex amoris impatientia sui porro compos non erat. Huic sodalis erat, Magicæ artis peritus, qui ipsi pollicetur, quatenus omni amplexu prorsus abstinere velit, se arte sua perfecturū, vt virgo, cuius amore ardeat, præsto coram ipso appareret. Omnem alter promittit continentiam. Nec mora virgo pulcherrima thalamum subintrat, verbis & gestibus amabilem admodum sese exhibens. Quam ille visam, primo intuitu extra se raptus, affectibusque imperare impotēs, perhumaniter amplectitur: statimque virgo mortua concidit. Quæ res supra modum ambos perturbauit. Suis tandem incantamentis Magus perfecit, vt diabolus corpus ageret. Ex motu itaq; diaboli virgo domum reuersa laboribus consuetis intenta fuit, sed tota pallida, & verbum nullum proloquens. Triduo exacto, parentes sibi Theologos adhibuerunt, qui cum serio eam alloquerentur, Satanas e corpore exijt, cadauerq; prorsus fœtidum collapsum est. Sanguis est causa boni coloris, nec non Spiritus vitalis, hos diabolus creare non potest, sed solus Deus creator. Ex colloquijs Lutheri.

3. Ex permissu Dei Satanas infantulos sæpe cunis suffuratur, alioſque ex se natos supponit, qui maximas molestias parentibus, suam se fouere prolem existimantibus, pariunt. Nam compertum est, quod puellas in a-

quam

quam ad se pertractas impręgnarit, natumque inde Satanicum fœtum, ablata e cunis genuina prole, parentibus supposuerit.

Infantes suppositi tij.

Suppositi tij isti infantes annum octauum vel nonum non excedunt. Quare non omnino alienum vero videtur, quod Satanas cum effœtis meretricibus, & veneficis rem habeat, earumq; libidinem expleat. Sed quod liberos ex ijs procreet, vanum est. Quia Deus est creator, & gignit homines per constituta media. Interim puerperis sæpe prolem recens natam aufert, seque ipsum assumpta massa carnea in eius locum supponit, mirasque matri misere deceptæ creat molestias & ærumnas, dum in eiulãdo, cibumque ingerendo & egerendo nullus omnino modus adest. Notum mihi huius rei est exemplum (inquit Lutherus) apud Halberstadẽses, vbi Satanas in locum infantis ablati se supposuerat, priori infanti omnib. lineamentis similem, intolerabilesque continua vociferatione, fœtore, & pædore, molestias parentibus peperit, lacte exhaustam matrem sic debilitauit, vt nutrices subinde nouas conducere cogeretur, quarum quinque pari modo exhaustas & viribus & lacte priuauit. Itaq; parẽtibus quidam authores fuere, vt Hockelstadium, pro superstitioso istorum temporum ritu infantem deportarent ad S. virginem Mariam, vt cunis ibi impositus agitaretur. Obtemperat parens dato sibi consilio, infantem corbi impositum ad Mariam virginem deportaturus abit. Cumq; pontem, quo fluuius stratus est, transiret, Satanas e fluuio alta voce clamãs supposititium istum & Satanicum infantem interrogat, quonam tendat, cui cum paucorum mẽsium infans, seu verius, diabolus, disertis verbis e corbe responderet, territus vehementer parens, infantem vel diabolum vna cum corbe protinus in flumen deiecit, vbi quamprimum ingens diabolorum plausus, risusq; excitatus fuit. Ex colloquijs Lutheri.

4. Fuit quoq; monstrum tali Dessouiæ, quod Martinus Lutherus & vidit & contrectauit, cum iam duodecim esset annorum, omnibus lineamentis humanam prolem repræsentans. Vnicus huius labor erat cibo se diffarcire, & quidem tanto, quantum vel quatuor robusti trituratores nõ absumerent, cibos ingerendo & excernendo erat fœdum admodum & immũdum. Si attrectaretur, turpiter plorabat, rursus siquid turbaretur in ædibus, risum & cachinnos tollebat. Qua de causa principem Anhaltinum tum temporis monebat Lutherus, vt diabolicum istum fœtum in præterfluentem amnem Moldauiam proijceret. Sed nec princeps Anhaltinus, nec Elector princeps Saxoniæ, qui tum Dessouiæ morabatur, Lutheri probant consilium. Rursus ergo monuit Lutherus, vt in Christianorum Ecclesia assiduis precibus rogetur Deus, vt partum istum Satanicum auferre dignetur. Quod cum quotidie fieret, sequenti statim anno partus iste extinctus est.

Anno millesimo quingẽtesimo, quadragesimo primo, huius rei Lutherus VVitenbergæ in cœna meminit, vbi cum ex eo quæreretur, curnam principi Anhaltino auctor fuisset, fœtum istum in aquas demergendi? Respondit, se prorsus sibi persuasum habere fœtus huiuscemodi nihil aliud esse, quam massam carnis animæ expertem. Nam ex permissu Dei perfacile est Satanæ talem massam formare, quemadmodum e contrario hominem ratione, imo corpore & anima præditum, eo modo perdit, dum corporaliter eum obsidet, vt omnibus orbatus sensibus, nec audiat, nec videat, nec tangat, mutusque sit, surdus, atque cæcus. In massis itaque istis carneis vices animæ sustinet ipse Satanas, cuius ingens est potentia, quippe qui & mentes nostras occupet, nedum corpora, Deo id ipsum ei permittente. Ne contemnamus Satanam, vt qui vel mille artium sit quam peritissimus. Ex relationibus Lutheri.

5. Ferunt in Bauaria virum nobili familia natum, extincta vxore tantum

tum animo dolorem cepisse, vt omni excluſa conſolatione, vitam ageret ſolitariam. Tandem vbi nullum finem lugendi faceret, vxorem eius noctu ei comparuisse excitatam à mortuis, ac dixisse, se quidem semel confeciſſe curriculum vitæ à natura datum, ſed ipſius importunitate reuocatam nunc in vitam, atque a Deo iuſſam vti eius conſuetudine diutius, hac tamen conditione & lege, vt matrimoniū morte ſolutum denuo per Sacerdotem ſolenni ritu inauguraretur, atque deinceps ipſe abſtineret blaſphemis conuitiandi verbis, quibus vti conſueuerat: ſe enim horum cauſa ei ademptam fuiſſe, atq; iterum exceſſuram e vita cum primum eiuſmodi aliquod verbum edidiſſet. His actis illam curaſſe rem domeſticam, vt antea, & aliquod etiam peperiſſe liberos: ſemper tamen fuiſſe triſtem & pallidam. Poſt multos vero annos maritum veſperi potum & ancillæ iratum edidiſſe verba, quę non debebat: Interea illam diſparuiſſe e cubiculo, vnde allatura erat marito poma, ac reliquiſſe muliebrem veſtitum ſine corpore ſtantem ad ciſtam vbi poma ſeruabantur. Hæc audiui ex multis viris fide dignis, qui affirmabant ducem Bauariæ eadem retuliſſe Duci Saxoniæ pro veris. Hæc Sabinus in decimum Metamorphoſeos Ouidianæ.

Martinus Lutherus, ſe eadem ex principe Electore Iohanne Friderico audiuiſſe affirmat.

Iam eſt quæſtio, inquit Lutherus, Num veræ vel naturales hæ ſint mulieres? Num etiam veri ſint liberi? Ego ſane moueor, vt veras eſſe has mulieres haud credam, ſed diabolos. Et quidem ita res ſe habet: ſuis præſtigijs hominibus Satanas imponit, vt prorſus putēt ſeſe cubare veras apud mulieres, cum vere ſit diabolica effaſcinatio. Eodem modo mulieribus imponit Satanas, vt plane perſuaſum ſibi habeant ſe cum viris concumbere, cum diabolicis interim offucijs eludantur. Potens enim eſt Satanas apud filios incredulitatis, quemadmodum diuus Paulus ait. Fuit ergo mulier iſta, quæ Bauaro nobili apparuit, Succubus, vt vocāt, quemadmodum Succubus vel diabolus fuit Meluſina iſta Lutzelburgenſis.

Quomodo autem liberi procreātur? Ad hoc reſpondeo: Filij quoq; fuere diaboli, corporaque, quemadmodum & mater, habuere ementita. Horrendum ſane eſt, Satanę tantam eſſe in affligendis hominibus potentiam, vt quoque liberos procreet. Similis ratio eſt cum Nixis in aquis habitantibus, virgineſque rapientibus, ex quibus fœtum producunt Satanicum. Nam liberos creare ſolius Dei eſt, & neceſſe eſt Deum hac in re operari. Ipſum ſiquidem omnes nos Patrem nominamus, nec conceptio aliter fit niſi per conſtituta media, & per homines, & quidem in momento, ſoloq; homine tanquam medio ad creationem Deus vtitur, & per eum ſolum, non per diabolos operatur. Quare ſi forte iſti filij vere fuere homines, tales eos fuiſſe neceſſe eſt, quos aliunde Satanas ſuffuratus ſit, quemadmodum aliquando accidit, vt in tempore puerperij, nemine obſeruante, e cunis auferantur infantuli. Vel ſequitur fuiſſe ſuppoſititios, quos Saxones Kilterōpff a ſonitu nominant. Ex colloq. Luth.

Kilterōpff. Spiritus in arcula aurea conclusus.

6. In Babylonia de templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, ſpiritus peſtilēs euaſit. Inde peſtilentia ſubſecuta, totum orbem afflixit: nec minus fames, inundatioque fœuiit. Tum quidam ex his calamitatibus & ſolitudine hominum, diripiendæ Romæ occaſionem quærēs cum quibuſdam conſcijs, concionabundus de Caprifico arbore in campo Martio, aſſeuerauit ignem de cœlo lapſurum, finemque mundi adfore, ſi ipſe lapſus in ciconiam verteretur. Decidens deinde ex ſinu ciconiam emiſit. Sed proditus eſt Marco Antonino Imperatori, ad ipſumque deductus. Imperator confeſſo veniam dedit. Auent. lib. 2. cap. 17.

Præſtigiator Romæ diripiendæ conſiliū quærit.

7. Anno milleſimo quadrageſimoquinto, Bruno Epiſcopus Herbipolenſis,

Bruno Herbipolensis Episcopus.

fis, cum Henrico tertio, eius nominis secunda Danubij aqua, sed in diuersa naui Boiariam Orientalem petit. Est oppidum Austriæ, Greinon vocant, supra id præruptæ rupes surgunt, saxeæ moles cubant ac prominent, per quas Danubius vasto impetu, & ingenti fremitu, qui procul auditur, spumabundus fertur. Teutones hunc locum infamem, pernicioſumq; nauigantibus Strudelon nuncupant. Cæsarem tum illac nauigantem Bruno VVirtzburgensis Episcopus (vt diximus) cognatus eius alia naue ſcomitabatur, dumq; saxo cuidam eminentiori allabitur, atra Æthiopis imago, satis aperte, ferale (vt exitus probauit) signum, ibidem consistit, & Brunonem appellat. Ac heus, heus Episcope, malus sum, inquit, genius, & quouis gentium proficiscare, meus es, nihil quidem impræsentiarum agere aduersus te habeo, breui tamen iterum me videbis. Cunctis abominantibus, pestilens Spiritus ab Episcopo signo immortali appetitus, adiuratusque carminibus sacris, sub oculis omnium euanuit. Atque hoc saxum adhuc monstrari solet, cui impoſita turris lapidea absque tignis & tecto, cognomẽ ita sortita, adhuc retinet. Vnde ad decem millia passuum progressi, in vico Bosenburg diuertunt. Ibidem Cęsarem Richlita vidua (cuius maritus Adalbero ab Eberßberg/primæ Boiariæ castelli, nunc templũ est, Dynasta, superiore Quadrageſima decesserat) magnifice hoſpitio & conuiuio excipit, oratque vt Bosenburg/ & prædia, quæ hisce locis maritus præcario possederit, VVelphoni tertio, nepoti suo ex fratre, tradat. Cæsar cœnaculum conscendit, verum dum coram Brunone Episcopo, & Alemanno præside Ebersbergensi, atque Richlita, extendens dexteram, postulatis annuit, repente contignatio collabitur, ex qua ruina Bruno interijt. Auent. lib. 5. Cent. 11. cap. 13.

Der Teuffelsthurn.

Puella a Satana suffocatur.

8. Vrbanus Regius in Sermone, quem VVitenbergę, anno 1538. de bonis malisque Angelis habuit, puellulæ cuiusdam meminit a Satana obsessæ, pro qua cum precibus apud Deum in templo intercedendum esset, Satanas quieſcit, seque e puella iam exijsse simulat, vt per hanc simulationem, antequam publicæ preces haberentur, eã perderet. Nam cum diligentior cura iam remitteretur, puella mauus ablutura, riuum ædes præterfluentem adit, ibi protinus Satanas malitiam occultatam exerens, puellulã in profundiorem aquæ gurgitem adigit, ibique dicto citius suffocat. Hanc miseriam ingratitudo nostra meretur, eo, quod Deo decentes agere gratias pro ministerio sanctorum Angelorum curam nostri agentium nescimus.

Andreas præstigiator.

9. Anno Christi 1543. Italus quidam Andreas, præstigiator Satanicus, hinc inde per sepulchra discurrens, canem rufum & cœcum ducebat, per quem multa prodigioſe operabatur. Si quando in foro circumstãte turba consisteret, annuli aurei, argentei, ferrei, a tergo canis in terram deponebantur, quos vbi Andreas iste contexisset, canis ex iussu eius singulos ordine depromptos, suis reddebat dominis. Eodem modo varias monetas, numuloſque confuſe aceruatos, iussus ordine discernebat. Interrogatus, quinam fornicatores, mœchi, auari, vel magna authoritate & potentia præditi essent, eos minime aberrans commonstrauit, & si quid seorsim de aliquo ex ipso quæreretur, ad id nutu respondit. Quare nonnulli affirmare non dubitabant, Spiritu eum pythonico vel Satanico ferri. Chron. Casp. Hed. 2. parte.

Benedictus nonus.

10. Platina, Nauclerus, alijq; historici de Pontifice Benedicto Nono scribunt, qui anno 1045. diem suum obijt, quod post mortem, in prodigioſa beſtialiq; forma multis apparuerit, corpore quidẽ vrſus, capite vero & cauda asinus. Cumq; ex eo quæreretur, cur nam tetri adeo spectri formam assumeret, respondit spectrum illud sub persona Benedicti, ob impiam beſtialemq; vitam hac se forma indutum esse.

11. Ferunt

11. Ferunt in montanis Bohemiæ non raro apparere Monachum, quem nominant Rubezal, & persæpe in thermis conspicuum, iter per montana & syluas facturis sese adiungere, eosque bono animo esse iubere, se enim ignaros itineris recto tramite per syluam deducturum, quos simulac in nemore in auia deduxerit, vt quo se vertant, prorsus nesciant, eum protinus in arborem subsilire, tantumque cachinnum tollere, vt vastum inde nemus resonet. Monachus iste vel Rubezal est Satanas ipse, qui assumpta Monachi specie, indicat Monachos Pontificum satellites, vere suos esse ministros & laruas, quib⁹ indui gaudeat, nec scelus vllum vel flagitium tantum esse, quod non per impios Monachos, effœtasque, veneficas, vt Satanæ organa, ex Dei permissu perpetrari queat, quod & notum illud distichon ostendit:

Rubezal spectrum.

Non audet stygius Pluto tentare, quod audet
Effrænis Monachus, plenaq; fraudis anus.

12. Consultabat de fratribus suis, Aldone & Grausone, interficiendis, Rex Longobardorum Chunibertus, cum quodam ex intimis Consiliarijs, cumque fenestræ astarent, musca ibidem consedit, quã cultello, quem forte manu tenebat, petens, pedem ei resecuit. Interim Aldo & Grauso regium ingredientes palatium, obuium sibi habuere vinum, cui alter pedum erat amputatus, is Chunibertidecretum de ipsorum cæde illis significabat. Quod vbi audiuere, cõfugerunt in templum sancti Romani Martyris, post altare ibi latentes. Renunciatur id Regi, qui excandescens, ad Consiliarium suum ait: Cur vlli hominum consilium meum, cuius præter te nemo fuit conscius, detexisti? Respondet ille trepidans: Nosti ipsemet Rex clementissime, nusquam me, postquam hac de re mecum locutus es, a te digressum esse. Hinc missis in templum ministris, quærit e fratrib. suis Chunibertus, quanam de causa in templum confugerint? Quoniam, inquiũt illi, nobis significatum est, Regem decreuisse, nos e medio tollere. Quærit Rex porro, ex cuius relatione id cognouissent, & grauem simul pœnam ipsis denunciat, nisi id reuelent. Nobis inquiunt illi, Regiam ingredientibus factus est obuiam quidam, cui crus resectum erat, is hæc nobis detexit. Intellexit inde Chunibertus, Muscam istam ipsum fuisse diabolum, a quo suum proditum esset consilium. Mutatoque eo, fratres ad se vocatos omni per omne tempus vitę prosecutus est beneuolentia. Chron. Hedionis.

Chunibertus. Aldo. Grausone.

13. In mari aliquando monstrum captum fuit, per omnia fœminæ simile. Quod cum in naui detineretur, tandem ex remigibus vnus vxorem sibi illud duxit, adeoque prolem vnicam ex ea sustulit. Exacto triennio, cum ad eundem locum, vbi monstrum illud captum fuerat, reuersi essent, fœmina ista e naui in mare protinus desilit, arrepto secum, quem habebat, infante. Infans in aquis perijt, sed monstrum ex oculis omnium euanuit. Perfacile nempe est, inquit Lutherus, Satanæ, vel viri, vel mulieris formam assumere. Ex colloquijs Lutheri.

Monstrum in mari captum.

Nequaquam credendum est, homines sub Papatu à Satana obsessos, arte, verbis, aut gestibus Exorcistarum ab immundo Spiritu liberatos esse. Nudis certe verbis sese eijci dæmon minime patitur. Nec Exorcistæ isti rem serio egere. Sola virtus Dei id efficit, nec quis citra vitæ periculum Spiritum immundum facile fugauerit, tot & tam varios terrores homini obijcit Satanas.

Exorcistæ Pontificij.

Cum mulier ista, quæ fuerat obnoxia profluuio sanguinis annos duodecim, tetigisset fimbriam vestimenti Christi, statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem ex sese prodijsse aiebat: Quis tetigit vestimeta mea? Nam ego noui virtutem a me exisse. Mar. 5. Luc. 8.

Et Lazarũ a mortuis excitaturus infremuit Spiritu & turbauit se ipsum.

Ioan.11. Præterea legitur de monacho quodam, qui pietatem cum vero zelo colens, Satanam cum eijceret, remq; serio ageret, tanto ei res ista constitit, vt vitam cum morte permutaret.

Eijcitur Satanas vel totius Ecclesiæ precibus, quæ magno spiritus feruore coniunctę nubes penetrent, & exaudiantur: Vel per eum, qui magna Spiritus gratia donatus sit, animoq; magno, & fide firmissima sit præditus, quales fuere Elias, Eliseus, Petrus, Paulus. Quod autem per Monachorum sacrificulo rumque exorcismos Satanas eiectus esse visus sit, dum vel fenestram perfregit, vel partem muri demolitus est, id a Satana ad effascinandum homines, adeoq; superstitiones stabiliendi gratia factitatum, vt dum obsessos corporaliter quidem porro minus affligit, interim spiritualiter animos obsidens multo atrocius in animas hominum sæuiret.

Ficta Monachi vinosi sanctitas.

14. Id quod planum est, ex eo, quod VVimelburgi, non procul ab Islebia, in templo sancti Kiliani accidit. Magnus eo plurimorum hominum factus est concursus, Monachi hominis vinosi fictam sanctitatem admirantium: Is quendam a Satana obsessum os aperire iubebat, hinc ori eius duobus impositis digitis, vt morsu abstineret, eidem mandabat. Satanas non sine omnium stupore Monacho obtemperabat. Deinde præcipiebat diabolo idem Monachus, vt audito campanulæ ad sanctum Kilianum sonitu, ab homine exiret. Eaq; in re nequam iste Spiritus dicto fuit audiens, vt eam in rudis plebeculæ animis excitaret opinionem, tantam esse campanulę sanctitatem, vt eius etiam tinnitu eijciatur Satanas, fidei interim in Christum nulla habeatur ratio. Ex colloq. D. M. Luth.

Diabolus equum auffert.

15. Quidam nobili clarus prosapia Martinum Lutherum aliosque viros eruditione celebres, VVitenberga in ædes suas ruri positas inuitarat, cumque animi gratia venaturus lepores egressus esset, oblatus ei est lepus magnitudine insignis & vulpes, festino cursu per campos properantes. Nobilis valido insidens equo cum clamore eos insectatur, protinusque equus collapsus, sub ipso extinctus est, lepus in aerem sublatus euanuit. Spectrũ hoc vere fuit Satanicum.

16. Post hęc incidit mentio historię de viris aliquot nobilibus, qui equorum cursu certantes clamarant: Postremus diaboli esto, cumque primus equum, præter eum, cui insidebat, duceret, eo dimisso ipse quantum potuit, immisso freno, festinauit. Equus autem liber dimissus, cum non pari cursu reliquos sequeretur, per aerem a diabolo ablatus fuit. Diabolus inuitandus non est, vltro enim non vocatus aduenit. Imo vndiquaque nos diaboli cingunt, & quidem nobis, qui quotidie oramus & vigilamus, satis superque facessiunt negotij. Lutherus.

17. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, Islebiæ in cœna referebat Martinus Lutherus, in Thuringia circa montem, quem vocant Herselberg / iuuenes quosdam nobiles noctu leporum venationi & capturæ intentos, lepores circiter octo plagis inuolutos cepisse, quos cum domum reuersi suspedissent, mane eos offendisse capita caballorum, qualia in fœtentibus Carnificinis reperiuntur. Colloq. Luth.

Satanas tibicinem auffert.

18. Mulburgi in Thuringia tibicen quidam in nuptiali festiuitate tibia ludens, parocho eius loci conquerebatur, se quotidie a Satana grauiter affligi, & fore, iuxta illius denunciationem & minas, vt ab ipso arreptus hinc auferatur, idq; ob eam causam, quod aliquando in conuiuio bibisset ex cyatho, in quem ioco nequitioso iuuenes aliquot vino immixtum stercus equinum ingessissent. Parochus quibus poterat modis eum consolabatur, publicis etiam precibus salutem eius Deo commendabat, plurimisque dictis ex sacra Scriptura depromptis aduersus Satanæ insultum eum armabat, ex quibus tantum tibicen iste confirmabatur, vt de animæ suæ salute nihil dubitaret, & vltro diceret: Animæ quidem nihil damni infer-

re pote-

re poterit Satanas, sed corpus meum auferet, nec est qui id prohibere possit, vtq; certo pignore fidem suam confirmaret, sacræ Cœnæ, in qua Christi corpus manducatur, sanguisq; bibitur, conuiuam sese exhibuit.

Porro determinauit ei tempus Satanas quo eum ablaturus esset, itaq; custodes ei addebantur, qui continenter eum ipso iam preces ad Deum fundebant, iam verbum Dei legendo, se inuicem & informabant, & consolabantur. Foris ante conclaue illud viri aliquot in armis erant, quæ custodia per aliquot dies continuabatur, donec sub intempestam noctem, quæ diem præcedit Dominicam, cum accensis candelis vna in conclaui considerent, ingens vehementis venti fragor subito intonuit, omnesque simul candelæ dissectæ & extinctæ sunt, eo impetu per angustam admodum fenestram arreptum tibicinem auexit diabolus, terrificusq; sonitus quasi multorum virorum in armis concurrentium auditus est. Mane cum hinc inde quæreretur, tandem iuxta riuulum non procul a Mulburgo expansis brachiis pedibusq; inuentus est exanimis, atroq; colore instar carbonis obductus. Vere hæc ita contigerunt, inquit Martinus Luth. quem admodum Fridericus Mecus, Parochus Gothanus, ipsemet retulit, qui ex Ioannis Becken, Parochi Mulburgensis, ore bona fide recepit hæc audiuit.

19 Accidit nonnunquam ex Satanæ præstigijs, vt grassante peste, cadauer in sepulchro reconditum a se ipso deuorari videatur. Quod cum fit, persuasum habent superstitionibus addicti homines, mali sæuientis nullam sperandam esse leuationem, quandiu ista cadaueris duret in seipsum grassatio, de qua calamitate cum missis VVitebergam literis verbi Minister Georgius Rörer conquereretur, consilium que sibi in afflicto pagi, in quo Ecclesiæ præerat, statu communicari peteret: Lutherus suam in hac re declarans sententiam Diaboli, dicebat, hæ sunt præstigiæ & malitia. Si fidem istis præstigijs nullam adhiberent, nihil ipsis incommodi inde esset timendum. Sed quia superstitionibus constricti tenentur, suæ erga Deum diffidentiæ pœnas luunt, & paulatim alter post alterum morte absumuntur. Id nimirum querit Satanas, vt metuatur, colatur, & adoretur, vt Deus. Spiritus siquidem est superbissimus, qui contemptum sui ferre nequit. Quare mea est sententia, vt rescribatur parocho isti, ne aliter iudicent, quam ipsius diaboli, nec vel animæ, vel spectri, illud opus esse, proximamque salutis viam eam esse, vt assidue in templo conueniant, Deum inuocent, peccatorum remissionem ab eo petant, & propter Christum rogent, vt Satanæ furorem & malitiam compescere velit.

Mulier mortua se ipsam deuorat.

20 Rotenburgi ad Tubarum honesti viri ædes frequentare solebat quidam & vestiu splendore, & diuitiarum iactatione, nobilitate illustrem sese virum professus, duos sibi iunctos habebat comites vestitu, non minus precioso indutos. Adducebat tibicinē vna cū fidicine conuiuia choreasq; instituebat, sub prætextu illius patrisfamilias ducendi honestā filiam. Se nobili stirpe natum esse affirmabat, diuitias immensas, arces, prædia, opidula in longinquis terris sibi esse plurima, nec quicquam eorum, quę in hoc mundo optari aut desiderari possint, deesse, præter vxorē decoris ornatum moribus. Displicuit patrifamilias hospitis eiusq; sociorum importunitas. Quæres eum mouit, vt hospitibus istis aduentantibus, illius loci verbi diuini ministrum quoque ad cœnam vocaret, & pia cum eo ex verbo Dei inter cœnandum misceret colloquia. Quæ cum vehementer hospitem eiusque socios offenderent, aliam dicendi materiam quærentes, Multas, inquiunt, facetias esse, quæ potius conuiuis exhilarandis inseruiant, quam diuini verbi interpretationem, se rogare, ne eis vltrius sacra Scriptura tædium & molestias creare velint. Ex quibus facile cognouit paterfamilias diabolicum conuiuarum istorū ingenium, & iam satis aduersus diaboli insidias cōfirmatus: Apagite, inqt, vos scelerati ne-

Satanas honesti viri filiæ insidiatur.

bulones, nihil vobis commercij est mecum & cum meis. Baptizati nos sumus, & precioso Christi sanguine redempti, is quoq; nos aduersus diabolicas vestras insidias tutabitur. His dictis, magno protinus cum strepitu impostor ille tartareus cum suis socijs euanuit, relicto post fœtore teterrimo, triumq; suspensorum hominum cadaueribus. Manl. in collectaneis.

Nobilis diabolos inuitat.

21. Vir quidam diuitijs abundans tredecim miliaribus a Gorlitz cœna opipare instructa conuiuas inuitarat, qui cum aduenire recusarent, ira ille excandescens: Proh, inquit, si venire isti recusant, adueniãt ergo quotquot sunt diaboli. Vota hæc non sunt irrita. Nam ingens protinus eorum numerus, quos cum execratione vocarat, ad ipsum aduentat: Quos ille primo aspectu non agnoscens, humaniter excepturus accedit. Verum cum illi loco manuum vngues protenderent, supra modũ territus, quos domi suæ iam haberet conuiuas facile intellexit. Trepidus itaque cum vxore sua ex arce profugit, relicto in cunis infantulo & morione, qui in hypocausto cunis assidebat. Sed cũ infantulo morio iste e turba dæmoniorum incolumis euasit. Manifestũ hinc est, quam triste sit peccatum, verborum vti leuitate. Iob. Fincelius.

Miles aleator a diabolo arreptus.

22. In oppido quodam diœceseos Colonien sium miles impius, noctes diesque in nulla alia re, quam in lusu acquiescebat, marsupium nummis refertum in promptu semper habebat, vt in quemcunq; incideret, ad ludendum promptus paratusq; esset, in iactu tesserarum adeo expeditus, vt cum quocunq; ei res esset, victor semper euaderet. Verum vt constaret omnibus, dolosum istum & fraudulentum ludendi morem, ex quo rixæ, cædes, aliæq; calamitates oriuntur, Deo summopere displicere, Satanę permissum fuit, vt & is ludendo cum illo certaret. Multos enim graui mœrore affecerat, fraudulenterque ludendo pecunia priuarat. Itaque noctu, nactus oportunitatem Satanas, aleatoris persona assumpta, militis ædes ingreditur, protinus mensæ assidet, loculos nummis distentos, tesseras-que hilari vultu in mensam proijcit, ludendoq; omnem militis pecuniam obtinet. Fortunam sibi adeo aduersam esse demiratus miles, plenus furoris, Ergone, inquit, tu Satanas es? Adhæc ille: Satis iam lusimus, dies mox illucescet, eundi tempus. Quibus dictis arreptum militem per tegulas secum sublimẽ abduxit, cuius intestina tecto inter tegulas adhærere. Quorsum vero corpus eius ablatum sit, nemo vnquam comperit. In discipulo de tempore, Serm. 12.

Puella a Satana agitata.

23. Anno millesimo quingentesimo, tricesimo sexto, Francofordiæ ad Viadrum ancilla quædam, Marci piscatoris filia, capitis doloribus & quadam phrenitide correpta fuit, quam misericordia motus, ciuis Georgius a Kultsch in suas ædes recepit. Tandem autem eo res cum ipsa redijt, vt a dæmone obsessa prorsus miranda agitaret. Nam quicquid attrectaret, cuiuscunque etiam vestem, thoracem, barbam, caput, inde monetam in ea Regione vsitatam arripiebat, quam protinus ori ingestam mandebat & deglutiebat. Eamque pecuniam sæpe manibus eius extortam admirationis ergo alijs obtulere. Nonnunquam ipsamet vltro alijs eam porrexit, sæpe acus correptas deuorauit, & contra vernaculæ suæ linguæ proprietatem superioris Germaniæ dialecto, cui assueta non fuerat, locuta est. Nec facile fuerit, quicquid prodigiose per eam gestum sit, verbis, aut scripto breui complecti. Quam ob rem quid in tali puellæ statu agendum esset, ex ipso quoq; Doctore Luthero quæsiuere. Qui respondit, ad sacras conciones puellam adducendam esse, ibiq; assiduis ardentissimisq; precibus ad Deum fusis, pro ea intercedendum. Cui Lutheri consilio obtemperarunt. Adducta ad conciones, concionantem verbi diuini ministrum persæpe publice redarguit. Tandem ex diuina gratia, exauditis Ecclesiæ precibus, a Satana liberata, sanitatique restituta est. Nec quicquam tum

de furo-

de furore suo & morbo ipsi constitit, liberaq; deinceps a Satanæ insultu, & tam corpore quam animo sana, fideliter Francofordiæ apud ciues famulata est. Rem vere ita gestam, prudentissimus eius Reip. Senatus publicari iussit. Anno 1538.

24. Docti quidam viri in concilio Basilienſi animi gratia in syluulã egressi fuerant, vt amice de controuersijs illius temporis conferrent. Inter eundum auiculam in modum luscinię dulcissime canentem audiunt, admirantur vocis dulcedinem, cuius sit auis cantus, dubitant. Ingressi syluam, arbori insidentem auiculam conspicantur, eamq; citra remissione quam suauissime canentẽ, attentis omnes & animis, & auribus auscultant. Tandem is, qui cæteris cordatior videri volebat, alloquitur his verbis auiculam: Adiuro te in nomine CHRISTI, vt indices nobis, quis sis? Respondit auicula, se esse vnam ex damnatis animabus, & destinatã esse ad eum locum vsq; ad diem nouissimum, & tunc supplicium æternum subeũdum esse. His dictis auolauit ex arbore, clamitans: O quam diuturna & immensa est æternitas! Iudico fuisse diabolum, inquit Philip. Melanch. in illo loco habitantem. Omnes vero qui huic adiurationi interfuerunt, vehementer ægrotare cœperunt, & paulo post sunt mortui. In Collectaneis Manlij. *Auiculæ prodigiosius cantus.*

25. Vir quidam præpotens, & ætate grandis, diaboli adiurationibus erat deditus, suumq; hac in re studium tueri voluit dicto illo: Semen mulieris conteret caput serpentis, quasi homini data sit potestas in diabolum, vt quandocunq; ipsi lubeat, eum accersere & eijcere possit. Non inde animo meo, inquit D. Lutherus, ea accedet fiducia, vt diabolorũ vti commercio ausim. Et subiecit tandem, quid domino Nicolao Ambsdorffio, pastori Magdeburgensi acciderit, qui vt ipsemet retulit, & vere confessus est, aliquando in diuersorio noctu dormiens, a duobus nobilibus, iam pridem mortuis, quos duo præcedebant adolescentes, faculas manibus gestantes, excitatus est, & sepositio omni metu, cum nihil ipsi periculi ingruat, iussus surgere. Dicto ille est audiẽs. Ibi viri isti nobiles literas, quas scriberet, ipsi dictarunt, & vt Principi cuidam eas offerret, iusserunt. His peractis euanuerunt: literas ille, cui offerre iussus erat, obtulit. *Nicolaus Ambsdorffius.*

26. Legitur in Chronico Abbatis Vrspergensis, mortuorum aliquot equitum animas visibiliter, vt captaphractos equites passim hominibus apparuisse, ex quibus cum quæsitum esset, quinam essent, quidue desiderarent, respõdisse eas, Nequaquam, vt vestra fert opinio, spectra nos sumus, nec turma carnalium equitum, quales hic vobis esse apparemus, sed aliquot equitũ & militum, qui non multis ab hinc annis in hoc campo oppetiere, sumus animæ. Quare & arma, & equi, vt ea cõram videtis, quæ instrumenta nobis fuere peccandi, ea instrumẽta sunt pœnarum & tormentorum. Nam equi & arma in vestros incurrentia oculos, nihil sunt aliud nisi ignis ardentissimus, nec vos oculis vestris corporeis perspicere potestis, quod quicquid in nobis est, nihil sit præter tormenta & pœnas. Quod si vere hæc ita cõtigere, prorsus Satanicæ fuere præstigiæ. Sin a Monachis hæc efficta sunt, nullam aliam ob causam id factum, quam vt purgatorium suum hac fabula tueantur.

27. Quidam Stephanus nomine peregre reuersus, acrique commotus iracundia, famulum suum hisce verbis inclamabat: Adesdum tu diabole, pedibusque calceamenta detrahe. Dicto citius, is quem nominabat, adest. Quem vbi cognouit herus, vehementissime perterritus, alta voce clamauit: Apage hinc o perditissime, non tibi, sed famulo meo locutus sum. Vocandus diabolus non est; qui vltro adesse est paratissimus. In discip. serm. 33.

28. Clericus quidam, vt Cæsarius refert, supra humanam sortem vocis suauitate excelluit. Quem cum aliquando vir pius & sanctus canentem

audiret, Vox ea non est hominis, inquit, sed Satanæ, cumq; eum adiuraret, e vestigio Satanas e corpore exijt, corpusq; exanime collapsum est. Ex discip. de tempore.

29. Imperante Anastasio, vt Paulus Diaconus libro decimo sexto testatur, Alexandriæ multi viri, fœminæ & pueri a Diabolo obsessi fuere, subitoque in furorem acti, omni alia voce destituti, vt canes continenter latrarunt.

Anno millesimo quingentesimo tricesimo tertio, oppidum Suevię Cumgenthal / de improuiso deflagrauit, triduo ante festum Paschatis. Incendij auctor erat diabolus, vsus ad hoc opera veneficæ, cum qua illerem habebat. Diabolus quidem a nemine visus est, sed & multos alloqui, tympanumque pulsare cum peruagaretur oppidum auditus est. Venefica in oppido Oberndorff / quod non procul a Rotuuila distat, combusta est. Iob. Fincel. lib. 1.

30. Satanas in Saxonia pueros auexit. Qua de re infra in quarto Præcepto.

31. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Rotuuilæ per vrbem Satanas vagatus est, sępe leporis, sępe etiam anseris, interdum quoq; mustelę assumpta forma, claraq; & diserta voce minatus est, se vrbem incensurum. Quæ res non parum terroris hominibus incussit. Iob. Fincel. lib. 1.

32. Anno millesimo quingentesimo tricesimo quarto, in vigilia Natiuitatis Christi in ciuitate quadam Saxonię, diabolus humana specie assumpta, eius loci parochum, Laurentium Donerum, cum eos, qui postridie sacram Cœnam accessuri, peccata sua confiterentur, audiret, confidenter accessit, petens suam quoque auditi confessionem. Admissus horrendas aduersus Christum filium Dei blasphemias euomuit. Verum cum virtute verbi Dei a parocho victus esset, intolerabili post se relicto fœtore abijt. Iob. Fincel.

Laurentius Donerus.

33 Paucis abhinc annis in Ducatu Luneburgensi mulier a diabolo obsessa, eleganter, pureq;, tam Latino quam Græco sermone, ex Satanæ per eam loquentis operatione vsa est. Manl. lib. 1.

34. Friburgi in Misnia, vir quidam & pietate & ætate venerandus, cum graui morbo decumberet, vltimusq; dies ei iã instaret, Satanas Pontificali veste amictus, eum solum forte relictũ accessit, senemq; in ipso agone vehemẽter exagitans, ab eo postulauit, vt singula delicta, quę in vita sua cõmisisset, ordine enarraret, eaq; ille chartã & atramentum in promptu habens, excepturus erat. Verum cum senex ex verbo Dei postulata Satanæ vehementer impugnaret, nec tamen ille a sua importunitate desisteret, tãdem ait senex: Quandoquidem ergo omnino hoc vrges, vt sigillatim delicta mea tibi enarrem: scribe itaq; huiusmodi primũ facto exordio, Semẽ mulieris conteret caput serpentis. Quibus auditis, Satanas chartam atramẽtumq; in terram proiecit, relictoq; post se ingenti fœtore euanuit. Se nex paulo post in Christo placida morte obdormijt. In collect. Manlij.

Puella misere a Satana vexata.

35. Anno 1559. non procul a Ioachimicis vallibus fabri cuiusdam filia, pudicitiæ & honestatis laude excellens, omnibusq; pietatis exercitijs sedulo vacans, ex permissu Dei a Satana circa Quadragesimam obsessa fuit. Sæpe eam Satanas arreptam humo allisit, non secus ac si comitiali morbo infestaretur. Quæ res mouit parentes, vt apud eos, qui ex pythonico spiritu incognita perspicere, & futura prędicere creduntur, consiliũ quęrerent. Per quod parentum facinus, potentiam suam & confirmatam & auctam esse, Satanas postea gloriatus est. Circa festum Paschatis humana voce loqui ex virgine cœpit diabolus, persæpe etiã in specie cuculi, corui, crabronis, aliarumq; auium apparuit, earumq; vocem per omnia expressit. Varia

eaq;

eaq; stupenda ex virgine locutus est, quę omnia perscribere operosum nimis fuerit, vnde magnus ad virginem hanc factus est concursus, plurimiq; ex peregrinis quoq; locis quotidie aduentabant, rem stupendā visuri, Satanamq; loquetem ex virgine auditurī, quorū complures ex pio sanctoq; zelo & verbis eum prouocarunt, & respondentem intrepide audiuerunt. Virgo interim patiēti animo crucem hanc pertulit, suas quoq; preces perfæpe cum reliquorum precibus coniunxit. Quotiescunque autem Christi nomen inuocaret, & liberationem a malo, quo premebatur, peteret, nouo protinus furore in ipsa dæmon sæuijt, protuberantes oculi ei intumuerūt, lingua instar viminis contorti ex ore, quanta palmi longitudo, protendebatur, capiteq; intorto, & in tergū reflexo, tristi & horrendo modo Satanas eam affligebat. Facta paululum remissione, si ex ea quæreretur, quomodo res ipsius se haberent, respondit, Eam obuersari sensibus afflictione, vt videatur sibi in profundo amni iamiam suffocāda hærere, piorumq; hominum aduentu e morte subinde eripi. Omnes eius vicinię sacerdotes, verbique diuini pręcones eo frequenter aduenere, quibus cum virgine colloquia miscentibus, magno cum ludibrio Satanas respōdit, & quoties Christi incideret mentio, ad turpē inanemq; deflexit ille fabulam. Interrogatus, quomodo in eam ingressus fuisset, respondit, In hausto cereuisiæ, sub specie muscę. Nam integrum biennium sese illi insidiatum, antequam voti sui compos factus sit, parentibusq; eius pythonissam consultum abeuntibus, pleniorem sibi in eam potestatem factam. Quidam pietate insigni in ea regione, Helias Hirsch, singulas ferme noctes apud virginē insomnes duxit, precibusque suis aduersus Satanam pugnauit, in quem ille acribus conuitijs sæuijt, & quotiescunque e domo sua progrederetur, id Spiritus iste prædixit, En, inquiens, sacrilegus iste Helias iterum me afflicturus aduenit. Vir iste & sanctus & pius, virtute verbi Dei eū oppugnauit, frequenterque nomine Iesu Christi vsus, tantum non ad nouam insaniam Spiritum adegit, vt furor sæuientis procul quoq; exaudiretur. Aliquando Heliā alloquutus dæmon ait: Ohe choream mecum ducito, & vt lubet, vel præcede, vel sequere. Ad quæ ille: Chorea tua ducat te in abyssum tartari. Respondit dæmon: Abi, iam choreas aspicies. His dictis, tibias inflantis sonū edidit, protinusq; hypocaustum ingressa est felis, & sub mensa canis apparuit: hi mirabili gestu & saltu chorea ducta, tandem disparuere. Huius generis præstigias plures instituit. Biduo ante Dominicam Trinitatis rursus aggressi dæmonem pij Sacerdotes, ex eo quæsiuerunt, ex cuius iussu ibi sedem sibi legerit? Ex iussu, inquit ille, Dei, a quo missus sum vt corpus affligerem, sed animę nihil afferre possum damni, tum vt hominibus significarem, vt a fastu, fœneratione, crapula, alijsque id genus peccatis, absistant, & licet meo ingenio aduersum sit hęc denunciare, attamen a Deo iussus id facere cogor. In extremo autem die plures scio me habiturum animas, quam Deum ipsum. Ad quæ verba minister Schlackenvvaldensis, Mentiris, inquit, sacrilege. Peccatores siquidem pœnitentiam agent, salutemque consequentur, te autem tuosq; complices æternus Deus in extremo iudicio in gehennam ignis deturbabit. Cur cœlo exulas, cum præclustrem te Angelum Deus crearit? Non satis firma, inquit ille, sedes mihi isthic erat. Tu saue huic tuo labori rectius parceres. Haud me latet, te pro crassa hac Margreta (sic virginem nominabat, cuius nomen erat Anna) solicitū in festo Pentecostes e suggestu preces ad Deum publice fudisse. Et feci, respondet verbi minister, & facere id nō desistam, donec te precibus nostris hinc in abyssum tartari pręcipitemus. Et hæc dicens, quęrebat ab eo, Num tu quoq; in affligendo Iobo occupatus fuisti? Quid ni, inquit ille, o si modo similis facta mihi potestas esset, & papulas ardentes, & pestes hinc inde disseminarem. Hæc colluctatio per duas ferme horas durauit. Inter alia

quoque dicebat minister, En, qui creaturarum quondam fuisti pulcherrimus, iam vel in immundi porci, vel alterius fœdæ bestiæ forma lates. O mi Sacerdos, respōdet dæmon, persæpe in leporem mutor, magnatibus cibus sum gratissimus. Quorsum hinc exiturus, quęrit Sacerdos, discedes? In fluxos, inquit ille, dilatatosque caligarum sinus. Sum enim hic ego centesimus. Elapsis aliquot diebus, pij aliquot Sacerdotes puellam in templum deduci curarunt, ibi in magna populi frequentia ardentibus Deum precibus inuocarunt, hymnisque & Psalmis laudarunt, & quoties Iesus Christus nominabatur, tanto mugitu, stridoreque Satan sæuijt, vt omnia ruinā minari viderentur. Hac vice re infecta abiere. Cum e templo virgo reduceretur, castrensis tympani sonitum dæmon edidit, Parum, inquiens, abfuit, quin loco me mouissent, profecto octo ex meis socijs iam hinc migrarant. Tādem verbi minister Schlackenvvaldensis, eo cum decem alijs ministris denuo accersitus est. E vallibus duos diaconos eodem misit Iohannes Matthesius, a prima hora diei vsque ad meridiem ingens omnium in orando, canendo, legendo fuit feruor & studium, sed re adhuc infecta prādium sumptum. A prandio aduenit Schlackenvvaldensis verbi minister, adducens secum arcis Pragēsis pręfectum. Adfuit autem ingens turba hominum vnanimiter Iesum Christum inuocantium hymnisq; laudantiū, tantoq; spiritu preces ad Deum fundentium vt exaudirentur, eiectusque Diabolus instar examinis muscarū per fenestram exierit. Antequam exiret, a puella petijt vnicum saltem corporis membrum, in quo moraretur, sibi communicari, hinc vnguiculum digiti, tandem vnicum pilum, sed id omne ipsi denegatum. Ait præterea iam exiturus: Omnes verbi & ministerij, Sacramentorumque contemptores, omnes item crapulæ, vsurisque addicti, & corpore & anima mei sunt, & nominatim Schlackenvvaldensem parochum monuit, vt suæ Ecclesiæ ciues ad pœnitentiam vocaret. Nempe Deus vnice nostram salutem sitit, ideoque Diabolus vel inuitus pœnitentiam hominibus annunciare cogitur. Eiecto Satana, virgo in parentis sui ædes deportata est, & in refrigerium animę, corpore & sanguine Christi refecta, sanoq; vsa iudicio, licet corpore debilitata, obnixe concionatorum, qui præsto erant, Ecclesiæq;, publicis sese commendauit precibus. Horrendum sane exemplum hoc est malitiæ Diabolicæ, quod omnibus in Christum credentibus incitamento esse debebat ad preces assidue ad Deum fundendas, ne in tentationes Satanæ inducantur. Iob. Fincel. lib. 3. de Miraculis.

36. Malitiosus quidam dæmon Moguntiæ plurimum turbarum concitauit. Sæpe clara voce loqui auditus est, furta sæpe prodidit, ædesq; incendio perdidit, vt multi relicta ciuitate ruri securitatem salutemque cogerentur quærere. Sępe etiam numero sacrificulos lapidibus petijt & sauciauit. Casp. Hed. lib. 7. cap. 18. hist. Eccles.

Satanas cōcubinam sacrifici aufert.

37. Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo, sacrificulus in pago Abenthewer / non procul a Gandauo, filiam agricolæ, forma præcellentem, multis pollicitationibus, ad se pellexit, eaq; inuitis parentibus concubina vsus est. Primum quidem impiæ eius libidini se opposuit virgo, obedientiam tum Deo tum parentibus præstandam, adhæc æternā inobedientiæ erga parentes, impietatisq; reis, damnationem metuendam esse asserens: Contra sacrificus ista eleuans, quantę in coniugio ærumnæ sustinendę, contra quantis voluptatibus in ea vita, quam ipse amplecteretur, frui liceret, prædicat. Quod ad æternam, inquit, damnationem attinet, te securam esse iubeo. nam & in Satanam & homines, adeoq; in ipsas animas ea mihi a Pontifice Romano potestas data est, vt nullius peccati atrocitas nobis obfutura sit. His illa persuasa verbis, nil verita parentes sacrificulo se agglutinat. Qui cum aliquandiu vna voluptatibus indulsissent,

sent, Satanas, cum opipare instructo conuiuio cõgerrones suos excepisset sacrificulus, omniaq; iam lætitia feruerent, foribus hypocausti vasto cum impetu apertis, sodalitium istud accedit, arreptamq; concubinam secum auferens, Mea es, inquit, me sequere. Illa miserabiliter vociferans, frustra sacrifici implorat auxilium. Quem frustra exorcismis vtetem, Satanas his verbis compellat: Et tu meus es, breui te quoq; ablaturus sum, tu ad hæc te præpara. His dictis cum sorto euanuit. Iob. Fincel. lib. 2. Quadrat hæc historia ad quartum, item ad sextum Præceptum.

38. In Italia virgo quædã à diabolo obsessa, Latinæ linguæ prorsus ignara, à Lazaro Bonamico Professore Bononiensi interrogabatur, quinã optimus esset versus in Vergilio? Respondebat illa, vel potius ex ea diabolus: Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos. Man. lib. 1.

39. Fuit Heydelbergæ Doctor Theologiæ, fautor Euangelicæ doctrinæ, cuius famulus ex inferiori Germania oriundus, cum visitatis patrijs laribus Heydelbergam reuerteretur, nec procul iam ab vrbe esset, obuium habuit equitem prægrandi equo insidentem, à quo vi in equum raptus est, vbi cum equitẽ apprehensurus esset, vt à ruina sibi caueret, eques è vestigio euanuit, ipse vero ab equo in sublimem aërem raptatus, hinc proxime vrbem iuxta pontẽ graui impetu deiectus est, vbi per aliquot horas omni sensu priuatus, quasi exanimis iacuit, tandẽ vbi recollectis viribus se prope vrbem esse intellexit, surrexit, hospitiumque suum ingressus, per semestre spatium antequam pristinæ sanitati restitueretur, decubuit.

40. Doctor Gregorius Pontanus hanc aliquando historiã præsente Martino Luth. retulit. Capitali odio viri duo nobiles in aula Imp. Maximiliani aduersus se mutuo incensi erant, vterq; alteri iureiurando mortem minatus fuerat. Tandem noctu per Satanam alter aduersarij sui ense in lecto interficitur, ensisq; cruore aspersus, in vaginam suam reconditur, interim graui alter infestatur insomnio, non aliter sibi persuasum habens, quam quod inimicum suum gladio transfigat: nec minus in stabulo equus in somno hinc inde iactatur, tremit, sudoreque fumat. Mane cum alter in lecto exanimis repertus esset, omnibus suborta est suspicio, per alterũ nobilem, huius aduersarium, cædem perpetratam esse. Auxit suspicionem gladius in vagina cruentatus. In vincula itaque conijcitur, & vt cædis auctor accusatur. Verum euidentibus testimonijs confirmauit, se ea nocte diuersorio suo egressum non esse, certisque patuit indicijs, diaboli machinatione homicidium esse commissum. Nobilis itaque, cuius animus fuerat alterum vita spoliare, ea condemnatione ad mortem damnatur, vt cũ in locum supplicij deductus esset, terra, quæ corporis eius vmbra tegeretur, effossa abijceretur, hinc exilio nobilis mulctaretur. Mortem eam ciuilem vocãt, quoniam animus ipsi fuit alterum interficere, & licet homicidium per Satanam commissum sit, attamen ipse quoque cædis istius reus fuit. Eum nempe sortiuntur exitum, inquit Martinus Luth. qui inito cum Satana pacto in peccata seipsos præcipitant, suisque libidinibus prauisque affectibus indulgent. *Mors ciuilis.*

41. In inferiore Germania monstrum oberrasse fertur hominis quidem magnitudine, sed specie canis, id eos, qui morituri essent, quasi odoratu afflauit, estque à multis, qui non afflati ab eo sunt, nec eo anno mortui, visum. Funeris Indicem nominabant. Qui mortem sibi ingruentem metuebant, ij per idololatricas Missas opem & salutem quærere festinabant. Eo modo ad idololatriam homines adduxit Satanas. *Monstrum funeris index.*

42. Anno 654. noctu grassante pestilentia, oberrarunt bonus & malus Angelus, vt ex certis indicijs animaduertere licuit. Malus Angelus venabulum tenuit, atq; vbicunq; à bono Angelo ianuam pulsare iussus est, in

ea domo, quot ictibus ianua pulsata fuit, totidem ea nocte peste extincti fuerunt. Chron. Abbatis Vrspergensis.

Satanas equiti famulatur.

43. Non procul a Torga quidam nobili prognatus genere, animi gratia per campos obambulans, obuium habuit quendam equitis habitu amictum (erat autem diabolus) eum salutatum famulum sibi adsciscit, qualis esset tum temporis ignorans, equorumq; curam ei committit. Porro nobilis iste homo erat impius, ex rapinis potissimum viuens, ad quē seruum sibi idoneum adeptus fuerat. Aliquando cum discessurus esset, equum sibi præ reliquis charum ipsi commendabat. Seruus equum in prærltā turrim subducit. Herum domum reuertentem, equus e turri agnoscit, clarūque edit hinnitum, capite e turris fenestra porrecto. Herus admirabūdus, equum eo quis subduxerit interrogat. Respondet frugi ille seruus, se heri sui mandata sedulo executum esse. Cogebātur deinde magno cum labore equum funibus constrictum e turri rursus demittere. Accidit prēterea vt Nobilem insectarentur ij quos spoliauerat: ibi seruus herum allocutus, Fugam, inquit, here capesse, moxq; e sacco cum clangore depromit ferreos vngularum calces, quibus insectantium equos spoliauerat, eorumque cursum inhibuerat. Tandem in vincula coniectus, huius serui sui auxiliū implorat. Respondet seruus, duris eum compedibus constrictum teneri, nec liberari a se posse. Instat herus, donec seruo persuadet, vt suam operā hac in re sibi locaret. Ait itaq; seruus: Eripiam te vinculis, sed ea conditione, vt manibus quietus sis, nec aliquibus signaculis tueri te velis. Hinc arreptum cum catenis & cōpedibus sublimem per aerem auehit. Territus ille, o æterne Deus, exclamat, quo auehor? protinusq; in paluſtrem locum Satanas eum deijcit. Domum inde properans vxori eius indicat, vt maritum suum in palude hærentem, compedibus cateniſq; constrictum liberet.

44. Monachi quidam cum suo præfecto vel patre iter faciētes, apud hospitem quendam diuerterunt, in cuius ædibus vnum e cōclauibus dēmonio erat infestum. Hospes de sanctorum patrum aduentu sibi gratulatus, eos humaniter excipit, sperans eos facile dēmonium ill ud suis adiurationibus eijcere posse. Lectū itaq; in isto cōclaui ipsis sternit. Noctu somno iam obrutos patres dēmonium istud crinibus rasam caluitiem terminantibus subinde lacessit. Tandem spiritum adiurat Guardianus, iubetq; vt in monasterium eorum abscedat. Paret dæmonium, mutataq; colonia Monachos domum reuertentes anteuertit, cœnobium ingredientes salutat & excipit, suamq; ipsis operam defert. Monachi eum recipiunt, angulum in culina ipsi occupandum monstrant, cucullam cum appenso tintinnabulo, vt agnosci posset, ipsi tradunt, eiusq; opera frequenter afferendo cereuisiam, aliaq;, quibus indigerent, vtebantur. Volatus eius & verba audiebantur. Quoties afferret cereuisiam, mensura se fraudari minime patiebatur, En, inquiens, bonam offero monetam, vos vicissim iustam date mensuram. Tandem coqui famulum, qui varijs eum molestijs onerabat, toto corpore e trabe suspendit, sed vitæ eius nihil damni intulit. Monachi itaque veriti, ne tandem res tragicum sortiretur exitum, huic suo famulo officium resignarunt. Ex Colloq. Luth.

45. Quærebatur ex Martino Luthero, num Samuel, quē mulier in Endor Pythonem habens, Saulo suscitarat, reuera Samuel fuisset? Respondit Lutherus: Minime, sed spectrum fuit Satanicum. Deus enim prohibuit in Mose, ex mortuis veritatem inquiri. Quare Samuel iste diabolicum fuit phantasma, nempe, Diabolus sub specie viri Dei apparuit. Quem admodum ex Magi incantatione Imperatori Maximiliano apparuerunt Impe-

ratores,& Reges celebratissimi, & inter eos Alexander Magnus,qui multis retro sæculis fuere mortui.

46. Anno millesimo, quingentesimo,quinquagesimo primo,Diabolus noctu multis in locis oberrans,passim fores ædium pulsauit, modo candidis vestibus indutus,modo lugubri habitu mœstus, funera comitari visus est, alijsq; gestibus homines terrore perculsos turbauit.

47. Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo primo, quidam quinque liberorum parens,triste hoc & horrendum in prole sua vidit spectaculum: Tres ex liberis eius, puella tredecim annorum, Barbara, puer nouem annorum,& rursus puella septem annorum,inusitato,prorsusque mirando more ita furere cœperunt,vt singulis diebus per septem vel octo horas continuas, iam recto,iam obliquo cursu, mox per trãsuersum directo,per omnes ædiũ angulos,per omnia conclauia mirandis gestibus subsaltarent,seq; ipsos in gyrum agentes adeo delassatos,adeo viribus exhaustos redderent, vt iamiam animam efflaturi viderentur, & tandem humi prostrati se circumagerẽt,capitibusq; in terram statutis, nouam quasi saltationem inchoarent,deinde velut exanimes per horas aliquot dormirẽt. Expergefacti cibum nonnunquam petebant,quo sumpto, saltationes citra remissionem continuarunt,sæpe etiam noctu, si furor iste eos inuaderet,eodem gestu & anhelitu subsilientes se delassarũt, parum vel nihil loquebantur,interim sæpe omnes simul effuse ridebant. Conatus quidem est verbi quidam minister eorum morbo medicari,nouemque dies eos secum detinuit,sed labor eius fuit irritus.Iob.Fincel.lib.1.

Crescentij mors ex terrore Satanico profecta.

48. Crescentius,Pontificis legatus,in Tridentino Concilio,anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo secundo,Martij die 25. scribendis literis ad Pontificem valde occupatus,laborem ad noctem vsq; continuauit.Ibi surgens,vt sese reficeret,ecce visus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine,flammãtibus oculis, auribus ad terram prope demissis, ingredi,& ad ipsum recta contendere,deinde sub mensam dilabi. Perculsus & obstupefactus,vbi demum se collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo:iubet afferri lumen,& inuestigari canem. Cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclaui grauem concepit cogitationem,& in morbum incidens, Veronæ decessit. Moribundus etiam,subinde suis acclamasse fertur, vt canem, qui lectum conscenderet, arcerent. Sleydanus lib.23.

DE PHRENETICIS ET A SATANA *obsessis Lutherus sic refert:*

DE Phreneticis sic sentio, omnes moriones, & qui vsu rationis priuantur,à dæmonibus vexari,non quod damnati sunt ideo,sed quod varijs modis Sathan homines tentat, alios grauius, alios lenius, alios longius. Quod medici multa eiusmodi tribuunt naturalibus causis, & remedijs aliquando mitigant,fit,quod ignorant,quanta sit potentia & ius dæmonũ. Christus nõ dubitat,curuam illam anum in Euangelio, vinctam à Satana dicere,& Petrus Actor. 10. oppressos à diabolo dicit, quos Christus sanarat,ita etiam multos surdos,claudos,malitia Satanæ tales esse,Deo tamen permittente,denique pestes, febres,atque alios graues morbos,opera dæmoniorum esse,qui & tempestates, incendia, frugum calamitates operãtur,vere affirmamus. Summa mali sunt Angeli, quid mirum, si omnia faciunt mala,humano generi noxia,& pericula intentent,quatenus DEVS permittit,etiamsi plurima talia herbis,& alijs remedijs naturalibus curari possunt,volente Deo,& miserente nostri. Exemplum Iobi indicat,quæ passus sit à Satana,quę Medicus omnia naturaliter fieri,& curari assereret. Sciendum igitur,Phreneticos à Satana tẽtari,saltem temporaliter. An Sa-

tan

tan non faceret Phreneticos? qui corda replet fornicatione, cæde, rapina, & omnibus prauis affectibus. Summa, Satã propior nobis est, quam vllus credere possit, eum sanctissimis sit propinquissimus, adeo, vt ipsum Paulum colaphizare, & Christum vehere possit, quorsum libet. Hactenus verba Lutheri.

Bizantinus Episcopus.

49. Bizantinus quidam Episcopus, ambitione motus, cum Satana pacto inito, ei se deuouit, quatenus Romanum Pontificatum obtineret. Desideratam itaque dignitatem cum adeptus esset, & iam Romam versus tenderet, cathedramq; Pontificalem occuparet, Satan ad tartara eum rapturus ipsi sit obuiam. Episcopus viso Satana obstupuit, signaculoq; crucis se muniuit, quod nihil curans Satanas, versus hos reciprocos recitasse fertur:

Signa te, signa, temere me tangis & angis,
Roma tibi subito motibus ibit amor.

Sylvester secundus.

50. Sylvester secundus, antea Gilbertus vocatus, natione Gallus, malis artibus, nempe Diaboli opera Pontificatum adeptus est, cumq; regnandi cupidus, Diabolum scisciteretur, quandiu in Pontificatu victurus esset? Respondit humani generis hostis ambigue, vt solet, Si non attigetis Hierusalem, diu viues. Dum itaq; anno pontificatus sui quarto, in Basilica sanctæ Crucis, quę Hierusalem vocabatur, Romę sacrificaret, inter sacra febri correptus, fato moriturum se statim cognouit, vnde pœnitentia motus, & errorem suum coram populo fassus, omnes primo posthabita ambitione, & Diabolicis fraudibus ad bene & sancte viuendum adhortatus est: Deinde rogauit, vt post mortem truncum corporis sui laceri & dissecti, quemadmodum merebatur, bigæ imponerent, eoque loci corpus sepelirent, quo sponte ab equis vectum foret. Ferunt itaque equos ipsos sponte ad Lateranensem Basilicam peruenisse, eoque loci sepultum eius corpus fuisse. Eius sepulchrum collisione ossium & sudore amisso, ab eo tempore dicitur semper Pontificum mortem prædixisse. Dubio procul ideo, vt Diabolus significet, cum Pontificibus successoribus eandem necessitudinem sibi esse, quæ cum Sylvestro fuit, quem etiam suæ mortis ante obitum admonuit.

Hominis Epicurei impietas & mors.

51. Halberstadij quidam diuitijs affluens, splendide victitabat, genioque & voluptatibus indulgens, Christianæ pietatis, æternæq; salutis negligens adeo factus est, vt dicere non dubitarit, si talem in terris vitam perpetem sibi liceret agere, se Deo cœlũ nunquam inuidere velle. Breui post præter suam expectationem mortuus est. Post mortem talia in ædib. eius magnifice extructis, quotidie circa vesperam apparuere spectra, vt ab omnibus desererentur, nemine eas incolere auso. Apparuit vir ille diues cum suis conuiuis in cœnaculo, quod delitijs & conuiuijs destinarat: astabant famuli faces manibus tenentes, aureaque pocula & crateras mẽsis imponentes, opipareque instructis ferculis mensas onerantes: fidicines præterea tibicinesque astabant, nec quicquam deërat splendoris eius, quo dum in viuis erat, vir iste opulentus vsus fuerat. Deo permittente ex Sataną operatione spectra hæc oculis hominum obseruata fuere, vt ab Epicureorum impietate reliqui deterrerentur. Iob. Fincel. lib. 2.

52. Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimonono, in Marchia res miranda accidit, quam complures magni nominis viri, & fide dignissimi, vere ita accidisse confirmarunt. Tempore messis, quo secari solet auena, subito aliquot viri in campis apparuere, primo quindecim, postremo duodecim, omnes inusitata magnitudine, & abominabili forma horrendi, primi, postremique capitibus caruere. Hi omnes falces gerentes messorias, certatim auenam messuere, vt stridor ferri clare exauditus fuerit, in-

terim

terim tamen nihil auenæ refectum fuit. Protinus huius portenti fama aulam adit, multique tam ex aulicis, quam ciuibus egressi, portentosæ huius rei spectatores fuere. Multi etiam propius accedentes, ex ijs quæsiuere, quinam, & cuiates essent, quidue sibi vellent? Ad quæ nihil illi respondere unt, sed strenue labori cœpto incubuerunt. Quidam etiam attrectare & comprehendere eos ausi sunt, sed rapido cursu e manibus illorum euasere, nec minus in ipso cursu falces suas per auenam strinxere. Vnde palam fuit omnibus, dæmones eos fuisse. Illustrissimus quoque Marchiæ Princeps, conuocatis Theologorum præcipuis, quidnam de isto portento iudicarent, ex ijs quæsiuit. Ea autem plerorumq; omnium fuit sententia, quod ingruens pestilentiæ pœna hoc signo esset præmonstrata. Iob. Fincel. libr. tertio.

53. Anno millesimo, quingentesimo, tricesimo, Iulij decimo octauo, insequentibusque duabus noctibus, prope Spiram, ex elusione Satanæ tale spectrum visum est: Iulij decimo octauo tres piscatores, cum salmones capturi frustra in Rheno laborassent, abluëtes tandem retia sua, ad somnum se composuerunt. Cum se quieti dedissent, accedens Monachus, vnum ex piscatoribus istis excitauit, sese in vlteriorem Rheni ripam vehi petens. Monacho Piscator obsequitur, protinusq; sex alij accessere, vultu habitu que Monachis similes, qui & ipsi nauim ingressi, Rhenum simul traiecere, quibus egressis rapidissimo cursu nauis per Rhenum retroacta est, statimque alij Monachi eandem nauim ingressi, eodem quo priores modo Rhenum trajecere. Piscator tandem in locum, vbi ad somnum capiendum se reclinarat, reuersus, breui post in morbum incidit.

Altera nocte eodem modo è somno excitatur alter piscator, vt Monachos Rhenum trãsuehat. Qui vbi ad nauem progressus est, Monachus nauim non omnium qui transuehendi sint capacem esse, ait, aliam ampliorem quærendam esse. Cum ergo secundo Rheno descenderent, duodecim Monachi accessere, partim candido, partim atro amictu induti, & naribus vncis deformes, nauimque ingressi, transuecti sunt, quib. egressis, alij statim ingressi, Rhenum traiecere. Quorsum autem Monachi delati sint, quorsum item nauis, aut quomodo ad locum quietis ipse reuersus sit, vector prorsus ignorauit. Et hic paulo post morbo oppressus est.

Idem & tertio, nocte tertia accidit. Cui excitato, Monachumque sequenti iniunctum, vt naui in transuehendis Monachis noua vteretur. Quę vnde comparanda esset, cum nesciret, visus est sibi per loca salebrosa, asperosque scopulos ingredi, donec recens compactam carinam reperiret, in quam protinus complures Monachi quidam paruæ, quidam magnæ staturæ atris, candidis, viridibusq; cucullis induti, conscenderunt, nullo edito verbo recta per Rhenum transmeantes. Cumq; ad locum inæqualem, arboribusq; consitum delati essent, Monachi naue egredi recusarunt, vlterius nauim prouehi iubentes. Hinc Monachis egressis, nauis per se aduerso flumine prope vrbem Spiram, ad ripam dictam Klebach, delata est. Piscator sui ipsius nescius, in casam suam reuersus, nauis quoque in suum restituta locum. Monachi, cum primum ex ipsis quæsitum esset, quorsum tenderent: Responderunt, Auguſtam versus, ad Concilium. Rem ita gestam quidam in Epistola describit, Suredabum Cancrinum se nominans, qui etiam quam accuratissime spectrum hoc explicat.

DE EO

DE EODEM SPECTRO EX ELEGIA GEORGII SABINI.

VRbs antiqua iacet, celebri contermina Rheno,
Vangionum longe non ea diſſitat humo:
Neſcio qui Nemetes hanc incoluiſſe feruntur,
Sunt ibi Francorum buſta quaterna ducum.
Cæſareũ ſedes fuit illa cohortibus olim,
Nomen ob id Graium, Spira vocata, tenet.
Hic humili modicis a ſtirpe parentibus ortus,
Exigua quidam nauita puppis erat:
Qui calamo piſces linoque madente ſolebat
Fallere, tam radios ſole tegente ſuos.
Is dum ſorte leues hamos, ac retia tractat,
Non procul a ripa lubrice RHENE tua:
Ecce per obſcuræ tenebroſa crepuſcula noctis
Obtulit ignoti ſe noua forma viri.
Atro tectus erat Monachum ſimulante cucullo,
Vtq; ſolent, raſo vertice tonſus erat.
Nauta propinquantem conſueto more ſalutans,
Ecquid agis ſera tempore noctis? ait.
Ille ſub hæc aſſum longinquis miſſus ab oris
Nuncius, ipſe tua me rogo lintre vehas.
Vt cito tranſmiſſo contingam flumine ripam.
Dixerat, aſſumptum nauita lintre tulit.
Iamq; fere medios curſus nox atra tenebat,
Flexaq; lenta pigri plauſtra Bootis erant:
Cum procul in viridi venientes margine ripæ,
Quinq; cuculligeros rurſus adeſſe videt,
Exoptatq; illis piſcator, vt ante, ſalutem,
Quoq; velint media pergere nocte, rogat.
E quibus vnus ait, Nos magna pericula cogunt;
Obſcura tutas carpere nocte vias.
Omnibus inuiſi ſumus; intentataq; nefandam.
Sacrificis nobis turba profana necem.
At te ſi quis amor tangit, ſi cura piorum,
Tranſuehe nauigio corpora noſtra tuo:
Vt tumidas lati ſuperemus fluminis vndas,
Neue moraturis impediamur aquis.
Sic optata tuis fortuna laboribus aſſit,
In tua ſic multus retia piſcis eat.
Annuit, & remo propellens nauita cymbam,
Mox iubet adductis ſcandere puppe ratem.
Sed mihi quis dixit, ſoluet mercede laborem?
Alter adhæc, Nullas ſcis quod habemus opes?
Raraq; percipimus diſtordi munera vulgo,
Non tamen ingratos nos habiturus eris.
Si nos in ſolido rurſus fortuna locabit,
Præmia pro tali digna labore feres.
Soluerat exremo piſcator margine nauem,
Iamque fere medias illa ſecabat aquas:

Sidereas

Sidereas remouent subeuntia nubila stellas,
Præcipiti fertur puppis & icta Noto.
Incipiunt nigris horrescere fluctibus undæ,
Sæuaq; tempestas imbribus orta furit.
Ipse repentino fassus pallore timorem
Nauta, Quid hæc, inquit, vult noua causa mali?
Nulla tamen pluuiæ uentura signa notabam,
Sol vbi flagrantes æquore mersit equos.
Nulla lacus vsquam circumuolitabat hirundo,
Vlla nec est oculis ardea visa meis.
Tum nec, Luna nigro surgebat pallida vultu,
Clarus & occiduo lumine Phœbus erat.
Talia iactanti, disturbant uerba procellæ,
Impediuntq; graues ora loquentis aquæ.
Tene procellosi subuersaq; turbinis ictus
Nauis, & insanis fluctibus hausta fuit.
Ardua sublatas tendens ad sidera palmas,
A Superis orans nauita posci opem.
Quid facis? è Monachis ait vnus, & improbe, dixit,
Desine voce tua sollicitare DEVM.
Moxq; graui tollens immanem pondere contum
Nauita parua salix, quo prius vsus erat,
Illius hoc humeros pulsat atq; terga fatigat,
Cæsus ad extremam dum fuit vsq; necem.
Proditus est tandem peruersi dæmonis astus,
Detectusq; fuit, fraude parente, dolus.
Vana recesserunt in manes corpora uentos,
Mansit & ingratus naue relictus odor.
Mox quoq; purgato fugerunt nubila cælo,
Et redijt pulsis aura serena Notis.
Territus hoc monstro gelidum sine sanguine corpus
Tollit, & ad ripam nauita puppe redit.
Illic in uiridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eois Sol fuit ortus aquis.
Mane sub Oceanum pulsis Hyperione stellis,
Ducitur à puero prætereunte domum:
Omnia commemorans præsentibus ager amicis,
Clausit adhuc illo fata suprema die.
Postera cum croceis fulgens aurora quadrigis,
Protulerat roseas ore nitente genas,
Accidit & similis diuerso tempore casus,
Acta sed euentu res meliore fuit.
Summa procul radijs feriente cacumina Phœbo,
Carpebat solus mane viator iter.
Qui Nemetum postquam digressus finibus esset,
Primus vbi positus distat ab vrbe lapis:
Aduentare nigro tectum velamine currum
Conspicit, hic Monachis currus onustus erat.
Ordine quem iuncti septem traxere iugales,
Quarta sed ablato defuit axe rota.
Quiq; manu flexas auriga tenebat habenas,
Terribili naso conspiciendus erat.
Attonitus curru stat prætereunte viator,
Nec Monachos illos, spectra sed esse videt.

Euolat extemplo sublatus ad æthera currus,
Mistaque cum fumo flamma secuta fuit.
Tristis & infaustum belli mortalibus omen,
Horrida per nubes arma dedere sonum.
Ille statim rediens, quæ viderat, indicat vrbi,
Est ea res certa cognita vera fide.
Hæc igitur vobis, altius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram, si res interprete egeret,
Spectra quid infesti dæmonis illa velint.
Effera Germanos agitat discordia Reges,
Proq; cuculligeris impia bella parant.
Hæc ea tempestas, hic impar ordo rotarum,
Hæc & cum fumo lucida flamma fuit.
Sed DEVS est nobis orandus vt arma quiescant,
Ille precaturis mitia fata dabit.

54. Puer quidam Lotharingus, honesto loco natus, æqualium improbitate corruptus, cœpit in caupona perpotare, inscio Gilberto cognato Nozoreno, cuius fidei concreditus erat. Accidit vt adolescens ignotus (quem cacodæmonem fuisse, postea compertum est) puerum à combibonibus seduceret, & artem parandæ pecuniæ facili carmine conceptis verbis se communicaturum promitteret, si modo cauponi suo nomine symbolum numeraret, & ex animo, quæ in codicillo facto à se exarato scripta essent, crederet, neque vnquam libellum sacrum explicaret. Puero omnia se facturum pollicente, specimen artis edit: & chartâ sinistro apprehensa pugno, dextræ manus indice & medio compressa, & carmine admurmurato (lingua Gallica, orichalcum natat, aurum salit) LX. coronatos, quot optauerat, e digitis excutit. Puer Præceptorem imitatus pari successu, lætus cum charta abit, & curiositate ductus eam aperit, vt consimilem aliam conficeret. In medio sphæricus erat circulus, tanquam orbis, duabus lineis rectis per diametrum intersectus, crucis figura, supra facies depicta imminens circulo, horrifica, cornuta, & tanquam cacodæmonis. Ad dextram binæ cruces inter se cohærentes. Ad lævam obscœna pars mulierum: eiq; aduersum, & tanquam infestum pudendum viri membrum. Statim vt obscœnas illas imagines vidit, oculi nigrescere cœperunt, vertigine rapi caput. Neq; soli sibi se iá credebat, quocunq; iret subinde respectans, tanquá à tergo insequentem quempiam videret. Iam contubernalis quidam adolescens animaduerterat, nouum ali monstrum, expiscatur. Præceptoris iussu puer omnem rem aperit. Persuasus chartam sacram in ignem conijcit. Ea semihora medijs in flammis durauit inusta, quum nulla magis materia ignem rapiat, adeo, vt puer ipse admirás exhorrescceret. Cognatus libro octauo Narrationum.

55. Magdalena Crucia Hispana, Cordubæ primaria Bæticæ vrbe, in prima pueritia à parentibus obscuris, incertum pietatis an paupertatis causa in cœnobiũ D. Claræ detrusa (quod illa post ex collata stipe de fundamẽto nouum extruxit) dæmonis cuiusdam, sub Æthiopis specie sese offerentis, miris blanditijs, quibus ea ætas potissimum capitur, inescata, familiariter illo vti cœpit, seuera tamẽ interminatione interposita, ne quisquam mortalium hoc resciscceret. Illa interim, quum dæmonem in colloquium singulis pene diebus admitteret, supra ætatem sapere, & indolis causa omnibus admirationi cœpit esse, incredibili sanctitatis opinione, quá motum elegantia, vitæq; austeritas effingebant. Vix dum duodecimum ætatis annum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in solidum possi-

dendæ

dendæ ansam captans, phaleratis verbis coniugii mentionem iniicit, facileque adeo, ex eius, quam iam deguſtauerat, ſanctimoniæ ſucceſſu, ſimplici & ambitioſæ puellæ perſuaſit. Dantur manus: fiunt ſponſalia: concumbitur deniq; Dotis loco Magdalena ſui corporis vſumfructum, colloquendo, conuerſando, concumbendo pollicetur. Æthiops viciſſim contra dotem ſplendidiſſimam offert, effecturum ſe, vti Magdalena per triginta & amplius annos ea ſanctimoniæ auctoritate per vniuerſam Hiſpaniam frueretur, qua omnes, qui eo laudis genere vnquam fuere celebres, vel æquaret, vel etiam ſuperaret. Neque vero mendax ille ſpiritus hac in parte falſus videri voluit, vt vniuerſæ ſcilicet Hiſpaniæ per hanc ſuã ſponſam imponeret. Quandocunque furtiuis voluptatibus fruerentur; Sponſi famulus (nam maieſtatis cauſa famulum quoq; veterator ille Æthiops ſibi adiunxerat) tanquã Sofia quidam ſuppoſititius, foris in templo & cœnobio Magdalenæ larua aſſumpta, illius vultum, geſtus, inceſſum, cantando, orando, comedendo exacte imitabatur. Si quando vero ſeceſſus illius voluptuarii perteſa hera in publicum prodiret, ne quid interea temporis otioſe periret, per orbem terrarum vagando, quæcunque digna memoratu acciderent, Magdalenæ renunciabat. Sic de Franciſci I. Galliorum Regis captiuitate: ſic de Romanæ vrbis direptione tertior facta, diuinitus ſibi hæc ab Angelo reuelata dictitans, in principum virorum dignationem ſummam peruenit, & Abbatiſſæ dignitatem, vltro cedentibus tantæ ſanctimoniæ reliquis monialibus, maxima totius ordinis Seraphici cum lætitia, qui ad ſe quoque tanquam ad præceptores & inſtitutores partem gloriæ huius pertinere putabant. Miraculis interea clarebat plurimis, ſed inanibus atq; ludicris. In ſolenni pompa feſtorum dierum, ad tres & amplius cubitos in ſublime efferebatur: ſæpe etiam imaginem Ieſu recens nati manibus geſtans; imbre lachrymarum profuſo, comam ad talos vſq; repente enatam, producebat, quæ ſenſim euaneſceret. Quotieſcunque Monachæ ſtatis diebus communione ſacra vterentur, ſacrificulo ex dinumeratis priùs diligenter myſtici panis orbiculis vnus ſemper deerat, quem Magdalenæ miniſterio Angelorum acceptum ſe in ore habere palam oſtendebat. Hinc tanta ei ſanctitatis fama accreuit, vt Pontifices, Imperatores, Reges, per literas eius ſeſe precibus commendarent, atque adeo Caroli Quinti vxor Philippum filium iis faſcijs, quas Magdalena ſuis precibus cõſecraſſet, primum excipi curarit, & inuolui. Exactis annis minus XXX. in hoc diabolico coniugio, tandem ſub annum Sal. 1546. Dei optimi Max. benignitate, nullo ſuo merito ad ſeipſam Magdalena redire, & dæmonem deteſtari cœpit. Ægerrime autem ferente Æthiope hanc apoſtaſiam, & multis modis illam vexante, viſitatoribus ordinis, quos vocant, præter omnem expectationem ſcelus ingenue aperit, peccatum fatetur, auxilium implorat, carceri includitur. Neque tamen interea dæmon loco excedere, ſed matutinis precibus cum ſummo Monacharum ſtupore & terrore ſub larua Magdalena intereſſe, ſæpe etiam alia obire munia. Monachæ laruatam Abbatiſſam (quam per x II. annos pertulerant) abhorrentes, multis vix tandem precibus impetrarũt, vt cognita ex integro cauſa, Magdalena cœnobio excluderetur, vt ſic demum præſtigiæ ceſſarent. Neque vero alia grauiore pœna, ob ſeriam reſipiſcẽtiam, & ingenuam confeſſionem, in eam animaduerſum eſt: vt quæ ficta atque dæmoniaca ſanctimonia plurimorum ſuperſtitionem auxerat, eadem vera & Chriſtiana pœnitentia, diuinæ miſericordiæ fontes nulli peccatori clauſos eſſe, memorabili oſtenderet exemplo. Hæc ex Caſſiodori Reuii V. O. & D. acroamatis.

56. Mediolanenſis quædam prope portam Comenſem puerum ſtrangulauit & deuorauit. Cum ſuper ſceleris immanitate torqueretur, ab ipſis

Diis inferis sibi persuasum aiebat, si trimum vel quadrimum puerum immolasset, omnia quæcunque vellet, consequuturam. Proinde grauissimũ de ea supplicium sumptum est, rotarumque radiis cancellatim inflexam, egregue collisis ossibus defractam, mors lenta sæuaque confecit. Arlunus hist. Mediol. sect. 1. suo tempore hoc accidisse scribit.

57. Benedictus Berna annorum septuaginta quinque presbyter, annis plus quam quadraginta cum dæmone familiari sub forma fœminæ concubuit. Eum in forum deducebat, alloquebatur Hermelinæ nomine. Hic confessus, arcana in sacrificio non protulisse, consecratum munus mulierculis ad veneficia præbuisse, pueris sanguinem exsuxisse, pœnas dedit. Hæc Franciscus Mirandula viro tam graui indigna, vana, & ab omni ratione aliena, Cardanus de rerum varietate, lib. 5. cap. 80.

58. Facius Cardanus, Hieronymi Cardani pater, dæmonem æthereum, vt ipse dicebat, diu familiarem habuit: qui quandiu coniuratione vsus est, vera illi dabat responsa. Cum autem illum excussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis viginti octo cum coniuratione, solutum autem circiter quinque. Dum astrictus esset, commodum se satis exhibebat: Neq; solus semper, licet plerunq;, sed aliquando cum sociis etiam veniebat. Cardanus de rerum varietate. lib 16. cap. 93.

Diuinitus punita tyrannica viri nobilis malitia.

59. Anno secundo & tricesimo, supra mille quingentos, vni e rusticis, quos subditos sibi habebat, vir nobili prognatus genere, ex tyrãnica malitia iussit, vt equo suo currui iuncto, prægrandem quercum e nemore domum aueheret, grauem minatus pœnam, nisi mandata exequeretur. Rusticus heri sui mandatis satisfacere nequaquam sibi possibile esse facile intelligens, non sine suspiriis & grauibus querelis nemus ingreditur. Accedit eum, humana assumpta specie, Diabolus, causam doloris ex eo quærit, cui rem omnem ordine recenset rusticus. Diabolus eum bono animo esse iubet, domũq; reuerti, se enim ad heri eius ędes quercum, citra moram vllam vecturum. Rustico vix domum reuerso, Satan quercum prægrandem, densissimis ramis grauatam, ante ędes viri nobilis transuersam proiicit, aditumq; arboris & ramorum densitate, intercludit, cumq; adamantinam duritiem quercus assumpsisset, nec vlla vi vel arte posset comminui, necesse fuit nobili isti ex alia parte ædium parietem effringere, nouumq; ædibus suis, non sine molestia, nec sine sumptu, adaptare ostium. Iob. Fincel. lib. 2.

Lectori liberum de hac re iudicium relinquimꝰ.

60. Eodem anno in Prouincia regni Babylonii, ex permissu Dei, hominum peccatis & ingratitudini irascentis, ex obscura fœmina Rachiena infans natus est forma supra modum præstanti oculisque præter morem visitatum flammantibus. Sub horam natiuitatis eius tantus fragor auditus est, vt terra cœlumque ruinam minari viderentur, circa noctem mediam clarum Solis iubar, quale est circa Meridiem effulsit. Postridie Sol emersit tenebris omnino tectus, mox solito maior, micantibusque stellis circundatus prodiit, ignisq; cœlo lapsus, permultos ex hominibus consumpsit. Deinde Solis obtenebratio rursus insecuta est, horrendaque simul tempestate sæuiente margaritis pluit. Tertio die immanis draco in aere volare visus est. Post mirandæ altitudinis mons surrexit, quo subito dissiliente, verba hæc in ruptura eius visa sunt: Hora natiuitatis venit, ac instat mundi finis. Duos menses natus infans, instar viri ætate grandis fari cœpit, & filium Dei se nominauit. Cum ex eo quæreretur, quid præcedẽtia signa denotent, respondit, per margaritas denotari populum, qui in ipsum crediturus esset, per draconem aduersarium suum. Omnis deinde generis morbos sanauit, & cum se Prophetam & interpretem mysteriorũ Dei profiteretur, vt Deus adoratus fuit. Historia hæc, quæ diaboli malitiã & fraudes, circa simplices homines in errorem & idololatriam inducen-

dos,

dos, satis euidenter ob oculos nobis ponit, desumpta est ex Epistola Magni Meysini Rhodiensis, quam ad sui ordinis equites, aliosque Christianæ religioni addictos scripsit, ex Christiana pietate has Satanæ præstigias ipsis detegens, vt eo studiosius sibi ab ijs cauentes, solum Christum Redemptorem & Deum suum colant & adorent.

61. Honestæ cuidam matronæ viduæ, cum sola in conclaui sederet, apparuit maritus suus iam pridem mortuus, comitem habens proceræ staturæ Monachum, maritus vxorem blandis verbis affatur, Bono inquiens, esto animo, mea vxor, maritus ego tuus sum, grauesque causæ vt te accederem, me impulerunt, hinc per integram ferme horam cum ipsa locutus, eã hortatus est, vt Missas pro se defuncto celebrari curet. Discessurus, vt dextram sibi porrigeret, ab ea cõtendit, quam apprehensam atro carbonis colore infectam reddidit, eoque colore per omne vitæ eius tempus manus defœdata fuit. Iob. Fincel. lib. 2. Ecce quibus effascinationibus delementatos homines ad idololatriam Satanas alliciat? quibus artibus vigilias, Missasq; pro defunctorum animabus instituendas extorqueat?

62. Anno 1555. spectrum apparuit huiusce modi: Brunsuigiæ pagus est Gehern / duobus distans milliaribus à Blomenauw. Ibi Rusticus quidam cum equis & curru lignatum exiturus in syluã, prospexit ante ingressum syluæ aliquot equitum turmas, nigricanti ferro armatas. Quibus visis, territus domum recurrit, in pago annũciat, magnam foris equitum turbam apparere. Seniores itaque adiuncto sibi verbi diuini Ministro, propere egressi sunt, quos centũ ferme personæ, partim viri, partim fœminæ comitabantur, equites istos conspexere, eorumque turmas circiter quatuordecim numerarũt. Quæ protinus in duo sese agmina partitæ sunt, instructaque vtrinq; acie, agmen agmini stetit oppositum. Tandem ex vtroq; agmine vir procerus, atroq; colore formidabilis prodijt, & vterq; sequo descendens, suum agmen accurate perlustrauit, quo facto, equos rursus consendere. Hinc instructa acie, agminibusq; oppositis, equites omnes progressi sunt, campumq; vniuersum compleuere. Cuius eorum profectionis spectatores fuere rustici, donec densæ noctis tenebræ ingruerent. Cæterũ cum nihil prorsus tum temporis vel de bello suscipiendo, vel de equitum aut peditum profectione constaret, omniũ ea fuit sententia, spectrum hoc fuisse diabolicum, vel iræ diuinæ signum. Iob. Fincel. lib. 1.

63. Anno millesimo, quingẽtesimo, sexagesimo quinto, in pago Schmirtz / sub ditione illustris Domini Vratislai à Bernstein / mulier Satanicum enixa est fœtum, qui capite pedibusque carens in pectore, prope sinistrum humerum, oris rictum aperuit, in sinistro humero aurem exeruit, loco digitorum, acetabula habuit instar ranæ, vel bufonis, totum corpus epatis colore retulit, & liquaminis instar vel coagulati gari intremuit, cũ ab obstetrice solio vel vrnæ impositus lauaretur, terrificum edidit clamorem. A multis ante templum diabolicum hoc monstrum cõspectum fuit, & in peculiari loco cœmeterij, vbi infantuli, qui Baptismi exortes obierunt, sepeliri solent, terræ defossum. Verum mater indesinentibus instituit precibus, vt horrendus iste partus rursus effossus, & in cineres redactus prorsus tolleretur, vt nec vllæ de eo reliquiæ superessent: confessa quoque est, diabolum mariti eius forma assumpta, frequenter secum rem habuisse. Quare Satanæ suum reddi, sibique grauibus terroribus à Satana iniectis agitatæ custodes & fidos pioque amicos addi, enixe petijt. Tandem ergo ex Illustris Domini Vratislai mandato fœdus ille partus effossus, rotæq; impositus, & Carnifici, extra pagum comburendus, est traditus. Absumpta ingenti lignorum strue, massa tamen ista Satanica absumi non potuit, quin etiam fasciæ, quibus inuoluta erat, madidæ vsq;, quamuis in ignem iniectæ rapidissimum, fuerunt, donec eam Carnifex in minutulas disse-

Fœtus Satanicus à muliere editur.

ctam partes, magna cum difficultate in die Veneris post festum ascensionis Christi cremauit. Mulierem interim magnis infestauit terroribus Satanas, eaque nocte ingenti cum strepitu equorum circum ædes cursitantium, pulsatique tympani sonitus auditus est. Altera quoque nocte miserabilis eiulatus primum sub fenestris, mox in ipsis ædibus, & matrem & vicinos vhementer terruit. Mulier itaque tota in precibus ad Deum fusis occupata fuit, Ecclesia quoque ardentibus votis pro ea apud Deum intercessit. Cumque in virtute nominis Diuini quidam in ima tartara Satanã descendere iuberet, protinus vlulatus canum, feliumque morsu se inuicem lacessentium, auditus est, hinc ingens tympani sonitus fluuium, qui ædes præterlabitur, transiens, vnde non parum terroris vicinis incussum est, quorum piæ preces tandem impetrarunt, vt ex misericordis Dei gratia a Satanę sæuientis fremitu & malitia mulier liberaretur. Historia hęc prolixe per singulas circũstantias descripta, ex prudentissimi Senatus, & consulum ciuitatis Olmitz/iussu, typis impressa & publicata est.

64. Anno millesimo, quingentesimo sexagesimo septimo, in Bohemiæ ciuitate Trautenauw / Stephanus Hubener/in cumulandis diuitijs, ædificiisque splẽdide extruendis, tantis fortunæ successibus vsus est, vt omnibus magnæ esset admirationi. Tandem in morbum incidens moritur, & honorifice admodum sepelitur. Cæterum breui post eius mortem & sepulturam, corpus eius (vel, quod verisimilius, Satanas, qui pro diabolica sua potentia corpus circumuexit) plurimos hominum arctis adeo complexibus compressit, vt multi eorum morerentur, multi etiam ex morbo reualescerẽt, qui omnes vno ore confessi sunt, se ab opulento isto viro, eo corporis habitu, quo viuum ipsum vidissent, compressos esse. Magistratus itaque loci illius, vt Satanicum illud spectrum amoliretur, corpus viri istius effracto sepulchro effodi iubet, quod licet iam viginti hebdomadas terrę defossum iacuisset, putrefactione tamen nulla adhuc corruptum, ea erat pinguedine, qua recentia & bene nutrita solent esse corpora. Carnifex corpus sibi traditum, ad locum, vbi de sontibus sumitur supplicium auehit, securi caput resecat, hinc dissecto corpori cor exemptum discidit. nec aliter cruor corpore emanauit, quam si viuus instar malefici meritas sustineret pœnas. Itaq; carnifex corpus flammis iniectũ, capite intra pedes reposito, cremauit astante magna hominum turba.

65. Ante aliquot annos in Thuringia adolescens Satanæ seipsum dediderat, qui dicto tempore eum auecturus erat. Verum pœnitentia ductus adolescens, piorum precibus pro se & salute sua intercedi petiit. Quibus impetratum a Deo, vt e Satanæ faucibus ereptus, Ecclesiæ Christi rursus insereretur. Ad quæ Lutherus ait: Profecto hæc non sunt vana & inania terriculamenta, imo horrenda sunt, ideo tales historiæ sunt obseruandæ, vt modestiores & vigilantiores simus, cogitantes de hoc dicto, 1. Ioan. 3. Christus filius Dei apparuit, vt opera diaboli destruat. Hoc ipsum tempus est periculosum, non tantum propter stellarum inclinationem, sed maxime propter diaboli insidias, qui ab omnibus partibus Ecclesiam Christi acerrime oppugnat.

66. In deserto regionis Tangut audiuntur voces dæmonum, qui solitarie incedentes, vel a comitibus paululum digressos, propriis compellant nominibus, voces fingentes illorum quos sibi comites per desertum iunxere, & a recto itinere abductos, in perniciem deducunt. Audiuntur interdum in aëre concentus Musicorum instrumentorum, sed frequentius sonitus tympanorum. Cosmogr. Munsteri lib. 5.

67. Ante annos aliquot Erffordiæ coruum domi suæ aluit ciuis quidam, quem cum aliquando tacitum mœstumque videret, per iocum his eum verbis affatus est: Mi corue, quid mœres, quidue animo cogitas? Ad

quæ

quæ ille præter omnem expectationem respondens, diserte & clara voce versum Psalmi septuagesimi septimi protulit: Cogitaui dies antiquos, & æternos in mente habui. Satanas ex coruo locutus. Caspar Goldtwurm, in libro de Miraculis.

68. Hieronymus Cardanus refert, parenti suo septem apparuisse spiritus, qui de rebus variis & mirificis cum eo disputarint, & ex scriptis Auerrois, Medicorum principis, res abstrusas, & antehac incognitas enuclearint.

69. Sub Traiani imperio cornix e Capitolio Græcis verbis vociferata est: Ἔσται πάντα καλῶς. Omnia belle se habebunt. Vnde distichon illud incerti autoris.

Tarpeio quondam consedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere: dixit Erit.

Valens Imperator.

70. Valente Romanorum Imperium administrante, feruntur Libanius Rhetor, & Iamblichus Procli Magister, diuinatione galligallinacei quæsiuisse, quis post Valentem imperaturus esset. Ea porro huiusmodi esse perhibetur: Literæ viginti quatuor puluere inscribuntur, & cuiq; granū tritici & hordei imponitur, deinde gallus, recitatis quibusdam carminibus, dimittitur, & e quib. literis grana sumpserit, eæ literæ inter sese iunctæ rem quæsitam declarare putantur. Quod cum & illi fecissent, gallum ex literis Θ. E O. Δ. grana legisse viderunt. ambigua tamen habita est significatio. Nam vel Theodosius, vel Theodorus, vel Theodotus designari putabatur. Ea re cognita, Valens multos ijs nominib⁹ præditos, sibi suspectos, sustulit, ipsis etiam diuinatoribus quæsitis. Cuius sæuitia formidata Iamblichus, hausto veneno, vt quidam tradunt, sibi consciuit necem. Fuit enim Valens inexorabilis iracundiæ, vnde dicere solebat: Qui ab ira facile dimoueretur, eundem & a iustitia facile dimoueri. Zonaras libro tertio Annalium.

DE MAGICIS ARTIBVS.

COram Mose & Aarone confundebantur Magi & malefici in Ægypto. Nam deuorauit virga Aaron virgas eorū. Quin & ipsi vlceribus percussi, quemadmodum reliqui in Ægypto, coram Mose stare non poterant. Exod. 7. & 9.

Non declinaueris ad Magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus vester. Leuitici 19.

Anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis: Ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Leuit. 20.

Nec inueniatur in te, qui lustret filium, aut filiam ducens per ignē: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atq; auguria: nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat veritatem a mortuis. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Deut. cap. 18.

Saul abstulit Magos & ariolos de terra, & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre. Verum coarctatus deinde ab hostibus, Pythonissam consuluit, postridieq; eius dicti in peccatis suis mortuus est, seipsum gladio suo traijciens. 1. Reg. 28.

Rex Manasses obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum Magos & incantatores, idcirco vinctus catenis, atq; compedibus, Babylonem ductus est. Qui postquam coangustatus est, egit pœnitentiam, deprecatusq; est Dominum Deum suum, & orauit intente, & exaudiuit Dominus orationem eius, reduxitq; eum Ierusalem in Regnum suum. 2. Paralip. 33.

Pythones & diuinos consulendos non esse, vide apud Isaiam, cap. 8.

Cyprianus libro de duplici martyrio, Qui magicis, inquit, artib. vtuntur, tacite Christum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus.

Iuliani incantationes.

1. Post cædem Iuliani Apostatæ, impiæ eius præstigiæ & incantationes Carris detectæ fuerunt. Delubrum enim, quod apud impios in maximo honore erat, in ea ciuitate non solum obseruari, sed etiam à militibus seduloo custodiri iussit, ne quisquam, donec ipse reuerteretur, intraret. At postquam nunciatum erat, eum esse mortuum, & pium Imperatorem impio successisse, quidam in illud delubrum introeuntes, vident mulierculam capillo suspensam, manibus extensis, cuius ventre dissecto, sceleratus iste forsitan ex eius iecore diuinauit, se victoriam à Persis reportaturum. Porro Antiochiæ dicitur multas capsas in palatio refertas hominum capitibus, multosque puteos cadaueribus humanis repletos fuisse. Eiusmodi namque facinora execrabilium Deorum poscebat disciplina. Theod. lib. 3. cap. penult. & vlt. Niceph. lib. 10. cap. 35.

2. Sunt qui scribant Robertum Guiscardi è Gallia in Italiam cum exercitu profectum, fugatis Græcis & Afris, Apuliam occupasse, statuamq; reperisse circa caput æneum circulum habentem, his literis notatum, Calē. Maij oriente Sole aureū caput habebo. Vnde Sarracenus quidam, magicæ obseruationis peritus à Roberto Guiscardi captus, notato termino vmbræ ipsius statuæ: Calend. Maij oriente Sole, effosso loco thesaurum inuenit, quo se à Roberti manibus liberauit. Platina in Leone 9. Pontifice 158.

Romani pestilentiam incantationibus pellunt.

3. Anno millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo, graui admodum pestilentia Romam infestante, quidam ex Græcia, Demetrius Lacedæmonius, in vrbem aduenit, pestilentiam suis incantationibus sedare se posse professus. Quod vt faceret, enixe omnibus ab eo petentibus, Vrum adduci iussit, cui alterum cornu dissecuit, & verba quædam in dextram aurem immurmurauit. Per quæ mitem adeo & mansuetum taurum ferocissimū reddidit, vt tenui eum filo alligatum in Amphitheatrum deduxerit, vbi idolo suo eum immolauit. Quo peracto sacrificio, pestis grassari desijt. En quanta sit Romana Sanctitas, Satanæ opera aduersus pestē amuleta quærens, omnibus interim precibus ad Deum fundendis, vitæq; emendatione, neglectis. Iob. Fincel. lib. 2.

Pergamenorum scelus.

4. Pergameni cum à Sarracenis obsidione cingerentur, per Magum & maleficum hominem persuasi sunt, prælio victores sese euasuros, si dissecta mulieri grauidæ exemptum infantulum in olla coquerent, eiusq; sanguine dextras suas manus inungerent. Quod facinus cum perpetrassent, à Sarracenis victi, turpiter succubuerunt. Paulus Diaconus sub Theodosio.

5. Circe, iuxta Poetarum fabulas, Solis & Nymphæ Persis filia, quā non procul à Caieta, monte Campanię, moratam esse ferunt, suis incantamentis socios Vlyssis in porcos transformauit. Homerus in Odyssea.

6. Tradunt Pasetem quendam præstigiarum & Magiæ peritia nomen meruisse. Is incantamentis quibusdam efficiebat, vt repente conuiuium omnibus instructum partibus adesse videretur: rursum vbi libuisset, omnia protinus euanescebant. Emebat autem frequenter, precium quærenti numerabat, verum mox numus non apud yenditorem, sed apud Pasetem reperiebatur. Erasmus in Prouerb. ex Suida.

7. Neuri, Scythiæ populus, homines malefici, quotannis ad aliquod dies in lupos transformabantur, & rursus in pristinum habitum redibant. Herodotus in Melpom. Huc refer quæ supra de Lycaonibus sunt dicta.

8. Hexagon, legatus Cyprius, à Consulibus Romę in dolium serpentum coniectus, experimenti causa, circummulcentibus linguis Miraculum præbuit. Plinius libro 28. cap. 3.

9. Numa Pompilius, vocatis ad cœnam amicis, suis effecit incantamen-

tis, vt mensa & ornatu & delicatissimorum ciborum apparatu mirifico instructissima protinus apparuerit. Guid. Bituricens.

10. Mœridis malefici incantamenta Poëta Virgil. his versibus decantat:

Has herbas, atq; hæc ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atq; satas alio vidi traducere messes.

11. Harcalo Magus sæuientes leones impune attrectauit. Sylius 1.

Harcalo non pauidus fœtas mulcere leænas.

12. Antoninus Heliogabalus, Magicis artibus addictus, suorum Præceptorum & Magorum opera, complures ex viris clarissimis, qui iam olim fuerant mortui, & inter eos, patrem suum Seuerum, & Commodum, Romanos Imperatores produxit, eosque de rebus futuris consuluit. Dion, & Xiphilinus in Antonino.

13. Henricus Cornelius Agrippa Necromantiæ, artiumque Magicarum studiosus, cacodæmonem nigri canis specie circumduxit. Cumque propinqua morte ad pœnitentiam vrgeretur, apud Lugdunum in ignobili & tenebricoso decumbens diuersorio, cani collare loreum magicis per clauorum emblemata inscriptum notis, exoluit, in hæc verba prorumpens: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti: Nec vsquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est, cum precipiti fugę saltu in Ararim se immersisse, nec enatasse, ab his, qui id vidisse asserebant, existimetur. Iouius in Elogijs doctorum virorum.

14. Simili impietate Iohannes Faustus, turpissima bestia & cloaca multorum Diabolorum, cacodæmonem canis specie circumduxit. VVitenberga, cum edictum Principis, de capiędo ipso, promulgatum esset, euasit. Sic Norinbergæ, cum pransurus accubuisset, æstuare cœpit, statimque soluens hospiti quod debebat, ait. Vix portis egressus erat, adsunt lictores, & de eo inquirunt. Fatis tandem vrgentibus, cum in pago VVirtenbergensis ducatus mœstus admodum sederet, quæsiuit ex eo hospes, quæ mœroris causa esset, respondit: Ne hac nocte terrearis, etiamsi ingentem strepitum, totiusque domus quassationem audias. Mane in conclaui suo exanimis, inuersa ceruice, iacuit. Talia nimirum præmia Satanas suis cultoribus solet reddere. *Faustus Magus.*

15. Magi, præsertim si artis suæ non omnino certi sunt, dignam suæ impietatis mercedem recipiunt. Fuit alicubi Necromanticus, vel incantator, is gloriabatur, se spectaculi causa omnes serpętes, qui circumcirca per milliaris spatium laterēt, in vnam foueam coacturum, eosque omnes interfecturum. Res voti; ipsius respondet, immensa serpentum multitudo confluit. Tandem serpens prægrandis, annosusque arrepit, qui cum foueam ingredi recusaret, incātator simulat, se vltro cursum liberiorem ei permittere. Cum vero rem serio aggressus, serpentem diabolicis suis incantamentis adigere vellet, vt in foueam ad serpentes iam interfectos deuolueretur, ibi serpens sinuosa contorquens volumina, incantatorem subito inuadit, eumque instar cinguli medium amplectitur, & cum impetu secum in foueam deiectum, inter fœdissimos serpentes interficit. Caspar Goldtwurm/de Miraculis. *Magus à serpente interficitur.*

16. Anno millesimo, trecentesimo, vicesimo tertio, Fridericus Austriacus, Imperatoris titulum sibi vendicans, aduersus Ludouicum Bauarum, Imperatorem, graue gessit bellum, in quo captus Fridericus, triennio in custodia detentus est, in arce vicina oppido celebri, ad Nabum fluuium Nąburg. Interim Magus quidam ducem Leopoldum, Friderici fratrem, *Fridericus Austriacus Ludouicus Bauarus.*

accedens, promittit, se fratrem eius Fridericum è custodia liberaturum, curaturumq;, vt intra horæ spacium saluus in Austriam deducatur. Leopoldus ingentia munera Mago isti pollicetur, quatenus id efficiat. Constituta itaque nocte, vterque circulum incãtationibus Magicis designatum, ingressus est, Magus per suas adiurationes spiritũ accersit, qui in peregrini hominis specie apparens, mandatum adducendi Fridericum accipit, aitq; se quidem facile & liberaturum & adducturum Ducem Fridericum, quatenus ille sequi non recusaturus sit. Protinus itaq; noctu Spiritus captiuum Principem conuenit, Frater, inquiens, tuus Leopoldus, me huc misit, vt te è custodia liberem. Quare propere surge & equo huic inside, teq; è vestigio ad fratrem tuum abducam. Ad quę respondit Dux Fridericus: Quis es tu? Ne quæras, quis sim, ait Spiritus, sed citra aliquam dilationem equum conscende, quatenus ex hac custodia liberari desideras. Ibi ingens horror & pauor tam Fridericum, quam reliquos, qui cum ipso vna erant inuasit, cumque sancto crucis signo se munirent, euanuit Spiritus, & ad Magum vacuus reuersus est. Dimissus tandem est Fridericus, his conditionibus, vt liceret ei nomen Imperatoris, quoad viueret, sed non ius & potestatem vsurpare. Chron. Casp. Hedio. lib. 4.

Ioannes Teutonicus.

17. Ferunt anno Christi millesimo, ducentesimo, septuagesimo primo, Iohannem Teutonicum Canonicum Halberstadensem, magicarum artium adeo peritum fuisse, vt equo suo auectus, ternas Missas in vigilia natiuitatis Christi celebrarit, Primam Halberstadij, Secundam Mogũtię, Tertiam Coloniæ. Multa de hoc Canonico scribuntur prodigiosa admodum, quæ per artem suam edidit.

18. Anno Christi millesimo, ducentesimo, septuagesimo secundo, Crucenacum ex inferiore Germania Magus admodum præstigiosus aduenit, qui publice, inspectante populo, in foro, caput seruo suo amputauit, idq; post horam dimidiatam corpori humi iacenti rursus imposuit. Visus est sæpe cum canibus in aëre sursum deorsumque ferri, magnoque excitato clamore, venationis effigiem repræsentare. Sæpe etiam visus est virum armis ferreis indutum, aliquando plaustrum vini, vel ligni vna cum equis deuorare.

19. Anno millesimo, quingentesimo, tricesimo nono, sub ditione Cathedralis Ecclesiæ Eichstet/in pago Fugenstahl/ quidam rusticus, nomine Vtz Newsesser/ doloribus per totum corpus ineffabilibus, ijsq; magis magisq; indies ingrauescentibus excarnificatus fuit. Clauum aliquando inter cutem & carnem apprehensum mordicus tenuit, donec accerseretur Chirurgus, qui dissecta cute eum exemit. Verum dolores nihil ea de causa remittebant, quin ea vehementia intendebantur, vt diutius tantos perferre dolores sibi nequaquam esse possibile, diceret, sed cogi se, vt manus sibi ipsi afferat, & per mortem tantis sese cruciatibus liberet. Qua de causa, accurata admodum ab amicis gerebatur eius custodia, quibus tamen ille deceptus, cultro in die Matthæi gulam suam læsit, ex quo ictu post aliquot dies extinctus est. Cumq; in cœmeterium delatus esset, chirurgi resecto eius corpore, ex ventriculo exemerunt lignum gracile, spithamę habens longitudinem, cultrum vtrinque fracturis inæqualem, cuius manubrium nigricanti ligno erat inclusum: pręterea cultrum rubiginosum, fracturis item instar serræ distinctum, cuius manubrium erat nudatũ: quarto cultrum totum ferreum, lõgitudinis & latitudinis mediocris, retusum & serratum: quinto ferrum quatuor acuminatum angulis, limę instar formatum, longitudinem habens palmi maioris: sexto duas ferreas laminas, acuminatas, & rubigine obductas: postremo, pilos in glomi formam conuolutos. Quæ a Magistratu reposita in hunc vsq; diem reseruantur. Iobus Fincelius, lib. 2.

In

In Malleo maleficarum in secunda Parte, cap. 13 exempla huic non dissimilia reperiuntur.

20. Anno millesimo, quingentesimo quinquagesimo tertio, captę sunt duæ incantatrices, quæ per tempestates, grandinem & gelu, frugibus calamitatem inferre conatæ fuerant. Furto rapuerant istæ mulieres alterius vicinæ infantulum, eum dissectum, ollæque iniectum coquturæ. Diuinitus autem accidit, vt mater infantulum quærens interueniret, atque in olla infantuli sui membra dissecta conspicaretur. Captæ itaque duæ istæ pestes, & per torturam examinatæ confessæ sunt, si coctio ista perfecta fuisset, sequuturam inde fuisse tempestatem, adeoq; glaciem omnibus terrę fructibus exitialem.

21 Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo octauo, in pago Ienæ vicino Magus quidam, varijs a Satana monstratis herbis, non paucos sanitati restituit, quin & quotidianum cum Satana commercium habuit, eiusque in curandis morbis consilio assidue vsus est. Accidit autem, vt inter ipsum & vicinum eius fabrum lignarium rixæ orirentur admodum graues, inter quas scommatibus aliquot acerbioribus Magi animū faber exasperauit. Elapsis deinde aliquot mensibus, faber in morbum periculosum incidit, Magum itaque rogat, vt oblitus præteritarum iniuriarum, sibi graui morbo conflictanti opituletur. Magus animum placatum simulans, dum operam suam ipsi pollicetur interim illatas aliquando iniurias vlciscitur, & potione ex radicibus & herbis venenatis cocta, ipsum vti iubet. Qua sumpta potione, faber infandos in corpore sensit cruciatus, iijsque extinguitur. Vxor itaque fabri cum agnatis accusant Magū homicidij. Defertur causa ad Senatum Ienensem, Magus in vincula conijcitur, per tormenta examinatus, & homicidium hoc, & alia scelera, quodque a vetula quadam in vicinia Herciniæ syluæ Magiam suam didicerit, confitetur. Propter quæ flagitia palo infixus & combustus est. Collect. Manlij.

22. Martinus Lutherus, cum prolixius aliquando verbis in maleficarum mentionem incideret, referebat, matrem suam ab incantatrice vicina varijs modis vexatam fuisse, sic vt omnem ei humanitatē exhibere, adeoq; precibus eius beneuolentiam sibi conciliare necesse haberet. Nam infantulos eius incantamētis lædebat ista venefica, vt inter continuos clamores tandem expirarent. Cumq; in genere concionator quidam veneficarū taxans impietatem, ad eam allusisset, incantamentis sic infestatus & infectus fuit, vt nulla salutis via relicta ipsi pereundum fuerit. Nam terram de vestigijs ipsius abrasam, adhibitis incantamentis in fluuium abiecerat, citra quam ei succurri non poterat. Et cum ex Luthero quæreretur, anne fieri possit, vt pijs etiam & fidelibus talia eueniant? Respondit, Maxime: Nam anima nostra subiecta est mendacio, & licet ea libereretur, attamē corpus morti & afflictionibus subiacet. Et persuasum sane habeo, quod & meæ ægritudines, ex permissu Dei per incantationes me infestent. Deus vero suos electos conseruat, liberans eos ab his malis.

23. Duæ incantatrices in diuersorio vnas duas aquæ plenas sepositerant, cumque circa vesperam consilia inter se conferrent, frumentone an vino calamitas sit inferenda, forte hospes earum consultationem audijt, arreptaque vna vtraque, clam ad lectum, in quo cubabant, accessit, & aquam super maleficas in lectum effudit, qua protinus in glaciem mutata, illæ extinctæ sunt. Ad quæ Lutherus, Satanæ, inquit, magna est potentia in istis veneficis. Nam duobus modis Satanæ & maleficis potestatem facit Deus in homines grassandi, primum in impios, vt eorum peccata puniat: Deinde in pios & fideles, vt probet eos, num in fide cōstantes perseueraturi sint? Nam absq; permissu Dei Satanas nullū detri-

tum homini afferre potest. Ipsemet enim Dominus ait: Qui vos attingit, is pupillam oculi mei attingit. Et Christus: Citra voluntatem patris mei ne pilus quidem de capite vestro decidet.

Alexander Sextus pestis maxima.

24. Alexander hic cum Cardinalis esset, noctes diesque in eo totus erat, quomodo Pontificali potiretur dignitate, vtque huius voti sui commodius redderetur compos, ad Satanicam magiam animum adiecit, operaque alterius Magi rem eo deduxit, vt cacodæmoni obedientiam polliceretur, quatenus, quicquid ex eo quæsiturus esset, ad id responderet: decernebatur etiam, quando, & vbi, in qua item specie, nempe Protonotarij, comparere debeat. Constituto itaque die Satanas Protonotarij assumpta specie adest, quis esset, Alexandro indicat, seque ei, quicquid interrogaturus sit, reuelaturum promittit. Quærit ille, num Pontificalem dignitatem obtenturus sit. Quod cum Satanas affirmaret, porro quærit ille, quandiu sit in tali dignitate regnaturus? Ad quæ Satanas eo modo respondebat, vt octodecim annis Pontificatum sibi promitti Alexander intelligeret. Verum vndecim tantum annis regnauit, & diebus octo. Elapsis vndecim annis, in morbum incidens, vnum ex ministris superius conclaue ingredi iubet, librumque mensæ impositum, in quo Magicæ docebantur artes & præstigiæ, sibi offerre iubet. Minister ascendens, apertis foribus, ibi Satanam in sella Pontificis sedentem, Papaliq; ornatu amictum, offendit, quo spectro territus, recedit, & Papæ quæ viderit, renunciat. Papa hæc audiens, eum denuo ascendere cogit, visurum, num adhuc Satanicus ibi Papa appareat. Reuersum ministrum, Satanas eodem adhuc sedens habitu compellat, quid sibi velit, ex eo quærens? Respondit minister, se ingressum, vt librum Papę tradendum afferret. Ad quę Satanas: Quid Papam dicis? Ego Papa sum. Hæc cum ex ministro ægrotans Papa audiuisset, vehementer territus, quorsum iam res suæ tenderent, facile intellexit. Itaq; in interius conclaue se deportari iussit. Quo vbi delatus est, protinus Satanas subsequitur, assumptaq; veredarij specie, cum impetu fores pulsat, intromissus Papam lecto affixũ accedit, tempus elapsum esse indicãs, alio ex hac vita ipsum vocari. Vnde contentio inter eos orta est, ex qua ij, qui lecto astabant, facile agnoscebant, de annorum numero ipsis certamen esse. Verum Satanas euidentius ipsi explicata numerorum ratione abijt. Breuiq; post, ipse quoque Papa, Christi ille vicarius, & columen Ecclesiæ, spiritum suum reddidit, & cum Satana ad ima descendit tartara. Papæ huic Alexandro filius fuit vitam agens flagitiosissimam, & filia nomine Lucretia, cum qua frater rem habuit & ipse quoque pater, qui etiam nudus cum ea nuda saltasse fertur. De qua Papali castitate hoc quidam lusit disticho.

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thau, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Pœna maleficorum.

De pœna eorum, qui veneficij sunt rei, Plutarchus in vita Artaxerxis hunc ad modum scribit:

Lex est apud Persas, vt sons veneficij ad latum lapidem deducatur, ei caput sontis imponitur, idq; alio saxo tunditur, atq; premitur, dum facies & caput cõminuantur. Eo supplicio Gigis famula Parisatidis Reginæ perijt.

Veneficatum ea est potentia, vt ex permissu Dei per suas incantationes in porcos aliasque feras transforment homines, segetem frugesque perdant, pecoribus morbos lethales immittant, gramina herbasque languescere, penitusque arescere faciant, hominibus manus pedesque eneruent, vt omni eorum vsu destituantur. Quinimo homines ratione & intellectu, adeoq; vita priuant, spectra e sepulchris eliciunt, exorcismis suis varia indutos specie diabolos prouocant, hominesq; eo modo effascinant, & de-

mentant,

mentant, vt credant, Lunam stellasque per earum carmina cœlo deduci. Cuius rei passim in suis etiam carminibus Poetæ meminerunt.

25. Italæ quædam mulieres, oblatis cibis quibusdam, humanas mentes ita perstringebant, vt illis, ea quæ non erant, esse viderentur. Hoc a Præstantio se audiuisse D. Augustinus scriptum reliquit. Narrasse enim Præstantiū dicit, ipsius patrem eiusmodi veneficijs per has mulieres forte correptum, statim graui somno indormiuisse, ac post multos dies, quorum spacio expergisci nullis remedijs vnquā potuerat, narrasse, se per id tempus, equi habuisse speciem, ac semper frumēta tulisse: addebat etiam portandi tempus, locumque & quomodo tulisset. Quarum rerum, cum postea veritas inquireretur, aiebat inuētum esse, quod equus eius speciei, qua Præstantij pater dixerat, eo tempore, eo loco, frumenta ijs tulerat, quibus ille dicebat. Res profecto mira, fœminas tantum Magica arte, datis cibis, potuisse, vt alteri in somnijs, alteri in vigilia, id viderētur agere, quod procul dubio nullo modo erat. Vnde meo quidem iudicio, in ijs quæ de strigibus mulieribus dicuntur, haud aliud esse dixerim, quam phantasticum Magarum somnium, quanquam ipsis aliter esse videatur. Fortasse etiam ijs dissimiles non fuerunt, quę a Circe fieri dicebantur, transformationes: etsi allegorici sensus eis aliam præbeāt rationem. Idem in puella Ægyptia ostensum fuit, cum parentes in equam mutatam, ad diuum Hilarionem duxissent, quam is breui in pristinam humanam speciem restituit. Cui etiam simillis dici potest fuisse iuuenis ille, qui per Magas fœminas in asinū conuersus videbatur: de quo cum coram Leone Pontifice Petrus Damianus accurate disputasset, magicæ artis effectum, & non figmentum esse asseruit. Fulgos. lib. 8. cap. 11.

26. Vratislaus Lucensis Dux Vratislauiæ conditor, bellum contra Grezomislaum Bohemiæ ducem susceperat. Ibi mulierem fuisse tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vratislaum in pugna casurum, maioremq; populi partem cum eo interituram prędixit. Adolescenti imperata facturum respondenti, iussit vt primum, qui obuius fieret, occideret, atque vtrasque aures abscissas in pera recōderet: mox gladio inter priores equi pedes, cruce in terram facta, & deosculata, equum ascendens fugam maturaret. Pugna in campo, cui Thusco nomen est, commissa, cæso Vratislao, adolescēs, qui nouercæ paruerat, domum incolumis effugit, sed vxorem, quam vnice amabat, interemptam reperit, carētem auribus, pectusque confossam. Sic quas hosti amputauerat aures, coniugis suæ fuisse, stupens tristisq; cognouit. Æneas in hist. Bohem.

27. Caianus filius Simeonis, qui Bulgaribus dominabatur, in arte magica adeo valebat, vt quoties vellet, lupus vel quęlibet fera fieri videretur. Sigebert. in Chron.

28. Mulier Maga apud Betheliam Angliæ villam dum conuiuaretur cum suis, corniculam, quam in delicijs habebat, vocalius nescio quid cornicantem audiens, fatalem diem sibi adesse dixit, filiosque rogauit, vti corpus maternum corio ceruino insutum includerent in theca lapidea, operculum deinde ferro plumboque constringerent, & lapidem tribus magnis circūdarent catenis: Si tribus noctibus ita secure iacuisset, quarto die eam sepelirent. Cantari pro se Psalmos quinquaginta noctibus, & Missas celebrari totidem diebus præcepit. Matris voluntatem exequuntur liberi. Primis duabus noctibus, cum clericorum chori Psalmos canerent circa corpus, dæmones ostium templi confringentes, duas extremas thecæ funeralis diruperunt catenas, media autem operosior permansit illæsa. Tertia nocte circa gallicinium strepitu eorum, qui ostio appropinquabant, totius monasterij fundamenta videbantur succuti. Vnus autem cæteris vultu terribilior, & statura celsior, ianuas collisas in frusta deiecit, inclamatoq;

mortuæ nomine ut ſurgeret, imperauit. Ea reſpondente nequeo ob vincula: ſtatim catenam veluti ſtupam infregit, & apprehenſa manu palam omnibus eam ad templi fores protraxit, vbi in procinctu ſtabat equus niger horrendum hinniens, vndiquaque prominentibus vncis ferreis, quibus impoſita miſera, ab intuentium oculis cum vniuerſo comitatu euanuit: Suppetias tamen orantis clamores miſerabiles per quatuor fere audiebantur miliaria. Hæc Vincentius in ſpeculo hiſtoriæ lib. 25. cap. 26. ex Guliermo recenſet.

29. Caſali in vrbe Salaſſiæ regionis Italiæ circiter annum Domini milleſimum, quingenteſimum trieſimum ſextum, coniurarunt viri ac fœminę quadraginta fere numero, inter quos & carnifex erat: vt quum peſtis antea ſæuiiſſet, & iamcœpiſſet miteſcere, vnguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus inficerentur, qui vectes tractarent. apparabant & puluerem, quem veſtibus clam inſpergentes, noxam inferebant. Latuit aliquandiu dolus, ſublatiq; multi a coniunctis ſanguine vel affinitate, data etiam veneficis, vt ferebatur, pecunia hæreditatis ergo. Sed quum cuiuſdam Neci nomine fratrem atque vnicum filium enecaſſent, vixque alii quam domini ipſi domuum aut filii perirent: ſimulque animaduertiſſet, Androgynam ſe in domos inſinuare, atque eos maxime interire, quorum ædes ingrederetur: deprehenſa coniuratione omnes exquiſitiſſimis tormentis interempti ſunt. Faſſi etiam, quod in celebri cuiuſdam diui pompa ſubſelliis perunctis vniuerſos trucidare ciues decreuiſſent, paratasq; in hunc vſum fuiſſe ſupra viginti ollas. Vuierus lib. 2. cap. 50. de præſtigijs dæmonum.

30. Patauini peſtilentia circa annum ſalutis. 1555. agitabantur, miti quidem illa, ſed quæ per interualla ita increbeſceret, vt contagij ergo a vicinis vrbibus, ab ipſis etiam Venetis proſcripti, omneque commercium illis interdictum fuerit. Gliſcente morbo ſporadicos potius, quam populariter, deprehenſum tandem (Iudæi obſeruatione, qui Veſpillonem per vicum Hebræorum incedentem pueris fili globum obiecisſe viderat) Chirurgum Hiſpanum, Monachum Antonianum Patauinum, & Veſpillonem fœdus inter ſe iniuiſſe, iis legibus, vti Veſpillo contagium in vrbe ſeminado peſtilentiam aleret: Monachus inter confitendū ab ægris, an pecunias ſecum in noſocomium extuliſſent, indagaret: Chirurgus nummatos & pecunioſos vel pharmaco vel vſtionibus ſub medēdi prætextu tolleret. In vincula coniectis, crimenq; faſſis, ceruices laqueo fractæ: Patauini a peſtilentia liberati ſunt. Vuierus, li. 2. cap. 50. de præſtigiis dæmonum.

31. Zoroaſtres, Bactrianorum Rex, Magicarum artium & Aſtrologiæ inuentor, volens olim videri Deus, aſtris intentus velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis producebat, vt rudes in ſtuporem miraculi traheret. Tandem ab ipſo dæmone, quem inportunius frequentabat, ſuccenſus eſt.

Familiæ effaſcinatrices.

In Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſigonus & Memphodorus tradunt. Quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe eiuſdem generis in Triballis, & Illyriis adiicit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantq; quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis, quod eorum malum facilius ſentire puberes. Notabilius eſſe, quod pupillas binas in oculis ſingulis habeant. Huius generis fœminas in Scythia, quæ vocantur Bythiæ, prodit Appollonides. Philarchus & in Ponto Thibiorum genus, multoſque alios eiuſdem naturæ quorum notas tradit in oculo altero geminam pupillam, in altero equi effigiem. Eoſdem præterea non poſſe mergi, nec veſte quidem degrauatos. Plinius libro 7. capite. 2.

Carolus. 7. Gallorum Rex, principem Egidium de Raxa Gallici regni Mariſcallum, furcis appenſum, atque igne aſſum, fœda morte affe-

cit

cit,quod Magicæ arti deditus,centum ac viginti,tum prægnantiũ mulierum,tum infantium,corpora occiderat. Mulier quoque rusticana Abbatissuillensis viua combusta fuit,omnes crudelitatis transgressa terminos, dum in eam sæuiret ætatem, quæ etiam feras interdũ mites inuenit. Ful. lib. 9. cap. 2.

Retulit Martino Luthero D. Georgius Spalatinus, anno millesimo, quingentesimo,tricesimo octauo,virginem quandam inter plorandum, lachrymarũ loco,sanguineas guttas emisisse, idq; ex incantatricis cuiusdam malitia effectum,qua præsente virginem,licet eam non conspiceret, huiuscemodi lachrymas effudisse. Ad quæ Lutherus, Nullam hic pœnarum,ait,dilationem esse conueniebat, nec Iurisconsultos, qui nimis euidentia vrgent testimonia,audiendos. Porro hæc addebat: Oblatus,inquit, mihi intra hos dies casus fuit,concernens coniuges. Maritum suum veneno interimere vxor conabatur,qui sumpto veneno, lacertas per vomitũ reddidit. Cumque mulier per tormenta hac de re examinaretur,nulla ex ea confessio extorqueri potuit. Veneficæ enim istæ mutæ sunt,tormenta nihili pendunt,adeoque Satanas ipse ora eis obturat. Cum autem res ipsa veneficii eas conuincat,vtiq; exemplum,vt aliis essent terrori,in ipsas statuendum erat. Ex colloq. Luth.

Ante aliquot annos suspensus est Magus, qui bis antea suspensus esse ferebatur,verum in cruce,eo euanescente,stramina in fasciculum conuoluta pependerant. Idem cum vendidisset cuidam insignẽ caballum, monebat eum,ne ei insidens, festinaret aquas ingredi. Vnde maior emptorem incessebat cupido inuestigandi causam,cur aquas cum equo ingredi venditor sibi vetaret, protinusq; caballum mersare siuuio volens,aquas ingreditur,sed in mediis vndis iam hærens, fasciculo gramineo se insidere animaduertit. Quare exardescens ira,anhelus ad præstigiatoris hospitium contendit,qui emptoris defraudati aduentum præsentiens, in scamnum reclinato corpore somnum simulat. Emptor in hypocaustum sese irruens,crus illius arripit,quod dum vehementius attrahit,præstigiatorem violenta raptatione excitaturus, e corpore sibi visus est euellere. Territus itaque,proiecto in terram crure propere aufugit. Idem præstigiator persæpe venditis porcis, qui in fasciculos deinde stramineos mutati sunt,hominibus imposuit. Tandem vero diuina iustitia eum ad suppliciũ attrahente, Neoburgi cum duabus mulieribus,(quę eius erant complices neminẽque obseruante,bona aliena furto ad se pertrahere,diabolicis vsæ præstigiis poterant) captus,& in vincula coniectus est. Mulieres istæ,& aliam quandam opulentam fœminam,quæ honestæ matronæ famam obtinuerat,eiusdem secum sceleris,tum in furando fallaciæ,tum fornicationis,quam cum præstigiatore exercuit, ream esse confitebantur, quæ itidem in vincula coniecta est. Præstigiator primum inter tormenta,quamuis grauissima, nihil est confessus. Cum autem indicasset,sibi & artem & spiritum in crinibus hærere,vndiquaque,iis detonsis scelera confessus est, paucisque diebus post primum duæ mulieres, deinde & magus suspensi sunt. Tertia illa quę accesserat,noctu clam e carcere euasit.

DE MALEFICIS, EX MALLEO MALEficarum Iacobi Sprenger.

HOrrẽda,& in primis miranda exempla de potestate Satanę,quam per organa sua Maleficas exerit,in malleo maleficarum ob oculos nobis ponuntur. Quanquam autem magna Satanę est potentia,a Deoque cum propter peccata,& ineredulitatem hominũ ei permittitur, vt pro sua malitia in homines sęuiat,tum ipsi etiam Deo nonnunquã placet, suos tentare

tare &probare: Attamen certi nos ſumus, etiam pilos capitis noſtri numeratos eſſe, nec vllum abſque voluntate Dei defluere: Ideoque facile, quatenus peccata vitantes in fide & precatione firmi conſtanteſque perſeuerauerimus, aduerſus has diaboli inſidias potentiamque munire nos poterimus. Verum quoniam præcipue ſub Papatu ingentem ſuam potentiam per maleficas oſtendit Satanas; nec hodiernum in diem quieſcit, ideo ex præmemorato libro exempla aliquot, per quæ, Satanæ quanta ſit potētia, tum quanto erga humanum genus flagret odio, cognoſcatur, hic modo recenſere viſum eſt. Qui volet, magnam eorum copiam in dicto authore euoluat.

De fœda iſta commixtione, quę maleficis eſt cum diabolis, vel loqui nefas eſt. Quiſquis autem ſcire deſiderauerit, quomodo cum diabolis turpes iſtæ peſtes & beſtiæ ſe commiſceant, ſæpe etiam deformes partus edant, & Satanica prorſus opera exerceant, is præter prædictum Authorem legat Auguſtinum lib. 3. de Ciuitate Dei, cap. 2.

1. Ratisbonæ, e duabus maleficis, quæ ambæ combuſtę in cineres vertebantur, vna confitebatur, eaq; balneatrix, ſeſe a diabolo compulſam varias inijſſe vias, viri cuiuſdam honeſti, & prędiuitis filiam, virginem caſtam, ſeducendi, vt cum Satana nefando coitu miſceretur, eamq; tādem ſibi rationem viſam fuiſſe commodiſſimam, vt virginem die feſto inuitaret in conclaue ſuum, vbi dæmon in forma ſpecioſi iuuenis cum ea colloquia miſceret. Id cum ſæpius attentaſſet, virginem ſanctæ crucis ſigno ſe munientem, conatus hos ſem per reddidiſſe irritos.

2. Alia virgo in diœceſi Argentinenſi, cum die Dominica in paternis ædibus ſola moraretur, acceſſit eam vetula quædam illius oppidi, quæ inter complura verba ſcurrilia eam vltimo hortata eſt, vt ſeſe in locum, vbi formoſiſſimi iuuenes omnibus iſtius oppidi hominibus incogniti, congregati eſſent, ſequeretur. Puella fœdis verborum illecebris decepta vetulam in domum eius ſequitur. Quam cum ingreſſæ eſſent, vetula puellæ ait, Ad ſuperiorem cameram, vbi iuuenes de quibus dixi morantur, aſcendemus, ſed caue te ſigno crucis munias. Puella ſe dicto audientem fore cum recepiſſet, vetulam per gradus ſequitur, interim terrore quodam correpta, ſe precibus Deo cōmendat, ſigno crucis ſimul ſe muniens. Quod euaneſcentibus dęmonibus facile ſenſit vetula, toruoque vultu peſſima quęq; puellæ imprecata, eam ædibus extruſit. Ibidem.

3. Confeſſa quoq; eſt balneatrix iſta, cuius meminimus, ſe itidem a vetula quadam ſeductam, dęmoni, quem in iuuenis ſpecie in via obuiam habuiſſet, corpus ſuum proſtituiſſe, cum ille in omnibus rebus promptam ſibi detuliſſet operam paratumque ſemper officium, ſeque octodecim deinde annis, cum fidei abnegatione diabolicis ſpurcitijs inſeruijſſe.

4. In diœceſi Brixienſi iuuenis puellæ cuiuſdam amore tenebatur, quæ vt matrimoniali copula ei coniungeretur, vehementer inſtabat. Verum iuuenis neſcio qua cauſa motus, ea ſpreta aliam ſibi vxorē deſpōdit. Cum qua nuptias celebrans, priſtini amoris non omnino immemor, amaſiam illam priorem ad nuptias quoque vocat, quę comparere haud detrectauit. Cum autem matronæ & virgines honeſtæ ſua offerrent munera, iſta quoque impudens beſtia prodijt, ſublataque manu ad ſponſam ait: Ab hoc die parum admodum proſpera frueris valetudine. Quæ quidem verba, tum non magni æſtimabantur, cum impudentis ſcorti nota eſſet leuitas. Finitis autem nuptijs, noua nupta veneficiorum vi omnium membrorū vires amiſit, & per decennium afflictiſſima mulier lecto affixa, vitam egit ærumnoſiſſimam.

5. Comes quidam illuſtri genere Vueſtrauienſis territorij, in finibus Argentinenſis diœceſeos, cum vxorem duxiſſet illuſtri loco natam, eam,

natura-

naturalibus ad procreandam sobolem viribus per veneficia priuatus, cognoscere haud valuit. Elapso iam a nuptiis triennio, dum propter expedienda quædam negocia ciuitatem Metensem transiret, forte ibi incidit in mulierem quandam, quæ ante annos aliquot, priusquam vxorem duxisset, eius fuerat concubina, quam ille visam, nihil mali de ea, vel de veneficiis, quibus affligeretur, suspicans, blande pristini amoris recordatus alloquitur, & quomodo res eius haberent, ecquid belle valeret, ex ea scisciatur. Illa pietatem Comitis animaduertens, vicissim eum, de sui corporis valetudine interrogat, quo respondente, & bene & prospere sibi cuncta succedere, illa attonita paululum siluit. Quod vbi sensit comes, blandis eam verbis ad confabulandum inuitat. Quæ de statu vxoris quærit: Et illam belle se habere respondet Comes. Kursus illa, num etiam liberos ex ea sustulisset, quærit. Ibi Comes, tres inquit, ex ea nati sunt mihi pueri masculi, quolibet anno filium vnum genuit. Ibi magis stupefacta illa siluit. Comes autem, rogo te charissima, inquit, cur accurate adeo de rerum mearum statu inquiris, nec enim dubito, quin meæ fœlicitati gratuleris. Tũ illa, vere gratulor, sed maledicta sit vetula ista, quæ sanctæ iuranit, effectura se veneficiis suis, vt carnalem actum cum vxore nequaquam exercere possis. Cuius rei indicium tibi præbebit puteus, qui est in medio Curiæ vestræ, in quẽ coniecta est olla veneficiis referta, de qua certo affirmabat vetula ista, fore vt quandiu ibi lateret, coeundi potentia tibi deesset. Sed vana fuisse omnia nunc demum intelligo & gaudeo. Comes his auditis re callide dissimulata propere domum contendit, puteumque iubẽs exhauriri, ollã reperit, qua exusta, vires suas pristinas recuperauit. Ibidem. De modo, quo membra virilia maleficæ auferre solent, lege in Malleo maleficarum, cap. 7. par. 2. Nullo modo credendum est, talia membra auelli aut segregari a corporibus, sed arte præstigiosa per dæmonẽ, vt nec videri aut tangi valeant, occultari.

6. In oppido Brehaco Basiliensis diœceseos, iuuencula, quæ deinde conuersa est, per materteram suam veneficarum cœtui aggregata fuit. Deducebatur a matertera (quæ Argentinæ combusta fuit) in superiorẽ domus cameram, vbi quindecim iuuenes viridi amictu insignes vna erant. Ibi ad puellam dixit vetula, Elige tibi ex his quem volueris, & ipse te tibi sponsam assumet, quod cum illa recusaret facere, grauiter vulnerata tandẽ acquieuit. Ibid. cap. secundo.

7. In Basiliensi diœcesi plebanus in villa Oberweiler/ qui eius erat opinionis, nullas esse in mundo maleficas, festino cursu põtem transiturus, obuiam simili importunitate quandam vetulam habuit, quam, dum ei cedere nollet, de ponte in lutum detrusit. Vnde indignata vetula, in verba contumelioſa prorupit, inquiens, Pfaff/ impune haud sic auferes. Quæ verba cum ille haud occipenderet, nec satis intelligeret, domum reuersus, noctu infra cingulũ ita eneruatus est, vt lecto surgere nequiret, eũq; a duob. quoties vel Ecclesiã vel ægrotos accederet, sustẽtari necesse esset. Quæ afflictio cũ durasset triennũ, vetula ista, quã suspectã nõ immerito habebat, in morbũ incidit, sacerdotem itaq; accersi iussit, vt ei peccata sua cõfiteretur, qui licet primũ id facere recusaret, persuasus tamẽ a matre sua per duos villanos inter brachia sustẽtatus, domũ eius accessit, eãq; peccata cõfitẽtem audit. Cũ autẽ inter cõfitendũ nullã de veneficio mentionẽ feciſſet, peracta confessione ad Sacerdotem ait: Scisne a quo effascinatus, corpore incolumi vti nequeas? Cumque blande responderet Sacerdos, se nescire: intulit illa: Tu me suspectam habes, nec immerito. Malum enim, quo cõflictaris, tibi intuli, eo quod ponte me deiectam luto intrusisses. Verũ hora mihi præfinita iam adest, efficiam itaque, vt paucis diebus a morte mea saneris. Quod ita euenit. nam illa iuxta statutum a dæmone

terminum obijt,&infra triginta dies sacerdos nocte quadam sanum sereperit.Ibidem.

8. In diœcesi Lausanensi, quidam maleficus, vicini domum graui sterilitatis plaga affecerat. Non solum enim omnia iumenta & pecora, aliaque domestica animalia infœcunda erant, sed & materfamilias septies abortum passa erat, fœtu in vtero per malefici istius hominis veneficia interempto. Cum denique capto quæstiones adhiberentur, fassus est, serpentē subter limen ostij domus defossum esse, quo amoto, plagam cessaturam. Quod cum factum esset, fœcunditas vniuersæ domui restituta fuit. cap. 6.

9. In oppido Rychohofen/ viri præpotentis vxor,cum impregnata esset, obstetricem aliquot septimanis ante partum ad se recepit. Famosissima autem in eodem oppido erat venefica, a cuius congressu & colloquijs vt sibi caueret grauida, ab obstetrice monebatur. Verum interiectis aliquot diebus,cum animi gratia castrum egressa mulieres quasdā in conuiuio cōgregatas accessisset, aduenit & malefica ista, ventremque Dominæ quasi salutationis gratia ambabus manibus tetigit, subitoq; vehementi eā dolore fœtum moueri in vtero sensit. Territa itaque domum redijt,&obstetrici quid sibi accidisset, narrauit, quæ consternata, Heu puerū amisimus, exclamauit. Quod, vt prædixerat,factum est. Nam nec abortum integrum, sed paulatim frusta iam capitis iamq; pedum & manuum peperit. ibid.

10. In oppido quodam diœceseos Argentinensis, cuius nomen reticeri modestia postulat, cum domi suæ quidam ex inquilinis ligna secaret, ecce catus portentosæ magnitudinis de improuiso ipsum impetijt, eccum ictibus abigeret, en alius immanior se priori iungit, aduersus quos dum acrius pugnat, tertius quoque accedit, ita cum tribus immanis sæuitiæ felibus tantis pugnat viribus,vt e summis,in quas redactus erat,angustijs,non nisi vulneratis illis & in fugam actis liberaretur. Quibus abactis, dum laborem suum persequitur,ecce duo accedunt lictores, eumq; comprehensum ex iudicis, qui graui irarum æstu commotus, nec conspectum eius tolerare poterat, mandato, in tetrum carcerem abijciunt. Nequicquam miser crebro eiulatu & gemitu suam testatur innocentiam,iudicisque ira indies augescit,clamitantis nefarium hominem scelera, quæ commisisset, agnoscere nolle. Triduum iam erat elapsum, cum iudex crebro aliorum instinctu captiuum Senatui iudicandum offert. Productus ad Senatum cum esset,iudex intueri eum minime sustinuit. Ille vero in genua procumbēs,audiri se obsecrabat.Ibi grauiter eum iudex increpabat,vt qui paucis ante diebus tres primarias eius oppidi matronas vulnerasset, nec tamen scelus perpetratum velit agnoscere. Quæ miser audiens,se quoad vixisset, nullam vnquam vlli mulieri intulisse iniuriam testatur. Contra intonat iudex,factum esse notorium, grauiter læsas mulieres decumbere, membrisque omni ex parte luxatis, nec vel latus proprijs viribus mutare posse. Ille rursus mulieres a se læsas esse negat, Sed memini, inquit, me eo die,quo comprehensus, & indicta causa in carcerem coniectus sum, a bestijs impeti,quas a me,quantis potui viribus,abegi. Quib. eius verbis obstupefacti,qui aderant, A quibus,inquiunt, bestijs? Ibi omnē ordine rem, vt gesta erat,recenset,detectaq; veritate,vt honori matronarum consuleretur, rem omnem silentio premi petunt iudices. Ibid. cap. 9. Impia hæc iudicum fuit leuitas,qui vt priuato consulerent honori,diaboli prestigias, tum Satanica mulierum commercia serio prohibere & punire noluerunt. Ad quæ & similia flagitia cum & hodiernum in diem non raro Magistratus cōniueat,quis miretur diabolorum vbiq; inter homines feruere opera,contra frigere omnia,quæ tum Christo tum pietati debentur.

11. In diœcesi Basilienſi,in confinibus partium Lotharingiæ,& Alsatiæ, vir integræ famæ verbis asperioribus in mulierem maleficam inueheba-

tur.

tur. Illa indignata vindictam se breui de eo sumpturam interminata est. Quas ille minas licet parui penderet, eadem tamen nocte pustulam collo accreuisse sensit, ex qua cum eam fricaret, tumor totam faciem & collum occupauit, corpusq; horribilis lepræ species defœdauit. Sic affectus, cum vetulam de veneficijs suspectam haberet, accersitis amicis & consulibus, rem omnem minasq; inprimis vetulæ exponit. Quid multa? Mulier capitur, adhibitis tormentis examinatur, crimenq; fatetur: adhæc iudici diligentius de modo & causa inquirenti, Cum ira, inquit, feruens ob dicta contumeliosa, quibus ille me aggressus fuerat, domū reuersa essem, offendi ibi Spiritum malignum, causam tristitiæ ex me quærentem. Cui cum singula enarrassem, & de vindicta apud eum instare, interrogauit dæmon, quo ergo malo hominem affici velim? Respondi, velle vt facies eius insignita tumore perpetuo defœdaretur. Ibi, ait, dæmon a me digressus, plaga multo fœdiore, quam petijssem, hominē percussit. Quod crimen vbi fassa est, damnata in cineres fuit redacta. Secunda parte, cap. 11.

12. In diœcesi Constantiensi inter Brysiacum & Friburgum mulier leprosa multis audientibus referebat, se motis cum muliere alia rixis, cum nocte iam ingruente domum reuerteretur, a calido sufflatā fuisse vento, qui ex opposita domo, quam mulier, cum qua susceperat contentionem, incolebat, ferri sibi visus esset, protinusq; lepra pessima, a qua liberari non possit, infectam esse. Ibid.

13. In diœcesi eadē, & territorio Nigræ sylvæ, malefica, cum super struē lignorum a carnifice de terra subleuaretur, illa ad carnificem conuersa, Dabo, inquit, tibi mercedem, & simul cum his verbis in faciem carnificis sufflans, totum eius corpus fœda lepra percussit, ex qua paucis dieb. post extinctus fuit. Ibid.

14. Oeniponti mulier honesta, retro domum cum viridarium vicinæ horto contiguum haberet, vicinamq; frequenter, nec sine damno, eo penetrare, deprehenderet, nec tamen cum ea, quam de maleficijs suspectam habebat, rixari auderet: illa sponte magna cum impudentia aduolans, Tune, inquit, suspectam me habes, de transitu per hortum tuum? Cui altera, cum malefica rixari horrens, placide his tantum verbis respondit: Gressus inquit, in gramine damna ostendunt. Ibi illa indignata, rixandi occasionē sibi nullam dari, cum murmure discessit. Paucis deinde elapsis diebus, altera illa mulier immanissimis doloribus ventris, acutissimisq; ex vtroque latere torsionibus affligitur, adeo, vt continuis doloribus tantū non confecta, indesinenti vociferatione, & ciulatu vicinos omnes inquietaret. Cumq; multi confluerent, qui eam consolandi gratia inuisebāt, inter cęteros & figulus accessit, qui cū vicinæ veneficia explorata haberet, & morbi huius causam non aliam esse, quam veneficia deprehenderet: iussit maritum afflictæ mulieris rimari, nunquid veneficiorum sub limine ostij inueniretur. Ibi inter varia veneficia cerea quoq; imago, palmę habens longitudinem, inuenta est, quæ vndiq; perforata, duabus etiam acubus per transuersum ex vtroq; latere transfixa erat, quibus veneficijs amotis, & in ignem coniectis, mulier a grauissimis illis punctionib. liberata est. cap. 12.

12. Infantulorum vitæ, antequam Baptismi characterem accipiant, inprimis insidiatur Satan, maleficarū vtens opera. Quare pij parentes Christo puerulos natos offerre properabunt, nec securi Baptismum different.

In diœcesi Basilien si in oppido Dan / combusta, & in cineres redacta fuit obstetrix, quæ vltra quadraginta infantulos se necasse cōfessa fuerat, acu per verticem capitis in cerebrum, vt primum ex vtero matris egressi essent, infixa.

16. Rursus alia in Argentinensi diœcesi complures infantulos, quorum certus haud est numerus, in partu interemit. Quæ eius malitia hūc ad mo-

dum detecta fuit : Obstetricandi gratia cum in vicinum oppidum vocata esset, domumq; iam reuertens, per portam oppidi sui transiret, forte brachiolum pueri recens nati ex sinu ei excidit, quod ab ijs, qui forte iuxta portam considebant, sublatum, Magistratuique exhibitum est, cumq; infantem ante Baptismum mortuum esse, brachioq; caruisse comperissent, Maleficа capitur, quæstionibus exponitur, crimenque fassa, dignas scelerum pœnas luit cap. 13.

17. In eiusdem diœceseos oppido Zaberino deferebat vltro operâ suam in partu & puerperio obstetrix maleficа mulieri cuidam piæ & honestæ, quæ partui iam vicina erat. Illa autem maleficijs infamem esse sciens, tum quidem placidis verbis eam a se dimittit, operam eius sibi non ingratam fore simulans, instante deinde partu, ea neglecta, obstetricem accersit aliam. Ibi illa fœmineas iras pectore concipiens, noctu, elapsis a partu diebus octo, cum alijs duabus mulieribus puerperæ cameram ingreditur, lectoque appropinquat. Puerpera graui terrore perculsa, dum maritum alta voce inclamare nititur, & linguam & singula membra stupere sentit. Venefica ergo, cum in medio duarum mulierum staret, Ecce, inquit, hæc pessima me obstetricem assumere dedignata est. Quod inultũ haud quaquam feret. Duæ vero istæ a latere stantes, pro ea intercedebant, Nunquã, inquientes, alicui ex nostris nocuit. Illa rursus, quoniã hæc suis me intestinis turbauit, vicissim ego intestina eius turbabo. Verumtamẽ in vestri gratiam per sensestre spacium differetur pœna, & hęc dicens, ventrẽ puerperæ manu tetigit, cui interim intestina videbantur quasi e ventre extrahi, ijsq; nescio quid inuolui. Digressis deinde istis mulieribus, puerpera paulatim recuperatis viribus, maritum vocat, eiq; rem gestam exponit. Ille vxorem consolatur, bonamque spem fouere iubet: inania enim hæc esse territamenta, qualibus frequenter puerperę infestari soleant. Cui illa respondẽs, Cruciatuum, inquit, dilationem per sex menses promisit, ijs elapsis, si nihil tum mali percepero, tuæ acquiescam sententiæ. Erat præterea illi filius Archidiaconus, cui itidem, quo terrore perculsa fuisset, exposuit. Euolutis deinde sex illis mensibus, internorum viscerum tortura tanta eam inuasit, vt dies, noctesq; citra vllam respirationẽ aut quietẽ, inter immanes vociferationes & eiulatus, miserandum in modum doloribus continuaret, Nec tamen inter ineffabiles istos cruciatus Dei oblita est, cuius cum sedulo implorаret auxilium, ab eo exaudita & liberata est. Cum enim die quadam ad exonerandum aluum secessisset, subito omnis illa immundities e corpore prorupit. Ibi accersito filio & marito, Iam, inquit, non inane fuisse spectrum aut terriculamentum, quo in puerperio perculsa fueram, apparet. Quis vnquã vidit, spinas, ligna, ossa, me comedisse? Excreuerat enim spinas rosarum longitudinem palmæ habẽtes, tum ligna, ossa, aliaq; complura, vndè infanda illa tormina & punctiones oriebantur. Ibid. cap. 3.

18. Eo vesaniæ & impietatis veneficas adigit dæmon, vt suos etiam liberos, vel infantes quosuis alienos, dæmoniorum principi horrẽdis execrationib. offerant, quæ earum malitia hunc in modum detecta fuit : Mulier maleficа, cum partus tempore nec obstetricem, nec alias ad se accersseret mulieres, vnius filiæ suæ contenta opera, maritus id demiratus, se clam in domo abscondit, exploraturus, quid rerum vxor cum filia sola moliretur: ibi horrendos & sacrilegij & oblationis ritus conspexit. Videbat infantem nullo hominis auxilio fultum, sed dæmonum vi per instrumentũ appendiculi, ex quo ollæ in foco suspenduntur, ascendere, & quidem Satanico vultu deformem. Mater interim verbis horrendis dæmonem inuocabat, ritibus vsa nefandis. Quod vbi attonitus obseruauit, acriter institit, vt citra dilationem ad Baptismum deportaretur infans. Assumptis itaq; duobus vicinis, quibus clam rem, vt gesta erat, detexit, vna cum filia, quæ infantem

fantem gestabat, & mulierculis aliquot ad proximum pagum, in quo parochialis erat Ecclesia, terēdit. Cumq; pontem transituri essent, pater stricto gladio in filiam irruit, Nolo, inquit, vt per pontem infantulum transportes, sed effice, vt per se in vlteriorē ripam gradiatur: quod si recusas facere, meis his submergere manibus. Mulierculis omnibus hanc viri violētiam demirantibus, ille acrius multo institit, donec coacta filia dæmonem inuocaret, infansq;, nemine deferēte, in vlteriore ripa sisteretur. Baptizato deinde infante, cum per testes maleficij cōuincere posset filiam, iamq; purgationis tempus elapsum esset, & vxorem, & filiā accusat. Magistratus vtranq; cōprehensam, pessimiq; sceleris cōuictam, in cineres redegit. Ibi. 19. In partibus Sueuiæ, Villanus, cum per agros vna cum filia sua, quę vix octo annorum puella erat, erraret, segetemq; contemplatus, dixisset: O si tandem pluuia irrigaretur terra. Puella audiens verba patris, ex animi simplicitate, Facile, inquit, si pluuiam desideras, eam procurauero. Pater filiæ verba miratus, Vnde, inquit, ea tibi facultas est? Puella perfacile sibi esse subijcit, non solum pluuias, sed & grandines & tempestates concitare: id enim se didicisse ex matre, quæ commiserit se Magistro, quem singulis horis ad quęuis postulata præsentem habere possit, matrem autem prohibuisse, ne cui id reuelaret. Pater territus, Vidistine, inquit, Magistrū istum? Ibi rursus puella, Vidi, inquit, frequēter ad matrem introeuntes & exeuntes viros quosdā, quos mater ait, magistros esse, & fautores nostros. Rursus ergo pater, An illa hora grandinem excitare posset, inquisiuit. Maxime, inquit puella, si pauxillum aquæ in promptu esset. Pater deduxit puellam ad torrentem, Age, inquit, iam effice pluuiam, sed quæ nostrum tantummodo agrum irriget. Nec mora, inuocato Magistro suo, puella id effectum reddidit. Pater id cernens, Fac, inquit, & grandinem, sed tantum super vnum ex agris nostris. Quod itidem cum præstitisset puella, pater de maleficijs vxoris suæ certior factus, eam apud Magistratum accusat, & cōuicta mater sceleris, ignis supplicio addicta fuit. Puella in pietatis studio exercitata, e Satanæ cassibus erepta est. Ibid.

20. In oppido Fach/ Iudex cum lictoribus iniunxisset, vt maleficū comprehenderent, & ad supplicium raperent, illi tanto fœtore sunt deterriti, tantusq; omnia corporis membra tremor peruasit, vt omnē comprehendēdi hominis spem abijcerent. Verum Iudex (nomen ei Petro erat) acrius instans, lictores denuo exhortatur, vt recollectis viribus, manus omni vi inijcerent malefico, fatalem enim horam iam adesse, qua scelerati homīnis maleficia detecta puniantur. Sic repressis & victis Satanæ effascinationibus, maleficus captus, dignas scelerum suorum pœnas luit.

21. Alibi cum super lignorum struem malefica alligaretur, in carnificis faciem sufflauit, qui protinus concidit, & extinctus est. Pari modo & alterum peremit carnificem. Tertius cum diligentius sibi caueret, sic tamen eius halitu læsus fuit, vt tota ipsius facies intumesceret, hinc etiam luminibus orbaretur, breuique post vitam cum morte commutaret.

Quanta etiam dæmonum sit potentia in affligendis brutis animalibus, pecoribus & iumentis, quomodo lac suffurentur, quomodo tempestates concitent, in 14. & 15. capite prædicti Autoris exponitur. Exempla sunt admodum horrenda, nec cōsultum plura eorum commemorare. Historia Iobi euidenter testatur, quanta sit tum potentia, tum malitia immundi istius spiritus. Itaque Deo agemus gratias, quod ab illius tyrannide per Filium suum nos liberarit, cumque sedulo rogabimus, nē Spiritum suum a nobis auferat, sed vt sub alis misericordiæ eius, securi ab ignitis Satanæ telis quiescamus.

Finis Historiarum & exemplorum Secundi Præcepti.

TERTIVM PRÆCEPTVM.



IN tertio præcepto, Reuerentia debita ministerio Euangelij præcipitur, & exigitur a nobis omnibus, vt diem Sabbathi sanctificates, eum totum rebus diuinis dicemus, verbumq; Dei sedulo audiamus, puroque corde custodiamus, omnem cultum impium doctrinamque minus synceram fugiamus. Exempla itaque tum eorum, qui Præcepto huic obsequentes, nomen Dei sanctificarunt, tum eorum, qui impietate sua diuinum hoc mandatum violarunt, subijciemus.

Verum antequam ea exponantur, ante omnia in sacrarum literarum volumen introspiciamus, inprimis autem in primum librum Mosis, vbi sanctissimus Patriarcharum cultus, nempe fides in verbum Dei, ob oculos nobis ponitur, eorumque commẽdatur studium in altaribus extruendis, victimis immolandis, tum etiam in monimentis & signis diuinæ appartionis & liberationis erigendis, quæ certe non fuere muta signa, sed haud dubie frequentes ibi piorum cœtus conuenere, sanctasq; de benedicto Semine promissiones prædicarunt. Præterea omnia Prophetarum & Apostolorum scripta exempla nobis suppeditant innumera, quorum aliquot sacris additis sententijs, ordine recensebo.

Moses & Aaron, missi a Deo ad filios Israel, Euangelium ipsis exoptatissimum de liberatione ex Ægypto annunciant, & quidem verbis eorum & signis fidem illi habebant. Exodi 4. Qui liber euideter testatur, quo zelo cultum diuinum æternus Deus per Molen instituerit, contra, falsum impiumque cultum prohibuerit.

Videte, vt Sabbathum meum custodiatis, inquit Dominus, quia signũ est inter me & vos in generationibus vestris, vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos. Custodite Sabbathum meum, sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur. Exod. 31. Huius Præcepti violator lapidibus obruitur, Num. 15.

Constituit

Constituit Rex Dauides Leuitas, Sacerdotes, Cantores, qui coram arca Domini ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum Deum Israel. 1. Paral. 16.

Patris insistens vestigijs Salomon, glorioſe admodum cultum diuinum confirmat, templumq; a ſe extructum dedicat. 3. Reg. 8.

Refertur huc Isaiæ caput 55. & 56. vbi propheta hunc ad modũ Israelitas exhortatur. Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium, & facite Iustitiã. Quia iuxta est salus mea vt veniat, & Iustitia mea vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet istud: custodiens Sabbathum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat malum.

Malachiæ 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.

Samuel, puer in templo coram arca Domini dormiens, a Domino Deo Israelis excitatus, ad Heli Sacerdotem, putans se ab eo vocatum esse, propere currit, qui informat eum, quomodo vocanti Domino respondere debeat, Vade, inquiens, & dormi, & si deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 1. Samuel. 3.

Micha Propheta adduci non poterat, vt contra conscientiam suam, in gratiam Regis Israelis, qui iniquo erga ipsum erat animo, falsum ederet oraculum, id quod reliqui Prophetæ faciebant. Viuit Dominus, inquit, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 3. Regum 22.

Esdras, Sacerdos, Legem Domini vniuerſo populo de mane vsque ad mediam diem prælegit in conspectu virorum & mulierum. Nehemiæ 8.

Ezechiel ad populum Israeliticum mittitur, vt verbum Domini ei annunciet, verum illud audire domus Israel renuit, quippe quæ attrita sit fronte, & duro corde. Ezech. 3.

Iosaphat Rex Iudæ, excelsa & lucos de domo Iuda abstulit, Ecclesiarum visitationem instituit, mittens de Principibus suis, qui circumibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum. 2. Paralip. 17.

Niniuitæ audientes prædicationem Ionę, serio pœnitentiam agunt, eoque modo iram Dei imminentem a se amoliuntur. Ionæ 3.

Ieremię decimo septimo, Sabbathi verbiq; sui contemptoribus minatur Dominus, se succensurum ignem in portis eorum, qui domos deuoret, & non extingui possit. Quare & Seruator Christus ait, Luc. 19. Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.

Historia Regum Iudæ & Israelis, plurima nobis exempla suppeditat profanationis Sabbathi & pœnarum, quibus sunt obruti, quicunq; verbũ Dei contemnere, & Sabbatum prophanare haud sunt veriti.

Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Deut. 17.

Et dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, & timuerunt me manda to hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Esaiæ. 29.

Aggei 1. Quia domus mea deserta est, dicit Dominus exercituum, & vos festinastis, vnusquisq; in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suũ, &c. Verbi diuini contemptum sequitur maledictio.

Maria, soror Marthę, assidens ad pedes Iesu, audiebat sermonem illius. Luc. 10.

Omnis igitur, qui audit ex me sermones hos, inquit Seruator Christus, & facit eos, adsimilabo illum viro prudenti, qui ædificauit domum super petram, & descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt

ruerunt in domum illam, & non est prostrata. Fundata enim fuerat super petram. Matth. 7.

In die Pentecostes animæ circiter ter mille, audita Petri concione, saluantur, Act. Apostolorum, cap. 2. Beati, inquit Seruator Christus, Lucæ 11. qui verbum Dei audiunt & custodiunt.

Iosephus autor est, Adamum & Sethum duas posteris reliquisse columnas, alteram lapideam, alteram lateritiam, ijsque inuenta sua, doctrinamque de rebus cœlestibus inscripsisse, inprimis autem hæc verba, Verbum Domini manet in æternum. Quibus verbis innuere voluerunt sancti illi Patres, quamuis vel aquis, vel igni, mundus intereat, Verbum tamen Domini nunquam interiturum.

Illustris fuit Edessenorum in veritate fidei confitenda constantia, quibus cum Imperator Valens Arrianorum impietati addictus, Ecclesia interdixisset, illi extra mœnia in campis conuentus egere, Christumq; magno animo, spretis impiorum minis, docuerunt, & palam confessi sunt. Quibus auditis, Imperator præsidem generalem Modestum contumelijs adortus est verbis, adeoque pugnum in maxillam eius inflixit, eo, quod in extirpandis fidelibus minus strenuam locasset operam, eique præcipit, vt armata manu obrutos, quicunque extra vrbis mœnia conuenirent, interimeret. Modestus igitur, quamuis religione ab Edessenis discreparet, clam tamen illis significauit, vti cauerent, ne postridie eius diei solitum in locũ precandi causa conuenirent, fedulo prospiciés, vt vel pauci eorum, vel nemo in discrimen veniret. At Edesseni, spretis penitus eius minis, multo maiore studio, quam antea, consuetum locum compleuerunt. Qua re nũciata, Modestus, quid ageret, omnino non habuit. At licet rerum præsentium status eum incertum animi reddidisset, tamen in campum ire perrexit. Interim mulier, filio manu secum tracto, & amiculo, contra quam sexũm muliebrem deceret, negligenter sibi circumecto, perinde quasi ad rem optatam festinans, cohortem militum, quę præsidem anteibat, perrupit. Quod cum vidisset Modestus, eam ad se accersit, causam festinationis rogat. Tum illa, Vti, inquit, ocyus ad campum, in quo populus Ecclesię Catholicæ coactus est, veniam. Tune sola, inquit Modestus, nescia es, præsidem actutum eo profecturum, & quos ibi offenderit, interfecturum? Imo vero, inquit, audiui, & propterea cursu celerrimo mihi opus est, ne post tẽpus veniam, & ita Martyrio a Deo oblato destituar. At cur quæso, inquit præses, puerum tecum ducis? Vt ille quoque, inquit, communis afflictationis particeps fiat, parque præmium consequatur. Itaque Modestus virilem mulieris animum admiratus, ad palatium reuertitur. Atque cum de illa cum Imperatore communicasset, persuasit ei, vti quod instituerat, minime perficere laboraret, præsertim cum & turpitudinis non parum, & non minus incommodi complecti videretur. Sozom. libro sexto, capite decimo octauo.

Basilij Magni constantia.

Basilium Magnum Imperator Valens vi in suam opinionem inducere conabatur, sed frustra, cumq; ei mortem Imperator minaretur: Fidem, inquit ille, in Deum, nunquam vel publicatione bonorum, vel exilio, vel morte deniq; mutaturus proditurus sum. Siquidem horum nihil me excruciare poterit. Etenim opes non habeo, præterquam vestem laceram, & pancos libros: Sicq; terram incolo, quasi semper ex ea migraturus. Corpus autem præ imbecillitate, vna sola plaga accepta, & sensum doloris, & tormenta superabit. Sozom. lib. 6. cap. 16.

Nerua Cocceius, Imperator decimus tertius, Princeps iustus & beneficus fuit, iniuste damnatos sub Domitiano restituit. Prohibuit sæuitiam, quæ in Christianos exercebatur, & sycophantas quosdam occidi iussit.

Adrianus quoque Imperator decimus quintus, Christianos, quorum

antea persecutor fuerat, summis tandem, agnita eorũ pietate, beneficiis prosecutus est.

Maxentio magnam Tyrannidem Romæ exercente, inprimis autẽ aduersus Christianos, Senatus Constantinum Imperatorem tricesimum se ptimum e Gallia accersiuit: cui dubitanti an Romam duceret exercitum, ostendit Deus illustre signum victoriæ. Nam media die, in clara luce, vidit, Constantinus in cœlo igneam crucem, cum literis, en touto nika. In hoc vince. Itaq; tanquam ducente Domino nostro Iesu Christo, Romam cum exercitu properat, Tyrannumque victum in fugam vertit, qui eum magna multitudine in flumen mersus perijt. Extinxit quoque Licinium, collegam suum, cum res nouas moliretur, & manifestam crudelitate aduersus Christianos exerceret. Nicenum Concilium aduersus Arrium instituit, eiq; ipsemet interfuit & præfuit. Maximo pietatis amore flagrans librum Euangelij sibi præferri semper voluit: Suis etiam sumptibus sacra Biblia describi, & in exteras nationes hinc inde transmitti iussit. Cum annos 30. regnasset, pie in Christo obdormijt, anno salutis trecẽtesimo quadragesimo secundo. Vide Eusebium in libris de vita Constantini.

Probaturus quorundam Christianorum constantiam idem Imperator, graui cõstituta pœna mandauit, vt gentilium idolis omnes sacra facerẽt. Cumque nonnulli parum firmi in fide, iram Imperatoris vererentur, propositoque edicto obtemperarent, eos vt perfidos & periuros homines omni priuatos dignitate eiecit: Rursus eos, qui post habito edicto, in Christi confessione firmiter perseuerarunt, summis euexit honoribus, sibi Cõsiliarios intimos adiunxit. Idẽ Paphnutij oculum effossum sæpe deoscu latus est. Euseb.

Concilium Nicenum.

Concilio Niceno, quod propter Arrium Imperator Constantinus instituerat, anno tricesimo, vicesimo octauo Christi, interfuere trecenti, decẽ & octo Episcopi, plurimi etiam Presbyteri, & Legati Episcoporum, qui propter senectam & morbos accedere non poterant, laici quoq; multi viri docti, & pij, præterea Philosophorum, dialecticorumq; doctissimi. Ex quibus cum præ insolenti dicendi arrogantia se inaniter quidam iactaret, senex quidam simplex ex illustrium confessorum numero, superbiã eius non tulit. Qui tametsi ineptæ subtilitatis, & præstigiarum penitus expers erat, tamen tum eo disputare cœpit. Ac cum hæc res petulantibus, qui cõfessorem hominẽ simplicem esse cognoscebant, risum moueret quidem: at modestis iniiceret timorem, qui veriti sunt, ne cum viro dicendi perito congressus, haberetur pro ludibrio: tamen cum facultas illi (cui, cum talis, & tam prouectæ ætatis esset, pudor erat resistere) data esset libere, quæ vellet, eloquendi: In nomine Iesu Christi, inquit, Philosophe audito, Vnus est Deus, cœli, terræ, & omnium rerum, tam oculis subiectarũ, quã eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia, & virtute Verbi fabricatus est, & sacratos piritus sancti afflatu stabiliuit. Quare hic Sermo, inquit quem nos filium Dei nuncupamus, misertus humani erroris, & belluinæ viuendi rationis, ex virgine nasci, cum hominibus vna versari, proq; eisdẽ mortem oppetere voluit. Est quoque iterum venturus, de ijs rebus, quas quisq; gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere, sine vlla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide duntaxat recte intelliguntur, curiose refutandis labore frustra cõsumere, quærerene, qui ista fieri aut non fieri possint. Quod si credis, mihi quædã scitanti responde. Quibus obstupefactus Philosophus, Credo, inquit. Et gratijs illi actis, quod ipsum deuicisset non solũ eadem cum sene ipse sentire, verum etiam consilium dare cœpit illis, qui perinde erga fidem Christianam, atque ipse ante affecti erant, vt iam doctrinæ Christianæ assentirentur: atq; iusiurandum adhecit, se non modo non sine numine diuino

Senex Philosophum disputantẽ conuincit, & Christo lucratur.

mutatum esse, sed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad religionē Christianam conuersum.

Iouianus post mortem Iuliani ad imperium delectus, illud repudiauit. Et cum a militibus inuitus raperetur, clamauit, se, qui Christianus erat, nolle omnino hominum gentilitatem professionem Imperiū suscipere. At vbi omnes vna voce confessi sunt, se esse Christianos, capessit imperium. Socrat. lib. 3. cap. 19.

DE CONVERSIONE ET PROPAGATIONE Ecclesiæ.

Iberes ad fidem conuersi.

IBeres, qui prope Pontum Euxinum habitant, ad Christi fidem hunc ad modum conuersi sunt: Mulier quædam diuina prudentia ab Iberibus capta est, quę cum inter Barbaros versaretur, pietatis studio se totam dicauit, ieiunare, noctes dieśque precari, DEO cum laudibus, gratias agere, continuo solita est. Barbaris autem scisciantibus ab illa, quorsum eiusmodi subiret molestias? Respondet vere, & ex animo, Christum filium Dei ita coli debere. At illis & nomen illius, quem colebat, & cultus ac religionis modus valde peregrinus visus est. Forte fortuna adolescentulus ibi grauiter ægrotare cœpit, quem mater per singulas ædes circūferens ostēdit. Nam ita facere in more positum erat Iberibus, eum ad finem, vt si quis forte reperiretur, qui morbum aliquem curauisset, eius opera alij eodem morbo laborantes facile sanarentur. Vbi vero adolescentulus a nemine posset curari, defertur ad captiuam. At illa, Medicamenta, inquit, neque scio, neque eorum vsum experientiamue teneo: sed credo, o mulier, CHRISTVM, quem colo, filium tuum curaturum. Statimque vt est pro adolescentulo, quem cilicio suo imposuerat, precata, cum iamiam mori expectaretur, morbo liberatus est. Haud longo post tempore, Regis illius gentis coniugem, quæ iam erat morbo insanabili interitura, simili ratione ad integram valetudinem restituit, CHRISTVM cognoscere docuit, eum largitorem sanitatis, vitæ & regni, omnium denique Dominum esse declarauit. Rex autem & valetudinem tam cito restitutam, & miraculū fidei simul admiratus, iubet captiuam donis remunerari. At horum, inquit Regina, ei, licet valde preciosa sint, nulla cura est. Nam solum Dei sui cultum magno æstimat. Quod si igitur volumus illi gratificari, age & nos Deum illius præpotentem veneremur. Ad quæ cum difficulter Rex adduci posset, accidit vt postero die ad venandum egressus, obscura nebula, & crassa caligine circumfunderetur, cumque salutis incertus, & rerum omnium ignarus, a suis auulsus esset, adeoq; in extremo hæreret discrimine, captiuæ mulieris Deum, nempe CHRISTVM, adiutorem inuocat, protinusque nebula caligoque penitus discussa & dissipata est. Lætus itaque domum reuersus, captiuam mulierem ad se accersit, a qua Christianæ fidei modum & cultum edoctus eundem subditis omnibus prædicat, &, vt abiectis idolis vnicum mundi saluatorem CHRISTVM filium Dei adorent, ipsis author est. Pariq; feruore CHRISTVM mulieribus annunciauit Regina. Hinc domus orationis extruitur, in eo opere diuina etiam prouidentia animas incolarum in fide ædificat. Nam cum nulla vi columna quædam commoueri, aut in sublime ferri posset, animumque desponderentes operarij discederent, precibus captiuæ mulieris effectum, vt nemine animaduertente noctu columna erigeretur. Quo miraculo mane viso, omnes alacri animo incepto operi incumbunt, illudque exiguo temporis spatio absoluunt. Postea ad Constantinum mittuntur Legati, postulant ab eo, vt de reliquo fœdera cum Romanis iungant, Episcopum & sacrum clerum accipiant, in Christum enim se syncere & ex

animo

animo credere affirmarunt. Socrat. hist. Eccles. iast. lib. 1. cap. 16. Sozo. lib. 1. cap. 6.

Clodoueus Rex Francorum ad fidem conuersus.

Clodoueus, Rex Francorum, vxorem habuit Chrotyldin, pietatis studiosissimam, quæ cum continenti studio maritum hortaretur, vt religionis curam susciperet, subinde eum admonens, nullam esse virtutẽ Rege digniorem, quam integra fide & pietate Deum colere: non tamen eum perpulit, vt Christianam fidem amplecteretur, & per lauacrum regenerationis sacrosanctæ Ecclesiæ insereretur. Accidit tandem, vt graui prælio in finibus Vbiorum cum Alemannis congrederetur, vbi cum victoria ad partes Alemannorum inclinare videretur, Clodoueus sublato in cœlum scuto suo, Christum inuocauit, & audiente exercitu petiit, vt iam testaretur, se eum esse, qui clamantes ad se exaudiret, votumq; fecit, se victoria obtenta, Christianæ religionis fidem amplexurum. Preces Regis exaudiuntur, Alemannis fusis fugatisque, Clodoueus triumphat, & cum aliquot millibus Christo nomen dans, per sacrum Baptismatis fontẽ a peccatis se se ablui petijt, sanctumq; Ecclesiæ membrum se esse testatus est, Anno regni 25. Cœpit autem regnare Clodoueus anno Salut. 497. A quo tempore ob summum Christianæ religionis studium Reges Francici Christianissimi dicti sunt. Casp. Hed. lib. 7. cap. 1. Recitat Hincmarus in vita Remigij, & Iuo in Chronico sub Leone Secundo, Sigebertus in Anastasio circiter annum Christi quadringentesimum, nonagesimum nonum.

Regina Persarum Christianã fidem amplectitur.

Cæsarea, Persiæ Regina, assumptis amicorum intimis, clam, anno Domini sexcentesimo, octuagesimo tertio, Constantinopolim profecta, ibi baptizata, & in magno honore apud Imperatorem habita est. Quod vbi resciuit maritus eius, missis Legatis, eam ab Imperatore repetijt, qui respondit, se inuitam eam nequaquam detenturum. Reseripsit itaq; marito suo Regina, se nunquam domum reuersuram, nisi & ipse Christianam fidem amplecteretur. Quo responso accepto, quadraginta virorum millia Rex ille Persarum secum adducens, Constantinopolim aduenit, ibique cum vniuerso hoc suo comitatu baptizatus est. Chron. Sebast. Fran.

Rex Hungarorum.

Anno millesimo decimo, Rex Hungarorum, persuasus a Cæsare Henrico Secundo, cum omnibus Regni sui clientibus religionem Christianorum amplexus est, & filiam deinde Imperatoris vxorem duxit

Theodosius Imperator, vt supra in primo Præcepto indicatum, idolorũ templa funditus euertit. Hoc nempe requirit officium Regum & Principum, vt nutricij sint Ecclesiæ, impium cultum auferant, contra veritatem promoueant. Quod & Alphonsus, Rex Aragonum, innuere voluit, Pellicanum pingi iubens, qui rostro pectus fodicaret, donec sanguis inde in pullos mortuos promanans, vitæ eos restitueret, cui picturę inscriptionẽ addidit: pro Lege & pro Grege. Pij Principis officium esse pictura ista docet, pro religione & subditis sanguinem effundere. Idem Sacerdotes adumbrant, vt Pontanus autor est, cum peracto Missæ officio, Principi vel Imperatori librum Euangelij osculandum porrigunt, de eo procul dubio ipsum commonefacientes, vt verbum D E I fideliter custodiat, id ipsum tueatur, & promoueat.

Mortuo Honorio, Iohannes, qui inter scribas Imperatoris principem locum obtinuit, cum prosperum fortunæ cursum moderate ferre nõ posset, imperium arripit. Aduersus quem mittit Theodosius, Arcadij filius, ducem Ardaburium, qui in bello Persico res maximas gesserat. Ille cum Salonas venisset, inde transmittit in Aquileiam, sed vento aduerso flante, in manus tyranni delatus est, quo ille comprehenso spem nouam obtinẽdi imperij animo cõcepit. His auditis, & Theodosius ipse, & exercitus contra tyrannum missus, anxio & solicito animo fuit, ne quid mali Ardaburius a tyranno perpeteretur. Aspar quoque filius Ardaburij, cum infinitas

Barbarorum copias ad auxilia tyranno ferenda accessisse certior factus esset, incertus animi erat quid ageret. Itaq; preces pij Imperatoris illo tempore rursus plurimũ momenti habuisse constabat. Nam Angelus Dei in habitu & forma pastoris, ducem itineris Aspari se præbuit: & per stagnũ, Rauennæ adiacens (in ea namq; ciuitate tyrannus commoratus, ducem Ardaburium tenuit) copias eius deduxit, qua via nemo vnquam iter fecisse commemoratur. Aspar itaq; copiis per stagnum, cuius aqua diuina ope penitus exhausta fuit, traductis, portas ciuitatis, quas apertas offendit, ingressus, Tyrannum opprimit, captiuosq; liberat. Quo tempore etiam Imperator sanctissimus (cui ludos Circenses peragenti significatum est, Tyrannum e medio sublatum esse) suam erga Deum pietatem declarauit. Relictis enim oblectamentis, quibus tum intentus erat, protinus ad Ecclesiam Dei profectus, pro victoria diuinitus parta Deo gratias egit, & vniuerso cœtui vt idem faceret, auctor fuit. Socrat. lib. 7. cap. 23.

Theodosius omissis ludis Circensibus Deum celebrat.

Ptolemæi Philadelphi Bibliotheca. Bibliotheca Alexandrina.

Ptolemęus Philadelphus, Rex Egyptiorum, pacis studio in primis celebris, optimarũ artium cultor & patronus eximius, doctos viros ex omnibus orbis terrarum partibus ad se confluentes, perhumaniter excepit & fouit. Alexandriæ Bibliothecam per vniuersum orbem terrarum celebratissimam instituit, in qua, vt Auentinus lib. 1. testatur, librorum circiter septingenta millia reseruabantur, inter eos quoque Biblia sacra, quæ ex Demetrii Phalerei instinctu immensis sumptibus per septuaginta duos interpretes, Hierosolymis accitos in Græcam linguam transfundi curauit. Iosephus lib. 12. cap. 2. Zonaras 1. Annal.

Constantinopolitana Bibliotheca.

Constantinopoli quoq; celebris admodum Bibliotheca fuit, in qua cẽtum viginti millia librorum reposita fuerunt. In ea fuisse perhibetur draconis intestinum longitudine pedum centum viginti, cui aureis literis Homeri poemata, tam Ilias, quam Odyssea inscripta essent. Quæ incẽdio assumpta est, imperante Basilisco. Zonaras lib. 3. Annal.

Theodosius Imperator, cuius supra meminimus, mansuetissimus fuit, & quidem adeo, vt omnes etiam, qui vere Sacerdotes sunt, mansuetudine sua superarit: propter quam quidem mansuetudinem, Deus hostes illius, sine prœliorum certaminibus, ei subiugauit. Nam post necem Tyranni Iohannis, barbari, quos ille ad auxilium sibi contra Romanos ferendum accersiuerat, in fines Imperij Romani incursionem facere constituerunt. Quo audito Imperator, vti solebat, istarum rerũ curam Deo commendauit: atq; precibus se totum dedens, breui quod in optatis erat, est cõsecutus. Primum illorum Dux, nomine Rugas, fulminis ictu interiit. Deinde pestis subsecuta, maximam partem hominum, qui ei parebant, e medio sustulit: ignis etiam de cœlo delapsus, complures eorum, qui superarant, absumpsit. Eo tempore Proclus Episcopus prophetiã ex Ezechiel. cap. 38. petitam, in Ecclesia docuit, eamq; præclare ad salutem iam tum Romanis a Deo datam, non sine maxima omnium commendatione accommodauit. Socrat. hist. Ecclesiast. lib. 7. cap. 41. & 42.

Proclus Episcopus.

Anno Christi 347. sub Rege Sapore grauis persecutio in Persia aduersus Ecclesiam sæuiit, per id temporis etiam Milles martyrio occubuit. Is cum Episcopus esset vrbis cuiusdam in Persia, multosque sæpenumero cruciatus pertulisset, neminẽ tamen in ea ciuitate posset ad fidem Christianam traducere, iniquo eam impietatem ferens animo, ciuitatem execratus, inde discessit. Non longo post tempore, cum primarii viri illius vrbis in Regem peccassent, exercitus cum trecentis elephantis eo profectus, vrbem euertit, & velut agrum colentes in ea sementem fecere. Hunc ad modum verbi diuini contemptus pœnas iustas & graues tum Deo tum Episcopo persoluit. Sozom. lib. 2. cap. 31.

Contemptus verbi punitus.

Macarii duo. Isidorus.

Lucius Alexandrinus Episcopus impius, Arriani dogmatis assertor, Ma-

carios

carios duos Isidorũ, alioſq; cõplures, Nicæni ſynodi decretis firmiter inſiſtentes, in Inſulam quandam Ægypti paludibus circũdatam, abductos relegauit: Inſulam iſtam viri ſuperſtitioſi, & religionis Chriſtianæ myſterijs haud quaquam initiati, incolebant. Eo poſtquam viri illi ſancti appulere, filia Sacerdotis ſubito à dæmone agitata, illis obuiam prodijt, cumq; rapido curſu ferretur, & magno cum clamore ad nauem contenderet, Inſulares obſtupefacti eam ſecuti ſunt. Vbi venit ad nauem, quæ ſanctos illos ſenes aduexerat, humi prouoluta, eos obteſtari, & voce magna ſic clamare cœpit: Quid ad nos, ô magni Dei famuli veniſtis? Nam hæc Inſula, noſtrũ vetus domiciliũ eſt. Nemini quicquam faceſſimus negotij, ſed hic omnib. mortalib, incogniti deliteſcimus, iſtis paludibus vndiq; circumcluſi. Vt autem Macarij dæmonium increpauerunt, puella ad ſanam mentem redijt. Quã de cauſa eius pater cum ſua familia, quin etiam omnes Inſulæ habitatores, ad fidem Chriſti ſe tranſtulerunt. Quę res Alexandrinis nunciatę, non mediocriter animum Lucij diuexabant. Sozom. lib. 6. cap. 20.

Rubertus Francorum Rex.

Rubertus, Francorum Rex, filius Hugonis, in omnibus pietatis exercitijs, verbum Dei audiendo, pſallendo, orando, ſtrenuum ſe Religionis aſſertorem præbuit, eumque pietatis ſuę fructum percepit, vt, cum aliquando muris hoſtes iam ingruerẽt, eos non tam armis, quam precationis ſuæ virtute & efficacia repulerit. M. Anton. Sabel. lib. 4. cap. 2.

Nemo, vt debebat, Deo pro beneficijs gratias agit.

Legitur in hiſtoria Eccleſiaſtica, quod ſubulcus quidã, bufone inuſitatæ magnitudinis conſpecto, plorare, lamentari, magnoq; cũ eiulatu vociferari cœperit. Forte autem iſthac trãſibant duo Epiſcopi equis vecti, qui iſto eiulatu audito accedũt, quærunt, quæ cauſa ſit ploratus & vociferationis? Quibus ille, In tetrũ, inquit, hic bufonem & magnitudine horrẽdum forte incidi, quo viſo vehemẽter territus, meę recordatus ſum ingratitudinis & malitiæ, vt qui nunquam Deo creatori meo gratias egerim, quod creaturam me voluerit eſſe adeo nobilẽ, corpore & anima, ratione & ſenſib. me ornarit, cum penes ipſum fuerit, vel vermẽ inſtar venenati iſtius bufonis me formare. Quod ſane quo minus factum ſit, haud ex meo pẽdet merito, ſed ex ipſius gratia & miſericordia. Quam eius gratiam, nunquam, vt decuit, animo perpendi, nec ex intimo cordis affectu gratias Deo egi. O turpem ingratitudinis labem, propter quam qui non per omne vitæ tempus me luctu lachrymiſq; macerem? Epiſcopi his auditis, tacite ſe mutuo intuentes abierunt. Nec dubium, quin & ipſis aliquid ſuæ ingratitudinis in mentem venerit. Quare multa ſunt, ſi ea altius animo volutauerimus, propter quæ Deo gratias agere tenemur.

Gregorius Magnus.

Iouinianus Imperator quadrageſimus, initio imperij ſui ſe Chriſtianũ eſſe profeſſus eſt, iuſſit reuocari exules, qui puſſi erant propter veram profeſſionem. Mãdauit Eccleſijs reſtitui partem redituum, quos eis Iulianus ademerat, ac teſtatus eſt propter famem nunc veteres reditus integros nõ poſſe reſtitui. Iuſſit rurſum claudi idolorum templa. Chron. Philipp. lib. 3.

Angli ad fidem conuerſi.

S. Gregorius cum communibus ſuffragijs Papa electus eſſet, eam dignitatem ſuſcipere recuſauit. Denuo autem omnibus vnanimiter inſtantibus, vt Eccleſiæ curam ſuſciperet, electioni paruit, & vt fidelem Eccleſiæ paſtorem decet, ſe geſſit, in Eccleſia dextre multa ordinauit, multos gentilium ab idololatria ad fidem Chriſtianam adduxit. Primus ipſe in Anglia, miſſis eo pijs Sacerdotibus, verbum Euangelij docuit. Nam cum aliquando Romam adducti eſſent pueri, nitida forma conſpicui, ijque venales in forum producerentur, viſis ijs quęſiuit Gregorius, cuiates eſſent pueri iſti? Cumque reſponſum eſſet, Anglos eſſe: porro quæſiuit, num eſſent Chriſtiani in Anglia? Ad quæ cum reſponderetur, Anglos eſſe paganos, & gentiles, protinus ingemuit, dolens, ab atro dæmone obſideri eos quorũ facies Angelica pulchritudine eſſet conſpicua, & ex ipſo nomine lætum o-

men captans: rectum, inquit, vtique fuerit, vt isti Angli, quorum angelica est facies, Angelorũ in cœlis sint cohæredes. Pios deinde & fideles doctores in Angliam misit, primusque hic Gregorius Anglorum dictus est Apostolus. Eoque modo salutaris doctrina Christi in mentibus auditorum operata est, vt vna vice in festo Natiuitatis Christi, decem Anglorum millia per lauacrum regenerationis sese Christianos esse professi sint. Hist. Eccles. Casp. Hedion. lib. 5. cap. 2. Et lib. 4. cap. 21. & sequentibus.

Concilium Chalcedonense.

Anno Christi quadringentesimo, quinquagesimo quinto, anno secundo Martiani Imperatoris, synodus conuenit in vrbe Chalcedone, quę e regione Byzantii sita est, in qua sexcenti & triginta Episcopi fuerunt edicto Martiani Imperatoris cõuocati. In hac synodo confirmatũ est Nicenæ synodi symbolum: deinde damnata sunt dogmata Nestorij & Eutychis, Dioscorus quoque omni Episcopali dignitate spoliatus. Huic concilio Martianus ipse interfuit, cuius verba recitantur distinct. 96. Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam potentiam, exemplo Constantini Imperatoris pij synodo interesse volumus, vt inuenta veritate diffidia tollantur.

Epiphanius Episcopus.

Circa hæc tempora Epiphanius Ticinensis Episcopus Patauii degebat, quem cum Theodoricus, Gothorum Rex, ad Gunebundum Burgundionum Regem misisset, vt de redimendis captiuis cum eo ageret, tantum eius pietati & sanctimoniæ Gunebundus honorem habuit, vt in eius gratiam sex captiuorum millia absque vllo precio liberos dimiserit. Vide Euagrium libr. 3. Chronic. Philip. 3. Chronic. Casparis Hedionis lib. 2. cap. 16.

Gregorius II.

Gregorij secundi, Pontificis Romani, in promouendo pietatis studio ardor ex eius Epistolis, quas subnectemus, apparet.

Bonifacius Germanos ad fidem conuertit

Ad Thuringos hunc ferme ad modum scribit:

Bonifacium ad vos misimus, vt de Baptismo & fide in Christum vos erudiat, ab errore abductis viam salutis monstret, vt & vos salutem consequamini, & vitam ęternam habeatis. Quare ei in omnibus obedientiam præstate, & tanquam parentem eum colite, eiusque doctrinæ prompto animo adhærete. Non enim propter emolumentum aliquod externũ eum ad vos amandauimus, sed propter salutem animarum vestrarum. Deum itaque diligite, & in eius nomine baptizamini. Nam Deus Dominus noster ea, quæ oculus non vidit, & quæ in nullius hominis cor descenderũt, præparauit diligentibus se. Quapropter discedite a prauis operibus, & operamini iustitiã, Idola ne adoretis, nec sacra ipsis faciatis, nec enim Deus ea susçipit. Sed in omnibus ita vos gerite, quemadmodum frater noster Bonifacius vos docuerit. Hoc facite, & vna cum liberis vestris ęternam salutem consequemini.

In alia quadam Epistola celebrat fortitudinem populi, & Clericorum Thuringię, quos cum pagani & gentiles ad ethnicam idololatriam adigere vellent: magno ipsi respondebant animo: Se malle beatam mortem oppetere, quam fidem semel agnitam violare vel abnegare.

Ad Saxones hunc ferme ad modum scribit:

Charissimi, obstrictus sum & sapientibus & insipientibus. Quare notũ vobis sit, me solicitum esse pro vobis, & pro ijs omnibus, qui doctrinam fidei in Iesum Christum adepti sunt, vel adhuc adipiscẽtur; vt animo sitis bono, firmiterq; statuatis regnum Dei iam prope adesse, ne quis posthac verbis subtilib⁹ vos seducat, vt in verborum argutiis, vel in metallis salutem quæratis, & adoretis idola, hominum manibus confecta, aurea, argẽtea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia, quæ falso nomine ab antiquis dicta sunt Dii, cum exploratum sit, quod Satanas in iis moratus sit. Quoniam omnes Dii gentium dæmonia, quemadmodum Propheta Psal-

mo 95. docet: Dominus autem cœlos fecit. Quare omnes qui Christum sunt amplexi, in ipso quoque ambulabunt. Quanta fide & industria hic Gregorius vna cum Bonifacio Christianã Ecclesiam informarint, & passim plantarint, ostenditur libro sexto, cap 67. Chron. Casp. Hedion. Bonifacij aliorumq; complurium martyrium sequetur sub titulo de Cruce & Afflictione.

In Thuringiam & Bauariam misit hic Gregorius virũ sanctitate & pietate insignem, Bonifacium, qui sua prędicatione, animarum vltra centum millia Christo lucratus est.

Bonifacius Germanorũ Apostolus.

Bonifacius cum Thuringos aduersus Christianam religionem rebelles prorsus esse animaduerteret, nec vlli, qui Christum annunciaret, parcere, conscripto milite subito in Thuringiam impressionem fecisse fertur. Qua re territi Thuringi, in loco munito inter Gebesenam & Hedemslebiũ nomine Tretheburgum, prope fluuium Vnisotardum, (vulgo Vnstrotum) cõgregati sunt. Quibus ad se accersitis, Bonifacius Christum vt vnicum Redemptorem & Saluatorem prædicauit, eosq; vt doctrinam, quã de Christo ipsis annunciaret, susciperent, exhortatus est. Thuringi, vt qui externum tantum spectarent commodum, quid emolumenti ad se rediturum sit, quærebant, si Christo se subijcerent. Ad quæ ille, Christus, inquit, verus Deus & homo in mundum secum attulit pacem, iustitiam, & gratuitã liberationem. Quare si in eum credideritis, ab omnibus malis, & corporis & animæ eritis liberi, æternamque vitam adipiscemini. Regi Hungarorum, inquiunt illi, tributa pendimus, eique decimas non tantum de omnibus nostris facultatibus, sed etiam de liberis pendere cogimur. Quare si virtute Dei tui, quem colẽdum nobis prædicas, nos ab ista seruitute liberare confidis, parati sumus fidem tuam amplecti: Sin autem de ea re nobis cauere non potes, nec voles, decretum est vitæ & bonorum potius discrimen subire, quam auitam religionem abdicare. Bonifacius quid ad ea responderet animi dubius, cum talem illis libertatem promittere haud posset, & rem plenam tum ludibrij, tum offendiculi fore agnosceret, si temere ab incœpto desisteret, Sese alia vice, inquit, certum ad postulata ista responsum ipsis daturum, interim se Pontificis Romani, & Imperatoris mentem exploraturum, vt sciret, num & illis liberatio ista cordi futura sit? sequenti vero nocte Bonifacium terruit vox quædam cum hac obiurgatione eum compellans: O paruæ fidei homo, qui Thuringi in me crediturí sint, cum tua ipsius fides hæsitet? An non legisti quod scriptum est: ipse reges interficit. Ego de cœlo descendi propter homines, mecumque attuli iudicium & iustitiam, meoq; sanguine tam pauperes, quam diuites redemi, nec volo vt quisquam de suis corporib. decimas alijs offerat. Nec mihi ipsi tale ius vendico. Facile etiam talem ipsis Magistratum cõstituam, quatenus in me crediturí sunt, qui aduersus vim iniustã eos tueatur. Quare volo, vt Thuringos meo nomine liberos & immunes pronuncies ab istis decimis, tuamq; fidem ipsis astringas, Regem Hungarorum posthac nunquam ab eis amplius decimas extorturũ. Quapropter tandiu apud gentem hanc perdurabis, donec omnes vltro agnoscant sibi satisfactum esse. Quę cum Proceribus gentis Bonifacius annunciasset, fidem in Christum haud grauatim amplexi sunt. Nec multo post, vbi Rex Hũgarorum resciuit, Bonifacium Thuringis fuisse authorem defectionis, copias suas in Thuringiam misit. Aduersus quas magno animo arma capientes Thuringi, victores, Bonifacio orante, ex diuina gratia euasisse re. Hac parta victoria alacrioribus multo animis fidem in Christum susceperę, & per Baptismum à peccati sordib. abluti sunt. Quo autem tutiores post hac essent ab Hungarorum incursu & violentia, ab Imperatore Carolomanno rerum bellicarum regionisque suæ præsidem sibi constitui

petie-

petierunt, qui virum ipsis misit strenuum de prosapia Stauffenorum, quo duce vsi, libertatē suā fœliciter defenderunt. Ex Chro. vrbis Isenacensis. Hessos etiam ab idololatria ad veram fidem adduxit Bonifacius, & in Fridesslar Basilicam struxit.

Mahometes secundus Imperator Turcicus, anno quinquagesimo sexto, supra millesimum quadringētesimum, oppugnationem Belgradi rētauit, tertio post Constantinopolim captam anno, sed infœliciter. Penes Christianos enim diuino auxilio tutos stetit victoria. Turca in exercitu suo centum quinquaginta millia pugnatorum ducere ferebatur. Qui inflatus opinione sui, tantoq; tumēs exercitu nihil dubitaret, quin deuicta Hungaria, Illyricos penetrare sinus, atque intima rura Liburnorū & fontem superare Timaui, rerumque caput, Italiam atque Romam, vno impetu subigere posset. Verum parua vrbs, & alioquin nobilis tantos eius conatus retinuit. In ea enim cum Hunniadem neutiquam viribus parem, sed incredibili ardore, & alacritate suorū vrbem propugnantem continuis & maxime cruentis duorum dierum prælijs exercuisset, successu tamen & fortuna quam ad Byzantiū dispari, accepto in pectore sub leua papilla vulnere, exanimis concidit, ac pro exanimi ex acie à suis elatus, castrisque ab hostibus exutus, amissis circiter quadraginta millibus hominum & machinis bellicis, fuga vitam conseruauit. Ad huius insperatæ stragis & fugæ tam turpis atque ignominiosæ recordationem, vbi redisset ad se, tanta cū indignatione fremuisse dicitur, vt de morte sibi consciscenda cogitarit. In hoc bello præter Hunniadem, claruit etiam Ioannes Capistranus ordinis Minorum Professor, qui ea tempestate Hūgaros, in arma publicis sermonibus excitabat, hinc in obsidione ciuitatis Belgradi, cum Turcæ per ruinas muri irrumpentes atrox cum ciuibus prælium committerent, ex turri clamitans Christianos hortari, vexillum crucis ostēdere, opem de cœlo promittere, maledicere hostibus, Dei presentiam implorare. Vide Æneam Syluium de historia Bohemica. Chron. Philip. Melancht. libro quinto. Albertum Krantz libro vndecimo, capite trigesimo quinto. O si tum nostri Principes (inquit Crantzius) vsi fuissent ea victoria, nec hostem resumptis viribus respirare passi essent, ipsis haud difficile fuisset, fugato hoste, omnē Europam occupare. Erant quidem in Macedonia nōnulli duces Christiani, quibus animus fuisset hosti occurrere, imo fugientem insectari, si suppetias vllas ex Christianis Principibus sperauissent. Verum propter peccata nostra Deus tyrannidem Turcicam confortat, & formidandum, ne longius se retrahat, & propter Ecclesiam non recte ambulātem in altum, vt olim à Synagoga, regrediatur. Per ea tempora Iohannes Capistranus in Germaniā descendit, prædicans tanto zelo verbum Dei in Austria, Bauaria, Suetia, Thuringia, & Saxonia, vt moti eius prædicatione, plurimi pristinos impietatis mores exuerēt, & fœminæ abusum in ornatu, viri ludos, quibus tempora perdunt, schacorum alearumq; in vnum contulerint, & in eodem loco igne subdito concremarint. Fertur idem aliquot sanitatis signa fecisse, vt vulgo est creditum. Sed est in ea re sæpe loquacior fama. Hoc cōstat, virum fuisse incredibilis in vita & moribus austeritatis, & sanctitatis. Sed est spiritus ille torrens, quo tum commotus populus, illa quæ diximus, fecit, vt non diu perseueret. Facile redit res in abusum, vt est hodie cernere per omnes terras & vrbes.

Iohannes Capristanus inuocatione aduersus Turcas pugnat, & verbum Dei propagat.

Burgundiones ad Christum conuersi.

Theodosio iuniore regnante, Hunnorum gens crebro in Burgundionum fines incursionem faciens agros depopulata est, & complures illorum non raro trucidauit. Itaque illi non ad hominem vllum petendi auxilij causa confugiunt, sed Dei alicuius potestati se totos permittere animum inducunt. Ac cum mente complecterentur Romanorū Deum illis, qui eum metuunt, & reuerentur, firmum afferre præsidium, omnes com-

muni consensu ad credendum in Christum se contulerunt, atque ad ciuitatem quandam Galliæ profecti, postulant ab Episcopo, vt Christianorum Baptismo donentur. Hinc animo fidenti contra tyrannos gradiuntur: nec spes eos fefellit. Quippe Vptaro Rege Hunnorum, noctu, cum se cibo nimio ingurgitasset, medio disrupto, Burgundiones Hunnos duce carentes adorti, pauci cum permultis (tria enim millia contra decem impetum faciunt) commisso prælio victoriam consequuntur. Ex illo tempore gens ea religionem Christianam ardenti studio excoluit. Socrat. lib. 7. cap. 30. *Vptarus Hunnorum Rex.*

Sub Honorico Vandalorum Rege plurimi Christianorum, quod Arrianorum impietatem amplecti nollet, in exilium acti sunt. Fuit in hoc exulum cœtu, & puerorum grex quos genitrices comitabantur, aliæ quidem gratulantes, quod Martyres peperissent, aliæ gemebundæ, quod suos misere perituros intueri cogerentur, immensisque doloribus victæ, cupiebãt eos rebaptizationis lauacro à confessione reuocare, atque hoc modo ex præsenti afflictione eripere. Verum cuius virtus maxime in infirmitate est potens, is tantum addit robur tam fragilib. testulis, vt nullo maternorum affectuum conatu infringi possent. Anus quædam ex interuallo sequebatur reliquam multitudinem, properantibus passibus, quantum pro ætate poterat, manu ducens puerulum, eum inter ambulandum subinde ad alacritatem blanditijs adhortabatur: Age, inquit, propera, puer, vides quanto studio festinet vniuersus Sanctorum exercitus, ad percipiendas gloriæ coronas: acceleremus & nos, vt illis coniungamur. Et cum interpellaretur à quibusdam, quid ita perdite festinaret cum paruulo, & qua ratione tantum itineris superasset, respõdit, Bene precemini, bene precemini, & orate pro me, & isto meo nepotulo, mulier sum peccatrix, filia olim Suritanæ ciuitatis Episcopi, & cum isto ad exilium vna quoque pergo, ne ille solus relictus hosti veritatis & vitæ prædæ sit, & à via vera abductus, in exitium præcipitetur. Vide Centur. 5. cap. 3. *Puerorum constantia.*

Izatus, Lazorum Dux, à Persis deficiens, ad Iustinum Byzantinum Imperatorem se contulit, ab eo Christianorum doctrina & Baptismo donari petijt. Benigne acceptus, pro Imperatoris filio baptizatur, & Lazorũ Rex salutatus, ducta vxore Senatoris cuiusdam filia, in suam prouinciam redijt. Zonaras 3. annal. Paulus Diaconus lib. 15. *Izatus Lazorum Rex.*

Iustiniani tẽporibus Heruli & Hunni vna cum suis Regibus, ab Imperatore benigne & humaniter tractati, & magna pecuniæ vi ab eodem donati, omnes ad vnum religionem Christianam receperunt, agrestemq; vitæ consuetudinem ad mansuetiorem ciuilioremq; commutarũt. Procop. 2. de bello Goth. Euagr. lib. 4. cap. 19. Paulus Diaconus lib. 16.

Flauius Iustinus Imperator, omnes subditos suos, proposito edicto pie & erudite conscripto, ad Christianæ fidei veritatem amplectendam exhortatus est. Vide Euagrium lib. 5. cap. 4.

Anno Iustini 15. Childebertus Rex Francorum, aduersus fratrem suum Lotharium insurgit. Cumq; vtrinq; magnis instructi essent copijs, mater eorum Crotildis fusis ad Deum precibus iam ardens ciuile bellum coërcuit, filiosq; fraternæ pacis redditos exhortata est, vt iunctis copijs in Hispaniam contenderent, ibiq; Visigothos, & Arrianos ad fidei rectitudinem, & synceritatem compellerent, vel rebelles prorsus exterminarent. Huic matris suæ consilio obedientes filij, Cæsar Augustam obsidione cinctam per deditionem ceperunt, omnesq; incolas iuramento astrictos ad Euangelicam veritatem amplectendam perpulerunt. Robertus Gaguinus lib. 1. de gestis Francorum, & Sabellicus Enneade 8. lib. 3. *Arriani ad synceriorem fidem compulsi.*

Inter Persidem & Indiam oppidum fuit, Tzundadaer nomine. In eo Cabades maximam pecuniæ vim, pretiososq; & pellucidos lapillos clam asseruari intellexit. Eis vt vna cum oppido potiretur, nihil intentatum re- *Fides propagata inter Persas.*

liqui

liquit:sed quo minus, quod volebat, efficeret, dæmones, qui thesaurum eum custodiebant, obstitere. Et postquam Persicas euocationes & impostura expertus, dæmonibus videlicet locum eum firmissime obtinentib. nihil egit, per Iudæos rem expedire aggressus est: atq; vbi per eos quoque optatis votisq; suis potitus non est, per Christianos tandem se quod conabatur, confecturum esse arbitratus est, quos aduersus dæmones potestatem recepisse audiuerat. Itaq; Christianorū, qui apud Persas erat, Episcopum ad se vocauit. Qui ea de causa synaxi & conuentu Ecclesiastico popularium suorum coacto, & diuinis sanctificationibus perceptis, eisdemque Christianis, qui ibi conuenerant, datis, signo crucis, qui locum eum incolebant, dæmones exegit, & Cabadæ statim sine labore vllo oppidum tradidit. Quare consternatus Persa, primo subsellio Episcopum Christianorum cohonestauit, quum ad id vsque tempus Iudæi & Manichæi sedes primarias obtinuissent. Atq; ab eo tempore, vt deinceps quicunq; vellent, Christianorum sacra colerent, potestatem liberam omnib. permisit: quos ille antea excruciauerat, adeo, vt etiam multis membra & partes eas, per quas vox editur, ademerit: qui tamen illis quoque sic amissis, non minus quam antea, clare sunt locuti. Niceph. lib. 16. cap. 36.

Fidei propagata in Insula Vectia.

Temporibus Imperatoris Iustiniani, Orientalium Saxonum Rex Ceadualla, sacrosanctæ Christianorum Ecclesiæ ex tali casu se adiunxit: Cum Insulam Vectam bello difficili oppugnaret, votū fecit, si Insulæ eius, parta victoria, particeps fieret, sese & Christianorum fidem amplexurum, & quartam Insulæ partē diuino cultui, ad alendos Dei ministros & sacerdotes, dicaturum. Obtenta deinde victoria, Romam profectus, à Papa Sergio baptizatus est, Anno Domini 689. Beda lib. 4. cap. 16. & lib. 5. cap. 7.

Agilulfus Longobardorum Rex.

Gregorius Magnus literis suis, ardentissimisq; precibus, apud Teudelindam Agilulfi Longobardorum Regis vxorem pietatis studio inclytam, effecit, vt & Ecclesiæ pax impetraretur, & sublata impiæ doctrinę abominatione, Rex ipse Agilulfus ad Christianam fidem adduceretur. Paulus Diaconus lib. 4. de gestis Longobardorum, cap. 2.

Eduinus Rex Nordā humbrorū.

Temporibus Imperatoris Heraclij, Eduinus Rex Nordanhumbrorum (sic vocati Angli, qui ad Aquilonarem Humbri fluminis plagam habitabant) hanc occasionem percipiendæ fidei habuit: Cum Edelberti Regis Cantuariorum filiam Edelburgam vxorem peteret, responsum accepit, Non esse licitum Christianam virginem pagano in coniugium dari. Quæ cum nunciarentur Eduino, promisit, se nihil omnibus modis contrarium Christianę fidei facturum. Neque abnegauit, se etiam eandem subiturum esse religionem. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, & cum ea Episcopus Paulinus, qui totus in id incumbebat, tū vt Reginam, eiusq; comites confirmaret, ne infidelium societate polluerentur, tū & Regem eiusque subditos ad syncerę religionis cultum adductos, Christo lucrifaceret. Cum autem in mutanda religione cunctatorē ageret Eduinus, tandem per visionem sibi quondam exuli ostensam, & in memoriā modo reuocatam, ad credendum prouocatus est. Cum enim Edelfridum, qui ante eum regnarat, fugiens multos annos exul vagaretur, tandem ad Reduaidum Anglorum Regem confugiens, ei salutem & vitam suam commisit. Qui benigne quidem eum acceptum, in aula sua fouit, sed tandem vel minas Edelfridi metuens, vel muneribus corruptus, de eo vel occidendo, vel hosti tradendo consilia iniit. Quod cum ipsi annunciatum esset, varijs agitatus curis, noctem insomnem duxit, intempestæq; noctis silētio vidit appropinquantem sibi hominem vultus habitusq; incogniti, qui ex imminentibus ærumnis liberationem, hostium interneeionem, maioremque quam omnes progenitores eius habuissent, gloriam & potentiam promisit, & vt vitę salutisq, viam & rationem, quam interiectis aliquot annis ef-

Paulinus Episcopus.

fet per-

et percepturus, amplecteretur, præcepit, deinde repente disparuit, vt intelligeret non hominem esse qui sibi apparuisset, sed spiritum. Nec mora ex diuinæ prouidentiæ nutu mutato consilio Redualdus Eduinum aduersus Edelfridi potentiam tutatus est, eoq; deuicto & in pugna occiso, in regnum ipsium restituit. Huius visionis Paulinus, qui ex diuina reuelatione eam intellexerat, Eduinum commonefacit, qui vlterius haud moratus fidem in Christum per Paulinum sibi annunciatam susceptit, cumq; innumeris aliis baptizatus, futuræ vitæ præmia quæsiuit; Anno 627. Vide Bedam lib 2. hist. gentis Anglorum, cap. 10. 11. 12. 13. 14.

Capanus.

Capanus, Hunnorum, Auarorumq; Rex Boijs hostiliter regionem eius deuastantibus, se cum suis in fidem Caroli Magni dedit, sacroq; fonte ablutus, Theodorus cognominatus, & in fidem acceptus est æræ Christianę, anno octingentesimo super tertium. Hic Theodorus ob Sclauorū & Boie morum iniurias a Carolo impetrauit, vt cum reliquis Auarorum sedem sibi inter Sabariam & Carnutum legeret, breuiq; post moritur, Abrahamo Auarorum Principatum relinquens. Is continuo ad Cæsarem legatos ire iubet, se suaque omnia potestati Caroli permittit, & se quoque pietatem Christianam recepturum pollicetur. Auent. lib. 4.

Abrahamus Auarorū Princeps.

Biornus Gothorum Sueuorumque Rex, Christianę religionis doctrinam apud suos plantari desiderans, viros doctos & sacerdotes ad se transmitti a Carolo Magno petiit. Is missio Herberto, alijsq; Sacerdotibus, petitioni eius obsecutus est. Vnde per Gothorum & Sueuorū terras fœlicitter Ecclesia propagata fuit. Hinc & alteros ad Imperatorem Legatos Biornus misit, plures verbi diuini Doctores petens. Verum antequam mandata Legati essent executi, Imperator moritur. Itaque ad successorem eius Ludouicum pergunt, eique petitionem Regis sui declarant. Is Corbeiensem Monachum Ansgarium, virum inprimis doctum, eo amandauit, qui in metropoli Pirea Christianam fidem docuit, Anno supra octingentesimum decimo sexto. Tandem Ansgarius Hamburgensis factus est Episcopus, & ex mandato Ludouici Pij, Danis & Sueonibus doctrinam Christi annunciauit. Vide Centuriam 9 cap. 2.

Biornus.

Herbertus.

Rhossi a Basilio Macedone Imperatore, Anno 875. oppugnati pacem petiuerunt, quam Imperator ipsis promisit, quatenus Christianam fidem amplexari essent. Quod se facturos esse promiserunt. Itaque misit eis Imperator Episcopum, qui ipsis doctrinam Euangelij prædicaret. Cęterum a sua religione ad nostram transituri tergiuersabantur, & dubitabant: Ac nisi miraculum viderimus, inquiunt Pontifici, qualia tu multa a Christo facta esse doces, nunquam doctrinam tuam amplectemur. Tum is, Petite, inquit, quod vultis. At illi dixerunt: Liber, qui de Christo docet, est in ignem coniiciendus, qui si inuiolatus manserit; argumento nobis erit, vere Deum esse, qui a te prædicatur. Assenso Episcopo, rogus est incensus. Pontifex cum manibus & oculis in cœlum sublatis, dixisset: Glorifica nomen tuum Christe Deus, sacrum Euangelium in rogum imponit, quod diu in flamma relictum, illæsum mansit. Eo miraculo Barbari obstupefacti, prędicationi crediderunt, & vt sacro Baptismate initiarentur, flagitarunt. Zonar. 3. annal.

Rhossi.

Miraculo fides comprobata.

Germani, qui vltra Rhenum Romanis primum, ac deinde Gallis subiecti habitabant, haud longe post Apostolorū tempora, imbuti sunt Christi cognitione. Interior autem Germania longo tempore post, nec quidē vna eademq; vice conuersa est ad fidem Christi, sed sæpenumero per bonos sanctosque viros ad hoc solicitati, quorum complures propter confessionē Christi occubuerunt: Sic D. Albanus, cum Moguntię anno Christi 425. Christū annunciaret, obtruncatus est. D. Kilianus a Cononе Rom. Pontifice in Germaniam missus, ad prædicandum verbum Christi, apud

Germanorū ad fidem Christianā conuersio.

Diuus Albanus.

Kilianus.

Herbipolenſes, vbi verbo & exemplo multos ad fidem Chriſti conuertit, vna cum ſocijs ſuis pro veritate occubuit, Anno 689.

Rupertus. Anno ſupra 612. Rupertus Epiſcopus VVormatienſis, Ducem Bauariæ Theodonem cum magna populi multitudine ad Chriſtum adduxit.

Rupertus, Regio Francorum genere prognatus, & doctrinæ à Chriſto traditæ præco, ad Theodonem Boiorum Regem adhuc gētili ſuperſtitioni deditum, venit, vt eum ad veritatem adduceret. Sed aulici illius ſuadebant, auitas ceremonias nequaquam deſerendas, quę ipſis tot victorias & triumphos peperiſſent: Chriſtianam religionem eſſe nouam, & viris rei bellicæ ſtudioſis aduerſam, & vt vera ſit, vtilem tamen Reip. Principem, ſiquidem recte ſuum officium adminiſtrare velit, nō poſſe eſſe Chriſtianū, Romanos enim ob id bello inferiores eſſe, quod à veteri numinum cultu deſciuiſſent. Chriſtum omnium deorum pauperrimum eſſe aſſerebant, q ſuis cultoribus nihil aliud quam contumelias & egeſtatem promittat & tribuat, & cæteris dijs, deabuſq; diuinitatem inuideat. Rupertus videſ ſe fruſtra inuitos ſeruandi ſumere laborem, domū redit. Poſtea cū Theodoretus Franciæ Rex pientiſſimus, Reginodrudam filiā ſuam Theodoni III. Boiorū Duci elocaſſet, iuſſit Rupertū denuo ad Boios iter facere. Rupert' à Theodone Reginoburgi honorifice exceptus, priuatim & publice in cōcionib. Boios ad veram religionem inuitabat, ac tandem effecit, vt reiecta auita ſuperſtitione, & gentili numinum cultu, fidem Chriſtianam amplecterentur. Theodon enim vna cum filio Theodeberto baptizatus eſt Rheginoburgij. Deinde & in alijs Bauarię locis verbum Dei ſeminare ac diuulgare cœpit, ac Vtinum veniens, Vtonem Ducem ibi baptizauit, Theoualdam vero Vtonis fratrem, Piſonij. Auen. lib. 3. annal. Boiorum. Iacobus Curio affirmat, Rupertum primum Rhenanas Eccleſias, præcipue VVormacienſem, deinde Danubianas doceuiſſe, lib. 2.

Circa annum Chriſti ſeptingētesimnm tricesimū, Germani magna ex parte, præſertim Thuringi, Franci, & Sueui, Gregorio II. Romanā ſedem obtinente, conuerſi ſunt per Bonifacium ad fidem Chriſti, de quo ſupra.

Anno Chriſti ſupra ſeptingētesimum, octuagesimo quinto, domita eſt tota Saxonia à Carolo Magno, atq; fidei catholicæ ſubdita, quæ antea ſæpe à ſuſcepta fide defecerat.

Anno Chriſti noningentesimo viceſimo, expugnata eſt per Regem Romanorum Henricum I. Marchia Brandenburgenſis, & Chriſtianæ religioni adiuncta.

Anno Chriſti ſupra milleſimum, centeſimo quinto & viceſimo, Otto, Epiſcopus Bambergenſis, profectus in Pomeraniam conuertit ad Chriſti fidem aliquot ciuitates, hac occaſione: Boleſlaus, Rex Polonorum, icto cum Ruthenorum Rege fœdere, in Pomeraniam hoſtiles ducit copias, Stetinenſem vrbem expugnat. Naclam (forte Anclam) diripit, omnemq; illum agrum igni ferroque miſere vaſtat. Feruntur ea calamitate Pomeranorum decem & octo millia cæſa, & octo circiter millia in captiuitatem abducta eſſe, paucis admodum cum ſuo Principe relictis, qui Chriſto ſe nomina daturos ſancte promiſerunt. His Boleſlaus conſulturus, Bambergā Ottonē per literas acciuit. Qui impetrata ab Honorio ſecundo abeundi licentia, itineri ſe accinxit, multis Clericorum comitantibus, Anno ſalutis 1125. Aduenienti Pomeranorū Dux magna ſtipatus ſatellitum cohorte, obuiam proceſſit, multaq; excepit beneuolentia. At Pomeranorum gens effera & crudelis, vix ab Ottonis comitibus cruentas reprimebat manus. Verum hos Otto ſanctitate & doctrinæ prędicatione, diuina ſimul cooperante gratia, ſubinde magis ac magis, non modo mitiores, ſed etiam religioni nouæ æquiores reddidit. In caſtro Piriſſa cum Sacerdotibus & Cle-

ricis

ricis sibi adiunctis viris piis & doctis, aliquot diebus Christianę religionis Elementa proposuit, & nihil quod ad Barbarorum conuersionē quoquo modo facere videbatur, prętermisit. Nec fuit eius labor inanis. Nā diebus quib. ibi cōmorabatur, fere viginti, ad septem circiter millia hominum ad Baptismum accesserūt. Inde digressus, Caminum venit, vbi inter reliquā plebeculam, quæ Christo cateruatim nomina dabat, & ducis coniunx cū vniuerso gynæceo erat. Ipse etiam Dux cum suo sodalitio simul imbuitur sacris & deinceps viginti quatuor concubinas, quas prętер legitimā coniugem alebat, cū rectius ab Ottone edoctus fuisset, dimisit. Exactis Caminī dieb. quinquaginta, conscensaq; nauicula, Iulinum contendit, vbi magnā incolarum expertus est fæuitiam. Verum ea nequaquā territus Otto, spiritu mansuetudinis corda adamātina emollire non cessauit. Eos tande adeo mites reddidit, vt dici nō possit, quantis lachrymis quantaq; religione illatā vim Episcopo deprecati sint. Hac igitur ratione vniuersa fere Pomeranorum natio in Christi castra, erectis, quod dicitur, signis transiit.

Adelbertus Pragensis, in Prussia Christū docens, martyrio afficitur.

Anno Christi noningentesimo nonagesimo septimo, Adelbertus, Episcopus Pragensis, in Prussiam profectus, populum illum a gentili suo errore auertere conabatur, sed frustra sibi hanc sumens operam, ab eis occisus est, corpusq; eius in minutas partes eissectum, auibus in escam obiectum. Deinde sæpe tentatū fuit, & doctrina & armis, vt Christo illi lucrifierent, sed inanis fuit omnis conatus Christi fidelium: Nam quod prementē necessitate promiserant, id metu liberati nequaquam præstabant, donec tandem sub Friderico Secundo, à Teutonicis militibus, vi & gladio coacti sunt suum errorem relinquere, & Christo nomen dare.

Meinardus

Anno Christi 1186. Meinardus vir pietate præstans, in Liuonia Euangelium docens, in vrbe Riga Episcopatum erexit. Meinardo extincto, pietas simul, quam magno cum labore & periculo hominum mētib. ipse instillarat, euanuit. Cum enim Bertholdus Cistercienſis sectæ Abbas quidam Meinardi locū capere iussus esset, armis, multoq; milite instructū, quem quidem Celestinus Pontifex, religionis ergo, larga peccatorum venię pro missione donarat, eo venire oportuit. Sed cum ferociori equo, quo vtebatur Episcopus, in medium hostium agmen temere prolapsus esset, miſere confossus est. Forte, quia Deus noluit Episcopos armis Episcopatus capere, sed verbo Dei, doctrina, pietate, orationibus.

Lithuania ad Christum conuersa.

Anno Christi 1350. & ante id quoque tempus sæpenumero Teutonici fratres ex Prussia, Lithuania, populum ad Christianam religionem perducere conati sunt. Sed diu ea in re frustra laborarunt. Aliquando octo infidelium millia vno prelio trucidarūt, plurimos etiā captos secum in Prussiam abduxerunt, eosque Christianorum legem edoctos baptizarunt, vt inde in patriā reuersi, suis possent annunciare, quæ esset Christianæ religionis ratio, nempe quod sola pietate suffulta, nihil in se difficultatis includeret. Siquidem sacra Christianorum fides sic apud illos erat diffamata, ac si intolerabilia, adeoque auditu horrenda in se complecteretur, vt de vt eam susciperent, nullo modo adduci potērant. Sed nec iste astus fratribus Teutonicis profuit. Excitata enim sunt & alia multa, eaque grauia bella, donec anno Christi 1386. Magnus Dux Lithuanię cū maiore populi parte sacro Baptismatis fonte abluēretur. Cosmogr. Sebast. Munst.

Dania ad Christum conuersa. Ericus ex tyranno factus Christianus.

Regi Daniæ Siuuardo successit Ericus, qui cum Haraldo fratre apud Moguntiam, Christi sacris initiatus, ab Imperatore Ludouico in Frisia locū promeruit. Post eum Ericus Siuuardi filius, Regneri nepos, pene solus ex Regis proceribus superstes, regnum adeptus est. Hic Christianæ religionis cultum per Anscharium in Lutia & omni regno disseminatum, acri animo insectatus, vsque ad tyrannicam crudelitatem desæuiit, multos Christi fideles per tormenta consumens. Sed hanc adolescentiæ te-

meritatē in ætate virili egregia virtute compensauit. Nam beati Anscharij, Archiepiscopi Hamburgensis, monitis sacrilegæ mentis errore depositō, quicquid per insolentiam commiserat, expiauit. Obdormiens circiter annum octingentesimum sexagesimum, filium Canutum in regno reliquit. Is Canutus absque Christianæ religionis insignibus e vita transiuit, cum iam in Dania & Suetia, annitente Pontifice Anschario, Christi religio excreuisset. Imperāt post eum, Froto, Guormo, & Heraldus, Christianæ pietatis assertores, & post eos Guormo tertius, tyrannus in religione Christi, circiter annum nongentesimum secundum. Sebastianus Munsterus.

Canutus.

Sub Guormone quomodo ad Christianę religionis professionem adducta sit Dania, paulo altius ex decima Centuria historiæ Magdeburgensis repetemus.

Sub Conrado primo, mortuō Reginuardo, qui Hamburgensium Episcoporum catalogo inseritur, in locum eius tum cleri, tum populi, Ledradus Bremensis chori præpositus surrogatur, Cum autem ad Imperatorem Conradum, ferulam pastoralem petitum contenderet, itineris comitem sibi adiungit Vnnonem, eiusdem Ecclesiæ Diaconum, Ledradus in conspectum Regis admissus, Vnnone quoque astante, negotium suum, ac quid petat, exponit. Imperator sine sua autoritate electionem factam molestę ferens (sibi enim id iuris Reges hoc sęculo saluō esse volebant) posthabito Ledrado, adstanti Diacono Vnnoni ferulam pastoralem, quā manu tenebat, offert, eūq; Episcopi mun' sua autoritate gerere voluit. Sicq; Ledradus spe sua deiectus, nec non multo rubore suffusus, inde discessit.

Fuit Vnno ob corporis deformem habitum omnib. initio contemptui: verum postquam ad tantos honorum gradus præter suam aliorumq; opinionem diuina voluntate conscendisset, fide, mansuetudine, & dexteritate, qua in sua functione erga quosuis vtebatur, omnium amorem, fauorem, & benevolentiam sibi non modo conciliauit, sed & penitus deuinxit. Ipsis etiam, sub quibus vixit, Imperatoribus, Conrado & Henrico, charus fuit.

Circa hæc tempora Guormoni, Daniæ Regi impio, qui Saxonum fines religionis causa acrius infestarat, Henricus Imperator, primo impetu tātum terrorem incussit, vt abiectis armis pacē peteret. Hac occasione Dania pacata, Vnno Hamburgensis suæ vocationis memor, multisq; aliis religionis, & veræ pietatis præstantibus viris stipatus, Danos adiit, ac in ijs conuertendis plurimum laborauit. Regem quoque Guormonem, erudelitate in viros religiosos insignem, magno animo aggressus est sua prædicatione: verum laterem in ipso conuertendo lauit. Filium tandem Haroldum Christo lucratus est, qui & liberam ipsis prædicandi, Danisq; fidem Christianam recipiendi, potestatem dedit. Huius præsidijs munitus Vnno, omnes Danorum insulas peruagatus, verbum Dei euangelizauit, & quos fideles captiuos illic offendit, in fide roborauit.

Porro constitutis in Dania rebus Ecclesiæ, ordinatisq; Sacerdotibus apud Heroldum, ne suo eos patrocinio vnquam desereret, multis precibus & monitionibus instabat. Tandem commoda oblata nauigatione, mare Balticum traijciens, ad portum primariæ regni Suecici vrbis Bircæ appulit, ibiq; plurimos fideles Christo reddidit. Rebus ibi quoq; fœliciter & ex voto, Deo benedicente, peractis, ad suos redire Episcopus animo voluit: sed ægritudine corporis prohibitus, mortem ibidem obiit. Anno incarnationis Domini, nongentesimo, trigesimo sexto.

Gotschalcus, Vandalorū Princeps, extremus Christianæ religionis hostis & persecutor fuit. Tandem autem saniora secutus consilia, quantum prius in euertenda, tantum in reducenda Christi religione impiger laborauit.

rauit. Sane tanto diuinæ religionis amplificandæ ſtudio exarſit, vt exhortationis verba frequenter ad populum in Eccleſia ipſe faceret. Tertiam fere partem reduxit eorum, qui ſub auo eius Miſteno relapſi fuerunt in Paganiſmum. Sed quia perſecutionem patiuntur, qui in Chriſto pie volunt viuere, religioſus Princeps', dum conuerſioni & ſaluti gentis inſtat, inita conſpiratione, propter fidem Deo & Principibus ſeruatam, trucidatur à congentilibus ſuis, quos ad ſalutem inuitauerat, relicto filio Henrico, qui patris immeritam necem iuſtis doloribus vindicare conatus eſt. Interfecto autem Gotſchalco, omnes Vãdali facta generali conſpiratione ad Paganiſmum denuo ſunt relapſi, occiſis omnibus, qui perſtitiſſent in fide. Anno Chriſti ſupra milleſimum, ſexageſimo ſexto. Porro Vandali à filijs Gotſchalci ſibi metuentes, elegerunt ſibi Principem Critonem, qui capitale odium in nomen Chriſtianum præ ſe ferebat. Coſmog. Munſt.

Normannos in terris Occidẽtalibus aduerſus Chriſti Eccleſiam admodum ſeuientes, Arnolphus Imperator, in Deum, Regem omnium regum, collocata fiducia, ad internecionem pene deleuit, cæſis duobus Regibus: altero Normannorum, altero Danorum. Inſigni parta victoria, ſedecimque vexillis, quæ hoſti eripuerat, Ratisbonam allatis, Pſalmis ibi ſacriſque precibus Deo gratias egit. Anno octingenteſimo, nonageſimo octauo.

In regno Poloniæ Chriſtiana religio hac occaſione plantata & propagata eſt: Rex Polonorum Myesko, Regis Bohemiæ Boleſlai filiam Dambrouuka vxorem ſibi poſcebat. Non abnuit Boleſlaus dare filiam, dũmodo ille abrogato gentili ritu, Chriſto nomẽ tradat. Cui conſentiens Myesko, Anno Chriſti 975. vna & eadem de Gneznæ, ſacrũ Baptiſma ſuſcepit, appellatuſque eſt Myezlaus, & eum virgine Dambrouuka matrimonium contraxit. Hinc ſeptimo Martij omnibus ſubditis, cuiuſcunq; fortunę aut conditionis eſſent, Rex per edictum mandauit, vt omnia gentilia idola in aquas & paludes conijecta, lapidibus contegerent, ſacrumq; Baptiſma dicto die ſuſciperent. In cuius rei memoriam, & hodiernum in diem in maiori Polonia conſuetudine receptum eſt, vt pueri Dominica Lætare idolum vel perticæ alligatum, vel ploſtello impoſitum ad aquas deportent, eoque iniecto aquis, rapido curſu domum recurrant, hoc ritu in memoriam reuocantes, quomodo ab idololatria liberati, Chriſtianæ religionis participes facti ſint. Conſuetudo etiam fuit apud Polonos, vt Sacerdote coram altari canente, Sequentia ſancti Euangelij ſecundum, &c. ij, qui ſaeris intereſſent, gladios ad medietatem vſque è vagina extraherent, eundemque, dum cantus continuaretur, reconderent. Quo ritu ſignificabãt, ſe paratos eſſe pro Euangelio armis dimicare, & ſi opus ſit, ſanguinem ſuum profundere. Quæ conſuetudo iam exoleuit. Chron. Polon. libro ſecũdo, capite primo.

Britannia ſtatim poſt exhibitum Meſſiam lucem Euangelij accepiſſe fertur. Sunt enim qui affirmare non dubitent, Ioſephum illum Arimathienſem, qui corpus mortuum Chriſti mirabili fide in tanto Iudæorum furore de cruce leuauit, & cum certa ſpe Reſurrectionis ſepulchro impoſuit, in Britãniam veniſſe circiter annum Domini ſexageſimum tertium, ibique fidum colonum nouæ ac ſpiritualis Paradiſi ingenti zelo egiſſe. Cent. 1. lib. 2.

Scribit Auentinus, antiquitatis diligentiſſimus inueſtigator, in annalibus Boiorum, Lucium Cyrenenſem, Pauli commilitonem & cognatum, in Vindelicia, Rhetijs, prouincijſque Hiſtro conterminis Chriſtianæ pietatis ſementem feciſſe. Item ſe in actis Sanctorum & Pontificum Laureacenſium legere, ſanctum Marcum (quem Paulus ſuum Collegam vocat, eiuſque mentionem in Epiſtola ad Timotheum & Philemonem facit) in

Norico Laureaci Euangelium docuisse, Christoque Ecclesiam aperuisse, quæ & diu ibi manserit, & ampliata sit.

In quibusdam historijs, Sanctorum legitur, Crescentium Moguntiæ, Clementem Meti, Trophimum Arelati, Euangelium Christi tradidisse.

Vitæ Tungrensium Episcoporum testantur, Maternum, Eucharium & Valerium à Petro missos esse, vt Treuiris & Coloniæ docerent, Petrum in Germaniam misisse Egistum, vnum de septuaginta Christi discipulis, qui in Bardewick, ad fluuium Elmenow, non procul ab eo loco, vbi nũc Luneburga sita est, vna cum Mariano docuerit, & quod ibi Martyrij corona sint decorati. Henricus de Erffordia refert.

In Hybernia Iacobum vna cum alijs quibusdam docuisse, Vincentius scribit lib. 8. cap. 7.

Reginam Angliæ, quę Stellam adorare solebat, Bonifacius ab errore ad veram fidem deduxit, ac in eius rei memoriam in Fuldensi cœnobio auream rotam suspendit. Munst. in Chronogr. ætate 3. Georgius Fabricius opinatur fuisse cultum Cybeles, inquiens:

Nos Fuldam ingredimur, mirati templa, rotamq;
Aueam, & Ideæ resonantem sistra Cybeles. Cent. 8.

ALIQVOT SIMILIA DE VERBO DEI AVDIENDO.

Quæ sit verbi diuini virtus & efficacia.

1. Conquerebantur quidam apud Abbatem Pimenionem, de cordis sui duritie, eo quod verbum Dei, licet magno eius teneretur desiderio, complecti tamen non posset. Ad quem venerandus ille senex, Mollis admodum, inquit, natura est aquæ, lapidum autem durities est ingens, attamen dum guttatim in durum decidit silicem, tandem eum perforat: Sic & verbum Dei molle & dulce est, corda autem nostra dura sunt, minusque eius capacia. Eius autem cor, qui frequenter & sedulo verbum Dei audit, tandem emollit, sic vt eius suauitatem & fructum plene percipiat. In vitis Patrum.

Verbum Dei sedulo audiendum.

2. Quidam ex Christianis Philosophis Abbatem de animę salute consulens, Mi frater, inquit, sæpe ex Patribus, vt ex fratribus in Christo dilectis, quæro, quænam certa meę animæ salutis sit ratio? Quicquid autẽ isti docent, quicquid catechizando inculcant, id protinus obliuiscor. Ibi Abbas duo conspicatus vasa inania forte in abaco reposita, vade, inquit ad fratrẽ, alterum ex vasis afferto, illudq; elue, pureq; mundatum in locum suũ repone. Quod cum factum esset, rursus ad fratrem ait: Vade & vas vtrunq; simul affer. Quod cũ fecisset frater, Vtrum inquit Abbas, ex vasis istis mundius est? Istud, respondet ille, quod modo mundaui. Ad quæ infert Abbas, Sic quoq; fili mi cum anima comparatum est. Qui sedulo & frequenter verbum Dei audit, etiamsi non omnia plene ita obseruet, vt ad singula interrogata respondere possit, attamen anima istius mundior erit, quam eius, qui verbum Dei nec audit, nec vllo eius desiderio tenetur.

3. Qui aquas hauriunt, non solum ex fonte vrceos suos implent, sed etiam curam adhibent, tum vt vrceos prudenter domum asportẽt, ne forte inter eundum eos confringant, tum vt aqua cum fructu vtantur. Eadem cura erit in auditoribus verbi diuini, qui accedentes ad fontẽ aquæ viuentis, vacuos afferunt vrceos vel corda. Qui si vrceos suos, dum sacræ interfunt concioni, implent, verbumque Dei hauriunt, sed deinde in via idipsum effundant, vel obliuiscantur, inanibusque vrceis vel cordibus domum reuertantur, quid isti fructus ex sua profectione, vel concione percepturi sunt?

4. Quoties de verbo Dei homines inter se conferunt, præsto sunt sancti

Angeli.

Angeli. Cum autem de rebus impijs & futilibus confabulationes miscēt, impuri presto sunt Spiritus, id quod in subiecto docetur exemplo. Quidam ex Philosophiæ monasticæ studiosis, & ætate & vitę sanctimonia reliquis præstans, ex diuina gratia, Spirituq; sancti illustratione, ea quæ alijs erant abscondita, videre poterat. Is, cum aliquando complures sancti Patres ex Sacris literis de animarum salute inuicem differerent, tripudiantiū Angelorum choris eos circūdatos esse animaduertit. Rursus cum alia vice de rebus inanibus, adeoque scurrilibus sermones fererent, procul mœsto vultu stantes conspicatus est Angelos, & prope astantes deformi pecudum specie immundos spiritus. Quibus visis, in cellulam suam senex ille digrediens, noctem insomnem duxit, & miserandam hominum vitam deplorauit, omnesq; fratres exhortatus est, vt inanes de rebus futilibus confabulationes tanquam venenum animarum fugerent, quippe quas & æternus Deus, & sancti eius Angeli summopere auersaretur. Nam Scriptura ait: A multiloquio non aberit peccatum. Inania colloquia lædūt & corda & animas. Basilius super Psalmum tricesimum quartum scribit: Vnicui que fidelium astat Angelus Dei, nisi per scelera & peccata proterreatur. Nam quemadmodum fumus apes, & fœtor columbas abigit, sic etiam peccata sanctos Angelos ab homine abigunt. Augustinus ait: Cum homo in ea, quæ a Satana suggeruntur, consentit, peccatumque perpetrat, tum bonus Angelus ab eo recedit, idque facit cum mœrore. Husanus de Angelis:

Nam velut ausugiunt pulsæ fœtore columbæ,
Fumus & admotus dissipat agmen apum:
Sic homini custos vitæ datus Angelus huius,
Peccati tetro pulsus odore fugit.

5. Apud sanctum Arsenium quidam ex fratribus cōquerebatur sibi Sacrarum literarum, quas & nosset & didicisset, intellectum perdifficilem esse, & re ipsa experiri se, quod exilis admodum consolatio ex ijs ad se redeat, eaq; de causa animam suam vehementer turbari. Ad quæ Arsenius: Fili mi, necesse est, vt magno cum ardore meditationi diuinæ doctrinę insistas. Audiui enim ex Abbate Pœmene, alijsq; Patribus, quod serpētium incantatores ipsimet verba, quibus serpentes effascināt, non intelligant, serpentes autem audientes verba, ea intelligant, eorum vim percipiant, eisq; obediant. Idem & nobis faciendum est. Etiamsi virtutem & efficaciam sacrarum literarum plene non intelligimus, attamen virtutem verborum Diaboli percipiunt, & fugantur. In vitis Patrum D. Maioris. *Serpentium incātatores.*

6. Fertur historia quædam non inconcinna de duobus sutoribus, quorum alter vxorem & numerosam prolem habēs, pietatis studio vnice erat addictus, nec nisi audito verbo Dei, ad labores accedebat, ijsq; in re familiari gaudebat successibus, vt diuitijs abundaret. Alter vero vxorem quidem habens, sed liberorum expers, adeo laboribus suis intentus erat, vt diem & festum, & profestum iuxta æstimaret, nec sibi otium audiendi sacras conciones sumeret, interim magna conflictabatur paupertate. Quare tandem ex altero scisitatus est, vnde ipsi tantæ suppeterent diuitiæ, qui tam familiam cogeretur alere, cū sibi liberis familiaq; destituto inter assiduos labores grauis paupertas ferenda sit? Respondit ille: Mane me comitare, & ostendam tibi, vndenam diuina benedictio meis rebus accedit, & simul postridie eum ad sacram concionem secum adduxit, idem & perendie fecit, quin & tertio die idem facturus aduenit. Ibi stomachabundus ille ait, sibi viam ad templum satis esse notam, nec ipso monstratore opus esse: se putasse, fore vt per ipsum eo deduceretur, vbi ratione acquirendi diuitias disceret. Ad quæ ille: Alium ignoro locum, vbi thesaurus a-

nimæ, & vita æterna acquiratur, quam in templo. Nunquam autem audiuisti, quid Christus in Euangelio dicat? Quærite primum regnum Dei, & cætera omnia adijcientur vobis. Altius hæc animo infigens sutor ille pauperculus, templum quotidie frequentabat, verbumque Dei auide audiens, fœlices in rei familiaris administratione successus expertus est. Discipul. de temp. Sermo. 117.

Sacrificatio Sabbathi præmio ornata.

7. Centurio quidam aliquot conduxerat fœniseeas, qui cum strenue operi suo intenti essent, forte diem festum Ecclesia celebrauit, cumque passim in omnibus templis campanarum sonitu ad concionem audiendam populus vocaretur, vnus ex fœnisecis cooperarios suos hortatꝰ est, vt vna templum adeuntes sacrę cõcioni interessent, à quibus itrisus, solus ipse relictis in prato socijs, templum ingressus est: Reuersus, labori se rursus accinxit, sed socijs, qui strenue ipsum præcesserant, ipse à tergo relictus, ludibrio fuit. Dum autem alacriter falcem gramini immittit, ecce offendit ibi auream monetam, protinusq; in genua procidens, Deo gratias egit. Quod conspicati eius socij, & ipse prati Dominus, accurrunt, inscriptionem legit Centurio, quæ talis erat: Manus Dei me compegit, & in donum me redegit pauperi, qui non fregit diem celebrem. Hanc monetam Centurio, à fœniseca numerato auri precio redemit, eamq; multis posthac videndam exhibuit. In discipulo de tempore.

Prophanatio Sabbathi punita.

1. In die festo, sub concione, Agricola quidam triticum in horreum auexit, ex permissu autem Dei improuiso incendio horreum vna cum tritico deflagrauit. Ibid.

2. Refert Gregorius Thuronensis, quod agricola quidam in solenni festo, terram volens aratro proscindere, ferrum corripuerit, quo vomerem mundificaret, quod manui annatum sic adhæsit, vt non citra grauissimos dolores illud circumgestarit, donec elapso biennio per assiduas preces ad Deum fusas, ab ea cruce liberaretur. Ibidem.

Choreas ducentes diuinitus puniuntur.

Anno Christi quinto supra millesimum, in pago Kolbeck/ haud procul ab Halberstadio, in vigilia natiuitatis Christi, viri octodecim, mulieres vero quindecim (vt eos numerat Sebastianus Franck) vino oẽs grauati, per cœmeterium S. Magni transeuntes, inconditum clamorem (vt mos est ebriosorum hominum) excitarunt, ipsumq; Sacerdotem & ministerium eius ludibrio habẽtes, indecenti gestu saltarunt. Quare offensus Sacerdos, diris eos deuouit. Nec execratio illa fuit irrita. Per totum enim annum, dies, nocteſq; citra vllam remissionem, cibi, potusq; immemores saltarũt, nec ros nec pluuia eos attigit, nec vestes ipsorum attritæ sunt, donec tandem omnes extinguerentur. Iob. Fincelius de Miraculis.

Hanc historiam Albertus Krantz/ lib. 4. cap. 33. hunc ad modum describit: Memoranda plurima vidit hæc ætas. Chorizantes in Colbeke, villa Halberstadensi, insolenter sacra nocte Dominicæ Natiuitatis, in cœmeterio S. Magni, iuuenes & viri cum fœminis, inconcinnis clamoribus ebrij duxere choreas. Rogati à Sacerdote sacra facturo, ne diuinum officium interrumperent, nihil fecere minus. Ille ad impatientiam versus, correptusque zelo & indignatione diuinæ iniuriæ & contemptus in religionem, Quando, inquit, mecum diuina religio contemnitur, sit vobis circuitus ille annalis. Exinde vltio diuina contumaçes insequitur, sine cessatione, sine vlla quiete per dies & noctes absq; cibo gyrabatur. Miserum spectaculum dum rotarentur gyrantes, stupere qui viderant aliquot sancti viri interposita prece, orabant pro illis, nihil minus gyrabant. Sororem suam quidam extracturus de circulo gyrantum, brachium fertur euulsisse, illa perseuerabat gyrans. Impressere alta terræ vestigia, quod necesse fuit. Anno demum euoluto quieuere. Maior pars spiritum efflauit: pauci, qui superfuere, recreati, insigni se pœnitentia macerarunt.

4. In Chronicis Scabinorum Magdeburgensiũ legitur, quod anno millesimo, ducentesimo tertio, in pago Ossemer/prope Stendel/ parocho, saltantibus rusticis, fidibus ludenti, fulmen manum dextram vna cum plectro abstulerit, præterea èx turba viros fœminasque circiter viginti quatuor absumpserit. In Chronicis Ecclesiæ Cathedralis, pagus iste vocatur, Hessewig.

5. Quidam de nobili prosapia singulis diebus Dominicis, sub concione, ad venandum exire consueuerat. Quam eius impietatem eo tandem supplicio Deus vindicauit, vt vxor ipsius infantem capite canino deformem pareret.

6. In Suevia Rusticus paucis ab hinc annis pyrum deiectam, eo die, quo memoriam passionis Christi Ecclesia recolit, sub concione, securi cuneisque fissurus, arborem in lapidis duriciem, manente eadem ligni forma, transmutatam esse vidit. Fatetur Cyriacus Spangenbergius, se particulam de arbore ista vidisse, in tertio Præcepto Catecheseos suæ.

Verbi diuini contemptores diuinitus puniri, plurima testantur exempla. Quoties accidit, vt qui sub concione ex vrbibus, animi gratia, in vicinos pagos expatiantur, conuiuia illic agitaturi, vitæ discrimen incurrant aut trucidentur?

7. Annis ab hinc aliquot, quidam in die Pentecostes, neglecta sacra Cõcione, deambulatum exiuere, ad amnem delati, vestes exuunt, aquas, sese in eis oblectaturi, ingrediuntur, nec mora, vnus reliquis omnibus prope astantibus, suffocatur.

8. In Bisenrode quidam in die Pentecostes in vicinum nemus sese oblectatum euntes, casu separãtur, & vni ex illis Satanas fit obuius in specie prægrandis dolij, cum impetu quodam volutati, cuius impetum cum euitare non posset, ea violentia per corpus eius fertur, vt contritis omnibus membris, intra paucos dies moreretur.

In Scholis sæpe nõ sine magno animi dolore experimur, studiosos adolescentes vel scholasticos, posthabito Præceptorum mandato, neglectaq; sacra concione, deambulatum exijsse, & vel frigidas ingressos esse aquas, vel aliã petulantiam exercuisse, qui vel aquis submersi, vel alio lethali damno affecti periere.

9. Goltbergæ, die illo, quo Christi passio in Ecclesia docetur, scholasticus inuito præceptore, clam sub concione vrbe egressus arborem conscendit, qua delapsus, protinus extinctus est. Cyriac. Spangenberg, in Elegantijs veteris Adami.

Quibus cordi est pietas, ij sane inuiti sacras conciones negligunt. Cum Dauide siquidem canunt: Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius. Psalm. 27.

10. Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimonono, in oppido Franciæ Orientalis Kunstat/fœmina quædam inexplebilis auaritiæ agitata furijs, omne id tempus, quod Dominicis alijsq; Festis diebus audiendo verbo Dei tribuendum erat, laboribus impendebat domesticis, omnemq; familiam, quamuis inuitam in lino præparando & arefaciendo solicitam habebat, cumq; aliquando in eo decorticando die Dominica famulæ occupatæ essent, visus est ignis elici ex arca illa dentata, cui linum decorticãdum imponitur. Quod qui viderant, intempestiui laboris fœminam monuerunt, sed illa excæcata, nihilominus apud familiam institit, vt strenue pensum suum singuli absoluerent. Altero die sub vesperam linum in hypocausto arefacere festinauit, quod cum flammã concepisset, ea vice, mulier propere ignem restinguens, periculum vitauit. Verum nihil mota eo, quod imminere viderat, periculo, ad insequentem diem Dominicã denuo

siccandum linum hypocausto imposuit, quod denuo flammam concipiens, mulierem duosq; ex liberis eius corripuit, (maritus in vineam egressus fuerat.) Quanquam autem mater cum liberis accurentis subito multitudinis opera tum erepti fuere, attamen postridie sunt mortui. Tenellus adhuc infans in mensa recubabat, quem illæsum mulier per fenestram abiecit, cui pili tantummodo capitis adusti erant. Mãdauit æternus Deus, Sabbathum esse sanctificandum, & in mandati huius contemptores seuere animaduertit. Iob. Fincel. lib. 3. de Mirac.

Scurrilis Monachi in concione audacia.

Robertus de Licio ordinis Minorum, Anno supra millesimum quadringentesimo, quinquagesimo quarto, in concione quadam Principes & populum magna contentione ad bellum Turcicum suscipiendum exhortatus est, ignauiam quoq; Principũ incusauit, quod nemo ex ipsis facile belli eius ducem se prębeat, simulq; exclamans: Si Dux, inquit, desideretur, ego abiecto Francisci habitu, dux vester ero, simulque cum dicto summam vestem abiecit, intus plane miles erat, byssino sago, acciuctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidium horæ sub persona Ducis concionatus est. Finita concione Cardinales hominem ad se accersentes, ex eo quæsiuerunt, Quidnam insolito isto concionandi modo sibi voluerit? Quibus respondit ille: Se, quicquid egerit, istud in gratiam amicæ suæ egisse: Ei enim fraternam vestem displicere. Itaq; se ex ea scisscitatum esse, quonam potissimum habitu delectaretur: respondisse eam, militari. Sese ergo iussisse, vt postridie concionem sacram accederet, eam ibi visuram, tali se habitu amictum. Hæc rectius scurræ quam diuini verbi præconi conueniunt.

Simili nouitate fertur Cardinalibus ac summo Pontifici exprobrasse fastum ac delitias: Erat apud illos dicturus, quos cum videret strepitu plus quam regio ingredi, deniq; & Pontificem gestari hexaphoro, & ab omnibus adorari, vbi tandem consedissent, iamque expectaretur vox hominis, is nihil aliud proloquutus, Phy sanctum Petrum, Phy sanctum Paulum, subinde cum execrantis voce expuẽs, nunc in dextrum, nunc in sinistrum, nec aliud addens, e medio proripuit se, relinquens omnes attonitos, alijs suspicantibus eum esse versum in furorem, alijs dubitantibus, num in hæresin quampiam, aut Iudaismum paganismumue prolapsus, in eas blasphemias erupisset. Cumque ageretur de homine coniiciendo in vincula, Cardinalis quidam, qui propius nouerat eius ingenium, atque etiam amabat, persuasit vt prius ad Pontificem euocaretur, pauciscque Cardinalibus testibus audiretur. Rogatus quomodo in tam horrendas blasphemias erupisset, respondit, Sibi longe aliud argumentum fuisse præparatum, & paucis summam orationis exposuit. Cæterum vbi spectarem, inquit, vos tanto strepitu, tantisque in delitijs viuere, simulque reputarem, quam humilem, laboriosam, & inamœnam vitam egerint Apostoli, quorum vices geritis, colligebam aut illos fuisse dementes, qui tam spinoso itinere contenderint in cœlum, aut vos recta ad inferos proficisci. Sed de vobis, qui tenetis claues regni cœlorum, nihil malæ suspicionis in animum inducere potui. Supererat vt illorum stultitiam detestarer, qui, cũ licuisset ad istum modum splendide suauiterque viuere, maluerunt per omnem vitam ieiunijs, vigilijs, ac laboribus discruciari. Erasm. de ratione concionandi, lib. 3.

DE ORATIONE.

EXigit a nobis tertium Præceptum, non solum vt verbum Dei sedulo audiamus, & firma fide amplectamur, verum etiam vt oratione & inuocatione Deum honoremus, quod sane Christiani hominis munus est præcipuum. Quare de efficacia orationis aliquot subijciemus exempla.

Abrahamo pro Sodomis deprecanti, promittit misericors Deus, si vel

decem

decem iustos in ciuitate ista reperiret, se propter decem illos iustos vniuersæ regioni velle parcere. Genes. 18.

Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore, eo quod esset sterilis, qui exauditus eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Genes. 25.

Iacob ex Mesopotamia reuertens, propter occursum fratris sui admodum terretur, & in angustia ad Deum clamans, eiusque miserationes, quibus minorem se fatetur, prædicans, exauditur. Genes. 32.

Moses pro Pharaone deprecans, plagas in Ægypto grassantes tollit. Exod. 7. 8. 9. 10.

Mose in monte extensis manibus orante, Israelitę vincunt Amalekitas. Exod. 17.

Murmurante aduersus Dominum populo, accensus in eos ignis Domini, deuorauit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad Mosen, orauit Moses ad Dominum, & absorptus est ignis. Numer. vndecimo.

Moses deprecatione sua Mariam sororem suam a lepra sanat. Num. 12.

Ignitis serpentibus in populum immissis, orauit Moses pro populo, & plaga sublata est. Num. 21.

Anna ardenti sua precatione a Domino impetrat filiũ Samuel. 1. Reg. 1.

Samuel ad Dominum clamans, exauditur. Ipso petente, imbres & tonitrua sæuiunt, eodem petente, sedantur. Absit autem a me, inquit, hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis. 1. Reg. 12.

Ezechias cum accepisset literas Rabsacis blasphemiæ plenas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit in conspectu eius. 4. Reg. 19.

Ezechias ægrotans, orauit Dominum, fleuitque fletu magno, & a Deo sanitatem, vitæq; prolongationem per annos 15. impetrauit. 4. Reg. 20.

Ammonitis, Moabitis ac Sytis, aduersus Iosaphatum insurgentibus, pius Rex indicto ieiunio, vna cum populo supplex ad Deum confugit. Orationem Regis Deus exaudit, hostes mutuis concidere vulneribus, & spolijs ampliſſimis potitus populus Iudæ. 2. Paralip. 20.

Summum orandi studium in Dauide, testatur diuinũ eius Psalterium.

Elia ad Deum clamante, cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna & lapides, aquam etiam, quæ erat in aquæductu, lambens. Eodem orante, pluuia grandi irrigatur terra. 3. Reg. 18.

Manasses captiuus in Babylonẽ abductus, peccatum suũ agnoscit, & ad Dominum clamans, in pristinam suam dignitatem restituitur. 2. Paral. 33.

Regina Esther ieiunio indicto, populum ad orationem exhortatur, ipsa quoq; cum Mardochæo pro populo ad Deum clamans, exauditur. Esth. 4.

Azarias cum Anania & Misael in fornacem ignis ardentem coniecti, Deum inuocant & laudant, & illæsi e flamma euadunt. Daniel. 3.

Feruor Danielis in orando quantus fuerit, Danielis cap. 6. & 9. ostenditur.

Orauit Ionas de ventre piscis ad Dominum Deum suum, & luci redditus est.

Niniuitæ clamant ad Deum in fortitudine, & misertus eorum Deus, ciuitati pepercit. Ionæ 2.

Iudas Macchabæus, & Iudæi ingruentibus hostibus ad Deum clamant, eoque protectore hostium immaniſſimorum impetum repressérunt. 1. Macchab. 3. 4. 6. 9. 11. cap. 2. Macchab. 3. 8. 9. 15.

Basilius.

Oratio est boni petitio, a pijs mentibus ad Deum facta. Oportet autem orationem non in syllabis perficere, sed in animæ magis electione, & voluntate.

Gregorius

Gregorius Nazianzenus.

Pia precatio gradus est, per quem ad Deum ascendimus.

Ephrem.

Desiderate orationes, quæ sunt colloquia Dei. Omnis enim sancta & purissima oratio confabulatio Dei est. Item:

Desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Quippe oratio sancta & pura cum Deo loquitur. Item:

In scientia ora. Quod si, dum oras, mens tua distrahitur, siue per aures, siue per cogitationes, aut aliam quamlibet causam, scito hoc ipsius inimici esse opus: neque festines implere orationem tuam. Cæterum te ipsum paululum argue, collige rursus animum tuum, atque ita demum in scientia ora, vt scias pro quibus postules Deum, ne improbe superflua & multa effundas verba. Si postulaueris a Domino aliquid, noli abrupte, ac definite, vt accipias, petere: sed totum illi relinque, atque ipsius voluntati. Sæpe enim quod petimus, non expedit nobis.

Iaddus Pontifex.

Alexander Magnus capta Tyro, versus Hierosolyma castra mouit. Ibi Pontifex Iaddus Regis iram veritus, Deum, vt genti suæ præsidio esset, orauit. Auditis precibus, Deus Israelis Pontifici in somnis apparens, bono esse animo præcipit, populus vrbe adornata, portas patefaceret, ipse & Sacerdotes vestimentis consuetis induti, reliqua hominum turba amicta albo vestita, Regi obuiam prodirent. Fecit quod monitus fuerat. Iamq; Alexandro propius vrbem accedente, summus Sacerdos, ornatus veste Sacerdotali, cum cœtu Sacerdotum & Seniorum processit ei obuiam, & pacem petiuit. Ibi Alexander de equo descendens, summum Sacerdotem reuerenter salutat, & pacem promittit. Magna inde Macedonas omnes admiratio incessit. Parmenioni interroganti, quam ob causam Iudæorũ Pontificem adorasset? Respondit Alexander, Se non illum, sed Deum ipsum, cuius Pontificatum gereret, adorasse. Plenius historiam hanc describit Iosephus lib. 11. cap. 8. Antiquit. Iudaic.

Oniæ precibus a Deo impetrat pluuiam.

Hircanus a fratre suo Aristobulo per vim Regno & Põtificatu deiectus, ad Aretam Arabum Regem confugit, qui exulis curam suscipiens, aduersus Aristobulum exercitum quinquaginta millium virorum educit, eumque victum Hierosolyma compellit, impetuque facto, in templo obsidet, etiam plebe Hircani partes secuta, solis Sacerdotibus Aristobulum defendentib. Cum autem Iudæi Oniam, virum iustum, & Deo charum, quia aliquando in æstu & siccitate imbrem a Deo precibus impetrarat, rogarent, vt Aristobulum cum sua factione deuoueret, non paruit, sed cum cogeretur, O Deus, Rex vniuersi, inquit, quia & ij, qui mihi astant, tui sunt, & Sacerdotes, qui obsidentur, ijdem tui: Oro, vt neque his contra illos, neque illis contra hos opem feras. Hac precatione peracta, statim virum lapidib.

Oniæ preces aduersus populum Iudaicum.

obruerunt. Neque vero multo post, numen eius impietatis pœnas exegit, violento turbine frugibus regionis vastatis, vnde tanta annonæ caritas sequuta est, vt modius tritici vndecim emeretur drachmis. Plura apud Iosephum lib. 14. cap. 1. 2. 3 Antiq. Iud.

Asterius.

Asterius, vir apprime Dei amans fuit, Senator Romanus, cum Imperatoribus imprimis charus, tum omnib. & nobilitatis & facultatum gratia cõspicuus, qui Martyrio generosi Marini, de quo supra in primo Præcepto, interfuit, eiusque cadauer splendida ac preciosa veste obtegens, & humeris impositum secum asportãs, magnifico inde & sumptuoso linteo inuolutum, decenti sepulchro condidit. Huius viri familiares, inquit Eusebius, qui huc vsq; vitam produxerunt, cum alia infinita præclara eius facta memorant, tũ istud imprimis quod sequitur, quodq; plenũ est admirationis.

Cæsareæ Philippi

Cæsareæ Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, fertur, victimam quandam in fontes, qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt (ex

quibus

quibus Iordanem profluere dicitur) in quadam diei festi gentilium celebritate mactatam, conuici, atque eam, dæmonis vi ac potestate mirandum in modum ab eorum conspectu euanescere, miraculumq; videri præsentibus, valde memorabile. Quibus, dum geruntur, Asterium quodã tempore forte interfuisse. Ac cum videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorũ erroris admodum misertum esse: deinde sublatis in cœlum oculis, Deum omnium rerum moderatorem per Christum supplicem precatum, vt dæmonium illud, quod populum tanto errore, cæcauisset, comprimeret: ipsum a fraude ac fallacijs, quas hominib. soleret intendere, coerceret. Hoc modo cum Deum orauisset, repentino victimam fontibus supernatasse: atq; ita rem illam quam tantopere mirari consueuerant, in nihilum interiisse, vsque adeo vt nullum in posterum in eo loco omnino ederetur miraculum. Euseb. lib. 7. cap. 14.

quæ & Tæneas

Preces Asterii.

Saraceni ad religionem Christianam tali de causa traducti sunt: Zocomus eorum Princeps, cum sobolis omnino expers esset, ad Monachũ famia illius adductus venit, vt cum eo colloqueretur: apud quẽ de sua calamitate grauiter conqueri cœpit. Siquidẽ liberis carere apud Saracenos infame erat. Monachus iubet eum bono animo esse, & precibus Deo adhibitis, eum dimittit, pollicitus, eum certo filium habiturum, si modo in Christum crederet. vbi vero Deus promissum re ipsa præstiterat, & filius Zocomo natus erat, ipse Baptismatis mysterio initiatus est, suosque subditos ad idem ipsum induxit. Sozom. lib. 6. cap. 38. Cent. 4. cap. 2.

Zocomus, Rex Saracenorum.

Protegenes Edessenus Sacerdos, a Valente in exilium actus; vir apprime admirabilis, in literis educatus ab Eunomio, & in celeriter scribendo exercitatus, cum locum reperisset idoneum, ludum aperuit, & pueris docendis operam dedit: atque eos non modo exercuit ad celeri manu scribendum, verum etiam sacra Dei eloquia edocuit. Nam hymnos Dauidis tanquam dictata illis proposuit: & eas Apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingeniis accomodatas putabat, ediscendas tradidit. Ac cum vnus ex pueris in morbum esset delapsus, venit ad domum eius, & dextram egrotantis tangens, precibus morbum depulit. Qua re intellecta, aliorum puerorum patres eum ad suas quoque ædes deducunt, orantq; ut liberis morbo vexatis opem ferat. At ille respondit, se non prius Deum precaturum vti morbum depellat, quam qui ægrotaret, Baptismi lauacro tinctus esset. Cui rei a patribus libenter assensum est: baptismatis lauacro tinctus esset. Cui rei a patribus libenter assensum est. Nam sanitatis desiderium eos ad istud faciendum impulit, & simul tum animo, tum corpore sanati sunt. Theodoret. lib 4. cap. 16.

Protegenes Ludi magister.

Temporibus Iuliani Adolescens quidam, filius Sacerdotis Idololatrici, in impia religione educatus, se in numerum piorum aggregauit, fugiesq; a patre, Antiochiam contendit, vbi a Meletio, apud quem clam patre morabatur, plenius Christianæ religionis mysteria addidicit. Pater magna cura quæsitum, & tandẽ inuentum filium e domo Meletii abstraxit, eiq; domum reducto primum permulta inflixit verbera: deinde verucula caudẽ tia manibus, pedibus & dorso impegit: postremo conclusit in cubiculo, ostio foris obserato, ipseque Daphnen ad Imperatorem reuertit. Ista ille ipse, inquit Theodoretus, cum ætate iam admodum exacta erat, mihi narrauit: addiditq; etiam, se numine afflatum, & diuina repletum gratia, omnia patris simulachra confregisse, eorumq; irrisisse imbecillitatẽ. Postea vero complexum animo facinus, quod conceiuerat, patris aduentum perrimuisse, oraſseque Christum Dominum vt sibi ferret auxilium, seras perrumperet, & ostia patefaceret, eius enim cã sese hęc perpessum esse, & adm. sisse, protinusq; & seras excidisse, & ostia aperta esse. Theod. li. 3. c. 13. Et omnia quæcũq; petieritis in deprecatione credẽtes, accipietis. Matt. 21.

Meletius.

Preces pueri ad Christũ efficaces.

Precibus certant Arriani & Orthodoxi.

Basilius Magnus, cum legatus pro eis, qui verę pietatis studiosi, Ecclesiæ, ab Arrianis electi fuerant, ad Valentem profectus esset, & nihil impetrasset, dixit ad Imperatorem: Iudicium huius controuersiæ, Imperator, Deo est permittendum. Claudatur templum accurate, Arriani foris stantes precentur Deum: Id si vltro eis patuerit, habento. Sin minus, concedatur & nobis precari Deum. Quod si valuæ vltro apertæ fuerint, statuendum erit sanctam ædem a Deo nobis esse attributā. Sin ea nec nobis aperta fuerit, sic etiam ad Arrianos pertineto. Placet Imperatori conditio, consensit, ædes Nicena vndique clauditur. Precantur Arriani Deum. Cum satis diu nugati essent, ædes non aperitur. Sero tandem digressis hæreticis, & Orthodoxis, Magno Basilio duce, preces auspicatis, statim claustris & vectibus ruptis, valuæ patefactæ, fidelibus ingressum præbuerunt. Zon. Tom. 3. de imperio Valentis. Cent. 4. cap. 13.

De oratione S. Episcopi Marcelli, aduersus diabolum & idola templi Apameensis, supra in primo Præcepto, de Hæreticis & Idololatris, pag. 67.

Theodosius victoriam a Deo precib. impetrat.

Eugenius & Arbogastus aduersus Imperatorem Theodosium insurgentes, adducunt ingentem exercitum ad Alpes. Theodosius itaque ad Deum confugiens, ardenti spiritu preces ad eum fundit, Tu nosti, inquiens, æterne Deus, me pio zelo commotum, propter dilectum filium tuum Iesum Christum bellum hoc suscepisse. Sin aliter se res habet, quicquid iniquitatis fuerit, id in me ipso vlciscere. Sin iusta impulsus causa, tuoq; fretus auxilio huc aduenj, tuam quæso tuis porrige dexteram. Adiuua nos Deus, ne dicant insultantes nobis gentes: Vbi nunc Deus illorum est? Per preces itaque conciliato sibi adiutore Christo, acerrimo prælio vincit hostem, cum quidem & diuinitus adiuuaretur magnis ventorum flatibus, qui contrarij erant hostibus. Vide Paulum Orosium, lib. 7. cap 35. Sozomenum libro septimo, capite vigesimo secundo. Ruffinum libro secundo, capite vigesimo tertio.

Locustarū agmina.

Hieronymus in Ioelem inquit: Nostris temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Iudææam, quæ postea misericordia Domini inter vestibulum & altare, sacerdotibus & populis Dominum deprecantibus, atque dicentibus: Parce populo tuo: vento surgente in mare primum, hoc est, in mare mortuum: & nouissimum, hoc est illud, quod ad Occidentem est, & quod ducit in Ægyptum, sunt proiectæ. Centuria quarta, capite decimo tertio.

Christianorum preces in transferēdo monte.

Anno Domini milleſimo, ducenteſimo, viceſimo quinto, Caliphus Rex Tartarorum, omnes, qui Christiani essent nominis, exterminare e regno suo constituerat. Cumque hac de re cum suis consultaret, vnus e Consiliarijs hoc dabat consilij, Christianos suo conuincendos esse Euangelio, & proprio gladio iugulandos. Eorum siquidem Deum, dixisse, Si quis ex discipulis suis fidem habeat, & monti dicturus sit, Aufer te, & præcipita in mare, id futurum. Placet Regi consilium, accersit Christianos, quærit ex eis, num Christi verbum vel Euangelium verum sit? Omnes vno ore verū esse respondent. Nisi id, inquit Rex, intra decem dierum spacium in monte isto transferendo demonstraueritis, perijstis. Quibus auditis, Episcopi & Sacerdotes vniuersum populum ad pœnitentiam & preces ad Deū fundendas, magna cura exhortati sunt, quin & ipsi citra remissionem gratiam diuinam implorarunt. Tande vni ex Episcopis diuinitus reuelatur, Iusсum quendam in plebe sutorem, Deo probari, qui montem inde se traijcere iubeat. Sutor iste, licet misericordiam suam & peccata causaretur, attamen quod diuinitus mandabatur, exequi constituit. Præfinita dies iam aderat, Rex cum suis copijs procedit, Ianienam inter Christianos instituturus. Christiani ex altera parte aduersi. Mox sutor in medium inter vtrunq; agmen progressus, in genua procidit, ardenti spiritu Christum in-

uocat, ne effero hosti suum populum fœde trucidandũ obijciat, & simul præcipit monti, vt se inde præcipiret: atque e vestigio mons inuersus, & alio traiectus est. Quibus visis, Rex obstupuit, & citra morã vllã Baptismo initiatus, Christianæ religionis confessor est factus.

Mulier grauida reuixit

Sozomenus autor est libr. 7. cap. 5. Constantinopoli, in templo illustri, quod Anastasiam vocabant, congregato ad concionem populo, grauidã mulierẽ e sublimi porticu delapsam expirasse, eãdemq; factis super ipsa communibus omniũ precibus reuixisse, & vna cum fœtu saluatam esse.

Arsacius.

Nicomediæ cum quidam vexatus dæmonio, per forum gladio stricto curreret, omnesque fugerent ab eo, & tumultus vrbem occuparet: Arsacius factus illi obuiam, Christum nominauit, verbo hominem deiecit, eum extemplo dæmone purgauit, & ad sanam mentem reduxit. Sozom. libro 4. cap. 15.

Pioris preces.

Cum Moses Ægyptius Monachus frustra cum suis Monachis in puteo effodiendo laboraret, neque vena vlla appareret, neq; aqua in profundo emergeret: Pior circa meridiem aduenit, cumq; fusis ad Deum precibus terram ligone iam tertio percussisset, aqua confestim erupit. Pior deinde rursus factis precibus discessit. Qui rogatus a Monachis, vt cibum apud ipsos caperet, noluit, dicens, item, ob quam ipse venerat, iam esse confectam. Sozomenus libro sexto, capite vigesimo nono. Nicephorus lib. 11. capite 37.

Antonius.

Refert D. Athanasius, Antoniũ aliquando cum suis fratrib. per desertum iter facientem, siti tantum non contabuisse, cumque nemus hinc in de peruagati, vanã in quærenda aqua sibi operam sumpsissent, seq; iam dura morte, siti enectos, interituros putarent, Antonium ardenti fide misericordiam Dei implorasse, protinusq; frigidæ aquæ scaturiginem prope ipsos e terra erupisse, qua Deo gratijs actis refecti sint.

Victoria Aurelij, precibus Christianorũ militum impetrata.

M. Aurelius Antoninus aduersus Marcomannos & Quados bellũ difficile gessit. Tunc vero ad alias difficultates accesserat tãta siccitas, vt milites & equi siti perirẽt. Imperator cũ quid ageret omnino nõ haberet, cũ milites siti iam prorsus exhausti, ad repellendum hostem iamiã ingruentem minime essent idonei, diuino seruatur numine. Erat enim in exercitu Romano Christiana legio quæ nomen habebat a Melite, vbi Paulus semina Euangelij sparserat. Hæc legio non solum ferro, sed etiam precatione præliabatur, & cum publicam precationem indixisset, qua peteretur pluuia, & bonus exitus belli, mox ingens tempestas orta est, in qua simul Deus & largam pluuiam Romano exercitui dedit, & crebra fulmina contra Quados iaculatus est. Hac victoria precibus Christianorum parta, Imperator huic legioni nomen dedit Keraunobolos, id est, fulminatrix. Euseb. lib. 5. cap. 5. Tertullianus in Apologetico. Chron. Philip. libro 3. Cent. 2. cap. 3.

Maselcerus Comes Africæ.

Mascezil cum in Africam traiecit aduersus fratrem Gildonem, qui ab Honorio, Theodosioque iuniore Imperatoribus rebellarat, cum non vltra quinq; pugnatorum millia secum haberet, ausus plus quã octuaginta millia inuadere, eos vicit, deleuitque. Nam cum ad expectandum exercitum, in Capreis Insula in Thusco mari subsedisset, ad prælium se per orationes, inter eremitas ac sacerdotes muniuit. Campofol. libro. 1. Paul. Oros. lib. 7. cap. 36.

Epist. 185.

Castino Romano Consule; Arrianæ impietati addicto, aduersus Comitem Bonifacium, synceræ religionis studio illustrem, copias ducturo, diuus Augustinus Bonifacium his verbis inter alia consolatus est: Non dabit, diuinitate iuuante, Catholicus hæretico terga. Tua cordis intentio dirigatur ad Dominum, non militem timebis, non Gothum & Hunnum.

Epist. 194.

Et rursus alibi: Vtile tibi tuisq; dabo consiliũ, arripe manibus arma. Ora-

tio

tio aures pulset auctoris, quia quando pugnatur, Deus apertis oculis spectat, & partem quam inspicit iustam, ei dat palmam. Augustino respondēs Bonifacius, inter cœtera hunc ad modum scribit: Scio quod sit tua sanctitas pro mea vita solicita, & quæ aduersus me tyrannus ille ordinauerit, ac disponat, antequam tuum sacerdotiū scriberet noui. Obuiamus ad mortē vltro tendentibus, quos nostræ victoriæ, vt credimus, faciet Christus addictos. Et alibi de Castini machinationibus scribens, ait: Sed diuina potentia, quæ nouit planare sublimia, & altius eleuare prostrata, fecit de superbo quod voluit, & hostē meum, me quieto, victoriam mihi quam nouit, adduxit. Et rursus alibi: Manus superba, Deo iuuante, cecidit, quæ ante paululum audax gladium erecta portabat. Multi ex aduersis ceciderunt, de nostris autem, Christo iuuante, nullus est vulneratus.

Epist. 186.

Epist. 191.

Epist. 195.

Aureliani. Annianus.

Attila, Hunnorum Rex, magnam sæuitiam per Galliam exercens, tandem ciuitatem Aurelianos graui diuturnaque obsidione pressit. Ibi Annianus Episcopus ciues exhortatus est, vt omnem in Deum spem fiduciāque collocarent, assiduasque ad eum preces funderent, nec diuinum ipsis defuturum auxilium. Cumque hostes magno cum impetu ciuitatem oppugnarent, Annianus stans in muro procul, puluereā nubem prospexit, & magna voce exclamans, ciues bono animo esse iubet, se enim diuini auxilij præsentiam iam animaduertere. Nec spes eum fefellit. Theodoricus enim Rex Vvisigothorum magnas copias aduersus Attilam duxit. Quare hostes obsidionem soluere coacti, aduentanti exercitui obuiā processere, pugnatumq; inter eos est in campis Cathalaunicis, vsq; ad diremptionem noctis, Attila victus, nō tamen omnino deletus est. Cæsa sunt centū octoginta millia pugnatorū. Hist. Eccl. Casp. Hedion. li. 2. c. 1. Chron. Sigeberti.

Attila victus.

Constantinopolim oppugnant Saraceni.

Anno Domini 721. Saraceni duce Haumare triennali obsidione Constantinopolim grauiter afflixerunt. Constantinopolitani ardentibus precibus: acerrimisq; præliis aduersus eos pugnantes, hostium partim fame, partim peste, tum frigore, tum gladio, tum etiam naufragio pereuntium, internecionem conspicati sunt.

Carolus Saracenos e Gallia eijcit.

Anno Domini 739. in Gallias irruptionem facientes Saraceni, omnia incendiis cędibusq; deuastarunt, & occupata vrbe Arelatēsi, in ipsa quoq; templa barbarica immanitate sęuierunt. Quare Carolus adiuncto sibi Lōgobardorū Rege Luitprando, imploratoq; numinis auxilio, omniq; in illud spe & fiducia posita, aduersus eos copias suas in aciē eduxit, & cōmisso pręlio, cęsi sunt ex Saracenis octuaginta millia, & trecēti. & cū ijs quoq; Rex Abdirama. Hunc ad modum Carolus diuino auxilio, & Francorum virtute Saracenos, qui vniuersā pene Asiā, Libyā, & magnam partem Europæ occuparant, repressit, Galliasque ab ipsorum furore liberauit. Casp. Hedion. lib. 6. cap. 15.

Exemplo & incitamēnto esse debebant enumeratę historię Christianis ducibus & militibus, vt & ipsi orationis virtute aduersus immanissimum implacabilemque hostem Turcam pugnarent, sic facilius haud dubie eius furor & sæuitia reprimeretur, nec tantis Christianus orbis ex continuis eius irruptionibus, defœdaretur cladibus. Verum cum inter plerosq; qui hoc seculo castra Martis sequuntur, nulla nec fides nec pietas locum habeat, omnisq; precationis feruor adeo extinctus sit, vt aliquam in precando animi deuotionem præ se ferre crimini detur, contra ingens magni animi iudicetur argumentum, nil præter immanissimas crepare execrationes, & blasphemias. Quis miretur huiuscemodi Thrasonum armis Turcarum sęuitiam non modo non reprimi, sed etiam magis magisq; aduersus nos concitari, & passim eorum trophæis campos insigniri?

Florentij precibus sa-

Anno Christi 660. successit in Episcopatu Argentinensi diuo Arbogasto S. Florentius, qui ex Scotia, in Alsatiam delatus ad Bruscham, vbi ex-

tructum est oppidum Hassle, consederat. Qui cum sanctam ageret vitam precibusq; suis obtinuisset, vt Rathilda filia Dagoberti, Regis Francorum cæca & surda curaretur, tradidit illi & cunctis successoribus eius Rex oppidum Hassle, cum omnibus agris & iuribus eius perpetuo possidendis. Florentius vero fundato a se in eo loco Monasterio, sepultus est ibi post mortem suam. Dagobertus quoq; gratum cupiens Domino pro accepto beneficio offerre animum, duodecim dicitur extruxisse monasteria in illo Rheni latere. Sebast. Munst. lib. 3.

nata Regis Gallorum filia.

Episcopus quidam Gregorius ex Cappadocia profectus, & per montana Italiæ iter faciens forte ad ædituum gentilem diuertit, qui idolū quod dam colebat, per quod dæmon ei ad omnia, quæ ex ipso quærebātur, respondebat, vnde ædituus in dubijs, de rebus absconditis responsa edens, quæstum faciebat mediocrem. Episcopus eius rei ignarus erat, & mane salutato hospite itineri se accinxit. Verum dæmon sancti viri præsentiam & preces haud sustineus, e domo aufugit, & frustra deindè ædituus eius consulebat oracula. Qua de causa mœstus ploransque, dæmonium inuocabat, quod noctu in somnis ei apparens ait, se in ædes ingresso ito Episcopo ibi durare haud potuisse. Quibus cognitis, ædituus Episcopum pro tinus insequitur, inculat eius ingratitudinem, eo quod per ipsum eo sit priuatus spiritu, a quo solo victū & amictum habuerit. Ibi in schedula Episcopus hæc verba exarat: Gregorius Apollinī salutem: Ea, quæ ha ctenus agere consueuisti, posthac etiam agēdi potestatem tibi facio. Schedulam istam prope idolum cum reposuisset Episcopus, dæmonis ministerio rursus libere vsus est. Tandem vero ædituus rem altius animo perpēdens, qualis iste sit Deus cogitat, qui per hospitem, & quidem hominem, se abigi & reuocari patiatur, itaq; denuo quęsiturus Episcopum abit, ad quem vbi peruenit, rationem fidei eius audire expetit, eandemq; protinus amplexus & baptizatus est, & in fide sic profecit, vt excellens deinde Ecclesiæ redderetur Episcopus. Ecce quā improuiso, & præter omne eius meritum Regnum Dei electo Satana ad hunc peruenit ædituum. Luth. in Postil. Ecclesiast.

Gregorius Episcopus dæmonem di. cit.

Corinthum venerat Episcopus, vt Concilio ibi indicto interesset. Cūque omnia plena essent diuersoria, nec vspiam locus ipsi pateret, ædificium omnino desertum conspicatus est, petiit illud sibi aperiri, vt cum suis ibi comitibus quiesceret, respondetur ei: spectris ita domum istam infestari, vt nemini tuto ingredi liceat, adeoque aliquot ingredi ausos pro tinus extinctos esse. Ridens verba ea Episcopus, sibi ædes istas in nomine Christi aperiri denuo petijt, quas apertas, fide munitus, & precibus ad Christum directis ingressus est. Et non solum securus ab omni spectrorum incursu in ædibus moratus est, sed electus dæmon ab eo tempore nunquam in istas ædes remeauit. Martinus Luth. in explicatione Euangelij de Diuite & Lazaro, Luc. 16.

Dæmon Episcopi precibus ejicitur.

Temporibus Honorici Vandalorum & Alanorum Regis, qui Arrianæ blasphemiæ addictus, immanissime Ecclesiam syncerę fidei studiosam persecutus est, Carthagini degebat quidam oculis captus, Fœlix nomine. Hic in somnis diuinitus iubebatur, vt Episcopum Eugenium, cum fideles baptizaturus aquam Baptismi consecraret, accederet, recepturū enim eum visum. Eugenio oculos ipsius attrectante. Cūm secunda id vice facere iussus esset, & tamen inane somnium esse iudicaret, tertia quoqę vice mandatum idem percepit, adeoque vt contemptor diuinorum iussuum increpatus. Quare ad Eugenium se adduci iubet, mādatum sibi diuinitus reuelatum ei denunciat. Ille vero peccatorem se esse confessus, minime se dignum ad tale munus obeundum agnouit. Cęcus contra mandatum diuinum vrget, Episcopumq; exorat, vt vna ad Baptisterium irent. Ibi ardē-

Eugēnius precib. cæcum curat.

tibus ad Deum fusis precibus, tandem ad cæcum ait Eugenius: Frater, & antea me miserum esse peccatorem, dixi. Verum is qui misericorditer te visitauit, is iuxta fidem tuam impleat petitiones cordis tui, & hæc dicens, signo crucis oculos eius notauit, quib. statim apertis, visum cæcus iste recepit. Quæ licet ad Regem Honoricum perferrentur, attamen ab Arrianis persuasus, Eugenium incantamentis vsum tale edidisse miraculum, a furore & impietate sua nequaquam destitit. Quin etiam Arriani consilia ineunt de Fœlice e medio tollendo. Casp. Hedion. libro 2. capite 22. Hist. Ecclesiast.

Terræ motus Cõstantinopoli.

Paulus Diac. lib. 13. de gestis Roman. Constantinopoli, posteaquam in regnum Arcadius successisset, terrę motum ingentem accidisse scribit, terra horribili motu subtus tremente, desuperque fusa flamma cœlitus pendente, vt cœlum omne ardere videretur. Ac durasse quidem plurib. diebus, donec Arcadij Imperatoris, & populi precibus placatus Deus, supplicium imminens auerterit. Prosper factum illud scribit Arcadio Quarto & Honorio Cęsaribus, anno scilicet Regni Arcadij primo, Christi anno (iuxta Marianum) 396. Prosper, 398.

Iudæus Christum amplectitur.

Iudæus quidam multis iam annis paralysi conflictatus, in lecto decubuerat, cum omnia curationum & medendi genera, omnesq; Iudaicas preces ac vota expertus, nihil plane inueniret remedij, tandem ad Baptismum Christianorum confugit: pro certo persuasus, huius tanquam veri Medici adiumento se ad integram valetudinem restitutum fore. Quæ res erat quamprimum Attico significata. Ille igitur Iudæum fidei articulis instituens, & spem in Christum ei annuncians, iubet ad Baptisterium in lecto apportari. Iudæus paralysi oppressus, simul ac Baptismum syncera fide receperat, & ex lauacro Baptismatis erat elatus, confestim morbo liberatus est, & ad sanitatem restitutus. Socr. lib. 1. cap. 4.

Arcadij preces.

Constantinopoli Arcadius precaturus, templum ingressus erat. Successerat autem ad proximam domum promiscui generis immẽsa hominum turba, vt propius Imperatorem cõtuerentur. Vix dum imperatore digresso, domus ea maxima templo cohærens, in qua fuerat hominum multitudo, subito corruit, cum ingenti admiratione & stupore populi. Sequebatur autem exclamatio, ob orationem pij Principis ruinam imminentem suspensam, tantamq; multitudinem fuisse liberatam. Paul. Diac. lib. 15.

Precib. incendio resistit Paulus Episcopus.

Chrysostomo præter omne meritum in exilium acto, graue incendium vrbem Constantinopolitanam vastauit. Cumque magna vrbis pars, fortissimaq; eius munimenta igni conflagrassent, postremo ignis in Ecclesiam Nouatianorum irrupit. Itaque Paulus simulac Ecclesiam in periculum venire cerneret, ad altare prosiliens, Deo Ecclesiæ conseruationem precibus commendauit, præsensque periculum auertit. Nam quanquam ignis in Ecclesiam tum per ianuas tum per fenestras irruebat, nihil tamen damni illi omnino attulit, & quod magis mirandum videtur, nullum fumi vestigium, vel trabibus eius, alijsq; partibus ex ligno fabricatis, vel parietibus impressum vsque cernebatur. Socr. lib. 7. cap. 38.

Clodouæus Rex Francorum, aduersus Alaricum Gothorum Regem bellum gerens, ad flumen Vigennam cum exercitu suo peruenit, quod cum imbribus tumidum, vadum ipsi negaret, Rex per totam noctem anxius diuinum implorauit auxilium, vt is sibi copijsque suis securum per flumen transitum concederet. Mane autem miræ magnitudinis ceruam flumen vidit ingredi, & ad vlteriorem ripam vadantem transire. Quam ducem secutus vniuersus exercitus, citra periculum fluuium transmeauit. Grego. Turonensis, hist. lib. 2. cap. 37.

Maximianus Episcopus.

Maximianus quidam, postea Syracusanus Episcopus effectus, cum alijs in Adriatico mari in grauem tempestatem incidit, vbi perfractis plerisque

in naui

In naui vi ventorum & procellarum, aqua vsque ad superiores tabulas impleuit nauim. Ibi quilibet alteri dedit pacem, atque corpus & sanguinem acceperũt, Deoq; sese comendarunt. Nauis igitur duodecimo die in portũ delatis hominibus, ibi sponte aquis antea receptis demersa est, simulac homines ex naui sunt egressi. Cent. 6. cap. 6.

Carolus Magnus debellata Saxonia fanum Irmenseũ destruit, & cum iam per triduum exercitus siti laboraret, subito in torrente largissimæ aquæ effusæ sunt diuino nutu, votiq; compos Carolus, obsides pacis accepit a Saxonibus, Anno Domini 772. Sigeber. & Regino. lib. 2. Auentinus lib. 4. Annales Francorum. Annonius lib. 4. cap 64. de Francis. *Irmensevi idolum. Supra 1. Præcepto.*

Ziemomislo, Polonorum Regi, natus est filius cæcus, nec alii præter hunc ei nati sunt liberi. Puer is cum iam septennis esset, & in Christiana pietate sedulo informaretur, Rex proceres Regni ad solenne vocauit conuiuium, quod cum agitaretur, ecce Regis filius subito non citra summam omnium discumbentium admirationem & gratulationem a cæcitate liberatus est. Cromerus. 2. de gestis Polonorum. *Puer cæcus de improuiso visum recipit.*

Poppo ad Christianæ doctrinæ confirmationem candens ferrum gestauit manibus, quo miraculo Danos & Regem eorum ad fidem in Christũ adduxit. Cuius rei meminit Saxo Grammaticus in historia Danicã, & Sigebertus. Idem vt alio quoq; miraculo doctrinæ suæ fidem firmaret, iussit tunicam, qua cinctus erat, incendi (erat autem pinguedine ceræ e facibus stillantis hinc inde aspersa) ea tota circum corpus eius deflagrauit, corpore prorsus illæso manente, quod precum suarum efficacia a Deo impetrat, Albert. Krantz lib. 3. cap. 24. in metropol. *Poppo. Supra Præcepto 101.*

De Poppone inter Treuirenses Episcopos tertio Centuria. 11. hæc leguntur.

Megingandi successor Poppo, Ludolphi Austriæ ducis filius, vt Antichristi charactere insignior esset, pallij & crucis sibi preferendæ vsum a Romano Pontifice impetrauit. His & aliæ accesserunt notæ, quibus lupũ sub ouina pelle latentem prodidit: superstitiosa nimirum in terram sanctam peregrinatio, putridorum ossium cultus, & Simeonis Monachi cuiusdam Palæstini in deorum album relatio. Eiusmodi enim opera Trithemius in Hirsaugiensi Chronico prædicat. Mentitur Treuirensium Episcoporum Catalogus, per hunc Danos miraculose conuersos esse. Diuersa enim testantur historiæ, quæ superiori seculo sub Ottone primo id factum asserunt, & a Bremensi Danos missos doctores. Quæ de re in præcedentibus.

Fertur de Episcopo Nicolao, quod cũ ex Lycia in Ægyptum nauigaret, grandiq; tempestate orta, nautæ omnes de salute sua pericli tarentur, suis ipse precibus tempestatem sedarit. Quam causam esse nonnulli asserunt, quod nautæ eum patronum colant. *Nicolaus nauarum patronus.*

Athanasius cum persecutorum manus fugiens, nauigio per Nilum in Ægyptũ cõtenderet, iamq; in propinquo persecutores esse intellexisset, ipse fuga posthabita ad persecutores nauigium conuertere, eisq; obuiam ire iussit. Et cum fugientes persecutoribus propinqui essent, & illi vbinã Athanasius esset, interrogassent: ipsi autem non procul abesse, ac si currentes celerius intenderent, statim eũ comprehensuros esse respondissent, periculum euasere. Vide hist. Eccles. li. 10. cap 34. *Athanasius a persecutoribus non agnitus.*

Romę Subdiaconus in calicem misit toxicum, Gotfridũ Lotharingię Ducem peremptutus. Sed calicem cum leuare vellet, nec posset, a Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationẽ prosternitur, protinusque a diabolo obsessus, misere affligitur, donec rursus orante populo ab eo liberatur. Anno 1054. Schaffnaburgensis, & Cent. 11. cap. 13. *Subdiaconus a diabolo affligitur.*

In Gallia templum extructum est in honorem sanctorum Martyrum Dionysij, eiusque sociorum, quod ab ipso Christo consecratum esse fabu-

lantur, idq; hunc ad modum esse manifestatū: Leprosus ex permissu æditui in templo pernoctarat, qui a Christo ea nocte, in veritatis testimoniū mundatus est. Et quidem multi, qui pridie eum sub vesperam lepra infectum templum ingredi viderant, postridie eum mane mundū egredi conspexerunt. Albert. Krantz, lib. 1. cap. 32.

Sueui & Boij cum Regibus suis, Alarico & Adalogerione, aduersus Ludouicum Francorum Regem acerrimo congressi prælio, copias eius cædunt, funduntque. Ludouicus Rex, vbi nullam spem salutis, nec in armis, nec in fuga esse videt, ad vota, & cœlum conuersus ait: Christe potens rerum, quem vxor mea colit, veneratur, prædicat, siste fœdam fugam, deme Francis metum: Tu mihi solus posthac iam eris Deus: Ego tua sacra cum Francis meis recipiā, & tibi templa dicabo. Quod erit perpetuum posteris monumentum, tua præsenti ope seruatos esse Francos. Vix hæc fatus erat, Franci resistunt, redintegratur prælium. Vterq; Rex hostium occiditur, Franci superiores fiunt. Sueui ad Theodericum Regem in Italia confugiūt, eo deprecatore erga Francos vtuntur, & cum Francis fœdus societatemq; perpetuo faciunt, &c. Auent. lib. 3.

EX M. MARULI SPALATENSIS, LIB. II. CAP. II.

PEtrus in carcere positus, catenis duabus vinctus, a militibus custoditus, orante pro eo Ecclesia, ab Angelo de cœlo missō liberatus est, Act. 12. Bartholomei Apostoli oratio obsessos a dæmonibus liberauit, Polemij Indiæ Regis filiam lunaticam mentis compotem fecit.

Iohannes Euangelista cum a Pathmo Ephesum reuerteretur, Drusianam defunctam ab ipso pheretro, quo ad sepeliendum portabatur, sanam surgere, ac domum redire fecit.

Ammonis Ægyptij Abbatis oratio immanem atque terribilem draconem, qui iumenta hominesque enecaret, per medium crepare compulit. puerumq; pestifero illius afflatu interemptum suscitauit, alteri vitam alteri mortem dedit.

Rophilus quoque Popiliensis, & Mercurialis Liuensis, ambo Episcopi draconem æque pecori atq; hominibus infestum, stolis suis non repugnātem, sed quasi manuefactum ligauerunt, ac post se trahentes in puteum altitudinis immensæ nunquā inde exiturum deiecere. Literæ ibidem in lapide incisæ factum hoc indicant, & adhuc extantes legentibus fidem faciunt.

Seuerinus, in Pannoniæ finibus Abbas, cum Phauianum oppidum Danubio adiacens fame laboraret, eo quod concreto frigoribus fluuio frumentariæ naues iter agere nequibant, oratione glaciem soluit, & vectoribus nauigationem aperiens, periclitanti oppido incunctanter subuenit, ita vt repente ingentem inopiam ingens copia secuta sit.

Idem quoniā Cucūlli castelli agrum locustarū agmina dauastabant, iussit omnes loci incolas vna secum ad Ecclesiam pergere. Dumq; ibi simul orarent, omnis illa locustarū tempestas inde sublata fugam fecit. Ac ne casu aliquo discessisse viderentur, pars earum non minima in cuiusdā agro resedit, qui cum aliis ad orandum non venerat. Tantumq; homini illi obfuit non orasse, quantum cæteros orasse iuuit.

Romunaldus Abbas cum a Parentio Liburniæ oppido soluens nauigaret, & nauis magnis fluctibus iactaretur, omnesq; qui cum eo erant, de salute desperarent, pelagi ventorumq; sæuitiam oratione placauit, illum vtique deprecatus, qui ventis & mari imperat, & obediunt ei.

Germanus quoque Anthisiodorensis Episcopus, Britanniam versus ad hæreses extirpandas contendes, vna cum Lupo Episcopo Trecasino, dum

nauis

nauis, qua vehebantur, vndis impetu ruentibus illisa tantum nõ operire-
tur, manus ambas in cœlum sustulit atq; orauit. Et continuo ponentibus
ventis æquatum salum tranquillum illis præbuit iter, cursuque, quo vole-
bant, satis prospero peruenere.

Fautinus Syracusanus, cum Messanæ a Stradicone præfecto ad Marty-
rium quæreretur, Angeliq; monitu solus nauiculam ascendens fugeret,
iam prope erat, vt ab insequentibus caperetur, quando Deum precatus
myoparonem illorum stare fecit, ita vt neque remis, neque velis vltra im-
pelli posset. Sicque aduersarijs post se relictis, Dei, quem inuocauit, ope
periculum euadens, Rhegium vsque delatus est.

Idem Tabritanam Calabriæ ciuitatem accedens, cum Balzanio diuiti
quidem viro, sed gentili pro seruo se locasset, vt haberet quo aliorum inо-
piæ subueniret. Et superbus Dominus equos, quos illi pascendos cõmise-
rat, strigosiores cernens, furore concitatus, ipsum persequi cœpisset, nec ei
vsquam ad fugam iter pateret, Deum rogauit, & Motabrum flumen, quo
intereludebatur, virga percutiens diuisit, atq; per siccum alueum transiës,
persequentis iram, rursum iungentibus se aquis euasit. Persecutor autem
præ stupore etiam placatus obsecrauit hominem, vt se quoq; eodem mo-
do pertransire faceret, percussoq; iterum fluuio, idem secutum est mira-
culum. Tũc cognita Christi virtute Balzanius credidit, & simul cum mul-
tis Baptisma suscepit. Sicq; Fautinus orando mortis periculum effugit, &
ijs, quos effugerat, vitam, quam non habebant, dedit.

Æque admirandum facinus & Pharaonis Maldensis Episcopi fuit. Ete-
nim submersam in flumine simul cum vectoribus nauim miseratus, cum
in ripa se prosternens Deum orasset, ab imo fundo in summas aquas ena-
tare fecit, saluis omnibus, qui in ea erant. Tale quid & Apostolo euenisse
credimus, quia ad Corinthios scribens, ait; Ter naufragium feci, nocte &
die in profundo maris fui. Hæc Marul.

Cibos cum oratione percipiendos, subiectum docet exemplum. Cui-
dam seni, pietatis exercitijs illustri, cum vna cum reliquis fratribus discũ-
beret, oculi diuinitus aperti sunt, vt in spiritu videret, alios quidem melle,
alios vero pane, rursus alios stercore vesci. Obstupescẽs itaq; Deum inuo-
cabat, inquiens: Quæso æterne Pater hęc mihi reuela mysteria, quod, cum
videam omnibus fratribus vnum eundemq; cibum apponi, non tamẽ o-
mnes eodem vescantur. Ibi in spiritu ipsi significabatur, Quod qui melle
vescantur, ij sint, qui cum timore & tremore, & cum intima gratiarũ actio-
ne cibum capiant, quorum etiam preces, quibus assidue essent dediti, Deo
placeant, & per nubes ad eum penetrent. Qui vero pane vescantur, sint ij,
qui pro apposito cibo Deo gratias agunt, eoq; sunt cõtenti. Quos vero vi-
deret stercore vesci, sint tales, qui aduersus dona Dei murmurent, inqui-
entes: Hoc lautum est, illud parum lautum, hoc insipidum. Huiusmodi
cogitationes in hominis Christiani animum non descendent, sed Deum
semper laudabit, quicquid demum largiatur, vt in nobis impleatur, quod
dicitur: Siue editis, siue bibitis, vel quicquid demum facitis, omnia facite
ad honorem Dei. In vitis patrum 2. parte D. Georgij Maioris.

Cibi cum precatione capiendi.

Legitur in vitis Patrum, fratres in Eremo ex Abbate Agathone quæsi-
uisse, quinam labor in terris esset & grauissimus, & optimus? Ad quæ re-
sponderat ille: Se persuasum sibi habere, grauissimum, maximeq; vtilẽ es-
se laborem recte orare. Nam omnibus modis oranti obstacula obijcere Sa-
tanam, ne suus Deo præstetur honos, nec homini, quæ bona & salutaria
sunt, eueniant. Quare quisquis recte Deum inuocare volet, is ante omnia
vitam suam emendans, peccata abijciet: deinde nihil, quod iuste negari
queat, a Deo petet: postremo ex intimo cordis affectu, & in vera fide ad
Deum orabit. Et certo eius exaudietur oratio.

Recte orare, labor grauissimus.

Fratres quidam beatum consulebant Macharium, quomodo orandum esset? Quibus ille, Verborum, inquit, prolixitate opus non est, sed sublatis cœlum versus manibus dicendum: O Domine, fiat secundum voluntatē tuam. Cum autem tentatio aut persecutio vrget, dicendum: O Domine & Deus benignissime, tu secundum magnam tuā misericordiam nobis succurre, tu solus nosti, quid in nostram salutem vergat, tu nobiscum agito secundum magnam tuam misericordiam. In vitis Patrum Georgij Maioris, parte secunda.

Certamen orandi.

Nec dici nec deplorari vnquam satis potest, quam misere cor hominis defœdatum, distractum & laceratum sit. Hinc inde fertur, agitur, & fluctuat, quantum nec agitabilis aer, nec vndæ ipsæ mouentur. Quare & sanctus Bernhardus apud fidum amicum, quam difficile sibi esset, conquerebatur, orationem Dominicam, absq; alienarum cogitationum turbatione depromere. Alter vero nec laboris nec artis esse id præstare arbitrabatur. Quare ambo in certamen descendunt, deponunt insignem caballum, sed ea conditione, vt neuter, teste conscientia, quicquam celaret, si quid inter orandum incidisset. Cum ergo audaculus iste ad orandum se componeret, & vix dum primam absoluisset petitionem, cogitat, num, si victor equum obtineret, simul etiam ephippia & frænum obtenturus esset? Et vt ad pauca redigam, cogitationibus sic infestatur, vt ab orando desistens, penes S. Bernhardum victoriam stare vltro fateretur. Mart. Luth. supra 17. cap. S. Iohannis.

Cogitationibus prauis renitendum, subiectum docet exemplum: Querebatur apud Abbatem frater quidam, se prauis subinde cogitationibus plurimum turbari. Eum Abbas secum sub dium eductum, iubet, vt sinu aperto ventos capiat. Respondet frater, hoc sibi neutiquam esse possibile. Ad quem Abbas, hoc si nequis, nec cogitationes ita coercere poteris, quo minus tibi incidant. Sed hoc tui est muneris, vt ardenti spiritu, & magno animo eis resistas. In vitis patrum.

Vt tua pertingat, penetret q; precatio cœlum,
Corde sit ex puro, sit brevis atq; frequens.

Eusebius lib. 5. vita Constantini.

Iusta oratio prorsus inuicta est, & nemo sancte ac pie Deo supplicans spe sua frustratur. Non enim patitur mundus repulsam, nisi tum tantum, quando a fide claudicat.

S. Gregorius.

Ille in nomine Saluatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit, petitur, non in nomine Iesu petitur.

Isidorus.

Sepe multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem.

Christus.

Omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Matth. 21.

S. Hieronymus.

Sicut militem sine armis ad bellū exire non conuenit, ita homini Christiano procedere quo libet sine orationibus non expedit. Egredientes de hospitio, armet oratio: Regredientibus de platea, occurrat oratio.

S. Augustinus.

Oratio tua locutio est ad Deum.
Quando legis, Deus tibi loquitur.
Quando oras, cum Deo loqueris.

Item:

In lectione cognoscimus quid facere debemus.
In oratione eadem accipimus quæ postulamus.

S. Basilius.

Oratio grandis munitio est animæ.

SENTENTIÆ PATRVM VENVSTIORES, Christianum hominem, quomodo inter orandum affectus esse debeat, informantes.

I.

QVID SIT ORARE, QVIBVS VERBIS, ET QVA *animi deuotione orandum, quæ vera ad orandum præparatio.*

ORatio est boni petitio, a pijs mentibus ad Deum facta. Petitionem autem non verbis tantum definimus. Non enim putamus, Deum verborum admonitione indigere, sed ea quæ vtilia sunt, satis vel nobis non petentibus videre. Basil. in Martyrem Iulittam.

Oratio est mentis deuotio, id est, conuersio in Deum, per humilem & pium affectum. August. lib. de Spiritu & Anima, cap. 50.

Gregorius Nazian. lib. 1. de Philosophia, significat piam precationem gradum esse, per quem ascendimus ad Deum. Sic Ephrem quoque docet, libro de luctamine spiritus: Desiderate orationes, quæ sunt colloquia Dei. Omnis enim sancta & purissima oratio, confabulatio Dei est. Et in sermone de Virginibus: Desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Quippe oratio sancta & pura cum Deo loquitur.

D. Ambrosius in 6. caput ad Philippenses.

Hoc est ergo in spiritu semper orare, munda conscientia, & fide integra precem ad Deum dirigere. In carne enim orat, qui polluta mente precatur, iterum peccaturus.

Tertullianus de Castitate.

Oratio de conscientia procedit. Si conscientia erubescit, erubescat oratio. Spiritus ducit orationem ad Deum. Si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, quomodo audebit orationem ducere ad altare?

Chrysostomus de fide Annæ.

Omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cum corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante, mēs vbiq; per domum ac forum circumuagatur: quo ore talis posset dicere, quod orauerit in conspectu Domini? Nam in conspectu Dei orat, qui orat, vndiquaque colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercij, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa. Et paulo post: Et Christus & Paulus iussit breues, sed crebras fieri precationes, ex paucis interuallis. Nam si in longum extenderis verba, quum frequenter parum sis attentus, multam audaciam diabolo suppeditasti, vt accedat supplantetq;, ac mentem ab his, quæ dicuntur, auocet. Quod si frequenter ac subinde oraueris, tempus omne crebris dirimens interuallis, facile poteris esse sobrius ac vigilans, vt precationem multa cum attentione perficias.

Augustinus epist. 121. De orando.

Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerunq; hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu. Ponit autem lachrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster nō est absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoueamur, & inspiciamus, quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus.

D. Ambrosius de Cain & Abel, cap. 9.

Caue ne in oratione te extollas. Oratio enim humiliantis se penetrat nubes.

D. Augustinus Psalm. 85.

Si forte interpellas iudicem, & constituas eum loco, vt te audiat, & subito cum ad eū loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diuersas res cogitantium, omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando peruersas & inimicas Deo, ipsas superfluas cogitare, iniuria est eius, cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris.

Bernhard. in meditat. cap. 8.

Oro quidem ore, sed mente foris vagante orationis fructu priuor. Corpore sum interius, sed corde exterius, & ideo perdo quod dico. Parū enim prodest, sola voce cātare sine cordis intentione. Propterea magna peruersitas, imo magna insania est, quando cum Domino maiestatis loqui in oratione præsumimus, & insensati aurem auertimus, & ad nescio quas ineptias conuertimus cor. Magna quoq; insania, & grauiter vindicanda, cum viliſſimus puluis loquentem ad se audire dedignatur Creatorem vniuersitatis. Ineffabilis vero est dignatio diuinæ bonitatis, quę quotidie conspicit nos infelices aures auertentes, obdurantes corda, & nihilominus clamat ad nos, dicens: Redite præuaricatores ad eor. Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus Loquitur mihi Deus in Psalmo, & ego illi, nec tamen cum Psalmum dico, attendo cuius Psalmus sit. Idcirco magnam iniuriam Deo facio, cum illum precor, vt meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, vt mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo, sed quod deterius est, immunda & inutilia in corde versando, fœtorem horribilem eius aspectibus ingero.

Idem de Oratione.

Oratio est mentis deuotio, id est, conuersio in Deum, per pium & humilem affectum. Humilem ex conscientia infirmitatis propriæ. Pium ex consideratione diuinæ clementiæ. Nullo alio modo Deus citius ad misericordiam flectitur, quam si animus deprecantis ad eum toto deuotionis affectu conuertatur.

Et paulo post:

Sic ora, cum oraueris, quasi sis assumptus & præsentatus ante faciē maiestatis, in excelso throno, vbi millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei. Tunc veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. Fœlix anima, quæ omnes euagationes mentis in vnum studet colligere, & in illo verę fœlicitatis fonte desiderium figere. Quando oramus, Spiritum sanctum ad nos vocamus. Oratio cordis est, non labiorum. Neq; enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor conspicit.

Diuus Auguſt. in Pſal 30.

Inuocas Deum, quando in te vocas Deum. Hoc eſt enim illũ inuocare, illum in te vocare, quodam modo eum in domum cordis tui inuitare. Nõ autem auderes tantum patrem familias inuitare, niſi noſſes ei habitaculũ præparare. Si enim tibi dicat Deus: Ecce inuocaſti me, venio ad te, quo intrabo? Tantas ſordes conſcientiæ tuę ſuſtinebo? Si ſeruum meum in domum tuam inuitares, nonne prius eam mundare curares? Inuocas me in cor tuum, & plenum eſt rapinis. Quo inuocatur Deus plenum eſt blaſphemijs, plenum eſt adulterijs, plenum eſt ira & fraudibus, plenum eſt malis concupiſcentijs, & inſuper plenum eſt inuidia, & inuocas me?

Idem in Pſal. 144.

Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis, quæ facit, Deus tibi placet, in omnibus malis, quę pateris, Deus tibi non diſplicet. Hoc eſt inuocare Deũ in veritate. Qui ſic inuocant Dominũ exaudit Deus, prope eſt, ibi eſt, nondum dedit quod vis, ibi eſt tamen.

II.

QVOTIES, ET VBI ORANDVM.

Ambroſius lib. 3. de Virginibus.

ORatio quoq; Deo nos crebra commendet. Si enim Propheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi, qui regni erat neceſſitatibus occupatus, quid nos facere oportet, qui legimus: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem? Certe ſolennes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ, cum è ſomno ſurgimus, cum prodimus, cum cibum paramus ſumere, cum ſumpſerimus, & hora incenſi, cum deniq; cubitum pergimus. Sed etiam in ipſo cubili volo Pſalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cũ euigilaueris, vel antequam corpus ſopor irriget, vt te in ipſo quietis exordio rerum ſecularium cura liberum, diuina meditantem, ſomnus inueniat. *Pſal. 118.*

Cyrillus Hieroſolymitanus pro Catecheſi.

Frequenter ora, vt Deus te dignum efficiat: neque interdiu neq; noctu ſis otioſus, & cum ſomnus ab oculis receſſerit, tunc mens vacet orationi. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam venire animaduerteris, ſuſcipe iudicij ſalutarem commemorationem: intende animum ad diſcendum, vt rerum turpium obliuiſcatur.

Hilarius in Pſalmum 63.

Vigilandum in oratione Dei eſt, & ſemper orandum, vt cum fatigari anima, & affligi ſubrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus ſemper oratus exaudiat, noſq; ab his, quæ timemus, eripiat.

Cyrillus Alexandrinus, lib. 5. cap. 14. in Iohan.

Poſt ſalutarem doctrinam tuibę communicatam, Ieſus receſſit in montem Oliueti, vt ſecretus à tumultu populi orationi vacaret: nobis in hoc relinquens exemplum, quod poſt proximorum inſtructionem ad orationem confugere debeamus, ſine importuno cogitationum ſtrepitu Deo in abſcondito effundẽdam, & poſt orationem curſum proximorum ſaluti vacare & intendere, vt prædicationi oratio, & orationi ſuccedat prædicatio.

Baſilius Magnus de vita ſolitaria.

Ipſe enim (Dominus) melius nouit, quid nobis conducat, quam nos ipſi. Et forſan ea de cauſa non ſtatim dat, vt ad aſſiduitatem te inſtituat, & vt diſcas quid ſit donum Dei, cuſtodiaſque datum cum timore. Nã quicquid multo labore acquiritur, ſtudioſe cuſtoditur, ne amittatur.

At dicis: Sæpenumero precatus ſum, nec tamen accepi. Omnino male

orasti, vel insufficienter vel animo inconstanti, vel non vtilia petendo. Si vero plerunque & vtilia petiisti, non tamen perseuerasti.

Hilarius in 5. Matthæi.

Clauso quoque cubiculi ostio iubemur orare, atque in omni loco preces fundere docemur, & Sanctorum oratio inter feras, carceres, flammas, & de profundo maris, ac bestiæ ventre susceptа est. Ergo non occulta domus, sed cordis nostri cubiculum ingredi, & clauso mentis nostræ secreto orare ad Deum, non multiloquio, sed conscientia admonemur.

Chrysostom. Homil. 8. in Matthæum.

Dominus non simulatam ac iactantem, sed simplicem orationem, ac fidelē requirit. Et ideo clauso ostio, id est, intra cordis & conscientiæ ipsius secretum, a Domino iubemur orare, vt ab eo, qui secretorum & occultorum est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem. Religiosæ enim mentis est, Deum non voce, vel sono vocis, sed deuotione animi, ac fide cordis orare.

Idem.

Non quæritur locus, sed deuotio mentis. Homil. 17. in Matthæum.

Idem, de orando Deo, Tomo 5.

Quapropter oportet & stratis relictis, diuino cultu prævenire Solis exortum, & cum ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potius oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus diei cursum æquet. Cæterum hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus, multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimates, quod Dei cultui vacamus.

Diuus Augustines.

Quid supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris? Interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age semper, vt Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, vbi habitat, Sententia 333.

Ambros. 1. Romanorum:

Non locus orationem commendat, sed deuotus animus.

III.

QVID A DEO PETENDVM, ET quis orationis fructus.

August. de salutaribus documentis, cap. 45.

IN omni oratione & obsecratione Domini voluntatem, in te, non tuam deprecare fieri: & secundum Apostoli præceptum, orare sine intermissione oportet, & sanctas manus sine ira, & disceptatione ad Deum leuare.

Origenes in epist. ad Rom. lib. 7. cap. 7.

Quid orare, quid a Deo petere oporteat, ignoramus, interdum enim quæ contraria saluti sunt cupimus, infirmitate cogente. Sicut enim quis in ægritudine corporis positus, non ea quæ sanitati conducunt, sed ea quæ præsens desiderium a Deo suggesserit, poscit a medico: ita & nos in huius seculi infirmitate languentes, interdum a Deo petimus, quod non expedit nobis.

Chrysost. 11. Genes. Homil. 30.

Siue consequamur quod petimus, siue non consequamur, perseueremus semper in oratione. Et nō solum gratias agamus si consequamur, sed etiam si repulsam passi fuerimus. Nam cum Deus aliquid nobis denegat, non minus est, quam si cōcessisset. Nescimus enim nos, quæ nobis condu-

cant,

cant, sicut ipse nouit. Itaque siue voti compotes, siue impotes simus, gratias agere debemus.

Ibidem.

Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, indeprædabile prædium, modo sobrii, & vndequaque mente nostra collecta, inimico; nostræ salutis nullo aditu permisso, Dominum adeamus.

Bernhard. de Orando.

Nemo vestrum fratres, paruipendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, non parui pendit eam. priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et vnum indubitanter e duobus sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Nos enim quid oremus sicut oportet nescimus.

Ibidem.

Sit oratio quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta: sit oratio quæ pro virtutibus est animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta: Sit ea, quæ sit pro æterna vita, in omni humilitate, præsumens de sola (vt dignum est) miseratione diuina.

Basilius Magnus de vita solitaria. cap. 2.

Vbi vero precationi institeris, ne alia pro aliis petas, ne Dominũ irrites, nec pecuniam, nec humanam gloriam, nec potentatum, nec aliud quicquã eorum, quæ dilabuntur petas, sed regnum Dei, & quæcunq; corpori necessaria sunt, ipse tibi Dominus exhibebit, quemadmodũ pollicitus est dicens: Quærite regnũ Dei & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Chrysostomus de orando.

Angelorum opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen maius est Angelorum dignitate colloquium miscere cum Deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cũ tremore vota sua offerentes, certum nobis exemplum præbentes, vnde sciamus ac discamus, quod quisquis Deum adit, multo cum gaudio, multoq; rursum cum tremore id facere oporteat. Tremore quidem, dum metuimus, ne videamur indigni qui Deum precibus alloquamur: rursus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus tanta ac tali sua cura dignatus sit; vt assidue diuino colloquio frui liceat: per quod etiam illud assequimur, vt & mortales & temporarii esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquio conuictuque, quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes. Necesse est enim, vt qui cum Deo familiaritatem habeat, superior euadat & morte, & omnibus quæ corruptioni sunt obnoxia.

Et ibidem.

Nam vere cœlestis est armatura deprecatio, quæ Deo funditur, solaque firmam custodiam præbet his, qui sese Deo tradiderunt. Siquidem cataphractorum & robur & peritiam, tum sagittariorum experientiam, atque in prodendo hoste calliditatem, sæpe numero ludit ac frustratur, vel ipsa belli facies, vel hostium fiducia, cumque his alia permulta. Cæterum deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum, nec vnquam fallens munimentum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hostium millia.

Ibidem.

Quid itaq; maius aut diuinius obtingere possit, quam deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat?

Hieronymus ad Damasum, Tom. 2.

Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Niniue ciuitas, quæ peccato perijt, fletibus stetit.

D. Hilarius super versum Psalmi 118. Clamaui ex toto corde meo.

Scit Propheta clamorem potius cordis oportere esse, non vocis, & idcirco corde clamat. Non hic elatæ vocis sonus est, neque corporalis auditio, sed clamor fidei, clamor mentis, vsque ad thronum Dei, non vocis, sed fidei spiritu efferendus. Ille enim ad Deum toto corde clamat, qui magna postulat, qui cœlestia precatur, qui æterna sperat, qui innocentis timoris viuit in officijs. Sic & in huius mundi exordio, iustus Abel etiam peremptus magna loquitur & clamat. Scriptū est enim: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Non humilis Sanctorum querela est, nec depressa fidelium oratio est. Altū est quod postulat, excelsum est quod spectat, clamore personum est, quod precatur. Vrgebat Pharao infestis populū Dei manibus, mare rubrum fugæ obsistebat. Conclusus vndique Israel, iam ad mortem vrgebatur, hoste proximo, mari obuio. Inter hæc nullam Mosi ad Deum vocem fuisse, scriptura testatur. Stabat mœstus, stabat tacens, sed secreto cordis sui personans, & orationis suę fidei clamans. Vox enim istud diuina testatur, dicens: Dixit autem Dominus ad Mosen, Quid proclamas ad me? Silebat vir ille, sed oratio fidei eius clamor ad Deum. Nouit & Apostolus, hunc in viris fidelibus spiritus esse clamorem, cum dicit: Spiritus enim in cordibus nostris clamat, Abba pater.

Cyprianus lib. 1 epist. 1.

Incumbamus gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritualia, & tela diuina, quæ protegunt.

Ambrosius lib. 1. Officiorum, cap. 41. de Macchabæis pueris.

Stetit inuicta septem puerorum cohors, Regis cincta leonibus: defecerunt supplicia, cesserunt tortores, non defecerunt Martyres. Alius eorum capitis exutus, speciem mutauerat, virtutem auxerat. Alius linguam iussus amputandam promere, respondit: Non solus Dominus audit loquentes, qui audiebat Mosen tacētem. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium.

IIII.

PRECES QVÆ A DEO NON exaudiantur.

Hilarius Psalm. 53.

DEspiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles, seculi curis anxiæ, & rerum corporalium desiderijs implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ.

Chrysostomus in caput Genes. 11. Homil. 30.

Proinde sobrij simus, & cogitationem omnem, quæ nos interturbare possit, repellamus, totique nitamur & loquamur, vt non solum verba, sed & mens, verborum comes, Deum accedant. Nam si lingua quidem proferat verba, mens autem foris sit, sua tractans negotia, & imaginans quæ in foro agantur, nulla nobis vtilitas est, forta ssis autem & maior condemnatio. Enimuero si, cum homines accedimus, tanto studio nostri curam agimus, vt prope stantes sæpenumero non videamus, sed colligimus mētem, & ad eum solum spectamus, quem accedimus, quanto magis apud Deum idem facere, continuo & iugiter precibus insistere congruit?

Hyeron. Matth. 7.

Si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur: Ergo cui non

datur,

datur,& qui non inuenit,& cui non aperitur:apparet,quod non bene petierit,quæfierit, pulsauerit. Pulsemus itaque ianuam Christi,de qua dictũ est:Hæc porta Domini,iusti intrabunt per eam,vt cum intrauerimus,aperiantur nobis thesauri absconditi, & tenebrosi,in Chtisto Iesu, in quo est omnis scientia.

Cyrillus in Iohannem lib.6.cap. 19.

Sed quomodo,dicet quispiam, Deus peccatores non exaudit? Exauditusne est Publicanus, qui in templo Dei a longe stans:& oculos in terram demittens,pectusque pugnis percutiens dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori? Cæterum exaudiuntur a Deo peccatores,si resipiscant a peccatis,si mala præterita lachrimis abluãt,& ex corde abnegant se esse quod fuerãt:translati enim per hoc sunt a morte ad vitam,a sinistra in dextram, ab iniustitia ad iustitiam. Eos vero qui perseuerãt in malitia sua, & præteritis peccatis quotidie noua accumulant, fiuntque indies deteriores, Deus minime exaudit, eorum preces abiicit & execratur, quemadmodum per Esaiam dicit: Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis:& cum multiplicaueritis orationem,non exaudiam,manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Et Hieremias ad Dominum: Nos inique egimus,& ad iracundiam prouocauimus,idcirco tu inexorabilis es. Oppositi nubem tibi,ne transeat oratio. Enimuero nubes illa, peccatorum nostrorum atra est densitas, obstaculum præbens, ne diuinas aures oratio nostra penetret.

Bernhard.de interiori domo, cap.19.

Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quis valeat postulata: hoc est, si aut mala quisquã committit,aut si delinquẽti in se nõ dimittit.

V.

PRECATIONI IVGITER INSTANDVM.

Chrysost.Genes.11 Homil.30.

NOstrum ergo sit opus,continuis insistere precibus, & non ægre ferre,si differatur quod petimus,sed longanimes esse. Neque enim renuens preces nostras differt,sed hac arte sedulos nos efficiens,ad semetipsum attrahere vult. Nam & pater,quamuis benignus, cum a puero rogatur,abnuit,quasi non volens dare,non vt neget, sed vt ardentius petat,& sibi magis concilietur.

Idem in Matth.cap.3. Homil.10.

Etsi non continuo accipimus,quod rogamus, nihilominus permaneamus petentes,vt mereamur accipere. Neque enim vult Dẽus sua dona differre, sed tardius dando quod petimus, instantiam nobis orationis indicit. Propterea & aliquandiu & annuere precantibus differt, & tribulationes iriuere permittit,vt ad ipsum & frequentius confugiamus,& expressius,nec ab eo discedamus aliquando. Tale aliquid faciunt amantiores filiorum parentes,cum paruulos suos viderint, a se quidem sæpe discedere, æqueuorum autem suorum lusibus detineri: præcipiunt famulis terribilia multa simulare,vt exagitati etiam metu paruuli, ad maternum sinum confugere festinent. Ita etiam Deus non modo ab aliis nos tribulari sæpe finit,sed nonnunquam etiam ipse plagam minatur,non vt eam in nos inducat,sed vt nos ad se potius adducat.

Idem cap.7. Homil.24.

Propterea quippe ostium clausum est,vt tu pulsare cogaris:idcirco non celeriter annuit,vt tu diutius inquiras. Permane igitur in quærendo atq; pulsando,& absque ambiguitate percipies.

Augustinus in Psal. 146.

Deum securus lauda, quem nemo potest dicere nō posse præstare, quod tu poteris desiderare. Proposita ergo spe mercedis alicuius laudare debemus Deum, non tamen daturum quicquid cupimus. Pater enim est, & quod mali cupiunt filij non dat. Laudemus, & speremus & desideremus, non illud aut illud, sed quod iudicat dandum esse, quem laudamus. Ille enim nouit, quid nobis dari expediat, nos autem intendamus, quid nobis prosit accipere.

Origenes super Exodum, Homilia 3. De efficacia precationis.

Quanto enim nos constantius & fortius steterimus, tanto infirmior & inualidior erit Pharao. Si autem nos vel infirmi cœperimus esse, vel dubij, ille aduersum nos validior & constantior fiet. Et vere illud impletur in nobis, in quo Moses dedit figuram. Cum enim ipse eleuaret manus, vincebatur Amelech. Ita ergo etiā nos in virtute crucis extollamus brachia, & eleuemus in oratione sanctas manus in omni loco, sine ira & disceptatione, &c.

Augustin. super Iohan. Tractatu 73.

Veruntamen orantes tanquam seminantes, non deficiamus, tempore enim proprio metemus, vt simul petamus, quando bene petimus, vt non faciat, quod non bene petimus, quia & ad hoc pertinet, quod in eadē oratione Dominica dicimus: Ne nos inferas in tentationem: neque enim est parua tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio.

Bernhardus Serm. 6. in Ascensione Domini.

Apostoli decem dies in hac expectatione sederunt, perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare, donec inuenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Nouit Dominus figmentum suum, non te patietur tentari supra id quam possis.

VI.

PRO ALIIS ETIAM ORANDVM.

Cyprianus lib. 4. Epist. 4.

VNusquisque oret Dominum, non pro se tantum, sed & pro omnibus fratribus, sicut Dominus Iesus orare nos docuit, vbi non singulis priuatam precem mandauit, sed commu..i & concordi prece orare pro omnibus iussit.

Augustin. in Psalmum 32.

Pro infirmis, pro carnaliter sapientibus, pro animalibus, & carnalib tamen, pro fratribus nostris eadem Sacramenta celebrantibus, & si non nobiscum eadem, tamen vnum Amen respondentibus, & si non nobiscum vnum Amē, hortamur medullas charitatis vestræ, fundatis ad Deum preces pro eis.

De eleuatione manuum Chrysostomus de oratione; Homil. 86.

Quid enim manuum in oratione vult extensio? Hæ multis sceleribus ministerium exhibent. Et propterea iubemur eas extollere, vt orationis ministerium sit eis vinculum nequitiæ, & à malitia separatio, vt cum rapturus, vel oppressurus, vel alterum sis percussurus; recorderis, quod has ad Deum pro patronis emisurus es, & per has illud spirituale sacrificium offerre debeas, nec illas confundere, nec actionis prauę ministerio fiducia priuare. Eas igitur emunda per Eleemosynam, per misericordiam, per indigentium tutelam. Et ita eas offer ad orationem.

DE

DE ANGELIS.

PRopheta Dauid Psalmo 34. Castra, inquit, figit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Ea sane Dei est bonitas, vt fideles suos, qui verbum eius sedulo audiũt, id puro corde, firmaque fide custodiunt, & secundum illud vitam suam instituunt, aduersus furorem omnesq; Satanæ impetus & insidias clementer Angelorum præsertim ministerio protegat. Quare de sanctis Angelis eorumque beneficijs, quibus humanum genus prosequuntur, exempla quædam subnectemus.

Venerunt duo Angeli Sodomam ad Lothum, percusserunt incolas cæcitate, & mane eduxerunt Lothum e ciuitate, Genes. 19.

Angelus Domini de cœlo vocat Abrahamum, prohibens immolare filium Isaacum, ipsiq; pro obedientia, quam erga Deum testatus fuerat, remunerationem promittit amplissimam. Genes. 22. Iacob Angelos Dei obuiam habet. Genes. 32.

Angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel. Exod. 14.

Angelus Domini stetit in via contra Baalam. Num. 22.

Angelus Domini apparet Gedeoni, eum cõfortat, ducemq; constituit, qui populum Israel de manibus Madianitarum liberet. Iudic. 6.

Angelus Domini in agro Manues vxori sterili, hinc etiam ipsi Manuæ apparet, eosque de filio nasciturο Sampsone, qui populum Israel liberaturus sit, certiores reddit. Iud. 13.

Angelus Domini populum peruetiẽs pestilentiâ, apparet Dauidi, dixitque Dauid ad Dominum: Ego sum qui peccaui, &c. 2. Reg. 24.

Angelus Domini Eliam Prophetam cibo & potu reficit, & in fortitudine cibi illius ambulauit Elias 40. diebus, & 40 noctibus, vsque ad montem Dei Horeb. 3. Reg. 19.

Multæ Angelorum legiones Prophetam Elisæum cingunt, quare orat Dominum, vt oculi quoque pueri sui aperiantur, vt & illi, quantis essent circundati copijs, videre liceret. 4. Reg. 6.

Angelus Domini in vna nocte in castris Assyriorum occidit centum octoginta quinque millia virorum. 4. Reg. 19.

Angelus Domini in ardẽte fornace inter rapidissimos flammæ ardores conseruat Sadrach, Mesach, & Abednego. Daniel. 3.

Angelus Domini Danielem in foueam leonum coniectum, aduersus immanissimorum leonum sæuitiam tuetur. Daniel. 10. 11. 14.

Angelus Gabriel Zachariæ annunciat, vxorem eius fore grauidam, & parituram filium Ioannem.

Idem virgini Mariæ annunciat, ex ipsa nasciturum mundi Saluatorem, Iesum Christum. Lucæ 1.

Angelus pastoribus annunciat Christi natiuitatem. Lucæ 2.

Angeli Christi Resurrectionem annunciant, ijdem de Christi in cœlos Ascensione concionantur. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. Act. 1. cap.

Angelus Domini Apostolos è carcere educit. Act. 5.

Petrum quoq; catenis vinctum e carcere liberat. Act. 12.

Angelus Domini diuum Paulũ in mari consolatur, & omnes qui cũ eo in naui erãt, inter furentes tempestates in ipso naufragio cõseruat, Act. 27.

Gainas homo Barbarus, ad Romanos transfuga, ex gregario milite prẽter expectationem, ad dignitatem ducum subuectus, sibi vendicare conabatur imperium Romanũ. Tandem cum Imperatore Arcadio pace inita, daroq; & accepto beneuolentiæ iureiurando, arma deposuit, & Constantinopolim traiecit, impetrata ab Imperatore tum equitũ tum peditũ præfectura. Verum res ille tam secundas nequaquã moderate tulit, sed ipsam

Gainas seditiosus.

quoque

quoque Ecclesiam turbare aggressus est. Erat enim ille Christianus quidem, sed ex barbarorum hæresi, qui Artium sectantur. Petiit itaq; ab imperatore, vt suæ sectæ homines, ex his, quæ in vrbe erant, vnam Ecclesiam haberent. Imperator inconstantiam animi eius metuens, Tyrannidemq; quam affectarer suspectam habens, deliberaturum se, eique consultuum esse recepit. Quibus cognitis Ioannes Chrysostomus, non diu acquieuit, sed adiunctis sibi Episcopis his, qui in vrbe erant, venit in palatium, & ad Imperatorem conuersus: Nec sic, inquit, ô Imperator, te facturũ esse pollicearis, neque ita sanctum canibus proiicere constitueris. Imperator his verbis delectatus, Gainam accersit, & simul Chrysostomum, qui præsente Gaina, magno animo, Non oportet, inquit, Principem quicquam contra Deum audere, siquidem vera pietas illi curę est: sed potius bene constitutas Leges seruare, & eam potissimum, quę contra hæreses promulgata est. His & plurib. aliis verbis Imperatorem confirmauit, Gainæ autem os obturauit, qui plenus iracundiæ iam infringere iusiurandum, & ciuitatem euertere cogitabat. Quare noctu turba Barbarorũ immissa, præcepit succendi palatium. Quo quidem tempore plane constabat, quam illa ciuitas Deo curæ esset. Nam multitudo Angelorum, qui speciem hominum armatorum corpora immani magnitudine habentium, præ se ferebãt, illis, qui insidias vastando palatio parauerant, visa fuit: quos Barbari ingentem reuera exercitum & strenuum esse suspicati, obstupefacti sunt, indeq; se subduxerunt. Quod postquã Gainæ nunciatum fuit, incredibile videbatur. Nocte igitur sequenti, & post etiam nõ semel alios misit. Vbi vero ad eum sæpius milites eo mittentem, eadem fuere relata: (Angeli enim Dei idem visum semper oculis insidiantium subiecerũt) tandem ille ipse cum ingenti manu illo profectus, de miraculo periculum facere voluit. Ac cum pro certo intelligeret, militum multitudinem esse, eamque interdiu delitescere, noctu autem eius conatui resistere: re infecta turpem capescens fugam, in Thraciam delatus est, vbi in Romanas copias forte incidens, ipse simul cum Barbaris, qui cum eo erant, interemptus est. Socrat. lib. 6. cap. 6. Sozom. lib. 8. cap. 4. Niceph lib. 13. cap. 4. & 5.

Ioannes Chrysostomus.

Pyastus angelos hospitio excepit.

Temporibus Pompilii, Polonorum Regis, hominis nefarii, viri duo, & vultu & habitu venerandi ad Regiam accedentes, se intromitti, & hospitio excipi petierunt. Verum a ianitore protinus repulsi sunt. Inde ergo digressi ad virum pietate præstantem Pyastum, omnium peregrinorum Patronum peruenere, ab eo tecto se recipi humiliter petierunt. Ille vna cum vxore omni cũ humanitate, animiq; prõptitudine eos excepit, protinusq; saginatum porcum, quem ad tonsuram filii (prout mos gentium fuit) reseruatat, mactauit. præterea seriam mulsi plenam relinens, potum quem habuit dulcissimum, eis apposuit. Verum dolium illud, quantumuis inde haurirent, non solum euacuatum est, sed mulsum vsq; auctum ebullit. Quare hospites isti, qui absque omni dubio Angeli fuere Dei, pio isti Pyasto iussere, vt vasa a vicinis commodato sumeret, quot habere posset, eaque mulso repleret. Pari autem modo caro vnius porci aucta est, vt decem arcas ea impleret. Tandem mandarunt viri isti suo hospiti Pyasto, vt ad tõsuram filii, Regem ipsum cum ministris suis supplex vocaret. Quod vbi factum, præsente Rege viri isti duo filium Pyasti ipsimet totõdere, nomenq; Semouiti ei imposuere. Præterea cibum appositum satis exilem, ministerio horum virorũ Deus ita auxit, vt omnibus qui aderãt, larga cibi copia suppeteret: deinde subito ex omnium oculis viri isti disparuere. Post mortem Pompilij (de qua infra in quinto Præcepto) duo isti hospites, ad Pyastum reuersi, hospicio se excipi petierunt, ei quoque significarunt, fore, vt post triduum Rex Polonorum declaretur. Adhæc suaserunt ei, vt vasculum illud cum mulso ante ædes reponeret, vt quicunq; potus indi-

gens, præteriret, sitim inde leuaret. Paruit ille hospitum consilio, nec potus in vasculo defecit, quemadmodum nec hydria, ne lecythus viduæ sareptanæ minuebatur. Postridie Regni proceres & vniuersus populus consentientibus suffragijs, Pyastum sibi Regem decernunt. Quod vbi resciit ille, animo vehementer turbatus, dignitatem istam admittere recusauit, minus se idoneum ad tale munus agnoscens. Sed ab hospitibus suis persuasus, triduo post Regni coronam accepit. Fuit hic Pyastus Rex simplex, iustus & erga omnes pari iustitiæ & æquitatis studio affectus. Quare in omnib. reb. diuina ipsi gratia & benedictio astitit. Chron. Polon. lib. 1. c. 12.

Puer Iudæi in clibano ardente seruatur.

Iustiniano imperium administrante Constantinopoli, puer quidam Iudæi vitio conficiendo vitam tolerantis filius, cum pueris Christianis ludum literarium frequentantibus, in templum deductus fuerat, vt reliquias Eucharistiæ (nam consuetudo erat, vt, si quid de Eucharistia reliquum esset, sacerdotes pueros incorruptos ex eis, qui ad Præceptores ad ludum literarium eunt, accerserent, qui ieiuni reliquias eas ederent) cum eis iumeret. Pater re noua audita, furore percitus, puerum arreptum, in clibanum ardentē, in quo vitrum formare solebat, conijcit. Mater eius rei ignara, puerum diutius absentem per totam vrbem flebilibus lamentis se dedens, quærit. Triduo autem post ad ostium officinæ viri sui consistens, luctu miserabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Atque ille materna voce agnita, respōsum e furno reddidit. Tum mater ostio furni fracto, cum miraculo maximo, in medijs prunis, puerum stantem vidit, ita prorsus incolumem, vt ne capillum quidem flamma læserit. Hæc postquam Iustinianus cognouit, puerum cum matre diuino regenerationis lauacro adhibuit, Deoq; dicauit. Patrem autem, qui recusauit, in numerum Christianorum adscribi, cruci suffigendum curauit. Niceph. libr. 17. cap. 25. Euag. lib. 4. cap. 35.

Antiochia terræ motu quassata.

Sub Imperatore Mauritio, Antiochia graui terræ motu concussa est, cuius meminit Euagrius lib. 6. cap 8. Niceph. lib. 18. cap. 13. Fertur autem hunc ad modum res acta: Ciuis quidam Antiochenus tāta erga pauperes & peregrinos erat beneficentia, vt nunquā vel prandere vel cœnare sustinuerit, nisi aliquem ex pauperibus sibi conuiuam haberet. Accidit autem vt aliquando vsq; ad vesperam circumiret, ex peregrinantibus vel pauperibus conuiuam quærens. Cumq; frustra eam sibi operam sumpsisset, tandem in medio foro conspicatus est virum ætate prægrandem, candida veste amictum, duosq; iuxta se habentem comites. Quem cum conuiuam sibi rogasset, respōdit ille: Non poteras o homo Dei cum nostro Simeone ciuitatis deprecari interitum? Quibus dictis, sudarium, quod manu tenebat, versus alteram ciuitatis partem excussit, eaq; protinus horrēdo motu concussa vna cum ædificiis & ciuibus interijt. Cumque idem sudarium versus alteram quoque ciuitatis partem excussurus esset, a suis comitibus vix tandem exoratus est, vt residuæ ciuitatis medietati parceret. Quæ cum ciuis iste vidisset, toto contremiscens corpore, obstupuit. Verum Senex ille candida amictus veste, eum consolatus est, eo quod domum, familiamque adhuc illæsam haberet, atq; integram. & mox tres isti viri disparuere. Casp. Hedion. lib. 5. cap. 16. Sigebert. in Chronic. Anno Domini 585.

Heraclii exercitus ab Angelo percussus.

Vltimo anno imperij sui, Heraclius, cum cōtra Agarenos ex portis Caspijs eduxisset copias, de gente sæuissima, quam Alexand. Magnus ob immanitatem sui, super mare Caspium inclusisse dicitur: Angelus Domini quinquaginta duo millia de exercitu eius concidit, quæ res tantum mœrorem ei fecit, vt eo extingueretur. Ottho Phrysingensis, libro quinto, capite nono, & Gotfridus Viterbiensis parte 16. Chronicorum. Centur. 7. capite 13.

In pago quodam vicino vrbi Cygneæ mulier filium suum boues in pro-

ximo syluæ aditu pascentes iussit adducere. Interim puero diutius absente, nix alta terram obtexit, nec puero, & ob noctem ingruentem, & denatam vndique niuem, ex montibus illis egredi licuit. Parentes postridie sollicíti, non amplius de bobus, sed de filij vita, eius aduentum anxie expectabant, nec præ niuis copia montana ascendere quæsitum filium poterant. Tertio die egredientes, puerum, de cuius salute desperarant, per nemus quærunt tandemque in aprico syluæ loco, quem nulla nix obtexerat, sedentem offendunt, parentibusque aduentantibus arridentem. Quærunt ex eo, cur domum reuerti non properet? Respondet ille, & temporis & frigoris nescius, & nulla parte corporis læsus, se expectare vespe-
ram. Quærunt rursus, Num etiam aliquid cibi sumsisset? Respondet puer: Quendam aduenisse virum, qui caseum sibi & panem porrexerit. Ita haud dubie puer iste Angelorum præsidio in ipsa bruma seruatus est. Et vir iste, qui ei panem & caseum porrexit, Dei fuit Angelus. Hæc ex viro gratissi-
deq; digno, cui veritas facti huius certo constet, sese audiuisse Philippus Melanch. affirmauit, quemadmodum refert Manl. in Collectaneis suis, lib. 1.

Puer ab Angelo seruatus.

Tyburtius Aretij præfectus, Pergentinum & Laurentium fratres, ne Christum prædicarent, suasionibus primum blanditijsque lactat. Vbi id parum successit, comprehensos fustibus verberari iubet, verberatium brachia arruerunt. In carcere conclusis, cibum denegat, ab Angelo aliti sunt. Eductos super ardentes prunas ambulare nudis pedibus cogit, vt super-
renam iuerunt illæsi. Allato Iouis simulachro, vt adorarent illud, minacíter hortatur. Illis autem Iesum inuocantibus, æneus Iupiter in puluerem solutus, perijt. Multi itaq; gentiles, cum illos dijs suis fortiores vidissent, ad Christum conuersi sunt. At impijssimus tyrannus, capite co-pottremo cædi iussit. M. Marul. Spalateus. lib. 2. cap. 8.

In conuentu Spirensi, qui fuit anno 1529. forte ex Academia Heidelbergensi expatiatus erat Grynæus. Ibi cum Fabrum Viennensem Episcopum audisset in concione quosdam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reuerenter salutat. Postea narrat, se non peru-
lantia aliqua, sed bono studio moueri, vt quædam dicat. Non detrectat Faber colloquium. Ibi Grynæus, dolere se, ait, quod vir instructus doctrina, & antecellens autoritate, confirmet errores palam contumelioso aduersus Deum, & quos constet manifestis testimoniis antiquitatis Ecclesiasticæ refutari posse. Scribit Irenæus Polycarpum solitum aures obstruere audientem portentosos errores hominum fanaticorum. Quo te animo, putas, audisset iam Polycarpus differentem: quid mus comedat, arrodens panem consecratum? Quis non deploret Ecclesiæ tenebras? Interpellat Faber plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat hic, sed placide fatetur, se Grynæum esse. Erat omnino Faber, vt multi norunt, flagitiose timidus in congressibus Doctorum, vel potius erat, vt veteri prouerbio dicebatur, Nullus, magnus, malus, piscis, id est, pauidus, procerus, insidiosus, & infans. Quare cum Grynæi eruditionem, eloquentiam, copiam, ardorem animi, præsertim in tali causa metueret, simulat se a Regé vocatum esse, nec esse nunc ocium ad disputationem de re omnium maxima pertexendam. Simulat se maxime cupidum esse & amicitiæ Grynæi & colloquij longioris. Et cum sua causa, tum propter Rempub. orare incipit, vt postridie ad se redeat, monstrat hospitium, & horam constituit: Grynæus serio hæc dici putans, non grauatim promittit. Relicto igitur Fabro, ad nos, inquit Philippus Melanchthon, recta accedit. Vix assederat mensæ, & recitauerat partem disputationis mihi & alijs. Cum ego assidés ad mé-

Grynæus ab Angelo monitus, imminiens vitat periculum.

sam,

sam, subito ex cœnaculi euocor. Hic me, nescio quis Senex, singularem gravitatem vultu, oratione & vestitu præ se ferens, nec quis fuerit vnquam rescisci potui, alloquitur, ac narrat, mox affuturos esse in hospitio nostro lictores, missos iussu Regis, apud quem Faber Grynæum accusasset, ad abducendum Grynæum in carcerem. Iubet vt statim ex vrbe discedat, ac hortatur ne contemnamur. Ita dicta salute Senex abit. Ego ad sodales redeo, iubeo vt surgant, ac narro, quid Senex nunciarit. Mox per publicam plateã deducimus Grynæum acceptum in medium agmen, & ad Rhenum pergimus, vbi nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam Grynæus cum suo comite in parua cymba trãsuectus est. Postea reuersi in hospitium, intelligimus statim aduisse lictores, cum nos exiguo spacio ab ea domo progressi essemus. Rem ita gestam esse, vt narraui, certum est, & norunt quidam boni viri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias Deo, quod nobis custodes Angelos addit, & eo tranquilliorib. animis vocationis officia obeamus. Philippus Melanchth. in explicatione decimi cap. Danielis Prophetæ.

Anno 1539. Iunij tertio, non procul à Sitta, graui sæuiente fame, matrona quædam pia duos habens filios, cum victu iam prorsus destituta esset, se suosque liberos mundo vestitu ornauit, & cum eis ad fontem egredi constituit, Deum ardentibus votis inuocans, vt famis ibi leuamen pro sua inexhausta bonitate afferret. Inter eundum vir quidam ipsi factus obuiam, placide eam salutat, colloquiisq; vltro citroque habitis, tandem ex ea quærit, num ergo ex fonte cibũ se capturam speret? Respondit mulier, Deo omnia sunt possibilia. Si per quadraginta annos filios Israel in deserto nutrire ei haud fuit difficile, qui ei difficile futurum sit & me meosque haustu aquæ nutrire? Hæc cum fidẽti animo proferret, ait ad illam vir iste, qui Dei haud dubie fuit Angelus: Ecce quoniam constans adeo fides tua est, domum redi, & tres farinæ medimnos reperies. Reuersa domum mulier, quod promissum erat, offendit.

Anno Domini 1529. in die S. Matthiæ, post Solis occasum, vehemens admodum tempestas Vratislauiam turbauit. Porro templum eius ciuitatis parochiale ad S. Elisabetham vetustam sibi turrim habebat impositam, cuius fastigium cupro & plumbo tectum, vastisque intertextũ trabibus, tanto templi structurã grauabat pondere, vt persæpe deliberarit Senatus, quomodo citra detrimentum tum ipsius templi, tum vicinarum ædium & hominum tuto possit amoueri, sed nec ipsi architecti ad consilium adhibiti, rationem vllam citra damnum fastigium turris deiiciendi inuenire potuerunt. Verum æternus Deus in turbinis istius vehementia, per suos profectos angelo fastigium illud ita soluit & inuertit, vt in ipso lapsu quasi duplicatum coiret, & citra vllum damnum in imam terrã decideret, nec vllam vicinarum ædium, quarum multæ templum cingunt, læderet, vnica excepta domuncula, cuius tecti extremitatem contriuit, nullo tamen hominum læso. Quin ruinam turris, qui domunculam istam inhabitabant, non obseruarunt. Nec alii, qui templo vicini erant, ruinæ istius impetum audiuere, cum extra ciuitatis mœnia horrendo fragore aër personuerit. Hac de re plura legantur in explicatione viceſimi noni Psalmi, Doctoris Ambrosij Moibani, qui tum temporis Ecclesiæ Vratislauiensis fuit pastor, aliaque plura Dei miracula ibidem recenset.

Ramiro Hispaniarum Rege, prælio aduersus Saracenos iuxta Calagurrim decernente, ab omnibus, qui interfuere, conspectus est Iacobus Apostolus albo vexillo Christianorum aciem antecedere, atque in fugam Saracenos vertere, meminit Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Cum Balduinus, Hierosolymorum Rex, ex Arabia regrederetur, frustra vrbem Bostrensem occupare adortus, eumque Turcæ acriter insectaren-

tur, atque in ea regione via aberrasset, biduo ab equite, qui rubens vexillum præferebat, ductus est. In vexillo autem crucis signum erat positum, longeque is exercitum anteibat, qui nusquam conspectus est, posteaquã incolumis Rex cum copiis in tutum se locum recepit. Campofulgos. libr. primo capite sexto.

Eo prælio quo Timotheum Iudas Machabæus vicit, quinq; in equis ornati aureis armis, apparuere, e quibus duo Machabæum defendebant, tres autem alij ante primam aciem acriter hostes inuadebant. 2. Mach. 10.

Item alio prælio, quo Iudæi contra Lysiam dimicauerunt, procedere in aere viderant duos equites, aureis ac candidissimis equis insignes, nõ minore fælicitate pro Iudæis, quam Castorem Pollucemq; apud Regillum lacum aduersus Thusculanos pugnare. 2. Machab. 11.

Cum aduersus Zenobiam prope Edessam Aurelianus Imperator certaret, & iã Romanus equitatus terga daret, pari admiratione, vt in superiori exemplo, in medio prælio perspecta est diuina imago Romanos ad prælium hortari. Itaque redintegrata a peditibus pugna victoriam de hostis manu Romani extorserunt. Campofulgos. lib. 1. cap. 6.

Cum Locrenses aduersus Crotoniatas dimicarent, in Locrensium acie perspecti sunt in candidissimis equis duo iuuenes, alios in prælio antecedere, parta victoria, nusquam postea visi: quæ victoria eodem momento, quo parta fuit, Athenis, Lacedæmone, atque Corinthi, etsi a Locris atque Crotone ea loca plurimum distant, declarata fuit. Ibidem.

Cum Attila, Rex Hunnorum, flagellum Dei se nominare solitus, cruentus Italiam peteret, euersisq; regiis Italiæ vribus, & vastatis circumquaque locis, Romam quoque pararet irrumpere, Leo Magnus Papa missu Valentiniani ad eum accessit, eumque precibus adeo mitem reddidit, vt illico, promissa pace firmissimã, ad Danubium nõ rediturus, abierit. Hinc a suis interrogatus, cur in omnibus adeo placidum atque obsequentem Romano Pontifici se exhibuisset, Respondit, per potentiam Dei territus sum. Non enim Papæ honorem exhibui, sed alium quendam vidi virum grauem, facie dotali veste insignem, qui nisi in omnibus Leoni præstarem obsequium, mortem mihi stricto gladio minaciter intentabat. In Pannoniam itaq; reuersus continuo domi nouas celebrauit nuptias, & ex crapula sanguinem fundens, rebus humanis euecssit, & humani generis diutinę vexationi finem aliquando vel mortuus attulit. Casp. Hedion. lib. 2. cap. 5. Chronolog. Funcij, lib. 7.

Impij apostatæ Iuliani milites virum quendam pium, ex fratribus, qui monasticam amplexi Philosophiam, rebus mũdanis valedicebant, in carcerem compegerãt. Quod ibi resciuit sanctus Apollonius, propere ad fratrem hunc contendit, eum consolaturus, & ad cõstantiam exhortaturus. Quod pietatis officium, cum ante fores carceris astans, captiuo fratri sedulo præstaret, forte interuenit Centurio, qui ira protinus excandescens, foribus carceris reserari iussis, ipsum quoq; Apollonium eo intrusit, foribusq; accurate obseratis, milites ante eas excubare iussit. Verum sub intempestam noctem Angelus Domini in clara luce cõspectus est, & carcerem citra laborem effregit. Quibus visis, excubitores in genua coram viris sanctis prouoluti, eos obtestabantur, vt liberet inde exirent. Nam satius esse, se in ipsorum locum succedere, mortemq; oppetere, quam tãtæ benignitati & custodiæ, qua Deus ipse eorum curam gerat, resistere. Mane etiam Centurio iunctos sibi habens viros nobiles aduentat, rogatq; Sanctos, vt propere inde discederent. Nam graui, inquit, terræmotu per hanc noctem domus mea collapsa, quosdam ex ministris fidissimis oppressit. Hunc ad modum diuinitus viri sancti liberati, Deum laudarunt, eiq; corde pio gratias egerunt. In vitis patrum, & in Vita Apollonij.

Sanctus Copres, vnus ex Patribus, cum aduersus Manicheum, qui suam impietatem passim omnibus inculcabat, disputaret, nec eius argutijs semper verbis posset satisfacere, tande iussit, vt in media platea ignem instrueret populus, per quem ambo ipsi transire vellent, & vter illesus id feciſſet, eius fidem, vt veram, amplectendam esse. Placet consilium vniuerso populo, ignis citra moram instruitur, Copres arreptum Manichæum per flãmam secum transire iubet. Manichæus sequi recusat, vnicuique seorsim ignem ingrediendum esse ait, & vt ipse Copres, cõsilij huius autor, præcederet, iubet. Qui protinus in nomine Iesu Christi in mediam flãmam ingressus est, ibique ex sanctorum Angelorum protectione illæsus aliquandiu perstitit. Quod vbi turba circumstans vidit, magna cum admiratione Deum laudauit, canens: Mirabilis Deus in Sanctis suis. Cumq; vrgetent, vt & Manichæus simili modo doctrinæ fideiq; suæ veritatem cõfirmaret, ille tergiuersatus, clam se inde propipere meditabatur. arreptum itaque vi in mediam flammã coniecere, vnde toto ambustus corpore, difficulter se euoluere potuit. Execrati itaque hominis vanitatem, eum vrbe eiecerunt, inquientes: Seductor ille viuus ardet. In vitis patrum.

Copris & Manichæi cuiusdam certamen.

Anno Domini milleſimo, quingẽteſimo, quinquageſimo tertio, in Tongenſis diœceſeos oppido Schilda, decima octaua Nouembris, vere, quod iam subnectemus, accidit: Ciuis in prædicto oppido, Vrbanus Ermtrant/ profundum in ædibus suis habuit puteum, sed aquis non admodum exundantem, in cuius fundo cum lapides aliquot excidiſſent, eos in locum suum reponendos, lapicidæ cuidam, Vrbano Hemberg/locauit. Qui cum machinis trabibusque pensilem sibi in puteo sedem construxiſſet, forte per scalas inde in imum puteum descendit, malleum ibi inter lapidum iuncturas relictum allaturus. Vix descenderat, & terra desuper cum annexis lapidibus vasta mole se demittens, puteum in imo complanat. & lapicidam post scalas stantem totum contegit. Omnes fatum eius dolentes, non vel minimum membrum in ipsius corpore integrum esse putabant, erant qui dicerent, puteum denuo effodiendum non esse, vt qui hominis factus esset sepulchrum. Sed magistratus minime in id consentiens, iussit vt terram amolirentur, & lapicidæ corpus in cœmeterium cõmune Christianorum sepulchrum reconderent. Itaque vicesima prima Nouembris terram amoliri cœperũt. A meridie, circiter secundam horam in vasto laborarunt saxo, cui cum subesse concauitatem intelligerent, prælongam demisere perticam, altitudinem vsque ad imum fundum exploraturi, per tica ista in nares lapicidæ defertur, qui adhuc incolumis, clamare cœpit & obsecrare, vt se ex præsenti eriperent periculo. Qui labori intenti erant, vt superstitem esse lapicidam cognouere, multo acrius quam ante labori incumbunt, donec hora noctis decima post scalas eum stantem, pedibusque terræ, quæ deciderat, immersum aspiciunt. Læti omnes extrahere eum aggrediuntur, sed ecce denuo terra desuper præcipitata eum obruit. Ibi vero omnes omnem sumi inanem operam putantes, labore supersedendum esse clamant, sed ex instinctu & iussu Consulis Iacobi Fabri, se labori denuo accingunt, donec circiter duodecimam noctis horam terra amota eum rursus adhuc viuum & illæsum offendunt, & è puteo incolumem, licet ibi sub terra per octuaginta octo horas defossus latuisset, extrahunt. Quis neget hãc certam in summo periculo Angelorum fuisse custodiam? Iobus Fincelius lib. 2.

Deuteronomij 32. Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo, & nõ est qui de manu mea possit eruere.

Baratanes Isdigerdis filius, Rex Persarum, Christianos acerbe exagitãs, magnis conatibus bellum aduersus Romanorum Imperatorem Theodo-

sium parabat: Narsæus ingentes iam conscripserat copias, in vrbe Nizibi, quæ est sita inter fines Persarum & Romanorum, hostes inuadendi occasionem opperiens. Cumq; Constantinopolitani anxio & solicito animo essent, & propter incertam belli fortunam ancipiti cura distracti: Angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negotia necessaria Constantinopolim ire cogebant, apparentes, iubent renunciare Constantinopolitanis, vt bono animo sint, precibus se dedant, & firmam in Deo spem ponant, Romanos victores fore, se enim administratores belli à Deo missos dicebant. Quibus promissis exitus etiam respondit. Nam Romani Persas in vrbem Nizibenorum conclusos obsidione cingunt, multosq; eorum trucidant. Adhæc Saracenis, quorum multæ myriades, duce Alamundaro, Isdigerdi armatu lere auxiliaria, tantum subito terrorem incussit Deus, vt Romanorum copias in ipsos derepente irruisse existimarēt, atq; cum inter se ipsos tumultuarentur, & non haberent quo aufugerent, ipsi se armatos præcipitarunt in fluuium Euphratem, in quo homines circiter centum millia submersi perierunt. Socrat. lib. 7. cap. 18.

Angeli Cōstantinopolitanis victoriam denūciant.

Benedictus Iunior.

In Campania Italiæ Benedictum Iuniorem, sanctitate clarum, Rex Totila pro Christo persequens, cum eum cum cella sua comburere voluisset, nec valuisset, in clibanum ardentem eum proiecit. Qui inde die altero illæsus, etiam vestibus illæsis, exiuit. Sigebert. in Chron. anno 538.

Berthārius, Longobardorum Rex, pulsus regno à Grimoaldo, in Britāniam nauigare constituit. Cumq; nauim ingressus in altum ferretur, vox à littore audita est: Reuertatur Berthārius in patriam suam, quia tertius est dies hodie, quod Grimoaldus Rex mortuus est. Qui naui ad littus retroacta, cum neminem ibi videret, vocem eam fuisse Angeli recte suspicatus est, statim itaq; reuersus, regnum Longobardorum obtinuit. Regino lib. 1. Paul. Diaconus lib. 5. cap. 13. Sabellicus lib. 8. cap. 6.

Dē Grimoaldo & Berthario plura inferius in quinto Præcepto de amicitia. Porro Grimoaldus hunc ad modum vitam finiit: Nono die, postea quam Medicis curantibus, in lacerto venam aperuerat, cum arcu columbam peteret, aperta repente vena, tantum effudit sanguinis, vt sanguine vitam quoque amiserit.

Comes Holsatiæ nouissimus Henricus rebus omnibus per Holsatiam rite ordinatis, sub ingraueſcentem ætatem relicto bellicarum rerum studio, monasteria sedulo visitabat. Qui cum aliquando in monasterio Bordesholm, fratribus, quos Regulares vocant, in templo concinentibus, vocem audiret admodū gracilem, dubitaretq; Angeline an hominis ea vox esset? Rogauit fratres, vt suis precibus Deum exorarent, vt ex diuina gratia vocem istam exactius assequi sibi liceret. Petitioni eius obsequuntur fratres, cumq; deinde exactius attenderet, vocem audiuit fratribus concinētem. Qua de causa lætatus, monasteriū illud insigni dono honestauit, villam Loep cum omni iure ei addicens, Albert. Krantz lib. 10. cap. 36. Num bonus, an vero malus fuerit iste Angelus, Deus explorātum habet, præterea bonis prudentibusq; viris id diiudicandum relinquo.

Duces Saxoniæ, Fridericus & Iohannes fratres, aliquando in Albi Torga V Vitebergam vsq; nauigarunt. Cumq; reces solutę glaciei magna moles aquis innataret, ita nauim vtrinq; quassauit, vt cum V Viteberga in ripam vicinam essent egressi, carina nauis fissa, & asseres dissoluti diffluxerint. Intuentur igitur spectaculum Principes, stantes in ripa cum magna admiratione, cogitantes quāto in periculo fuerint: agnoscunt diuina ope nauim esse seruatam, donec ipsi egressi essent. Deniq; post longum silētium inquit Dux Fredericus ad fratrem: Fateamur nos esse seruatos diuinitus, & grati beneficium Dei celebremus, qui nos in hoc periculo, & in alijs protexit. Quod autem nobis egressis nauis dilacerata sit, profectō me-

tuo post nos nostræ nauis, id est domus Saconicæ dilacerationem portendere.

Ea profectione, qua postremo patriam suã Islebiam visitauit Martinus Lutherus, vbi pie etiam in Christo obdormiuit, Halæ per triduum propter aquarum inundationes detentus est. Tandem vicesimo octauo Ianuarij, cum tribus suis filiis, & Doctore Iona seniore, maximo cum periculo fluuium traiecit, vbi magnitudinem periculi, in quo versabatur, considerãs, Doctorem Ionam his verbis compellabat: Quam gratus hic Satanæ ludus & triumphus futurus sit, si cum tribus hic filiis, & tecum in aquis submergerer? Verum clementer eum per suos Angelos in hoc periculo protexit Deus benignissimus.

Anno Domini millesimo, quingentesimo, quinquagesimo sexto, in die S. Iohannis circa vesperam, subito horrenda tempestas mare Septentrionale infra Nortuuegiam, vehementissime turbauit, complurescque naues, partim fluctibus oppressas, partim acutis illisas scopulis, perdidit. Sæuiente ea tempestate, gubernator peritus, ætate grandis, qui omnem fere ætatem in mari consumpserat, malum subinde conscendit, vt solutis rudentibus vela demitteret, quem magna vi arreptũ ventus in mare procul præcipitauit, nauis autem inter immanissimos luctantium ventorum turbines, per ea saxorum præcipitia, & rupturas, per quas nulla etiam sæuiente tempestate nauis citra periculum haudquaquam ferri possit, illæsa tandẽ ex diuino auxilio in portum appulsa est, omnibus summopere admirantibus, eam in minutulas partes non fuisse contritam. Vbi Deus protector est, ibi nullum obesse poterit periculum.

Anno millesimo, quingẽtesimo, quinquagesimo octauo, horrenda admodum in Thuringia sæuijt tempestas, miserandam hinc indè stragem edens: Burckthonnæ cõplures domos, horrea, aliaq; ædificia ex imo fundo soluta diruit, plurimas arbores radicitus euulsas auexit, momento citius circiter quadraginta personas, viros, fœminas, inter quas etiam fuere aliquot puerperæ, pueros, infantes submersos fluctibus extinxit. In ista vndarum grassatione, insigne & miraculosum diuinæ, quæ per sanctos fit Angelos, protectionis exemplum fuit exhibitum. Irruebat sæuientium aquarum impetus in pauperis viri ædes, in quibus puerpera decumbebat, ante horas aliquot enixa infantulum, eas prosternit, rudera dissecta auehit, puerperam submergit, infantulum quoq;, cui lucis aspiciendæ vix data fuerat copia, aufert, qui tamen ex diuina prouidentia, & Angelorũ protectione conseruatur. Nam cum per aliquot iugera pandæ impositus vrnę auectus esset, in dependente pomi arboris ramo tenetur, eiusq; ferulis licet fragilibus admodum fultus quiescit, ibiq; cum immanissima tempestatis sæuities, vndarumq; impetus deferbuisset, illæsus inuentus est. Præsens Angelorum hęc fuit potentia & protectio, vt neq; vndarum fremitu, neq; collabẽtium ædificiorum ruina, infantulus perierit. & quidem nulla arte humana ramo sic fulciri potuisset vrna, vt illic nullo etiam vento, nullo fluctuum impetu grassante, firmiter hæreret. Verum æternus Deus, cui omnia sunt possibilia, se ipsa verum esse demonstrauit, quod vulgo dicitur: Vbi desinit humanum auxilium, ibi incipit diuinum.

SIMILE EXEMPLVM DESCRIBIT H. Husanus I. C. in Carmine de Angelis, hisce versibus:

IPse puer quondam Thuringos inter & Hessos,
Vrbs vbi de ferro nomen adepta iacet,

Quæ mihi nascenti vitales præbuit auras,
Isidu, vt perhibent, ædificata manus.
Quaq; arguta cient per amœnas murmura valles
Nessus, & irriguis Horselus vber aquis.
Imbribus assiduis duo flumina crescere vidi,
Perq; liquefactas aucta tumere niues.
Limitibusq; effusa suis spatiataq; late,
Omne paludosis rus operire vadis.
Et pecudes, pecudumq; habitata mapalia turbæ,
Cumque sua raptas voluere plebe domos.
Non erat armentis ibi fortibus vtile robur,
Non ibi veloces esse iuuabat equos.
Omnia stagnabant, peregrinaq; aduena passim
Iunxerat insuetis fontibus humor aquas.
Turbineo vero qua vertice plurimus ibat,
Iam socia currens amnu vterq; via.
Et qua contorquens auulsas vndiq; prædas,
Crebra per ablutam saxa rotabat humum.
Quis puret? Hic cunæ cum paruo infante natabant,
Quas fluuius tergo dulce vehebat onus.
Cumq; vacillarent insani fluminis æstu,
Vt ratis in tumido claudicat icta foto:
Non tamen hs fluctus vis vllius vlla nocebat,
Sed puer in medio funere viuus erat.
Donec adhærerent nudæ cunabula ripæ,
Parua, sed hospitij maxima iure sui.
Dic sapiens, qui cuncta Dei miracula rides,
Quæq; tua pugnant cum ratione negas:
Dic, age, quis rapidis hanc cymbam rexit in vndis,
Arcuit & cumulos assilientis aquæ?
Venturæ quis strauit iter, prestitq; procellæ,
Vt placida posset currere tuta via?
Nemo mihi casum, fortunam nemo loquatur,
Res hæc Angelicam testificatur opem.
Testificatur opem, qua non contingere casu,
Numinis æterni nec sine mente potest.
Quoq; minus dubites, oculis præsentia lustres:
Hæc ætas etiam quo probet illud, habet.
Non alias adeo sæui fremuere tyranni,
Non alias iustos tot petiere minis.
Dum te Christe throno Patris exturbare laborant,
Notitiamq; student obtenebrare tui.
At chorus expansis nos cœlitus obtegit alis,
Et mundi fabricas non sinit esse ratas.
Hinc fluit, & retro sublapsa potentia fertur,
Quam Reges audent opposuisse Deo.
Hinc velut aduersas perrumpens fortiter auras,
Tendit ad obstantem missa sagitta scopum:
Sic vox vera Dei, quam nostra voce sonamus,
Per medias victrix itq; reditq; minas.

Andreas

Andreas Mercker/ *diuinitus ex vndis ereptus.*

ANdreas Theobaldus, alias Mercker dictus, in funebri quadam concione de cruce refert, se adolescentem Perlebergæ, militarium equorum impetu impulsum, in profundum flumen de ponte delapsum esse, & quidem ternis se vicibus in vndis periclitatum, glacieq; tectum fuisse, primo Seehusij, deinde VVitenbergæ, post Perlebergæ, vbi se non sine omnium stupore secundo flumine sub glacie actum, vsque ad molendinum, aquis, quæ ob rapidum fluminis decursum ad impellendas rotas, minus ibi frigore constrictæ fuerant, emersisse, diuinitus conseruatum.

Infans in vndis conseruatus in Misnia.

Non procul a Friburga Misniæ, in pago, quem vocant zum Henichen/ textoris filiolus in vestibulo ædium patris sui ambulans, in alueum, per quem aquæ ad molendini rotas impellendas feruntur, decidit, secundoq; amni, qui & infra domum, qua tectus est, hinc etiam subter pontem labitur, spatio quidem tanto, quo vel decies absque diuina protectione submersus interijsset, ad ipsas rotas agitur, vbi tenellis manibus obicem aquis obiectum arripit, vociferans ab anu auditur, vndisq; incolumis eripitur. Nequaquam certe suarum manuum viriculis aduersus præcipitem aquarum decursum infans se tueri potuisset, sed misericors Deus in tempore necessitatis firmus est protector & opitulator.

Infans vndis ereptus Rotenburgi ad Salam.

Rotenburgi ad Salam, decimo Martij, anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo quinto, mane circiter horam septimam, quæstor eius loci, arcem ingressurus, per pontem transijt. quæstoris filiolus, qui patrem comitabatur, in ponte restitit, aquarum tum exundantium impetum intuitus, & dum incautius fimum pontis extremitati adhærentem, pedibus amolitur, ipse minus firmiter in loco lubrico consistens, in aquas decidit. Sonum audit piscator in horto ponti vicino degens, propere per arcem ad pontem tendit, vitæq; posthabito discrimine per trabes molendini rotis oppositas flumini se committit, puerum aquarum impetu iam ad muros arcis actum excipit, & cum irrito primum labore puerum apprehendere conatus esset, veste pueri, quam arripuerat, a corpore auulsa, altera vice pede arreptum, non citra vitæ periculum, semimortuum aquis extraxit, matrique animo consternato ripæ astanti reddidit. Duabus elapsis horis puer ad se redijt, & loqui denuo cœpit, post biduum integræ sanitati restitutus. Deo Opt. Max. sit laus, honor, & gratiarum actio, qui tenellæ ætatis, & Ecclesiæ suæ curam suscipiens, eam in summis & extremis periculis protegit, liberat & conseruat.

Diuinitus aliquot in pago Gröss conseruati.

In vigilia Paschatis, anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo quinto, post horribilem sæuientium tempestatum impetum, tonitrua, grandinem, fulmina, fulgetra, incendia, horrenda admodum & immanis aquarum exundatio in pago Gröss / diœceseos Friburgensis in Misnia exorta, torrentibus vndique cum præcipiti impetu ruentibus, grauissimam stragem hominibus, pecoribus, ædificijs, horreis frumenti plenis, intulit. In oppido Gröss / ædes quadraginta vna cum hypocaustis, horreis, stabulis, parietibus, sepib. prostratæ, diuulsæ, disiectæ, & aquarũ impetu auectæ sunt. In hoc grassantium aquarum fremitu, benignissimus Deus suam etiã gratiam & protectionem ostendit. Nam præter vnicum puerum, qui aquarũ impetu arreptus perijt, nemo in tanto aquarum incursu improuiso, ædificiorumque fragore & ruina portentosa interijt. Et in tantis angustijs miraculose per sanctos Dei Angelos aliquot personæ sunt conseruatæ, nempe fœmina quædã cum duob. infantib in straminis congesta strue, quæ, li-

cet totũ ædificium ruina miseranda collaberetur, immota perstitit. Duo pueri in salicto, fœmina cum infantulo scalarũ innitens gradibus, præterea, quidam oculis captus, qui ipsemet salutis suæ nescius, in vestibulo ædium suarum conseruatus est. & cõplures alios in tectis, superioribusq; domorum pauimentis in isto periculo misericors Pater protexit.

Diuinæ protectionis exemplum, eadem tempestate grassante Islebiæ.

Cum ingens aquarum moles circa vesperam die & anno præmemorato in Islebiam irrumperet, domum Bartholdi Vogt ciuis honesti, ex aduerso templi ad Spiritum sanctum, quasi facto agmine petijt, anteriorem domus & hypocausti partem protinus diruit. Cubabat in hypocausto cunis impositus infans, quem in subito terrore ex vndarum cunas iam concutientium fremitu vterque parens arreptum non sine vitæ discrimine, superato aquarum impetu, in vicini Michaelis fabri domum detulere. Verum quatuor adhuc alij eorum liberi in superiore domus parte in loctis cubabant. De quorum salute pater anxie solicitus, denuo se periculo objicit, & in ædes quibus poterat modis ingressus, magnisque superatis difficultatibus in cubile ascendens, duos ex liberis trepidus comprehendit, sed protinus pauimentum, cui insistebat soluitur, vt cum filiis quos vinis complexũs fuerat, in aquas incideret, quarum impetu per atrium, hinc etiam per vestibulum actus, tandem palo adhæsit, vbi per horam ferme dimidiatam se duosque filios sustinuit, altaque voce vicinorum auxilium implorauit. Sed nemo in tanto sæuientium vndarũ fremitu ipsi succurrere valuit. Omni itaque humana ope destitutus, & de sua suorumq; liberorũ salute spe omnẽ abiiciens, se & liberos diuinæ clementiæ cõmendauit, interim memor Prophetæ Ionæ, quem omnipotens & misericors Deus in vasto mari, & balenæ vtero, conseruarat, eoq; exemplo se erigens, ardentiꝰ us ad Deum clamauit. Interim trabs quadrifida fluctuum vi allapsa alterum filiorum e manibus ipsi extorsit. Hinc & altera violentiore impetu subsecuta, eum cum infante, quem manu tenebat, a palo auulsum, in hortum, qui pone ædes erat, raptauit. Vbi cum vadum reperiret, capite tantũ vndis eminente, constitit, alteriusq; infantis, quem amiserat, memor, vndiq; circumspexit, clara voce eum inclamans. Quem respondentẽ audiuit, & simul prægrãdi ligno insidente prospexit. Itaq; ad eum recta festinat, hinc vtroq; filio humeris imposito, ad ingentẽ lignorum struem contendit, quam conscendens, ibi cum filijs quieuit, donec mane circa horã tertiã, sedato iam vndarum furore, vtrumq; tum frigore, tum terrore, tantum non exanimes in vicini Michaelis Fabri hypocaustum deportatos recreauit. Reliqui duo ex liberis, qui domi in lecto remanserant, itidem ex diuina bonitate & potentia conseruati sunt. Ad quos, perfracto vicini parietẽ, cum pater accessisset, saluos eos in lecto dormientes offendit, diuina potentia domus eam partem sustentante, cum õnia circumquaq; essent soluta, confracta, & fluctuum impetu hinc inde disiecta. Verum vt primũ cum infantibus e cubili egressus est pater, & per effossũ parietem periculũ euasit, pars domus residua, lectus, & cubile, cũ fragore corruit, vt omnibus liquido appareret, per diuinã gratiã, ruinosam domus partem, tandiu, donec teneræ ætatis saluti consuleretur, sustentatam fuisse. Tanto etiam impetu in reliquas vicinorũ domos aquarũ ista moles sæuiit, vt de omniũ incolarum salute actum esset, nisi ex singulari diuinæ bonitatis misericordia protecti fuissent. Et sane in Bartholdo isto Vogt eiusq; liberis memorabile exemplum diuinæ Prouidentiæ, Angelorumq; custodiæ & protectionis, ob oculos nobis ponitur, docẽs, eius & bonitatis & potentiæ Deũ esse, qui vrgente necessitate præsens adsit, quiq; nos iuuare & velit & possit, cum omnium hominum & creaturarum auxilio destituti sumus.

Anno Domini 1558. Mechelrodæ res portentosa accidit, multorum fide

dignorum testimoniis confirmata. Vesperi circa nonã horam, vir quidam candida veste amictus, canem etiam candidũ habens comitem, fores ædium, quas fœmina honesta quidem, sed pauper incolebat pulsans, matronam nomine appellans euocat. Quæ cum putaret se a marito suo, qui diu peregre abfuerat, vocari, propere aperuit, viroque isti in occursum exijt. Qui apprehensam eam brachio interrogat, in quemnam crederet? Respõdit illa, in Christum. Iubet ergo vt se sequatur. Quod cũ illa recusaret, iussit eam bono esse animo, precibusque firmiter addictam, nequicquam damni ipsi euenturum, & his dictis, eam per nemus nocte ista abduxit. Postridie vero circa meridiem in monte vastissimo circumduxit, eique talia ostendit, quæ nec verbis exprimere, nec vlli hominum reuelare potuit. Post quam visionem mulierem ad sua reuerti iussit, hominibusque pœnitentiam prædicare, quam nisi acturi essent, imminere orbi graue incendiũ, præcepit quoque, vt per octiduum domi quiesceret, quo elapso, se ad eam reuersurum. His peractis, ante pagum mane inuenta est mulier, domumque abducta, per octo dies continuos cibi potusque expers iacuit. Cum vicini & amici eam hortarentur, vt cibo se reficeret, respondit, se defatigatam prorsus esse, sibi quiete nihil esse gratius, elapso octiduo, reuersurum virum istum, per quem abducta fuerit, & tum cibũ se assumpturam. Quod ita factum est. Sed diu ab eo tempore mulier decubuit, & sæpe inter graues gemitus exclamauit: O quanta illius vitæ gaudia, o quanta in his terris miseria: Cum ex ea quæreretur, num candidum istum virum, bonum an vero malum iudicaret Angelum? cum diabolus in Angelum lucis se transformare soleat? Respondebat, Nequaquam malum, sed sanctum Dei Angelum eum iudico, quippe qui mandarat mihi, vt sedulo orarem, hominibusque pœnitentiam annunciarem. Interrogata, quænam fides sua esset? Respondebat: Miseram me agnosco peccatricem, sed credo, Christum mihi per suam passionem & mortem peccatorum remissionem contiliasse. Ad hæc verbi diuini minister eius loci, Iohannes Buchenland / hoc ei perhibebat testimonium, quod pietatis vsque fuerit studiosa, omnibus fidei exercitiis sancte addicta, quin etiam diserte fidei suæ rationem ex sacra Catechesi reddere potuerit. Iob. Fincel lib. 3. de Miraculis. De hac visione quid iudicandum sit, vnicuiq; Christiano liberum relinquimus.

De Angelis verba Lutheri, in Colloquijs.

Duplices esse Spiritus, ex historia Euangelica notum est: Nempe Angelos Dei, Deo ac hominibus vtiliter ministrantes: & Spiritus immundos, hostes Dei, & generis humani.

Angeli boni & mali.

Extra cœlum nihil est. Angeli autem sunt proximi nobis & creaturis, quas mandato Dei conseruant, ne a diabolis lædantur. Simul vident faciẽ Dei, & stant in conspectu Dei. Quod si Satan aliquis nobis nocere parat, Angelus eum repellit: Habet enim longas manus, adeoq; vt si in conspectu Dei sit, aut iuxta Solem, attamen citra negotiũ ad nos pertingere possit. Diaboli etiam sunt prope nos, & insidiantur singulis momentis vitæ ac saluti nostræ: Non autẽ possunt efficere quod volunt, propter Angelorum tutelam. Sunt autem multi diaboli in syluis, aquis, locis palustribus, desertis, vt noceant hominibus, nonnulli etiam in nigris & densis nubibus, qui tempestates, grandines, fulmina excitant, & iaculantur, atq; aerem inficiunt, quod si perfecerunt, hoc Philosophi & Medici naturæ imputant, & nescio quas causas harum pestium ac malorum adducunt.

Angelorum custodia.

Non esset bonum, si sciremus tam acrem esse pugnam Angelorum pro nobis contra Satanã: nam animo deficeremus, si videremus tantum labo-

ris incũbere tot Angelis contra vnum diabolum. Ideo Scriptura tantũ dicit, Angelis suis mandauit de te, q.d. Ne sis sollicitus, ne dubites, aut desperes. Certum est enim Angelos te tueri, noli cogitare aut sollicitus esse, quomodo id fiat, aut quã acriter pro te pugnent. Est enim Angelus substantia creata spiritualis, quę est persona sine corpore, destinata ad ministeria cœlestis Ecclesiæ: item Politiæ, & Oeconomiæ. Ex colloq. D. M. Lutheri.

Clemens Strom. lib. 2. ait, Diabolum causas peccatorum seruis Dei suggerere, atque astute hoc moliri, vt ipsi quoque secum cadant.

APPARITIONIBVS NON credendum.

Diabolus magnam & vultu & habitu sanctitatem præ se ferens, Patrem quendam pietate & annis spectabilem accessit: Ego, inquiens, Christus sum, cur oculos occludis, meq; intueri horres? Ad quæ ille: Christum in tali specie in hac vita non videbo, sed in alia vita.

2. Rursus ad alium quendam, cui verba dare satagebat, diabolus inquit: Christumne videre expetis? Cui respondit ille: Vos cum vestro Christo execror, Ego autem in Christum Dominum meum credo, qui ait: Si quis dixerit, hic est Christus, vel illic, nolite credere.

3. Frater quidam in eremo vitam degens, turpiter a Satana deceptus illudebatur. Interim putabat, se sanctorum frui conspectu & commercio. Habebat autem patrem, qui frequenter eum in Eremo inuisere consueuerat. Qui cum die quodam, pro more, filium accessurus per nemus iter faceret, securim humeris impositam gestans, vt, cum reuerteretur, ligna resecaret, eaque secum domum auferret: Diabolus Angelica specie assumpta, fratrem accedit, & antequam pater in eius conspectum veniret: En, inquit, Satanas patris tui assumpta specie te accedit, humerisque gestat securim, qua te trucidare constituit. Quare fortis esto in fide, & prior securi e manibus eius erepta ipsum tu occide. Aduentante itaque patre, filius arrepta protinus securi, eum occidit, prorsus ita per sanctitatem, quam sibi elegerat, in Satanæ retia incidens.

4. Effascinarat Satanas oculos parentum, qui in pia simplicitate vitam honestam agebant, vt prorsus filiam suam in vaccam esse transformatam putarent. Naturale vaccæ corpus spectabant, vaccæ cornua, collum, crura, cutem attrectabant, nec tamen puellæ vlla facta erat transformatio. Quare parentes magno cum dolore animi S. Macarium accedunt, eique crucem suam reuelant, quin & filiam, quam vaccam esse dicebant, secũ adducunt. Ibi Macarius, cuius oculi haud erant effascinati, Nullam, inquit, vaccam ego video, sed decoram virginẽ. Contra parẽtes vaccam esse affirmabant. Macarius itaque Deum orabat, vt parentum oculos aperire dignaretur. Viri sancti preces Deus exaudit, parentum oculos aperit, qui protinus filiam suam integra & incorrupta forma aspiciũt. Prestigiarum nempe artifex est Satanas, qui cum internos hominum sensus excæcare possit, quanto ipsi facilius erit externos sensus effascinare? In vita Macarij.

5. Fratri cuidam pietatis studioso, Satanas in forma Angeli lucis apparebat, dicens: Ego sum Angelus Gabriel. Cur oculos occludis, meque aspicere dubitas? Ad quem ille: Vide ne erres, forte ad alium missus es. Haud enim ego dignus sum, ad quem Angelus visibili specie mittatur. His auditis, Satanas disparuit.

6. Frater quidam diu a Satana illusus fuerat, & de multis sæpe reb. edoctus. Quare omnino sibi persuasum habebat, eum Angelum esse iustitiæ. Noctu tanta claritate eius implebat cellulam, vt nullo vnquam alio indigeret lumine. Tandem præcipit ei Satanas, Angeli specie apparens, vt filium

um suum, qui vna in eodem erat cœnobio, Deo immolaret, vt eandem cum Patriarcha Abrahamo dignitatem & gloriã mereretur. Quibus verbis delirus iste senex dementatus, filium, nisi fuga e manibus eius euasisset, citra vllam dilationem mactasset.

7. Alius quidam Monachus, temperantia, bonisque operibus, in quib. omnem suam vitam transegerat, reliquis fratribus longe præstabat. Hic per Satanicas reuelationes, eo impulsus fuit, vt abiecta fide Christiana, ad Iudaismum deficeret. Nam assũpta Angeli specie diabolus noctu multis argumentis ei suggesserat, Christianorum, Monachorumque exercitia esse cæca, caliginosa, & nequaquã Deo probari. Sola Iudæorum opera & vitam coram Deo lucere. Quare hortabatur eum, si cum eis æternæ salutis particeps esse desideret, vt quoque Circumcisionis se participem redderet. Ecce quam callide Satanas in errores inducere solet homines.

8. Pari modo a Satana illusus fuit Monachus Hiero, cuius tantus erat in ieiuniis carnisque castigatione feruor, vt nec in die Paschatis quicquã a rigore suo remitteret. Cum itaque reliqui fratres festum illud solenne in templo celebrarent, ipse interim solitarius in cellula suæ vacabat sanctitati. Ad quem ingressus est Satanas in specie Angeli lucis magna eum reuerentia & humilitate Monachus excipit, eiusq; mãdatis deuoto animo auscultat. Inter alia suadet ei Satanas, vt in profundum se præcipitet puteũ; ingens siquidem & apud omnes gloriosum sanctitatis eius bonorumq; operum, & meritorum, illud fore testimonium, si illæsus inde rursus euadat. Dicto Satanæ audiens est. Verum semimortuus a fratribus suis inde extrahitur, tertioque die post vitam cum morte commutauit. Nequaquam autem sibi persuaderi passus est, Satanicis se illusum fuisse præstigiis. In Vitis Patrum.

9. Refert in sua historia Gulielmus Brabantinus, virum quẽdam magna ornatum prudentia, eo dementiæ ex Satanicis præstigiis esse redactũ, vt certis anni temporib. se rapacem esse lupum, qui per nemora homines insectaretur, firmiter sibi persuaderet. Quare tali actus furore cum vlulatu nemora peruagatus est. Quem cognati & amici comprehensũ domi vinculis constrictum tenuere, donec ex diuina gratia metis sanitati restitueretur. Huc refer quæ in Præcepto de Lycanthropis sunt dicta.

10. S. Hilarion Abbas, in solitudine degens, sæpe infantium voces intempesta nocte audire se existimauit, nunc balatus ouium, mugitus boum, planctus mulierum, leonum rugitus, strepitum armorum, variarumque portenta vocum. Cæterum ausus aliquãdo totum phasma explorare, Dominicæ crucis signo instructus, ad lumen Lunæ tugurio egreditur, solicitequeque circumspiciens, ecce currum directis in se equis euntem conspicatus est. Hic Christi Nazareni nomine inuocato, in vestigio mansit, expectans rei euentum. Tum vero terrifica illa bigarũ species subito terræ hiatu in conspectu eius absorpta est.

11. Idem cum a fundendis precibus paululum quieuisset, malus dæmõ feriandi insidiatus, repẽte eius dorso insiluit, calcibus latera quatiens, ceruicem flagro. Eia, inquit, dormitas? Mox cachinno desuper increpitans, Vis, inquit, iam fessus hordeũ? In iis scilicet cauillatus, quod aliquando Hilarion suo iratus corpori dixisse fertur: Ego te asine nõ hordeo pascã, sed palea, faximque ne calcitres. Sabel. libro exemplorum decimo, capite tertio.

Refert Vincentius de Rathbodo, Frisonum duce, quod iam a VVolfrãno Episcopo baptizandus, altero pede in lauacrum intincto, alterum retraxerit, interrogans, Vbinam plures suorum maiorum essent, in inferno an in Paradiso; Cumque audiret plures esse in inferno, pedem quoque alterum extraxerit, Satius esse inquiens, vt plures quam pauciores sequar.

Cui

Cui cum dæmon promisisset, se tertia ab hinc die incomparabilia bona ei daturum, ipse tertia die subita & æterna morte perijt. Porro apparuit ei dæmon in Angelum transformatus, caput opertum habens diademate aureo & gemmis ornato, & veste auro texta. In quem cum Rathbodus oculos intenderet, dixit ei diabolus: Virorum fortissime, quis te seduxit, vta cultura Deorum velis recedere? Mane in his, quę didicisti, & venies ad domos aureas, quas in æternum possidebis. Cras ergo accerse VVolfrannum doctorem Christianorum, & ab eo quære, quænam sit illa mansio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur. Quam cum demonstrare nequierit, vtriusque partis mittantur legati, & ego ero dux itineris, & demonstrabo illis domum auream, & mansionem pulcherrimam, quam tibi promitto. Euigilans Rathbodus narrauit cuncta sancto VVolfranno, qui meras Satanæ illusiones esse dixit. Respondet dux, nisi mansio ista a Deo suo tibi promissa demonstretur, se Christi fidem non amplexurũ. Mittuntur ergo Friso quidam a parte Ducis, & Diaconus quidam a parte Episcopi, qui paululum ab oppido progressi, obuium quendam habuere itineris comitem, qui dixit eis: Properate, & monstrabo vobis pulcherrimam mansionem, Rathbodo duci præparatam. Illi autem pergentes viam latissimam, & loca ignota, viderunt viam diuersorum generibus marmorum polito opere decoratam. Viderunt que a longe domum quasi auream, hinc platea ante domum, quasi auro & gemmis stratam. Intrantesque domum, viderunt eam miræ esse pulchritudinis, & incredibilis splendoris, & in ea thronum miræ magnitudinis. Tunc ductor itineris ait: Hæc est mansio præparata Rathbodo duci. Ad hęc Diaconus obstupescens ait: Si a Deo facta sunt ista, perpetuo maneant, si a diabolo, cito dispereant. Et cum signaret se signo sanctæ crucis, ductor ille in terrum mutatus est diabolum, & domus tota auro collucens, in lutum. Remansitque Diaconus & Friso in medio locorum palustrium, quæ rusco, dumis, & sentibus oppleta erant. Triduoque immensi itineris conficientes iter, reuersi sunt ad oppidum, & ducem Rathbodum mortuum inuenerunt, narrauerunt que quæ viderat sancto VVolfranno. Vincent. lib. 24. cap. 46. Fides historiæ sit penes autorem, & lectoris syncerum iudicium.

DE IVSTIFICATIONE.

Quod sola fides iustificat.

QVanquam plurima sanctorum Martyrum, ardentissimæque eorum fidei in præcedentibus exposita sunt, attamen me operæ precium facturum putaui, si inter tertij Præcepti exempla colligerem sanctissimorum Patrum sententias pulcherrimas, quæ testantur, hominem sola Fide in Christum absque omni operum merito vel cooperatione, iustificari. Vt inde pateat, sanctos Patres, licet in bonis operibus sedulo se exercuerint, minime tamen in ijs suam collocasse fiduciam, nec admodum in ijs gloriatos esse, id quod hypocritæ faciunt, sed ea tantum fidei fructum agnouisse. Quare præmissis aliquot Sacrarum literarum testimonijs, sanctorum Patrum exempla quædam & dicta breuiter subnectemus.

Credidit Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam. Genes. 15. Rom. 4.

Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Psal. 32.

Domine oculi tui respiciunt fidem. Ieremiæ 5.

Galat. 2. Quoniam scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro.

Si per

Si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Ibid.

Tit. 3. Non ex operibus, quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ephes. 2.

Omnes peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem propoiuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine. Rom. 3.

Sola fide nos iustificari, docent omnes diui Pauli Epistolæ, & in primis, quæ ad Romanos scripta est.

In historia Eremitarum legitur, S. Antonium vitam egisse plane rigidam, & totum in deserto ieiunijs vacasse & precibus, qui cum scire desideraret, quamnam in æterna vita sanctitatis suæ remunerationem acceperus esset, responsum accepisse fertur per visionem, eandem ipsum habiturum remunerationem cum fullone, qui Alexandriæ prope porta habitet. Fullo iste Antonio familiariter notus erat, itaq; eum accedit, & quærit, quænam eius sanctitatis priorumque operum essent exercitia? Respondet ille, se opificij sui rerumque domesticarum curæ sedulo incumbere, & cum alijs sacras conciones frequenter audire, & orare. Hinc facile agnouit Antonius, quod fides operumque esset discrimen, iustitiamque & vitam æternam, ex sola fide, & fiducia in filium Dei, absque vlla meritorum nostrorum dignitate prouenire, & nequaquam per opera remissionem peccatorum, & salutem impetrari posse. Discip. de temp.

Anno 1541. prolixe disserebat Lutherus de maiestate & gloria articuli de Iustificatione, qui humanæ naturæ prorsus esset incognitus, eo quod a natura omnes si affecti simus, vt iustitiæ operum magis innitamur, quam diuinæ misericordiæ, quæ nobis gratis propter Christum offertur atq; donatur. Quare parabola illa Matth. 20. de operarijs, quos pater familias conductos in vineam suam ablegarat, est fulminis instar violentissimi aduersus carnalem hanc humanæ rationis opinionem.

Quibus subnectebat Historiam ex Vitis patrum, de Eremita quodam, qui ob aspera sanctitatis exercitia in omnium ore & admiratione erat. Is cum lethali morbo decumberet, quidam ex Patribus comitem sibi adiungens vnum ex fratribus iunioribus eum visitare constituerat. Cumque ad cellulam ipsius pergerent, obuiam factus est ipsis latro, qui ad ægrotantis vsq; cellulam eos comitatus est, illis autem intrantibus, ipse foribus astitit, sermonesque eorum audijt, vehementer ægrotantis sanctitatem admiratus, adeoque grauiter ingemiscens ait: Talis heu mihi etiam misero vita transfigenda fuisset. Ad quæ ægrotus: Merito faciendum id fuisset, si modo cuta aliqua salutis te tangeret. Quibus dictis animam efflauit. Ecce autem qui aderat frater iunior, animam a diabolo per aerem auferri cõspicatus, amare fleuit. Hinc abeuntes illos latro secutus est, & propter peccata sua vehementer dolens, ea iam confiteri constituerat, certam eorum remissionem per fidem in Christum sibi pollicitus, dumq; incitato cursu festinat, offendens in lapidem lapsus, humi prosternitur, ceruicibusq; fractis moritur. Hic frater animã eius a sanctis angelis excipi cõspiciens risu quoq; animi sui lætitiam testatus est. Miratus pater fratris huius mores, qui modo ob Eremitæ obitum lachrymas fuderit, modo ob latronis mortem rideat, quid sibi iste velit moribus quærit? Respondet ille, Se id, quod maxime deceat Christianum, fecisse. Nam cum vidisset, fastuosum istum sanctum damnatum esse, se ploransse: Rursus cum vidisset peccatorem miserum conuerti, & æternæ vitæ participem reddi, se ex intimo corde lætatum fuisse. Ita nempe comparatum est cum regno Christi, vt postremi qui

fuerint,

fuerint, reddantur primi, & primi fiant nouissimi. Peccatum enim nullū est, quod minus ferre possit Deus, quam externum fastum, propriæque iustitiæ fiduciam.

Requirit in nobis Sathanas, inquit Lutherus, actiuam tantum iustitiā, quam nos operamur, cum in nobis passiua tantum & aliena sit iustitia, quam nobis eripere conatur, sed in actiua perijmus, nec quisquam in ea potest subsistere. Verum cum his verbis ei occurrimus, Christus pro peccatoribus cruci affixus est, mortuus, & resurrexit. Etiamne hunc, o Satan, agnoscis? In huius viuo iustitia, non in mea. Peccaui, sed is rationem pro peccato meo reddet. His verbis Satan cū suis tētationibus facile abigetur.

Iusto lex non est lata.

Ad quod vnumquodque conditū est, illud per se & sine lege efficit. Sic Deus sua natura nihil niti quod bonum est, operatur. Arbor non coacta, sed sua natura fructū profert. Sol natura sua, non iussus, aut coactus splendet, ad id enim a Deo creatus est, omnesq; aliæ creaturæ suapte natura id quod sui est muneris præstant. Eodem modo & iustus (qui per solam fidem in Christum, ex gratia, coram Deo iustus & beatus est) bona operatur motu voluntario, quemadmodum diuus Paulus ad Ephesios 2 docet. Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex vobis, Dei donu est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambularemus. Non necesse est ad ea præstanda ipsum compelli, si modo fides vera est, non ficta, non fucata. Summa, Bona arbor bonum etiam profert fructum, idq; sua natura facit, nec vllo mandato opus est.

Quod autem in tantum degeneremus a prima illa natura, in qua primi parentes fuere conditi, nec id, quod facere debebamus, faciamus, causa est, quod natura nostra corrupta sit, peccatisq; obsita, & morbus ille peccati per Adæ lapsum nobis sit factus hæreditarius. Qua de causa lege tulit Deus, quæ testaretur, nos creaturas ad imaginem eius conditas amplius non esse, quemadmodum Adamus primus homo fuit. Ista enim imago prorsus in nobis euanuit, sed laruas nos esse Satanæ, & malo originali prorsus corruptos.

Quorum hominum bona opera Deo placeant.

Bona opera placent quidem Deo, sed eorum qui remissionē peccatorum per fidem in Christum consecuti sunt, quin etiam suis ornantur præmiis. Cum autem animus hominis fiduciam suam in eo collocat, putans se misericordem, placatumq; Deum per ea impetraturum, prorsus sordent, nec Deo vlla ratione placere possunt. Nam fiducia nec nostris, nec aliorum hominum debetur operibus, sed soli misericordiæ Dei in Christo. Non sunt opponenda nostra opera gratiæ. Sed quicquid præstamus, id ratione obedientiæ præstamus, quam Deo adeo miti, benigno & misericordi Patri debemus. Quamuis omnia præstiterimus, quæ vel possimus, vel debeamus, tamen vt seruos nos inutiles esse fateamur, necesse est.

Quidam per tres horas continuas, vt in Vitis Patrū legitur, in vno stans loco, oculos sursum in cœlum fixos habebat, interim gemitibus, & voce querula suam deplorans miseriam. Quem cum discipuli eius interrogarent, quidnam animum eius solicitum haberet? Respondit, Mortem horreo. Quem consolaturi discipuli, vitam ei in memoriam reuocabāt, quam egisset sanctissimam, & quanto cum feruore mādata Dei vsque executus esset. Ad quæ ille: Vere dico vobis, quod mortem horream. Sedulo quidem, vt dicitis, iuxta verbi diuini regulam vitam & mores composui, attamen a tali metu animum liberare nequeo. Scio enim iudicia Dei, lōge alia esse, quā sint iudicia hominū. Hic eo in suis meditationibus progressus fuit, vt cognouerit, vrgente mortis hora, iudicium Dei adeo esse acre,

seuerum & graue, vt nostra sanctitas, & nostra bona opera nequaquam subsistere possint, nec in iis vlla salus se nobis offerat.

Abbas Arsenius cum a Satana infestaretur, ardentes ad Deum preces in cella sua fundebat, inquiens: O Domine, protector & Deus meus, ne tu me deseras, Nunquam, quod bonum esset in oculis tuis, quicquam sum operatus, ô mi Deus, tu mihi secundum magnã tuam misericordiam largire, vt tandem facultas mihi detur aliqua, quo incipiam pie viuere.

Sic quoq; de Abbate Pambone legitur, quod iã moriturus ad fratres, & reliquos qui astabant, omniũ bonorum operum oblitus dixerit: Discedo iam hinc ad Deum meum, sed ita, vt qui in hac vita nunquam vel incepe-rim Deum vere & recte colere. In Vitis Patrum. Ex his apparet, quod pij isti Patres non in operibus suis, quemadmodũ hypocritæ, sed in misericordia Dei per Christum parta, cõsolationem & salutem sibi quæsiuerint.

Diuus Augustinus Psal. 31.

Et quia totum gratiæ eius imputatur, non meritis: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, nõ in quibus non sunt inuenta peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire, si noluit agnoscere, maluit ignoscere.

Diuus Hieronymus ad Gal. 4.

Christus pro omnibus mortuus est. Si autem pro omnibus, & pro Mose, & pro vniuersis Prophetis. e quibus nullus potuit delere chirographũ vetus, quod aduersus nos scriptũ erat, & affigere illud cruci. Omnes peccauerunt & indigent gloria Dei. Ecclesiaste quoq; hanc firmante sententiã; Homo non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Denique & inferius Apostoli dictum manifeste docet: nec Mosen, nec illustrẽ aliquem de antiquis virum, apud Deum iustificari potuisse per legem: Sequitur enim: Quoniam autem in Lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuet.

Diuus Ambrosius ad Gal. 2.

Si enim per Legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Nihil tam apertum, quia si per Legẽ homo potuisset iustificari, Christum non oportuerat mori. Sed quia Lex dare remissionem peccatorum non poterat, idcirco Christus mortuus est, vt ea præstaret, quæ Lex nõ poterat, ac per hoc non gratis mortuus est. Mors enim eius iustificatio peccatorum est.

Diuus Augustinus Homilia 27.

Hoc enim placuit Deo, certæ dispensationis mysterii gratia, quod ipse in terram promissionis nõ introduceret populum. Eligitur alius Iesus Naue, & iste homo non hoc nomine vocabatur. Vocabatur Auses, & cum ei introducendum populum Moses commendarer, vocauit eum, & mutauit ei nomen Iesum, vt non per Mosen, sed per Iesum, id est, non per Legem, sed per gratiam populus Dei in terram promissionis intraret.

Diuus Ambrosius lib. 5. de Orat.

Non Lex Ecclesiam congregauit, sed fides Christi. Lex enim nõ est ex fide, iustus autem ex fide viuit. Iustum ergo Fides, non Lex facit, quia nõ est per Legem iustitia, sed per Fidem Christi. Qui autem Fidem repudiat, & Legis iura præscribit, ipse se testatur iniustum, quia iustus ex Fide viuit.

Idem de vita beata, lib 1. cap. 6.

Sed & illud mihi prodest, quod non iustificamur ex operibus Legis, Non habeo igitur, vnde gloriari in operibus meis possim, nõ habeo vnde me iactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor quia profui, nec

quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me aduocatus apud Patrē Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est.

Cyprianus de passione Domini.

Ecce plus potuit donum, quam delictum, & gratia, quam peccatum: Quoniam ex debito damnationis obnoxios gratis, sine vllo merito, gratia, beneficio pietatis absoluit, & iudicium imperante Christo misericordiæ dedit locum, & distinctionis suæ temperamentum iustitia, Domino disponente, modeste sustinuit.

Origenes lib. 3. in Epist. ad Romanos.

Arbitramur, inquit, iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. Dicit, sufficere solius fidei iustificationem, ita vt credens quis tantummodo iustificetur, etiamsi nihil operis ab eo fuerit expletum. Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronē, qui cum Christo crucifixus, clamauit ei de cruce, Domine. Nec aliud quicquam boni operis eius describitur in Euangelijs, sed pro hac sola fide ait ei Iesus: Amen dico tibi, &c. Per fidem iustificatus est hic latro, sine operibus legis.

Item Homilia 26. in Numeros.

Impossibile est sine fide saluari Christianos, siue perfecti, siue imbecilles fuerint.

Item lib. 3. ad Romanos.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides Apostolum non gloriantem super iustitia sua, neque super castitate, neque super sapientia, neque super cæteris virtutibus vel actibus suis, sed apertissimè pronūciantem, & dicentem: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et sic exclusa est Iudaica gloriatio, non per legem operum, sed per legem fidei; quæ est in Christo Iesu, in cuius cruce gloriatur Apostolus.

Ibidem.

Vbi fides non est, quæ credentem iustificat, etiamsi opera quis habeat ex Lege, tamen quia non sunt ædificata supra fundamentum fidei, quamuis videantur esse bona; operatorem suum iustificare non possunt, si eis deest fides, quæ est signaculum eorum, qui iustificantur a Deo.

Ibidem.

Quis autem vel super iustitia sua gloriabitur, cum audiat Deum per Prophetam dicentem: Quia omnis iustitia vestra sicut pannus mulieris menstruatæ? Sola igitur iusta gloriatio est in fide crucis Christi, quæ excludit omnem illam gloriationem, quæ descendit ex operibus Legis.

Diuus Augustinus concionem secundam super Psalmum 70. sic orditur.

Gratiam Dei, qua gratis salui facti sumus, nullis nostris meritis præcedentibus, nisi quibus supplicium debebatur, in isto commendari Psalmo, hesterno die insinuauimus charitati vestræ. Et paucis interiectis. Nam nisi gratis, gratia non esset. Porro autem si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit vt acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, precium accepisti, non gratis, precium autem quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non meritis nostris, sed illius gratia est. Illum ergo laudemus, illi totum quod sumus, & quod salui efficimur, debemus.

B. Gregorius super Ezechielem, Homil. 7.

In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia, habemus Sacerdotem in cœlis, qui interpellat pro nobis. De quo etiam per Iohannem dicitur: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Et paucis interiectis. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus. Qui viuit & re-

1. Iohan. 2.

gnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Gratis Deum iustificare, seu recipere in Gratiam, sic declarat Fulgentius.

In sanctis coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruabit, gratisque perficit.

Maxentius ait:

Quapropter nullam ab Adam huc vsq; per naturę vigorem credimus esse saluatum, nisi dono gratiæ S. sancti in fide nominis Iesu. Quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo, &c. Item: Credentes etiam omnes ab Abel vsq; ad Christum, si qui saluati sunt, ea gratia, qua & nos, esse saluatos.

Origenes Rom. 4.

Si ergo hęc putantur recte discussa, consequenter vtiq; ea, quæ cohęret. videbuntur intelligēda: vt operanti quidem opera iniquitatis, merces secundum peccati debitum rependatur: Credenti vero in eum, qui iustificat impium, fides ad iustitiā reputetur: siquidem bene meminimus superiora, in quib. ostendimus, non ei, qui ex parte, sed qui ex integro, & qui perfecte credit, fidem posse ad iustitiam reputari. Quæ fides tanta est, vt iustificet etiā eum, qui impius fuerit, vt vltra iam nō sit impius, sicut ille latro, qui pendebat in cruce, & blasphemabat: sed sit sicut ille, qui confitebatur, & dicebat, Domine Iesu memento mei, cum veneris in regnum tuum.

Chrysost. 1. Thessal. cap. 5. Homil. 9.

Ne despondeas animum, o homo, dum ad Deum concedis, qui neq; filio suo tui gratia pepercit, nec deficias in præsentis vitæ malis. Qui filium suum vnigenitum dedit, vt te saluaret & ce gehenna eximeret, cui deinceps parcet, quod ad salutem tuam faciat? Speranda sunt itaque omnia bona. Neq; enim, etiamsi ad iudicem abeundum esset, iudicaturus nos quidēm, attamen qui tātum dilectionis erga nos ostendisset, vt & filium suum nostri gratia occidisset, quicquam metueremus. Speremus itaq; iucunda & magna. Caput enim ac summam rei adepti sumus, si credimus.

Idem in Psalm. 50.

Quid enim est peccatum ad Domini misericordiam? Tela aranea, quæ vento flante nusquam comparet.

D. Ambrosius serm. 45.

Fides est quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes. Quamuis enim delinquentium grandis culpa sit, fidei tamen maior est gratia. Plus enim credidisse Christo, quam seculo deliquisse, & plenioris est, meriti veniam sperasse de Domino, quam culpam contraxisse de mundo.

D. Basilius in concione de humilitate.

Nam ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quādo neque propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destitui iustitia, verum solā in Christum fide iustificatum esse. Et gloriatur in eo Paulus, quod suam ipsius iustitiam contemnat, sectetur autem per Christum eam iustitiam, quæ ex Deo est in fide, vt cognoscat ipsum, & potentiam resurrectionis ipsius, & passionum ipsius communicationem, configuratus morti illius, si quo pacto ad mortuorum resurrectionem pertingat.

Chrysost. in Matth. 1 Homil. 3.

Non igitur in superbiam intumescamus, sed dicamus nosmetipsos inutiles, vt in partem vtilium trahseamus. Si enim te laudandum esse dixeris, reprobus effectus es, etiamsi fueras ante laudabilis. Si vero inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiamsi fueras ante culpabilis: propter quod necessaria nobis est præteritarum oblitio virtutum.

Bernhard. orat.1. Omnium Sanctorum.

Sed quid poteſt eſſe omnis iuſtitia noſtra corã Deo? Nonne iuxta Prophetam velut pannus menſtruatæ reputabitur? & ſi diſtricte iudicetur, inuſta inuenietur omnis iuſtitia noſtra, & minus habẽs? Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipſa quidem pro ſe poterit reſpondere iuſtitia? Propterea obnixe cum Propheta clamantes: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine: tota humilitate ad miſericordiam recurramus, quæ ſola poteſt ſaluare animas noſtras.

Auguſtinus lib.3 contra Pelagianos.

Nos autem iuxta Epiſtolam Iacobi, Multa peccamus omnes, & nemo mundus a peccatis, nec ſi vnius quidem diei fuerit vita eius. Quis enim gloriabitur ſe caſtum habere cor, aut quis confidet mundum ſe eſſe a peccatis? Tenemurque rei in ſimilitudine præuaricationis Adã, vnde & Dauid, Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea.

Ibidem.

Peccauimus in vno omnes vt moreremur in vno omnes: Accepimus legem, non vt emendatione finiremus peccatum, ſed vt tranſgreſſione augeremus. Lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum, & concluſit Scriptura omnia ſub peccato Sed Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundaret & gratia, atq; vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. & vinceremus mortẽ per immortalem reſurrectionem, & aculeum eius peccatum per gratuitam iuſtificationem.

Diuus Ambroſ. lib.5. cap.4. de expoſitione orationis Dominicæ.

Vides quam breuis oratio, & omnium plena virtutum? Primus ſermo quantæ ſit gratiæ? O homo faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terrã dirigebas, & ſubito accepiſti gratiam Chriſti, omnia tibi peccata dimiſſa ſunt. Ex malo ſeruo factus es bonus filius. Ideo præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. Gratia enim ſaluati eſtis, Apoſtolus ait.

Diuus Auguſt. in Pſalm.83.

Videte illum, qui dicebat: Gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines, iniuſti, raptores, adulteri, ſicut & publicanus iſte. Ille autem eliſa facie, percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Ille ſuperbus erat in bonis factis, ille humilis in malis factis. Videte fratres, magis placuit Deo humilitas in malis factis, quam ſuperbia in bonis factis: ſic odit Deus ſuperbos, & ideo ſic concluſit: Amen dico vobis, deſcendit iuſtificatus Publicanus magis, quam Phariſæus.

Diuus Bernhardus Sermone 3. Annunciationis Mariæ.

Iam vero, ſi quis iuxta Apoſtolum, vt verbum Chriſti, verbũ gratiæ in eo habitet, gratus eſt, ſi quis deuotus ſi quis ſolicitus, ſi quis ſpiritu feruẽs, caueat ſibi, ne ſuis fidat meritis, ne ſuis operibus innitatur, alioquin nec huiuſcemodi quidem animum intrat gratia. Nimirum plenus eſt, nec in eo iam inuenit gratia locum ſibi.

Idem de donis Spiritus ſancti cap.2.

Sine humilitatis virtute reliquæ virtutes nequeunt prodeſſe. Vnde beatus Gregorius ait: Qui virtutes ſine humilitate congregat, eſt quaſi qui in ventum puluerẽ portat. Sicut enim puluis venti validi flatu diſpergitur, ſic omne bonum ſine humilitate inanis venti gloria rapitur. Multo etiam melius eſt peccatorem eſſe humilem, quam iuſtum arrogantem. Quod a Domino euidenter oſtenditur, vbi Publicanus & Phariſæus in exemplũ

adducun-

adducuntur, sicut quidam sapiens ait: Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis factis superba gloriatio.

D. Chrysostomus in Matth. 1 Homil. 3.

Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime: & tunc illud quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam feciſſe, cum feceris, & plenissime cuncta feciſti.

Ibidem.

Quid ais tu, cum quotidie offendas Dominum, nihilominus delitiaris ac rides, & inter magna peccata neq; te peccasse nosti, obliuioni cuncta tradendo: solam vero non potes recte factorum abijcere memoriam? Et certe cum multo sit fortior pars timoris, nos e contrario quotidie offendentes Dominum, nec reuocamus quidem ad memoriam, peccata quæ facimus. Si vero paruam aliquam inopi porrigamus stipem, sursum id deorsumque iactamus: quod extremæ omnino dementiæ est, & grande illius, qui spiritualia debet colligere, detrimentum. Satis certus enim thesaurus, recte factorum obliuio.

D. Ambrosius super Lucam, lib. 1. cap. 1.

Bona est misericordia, bona est oratio: Sed potest iniuste fieri, si iactantiæ causa aliquis pauperi largiatur, vt videatur ab hominibus.

D. Augustinus supra Iohan. tract. 82.

Hæc est ad Deum gloria, qua glorificatur non homo, sed Deus, si non ex operibus, sed ex fide iustificatur, vt ex Deo illi sit, quod etiam bene operatur. Quoniam palmes non potest ferre fructus a semetipso.

Idem de gratia & libero arbitrio, cap. 7.

Opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, a quo est ipsa fides, de qua dictum est: Iustus ex fide viuit.

Origenes lib. 1. in Iohum.

Omnia quæcunque fecerint homines, siue in virginitate, siue in abstinētia, siue in corporis castitate, siue in carnis suæ combustione, siue in bonorum suorum distributione, omnia frustra faciunt, si nō in fide fecerint: sine causa agunt, nisi in agnitione vnius ingeniti Dei Patris, & in cōfessione vnius vnigeniti Filij eius, Domini nostri Iesu Christi, & illuminatione Spiritus sancti hoc fecerint. Omnem ergo sanctitatem, omnem iustitiam quam fecerit, qui foris est a vera Dei cultura, atque a vera fide, gratis facit, in perditione facit, non prodest ei, non adiuuat eum in die iræ, non liberabit eum in die interitus. Ad quod est testis Apostolus, qui dicit: Omne quod ex fide non est, peccatum est.

Idem lib. 3. in Epist. ad Roman.

Vbi fides non est, quæ credentem iustificat, etiamsi opera quis habeat ex lege, tamen quia non sunt ædificata supra fundamentum fidei, quamuis videantur esse bona, operatorem suum iustificare non possunt, si eis deest fides, quæ est signaculum eorum, qui iustificantur a Deo.

D. Chrysostomus in serm. de Fide, & Lege naturæ.

Fidelem autem absque operibus posium monstrare, & vixisse, & regnū cœlorum assecutum. Nullus sine Fide vitam habuit. Latro autem credidit duntaxat, & iustificatus est a misericordissimo Deo. Atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iuste viueret, & honesta faceret opera. Neq; enim de hoc contenderim ego. Sed illud vnum asseuerauerim, quod sola fides per se saluum fecerit. Nam si superuixisset, fideique & operum fuisset negligens, a salute excidisset.

Origenes lib. 3. in Epist. ad Roman.

Post iustificationem si iniuste quis agat, sine dubio iustificationis gratiam spreuit. Neque ob hoc quis accipit veniam peccatorum, vt & rursum sibi putet peccandi licentiam datam.

Origenes Roman. 4.

Non autem putes, quod si quis habeat talem fidem, ex qua iustificatus habeat gloriam apud Deum, possit simul cum ea habere & iniustitiã: Nulla enim pars est fidei simul cum infidelitate, nulla iustitię cũ iniquitate communio, sicut nec luci cum tenebris potest esse societas. Si enim qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo natus est, & qui ex Deo natus est, non peccat: manifestum est, quia qui credit Iesu Christo, non peccat: quod si peccat, certum est, quia non credit ei. Indicium igitur fidei veræ est, vbi non delinquitur, sicut econtra, vbi delinquitur, infidelitatis indicium est.

Ibidem.

Si nondum deposuimus veterem hominem cum actibus suis, sed in iniustitia viuimus, audeo dicere, quod nondum resurrexit nobis Christus ad iustificationem, nec traditus est propter peccata nostra. Si enim hoc credo, quomodo illud amo, pro quo ille pertulit mortem? Si hoc credo, quod ille ad iustificationem meam surrexit, quomodo iniustitia placet? Iustificat ergo eos Christus tantummodo, qui nouam vitam exemplo resurrectionis ipsius susceperunt, & vetusta iniustitiæ atq; iniquitatis indumenta velut causam mortis abijciunt.

Auguſt. de vita Christiana, cap. 7.

Quis tam insanus & excors, vt se profiteatur militem, qui nesciat arma gestare? Nemo enim quodcunq; nomen sine causa sortitur. Sutor vt dicatur, necesse est vt calciamenta conficiat: vt vocetur quis faber aut artifex, artis peritia facit: vt negotians nuncupetur quis, carius quod vilius emerat distrahit. Huiusmodi exemplis cognoscimus, nullum sine actu nomẽ, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo Christiani actus nõ apparent? Christianus iustitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen, & tu illud tibi quomodo defendis & vendicas tibi, cui de tã plurimis rebus nec pauca subsistunt? Christianus ille est, qui non nomine tantũ, sed opere est, qui in omnibus Christum imitatur & sequitur, &c.

Ibidem, cap. 13.

Alios autem noui, quos ita insipientiæ & imprudentiæ tenebrosa caligo & ignorantia fallit & decipit, vt fidem, quam se habere simulant, sine iustitiæ operibus apud Deum sibi censeant profuturam, & hoc erroris genere decepti sine metu crimina nefanda committunt, dum credunt Deum non criminum, sed perfidiæ tantum vltorem.

D. Chryſoſt. in Iohan. Homil. 25.

Magnis nos mysterijs dignatus est vnigenitus Dei filius, magnis, inquã, & diuinis: non qualia nos accipere, sed qualia ipsum exhibere decet. Nam si merita nostra reputabimus, non modo munere nullo, sed supplicio digni sumus. Sed non hoc respiciens benignus Deus, non modo nos supplicio liberauit, sed & vitam multo priori potiorem largitus est, alium nobis mundum, aliam condidit creaturam.

D. Ambroſius in Lucam, cap. 18.

Non te præferas, quia filius Dei diceris, agnoscenda gratia, sed nõ ignoranda natura. Neque te iactes si bene seruisti, quod facere debuisti. Obsequitur Sol, obtemperat Luna, seruiunt Angeli. Vas gentium electus a Domino, non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Deinde alibi nullius se ostendens conscium culpæ, subiecit: Sed non in hoc iustificatus sum. Et nos ergo non a nobis laudem exigamus, nec præripiamus iudicium Dei, & præueniamus sententiam iudicis, sed suo tempori, suo iudici reseruemus.

D. Auguſtinus ad Simplicianum, lib. 1.

Cum nondum nati fuissent (Iacob & Esau) neq; aliquid egissent bonũ

aut

aut malũ non ex operibus, sed ex vocante dictũ est ei, quia maior seruiet minori. Vocantis est ergo gratia, percipientis vero gratiã sunt consequenter opera bona, nec quæ gratiã pariant, sed quæ gratia pariantur. Nõ enim vt ferueat calefacit ignis, sed quia feruet. Nec ideo bene currit rota vt rotũda sit, sed quia rotunda est. Sic nemo propterea bene operatur vt accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest iuste viuere, qui nõ fuerit iustificatus? Quomodo sancte viuere, qui non fuerit sanctificatus? Vel omnino viuere, qui non fuerit viuificatus? Iustificat autẽ gratia, vt iustificatus possit viuere iuste. Prima est igitur gratia, Secunda opera bona.

Idem Psalmo 70.

Nihil es per te, Deũ inuoca, tua peccata sunt, merita Dei sunt: suppliciũ tibi debetur, & cum præmiũ venerit, sua dona coronabit, nõ merita tua.

Ibidem.

Deus nullo indiget bono, & ipse est summum bonum, & ab ipso est omne bonum. Vt ergo boni simus, Deo indigemus: vt bonus sit Deus, nobis non indiget.

Diuus Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos.

Si enim iuxta Iob, Luna non splendet, & stellæ non sunt mũdæ, in conspectu eius, quãto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Omne enim os obstruitur, & obnoxius est omnis mundus Deo, quia ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram eo, nullaq; distantia est personarum. Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Pulcherrimum in eo loco diuus Hieronymus Catalogum sententiarum & testimoniorum de hominis iustificatione, quæ fit gratis per fidem, ex Apostolorum scriptis contexit.

Diuus Ambrosius de Iacobo, cap. 2. lib. 1.

Non operibus iustificamur, sed fide: Quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorẽ, quæ meretur veniam delictorum.

Diuus August. Sententia 352.

Fides Christi est, credere in eum, qui iustificat impium: Credere in Mediatorem, sine quo nullus reconciliatur Deo: Credere in Saluatorem, qui venit quærere & saluare quod perierat: Credere in eũ, qui dixit, Sine me nil potestis facere. Sed hanc fidem non apprehendit, qui ignorans Dei iustitiã, qua iustificatur impius, suam vult constituere, qua conuincitur superbus.

Diuus Augustinus Psalmo 30.

Gratia salui facti estis per fidẽ, ait Apostolus, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Vide sortem, & hoc nõ ex vobis, sed Dei donũ est, non ex operibus, quasi vos benefeceritis, vt ad hoc accedere digni esse tis, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis.

Idem Psalmo 88.

Gaudium enim tuum non de te, vt qui gloriantur, in Domino gloriẽtur: Noli ergo exultare in superbia tua, sed in Gratia Dei.

Idem Psalmo 31. de Pharisæo in templo orante.

Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis? Habebat ergo ille peccata, sed peruersus & nescius quo veniſſet. Erat enim tanquam in statione medici curandus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Deus ergo tegat vulnera, noli tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet, emplastro enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? Qui nouit omnia.

Diuus Bernhardus Serm. 3. super Cantica.

Magna & rara virtus profecto est, vt magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere Sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem putare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.

D. Augustinus tract. 12. super Iohannem.

Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum.

D. Bernhardus de aduentu Domini, Serm. 4.

Propterea dico vobis Charissimi, vtile est abscondere magis, quã ostentare, si quid habemus boni: Sicut & mendici cum eleemosynam petunt, non preciosas vestes ostẽdunt, sed seminuda membra aut vlcera si habuerint, vt citius ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille seruauit multo melius Pharisæo, & ideo descendit iustificatus ab illo, id est, præ illo.

Diuus Bernhardus Sermone 5. in vigilia Natalis Domini.

Sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est: Nec confidentiæ, sed diffidentiæ, magis in semetipso habere fiduciam. Is vere fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum: sed sic perdens animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam.

Idem Serm. 37. super Cantica.

Noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim, o homo, si vnus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres. Et propterea illum putas spernendum non modo præ te, qui forte iam sobrie, & iuste, & pie viuere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum, quid scis, inquam, si melior & te & illis mutatione dexteræ excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero iam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit: Sed recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teq; nemini, nõ dico, præponas, sed nec cõparare præsumas.

DVRANDVS DE COENA DOMINI.

Verbum audimus. Modum nescimus.
Motum sentimus. Præsentiam credimus.

DE TRINITATE.

Ambrosius lib. 6. Epistolarum, Epist. 30.

PRofessio Fidei est, vt Patrem Deum, & Filium eius vnigenitum, & Spiritum sanctum veneremur. Hanc Trinitatem vnius esse Substantiæ, Maiestatis, Diuinitatis. In hoc nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizare nos, quemadmodum scriptum est.

De hoc eodem Articulo Prudentius in Præfatione Apotheosis.

Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor vnus.
Corde Patris genita est sapientia, Filius ipse est:
Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore.
Tempore nec senior Pater est, nec numine maior.

Nam

Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,
Per quod semper erat gignenda ad secula Verbum.
Edere sed verbum Patris est, ac cætera Verbi,
Adsumptum gestare hominem, reparare peremptum,
Conciliare Patri, dextraq; in sede locare.
Spiritus ista Dei complet, Deus ipse fidelis,
In populos charisma suum diffundere promptus,
Et Patris & Christi virtutem in corpora transfert.

Idem in ipsa Apotheosi.

Hæc est nostra Salus, hinc viuimus, hinc animamur,
Hoc sequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare Patrem, patris & sine nomine nunquam
Natum nosse Deum, nunquam nisi sanctus & vnus
Spiritus intersit, natumq; patremq; vocare:
Sic tamen hæc constare tria, vt ne separe ductu
Tres faciam, tribus his subsistat, sed Deus vnus.

Epiphanius lib. 2. Tomo primo.

Confitemur Trinitatem, vnitatē in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate vnam Deitatem, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Non enim Filius seipsum genuit, neque Pater transmutatus est ab eo, quod Pater est, neq; Spiritus sanctus Christum seipsum vnquam nominauit, sed Spiritum Christi, & qui per Christum datur, & à Patre procedit, & à Filio accepit.

HILDEBERTVS RHYTHMIS COMPLEXVS EST Doctrinam de Trinitate.

Alpha & Ω, magne Deus,
Hely, Hely, Deus meus.
Cuius virtus totum posse
Cuius sensus totum nosse,
Cuius esse summum bonum,
Cuius opus quicquid bonum.
Super cuncta, subter cunctus,
Extra cuncta, intra cunctus,
Super cuncta, nec subiractus,
Super cuncta, nec elatus.
Intra cuncta, nec inclusus.
Extra cuncta nec exclusus.
Subter totus præsidendo,
Subter totus sustinendo
Extra totus complectendo,
Intra totus in complendo.
Intra nusquam coarctaris,
Extra nusquam dilataris.
Subter nullo fatigaris,
Super nullo sustentaris.
Mundum mouens non moueris,
Locum tenens non teneris.
Tempus mutans non mutaris,
Vaga firmans non vagaris.
Vis externa vel necesse,
Non alternat tuum esse.
Heri nostrum cras & pridem,
Semper tibi nunc & idem.
Tuum Deus hodiernum,
Indiuisum sempiternum,
In hoc totum præuidisti,
Totum simul perfecisti.
Ad exemplar summæ mentis,
Formam præstans elementis.
Nate patris coæqualis,
Patri consubstantialis.
Patris splendor & figura,
Factor, factus, & creatura.
Carnem nostram induisti,
Carnem nostram suscepisti.
Sempiternus temporalis,
Moriturus immortalis.
Verus homo, verus Deus,
Impermixtus homo Deus.
Non conuersus hic in carnem,
Nec minutus propter carnem.
Hic assumptus est in Deum,
Nec consumptus propter Deum.
Patri compar Deitate,
Minor Carnis veritate.
Deus Pater tantum Dei,
Virgo mater sed & Dei.

In tam noua ligatura,
Sic vtraq; stat natura,
Vt conseruet quicquid erat,
Facta quiddam quod non erat.
Iste noster Mediator,
Iste noster Legislator,
Circumcisus, baptizatus,
Crucifixus, tumulatus,
Obdormiuit & descendit,
Resurrexit & ascendit.
Sic ad cœlos eleuatus,
Iudicabit iudicatus.
Paracletus increatus,
Neq; factus, neq; natus.
Patri consors, genitoq;
Sic procedit ab vtroq;
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste.
Quales illi, talis iste.
Ex quo illi ex tunc iste,
Quantum illi, tantum iste.
Pater alter, sed gignendo:
Natus alter, sed nascendo:
Flamen ab his procedendo.
Tres in vnum subsistendo.

Quisq; trium plenus Deus.
Non tamen duo, sed Deus.
In hoc Deo, Deo vero,
Tres & vnum asseuero.
Dans vsiæ vnitatem,
Et Personis Trinitatem.
In personis nulla prior,
Nulla minor, nulla maior.
Vnaquæq; semper ipsa,
Sic est constans atq; fixa,
Vt nec in se varietur
Nec in vllam transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa,
Non hoc error sine noxa.
Sicut dico, sic & credo,
Nec in prauam partem cedo.
Inde vent bone Deus,
Ne desperem, quamuis reus.
Reus mortis non despero,
Sed in morte vitam quæro.
Quo te placem nil prætendo,
Nisi fidem, quam defendo.
Fidem videns hac imploro:
Leua fascem, quo laboro.
Per hoc cataplasma
Conualescat ægrum plasma.
Vincent. lib. 25. cap. 114.

DE CRVCE, AFFLICTIONE & tribulatione.

OMnes qui in Christo pie volunt viuere, inquit Apostolus, persecutionem patientur. Nec enim conformes imagini filii Dei reddentur, nisi etiam crucis eius reddantur participes. Et si cum eo regnaturi sunt, fas est, vt cum eo quoq; patiantur. Ad hęc crux & afflictio est lapidis instar Lydii, quo synceritas, splēdor, & decus omnium earum virtutum, quæ in fidelibus elucere debent, maxime enitescit. Quantumuis ergo tyrannorum sæuiat malitia, quantiscunque procellis nauiculam Christi Satanas impetat, eā tamē cum suo conatu & furore submergere haudquaquam pōt. Quin imo fracto eius furore, malitiaque patefacta, Ecclesiæ decus clarius enitescit, Christique gloria & potentia in Sanctorum martyrum constantia & victoria redditur illustrior. Quod præter exempla ex historiis Ecclesiæ deprompta, plurimæ etiam tum prophetarum & Apostolorum, tum sanctorum Patrum ostendunt sententiæ.

Domine, in angustia requisierūt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Esaiæ 26.

Castigasti me & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus. Conuerte me & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. Ierem. 31.

Proba me Domine, & tenta me: Vre renes meos & cor meum. Psalmo 26.

Clamarunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his

bus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum: Vnum ex his non conteretur. Psalm. 34.

Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Psalm. centesimodecimonono.

Beatus homo, qui corripitur à Deo: Increpationem ergo Domini ne reprobes: Quia ipse vulnerat, & medetur: Percutit, & manus eius sanabunt: In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Iob. 5.

Militia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarij, dies eius. Item: Quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid opponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Iob. 7.

Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipiētium mori, & æstimata est afflictio, exitus illorum. Et ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur. Quoniam Deus tētauit eos, & inuenit illos dignos se. Tāquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Sapient. 3.

Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Eccle. 2.

Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2. Timoth. 3.

EXEMPLA.

IOsephus exilij ærumnas tolerat, vt seruus Potiphari vēditur, præter meritum carcerem & vincula sustinet, interim ad maiores multo euehitur honores, quam si domi apud patrem & fratres expers tantarum calamitatum vixisset. Genes. 41.

Quo maiora sunt grauamina, quibus Israëlitas Rex Pharao affligit, quo maiores etiam tyranni erant conatus in eradicando populo, eo maior ipsis Dei affulgebat gratia & benedictio. Exod. 1.

Cum filij Israël immissis in ipsos ignitis serpentibus affligerētur, venerunt ad Mosen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus cōtra Dominum, & contra te. Antequam fæuiret in eos plaga ista, nec peccatum agnoscebant, nec eius veniam à Deo petere dignabantur. Num. 21.

Cū sub diuino heroe Iosua grauissimis bellis Israëlitæ occupati essent, haud discessere à Domino. Post mortem autem Iosuæ, cum à bellis liberati vitam agerent trāquillam, protinus & Domini Dei sui & legis obliti, peccatis suis iram Dei aduersus se irritarunt. Vide librum Iosuæ.

Israëlitæ audientes aduersus se congregatos esse Philistinos, dixerunt ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, vt saluet nos de manu Philistinorum. Et intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filijs Israel. 1. Regum 7.

Cum Dauid Regem Saulum fugeret, hinc filium suum Absolonem, à quo regno iam eiectus erat, quāta eius in istis ærumnis erat pietas? Quam ardentibus votis & precibus diuinum implorabat auxilium? Contra cum in otio vitam degeret, homicidio & adulterio se polluebat. Præterea ex fastu populum numerari iubens, grauiter aduersus Deum deliquit. 2. Samuel.

Cum roboratum fuisset Regnum Roboam, dereliquit legem Domini, & omnis populus cum eo. Exarsit itaque ira Domini aduersus Iuda, & tradidit eos in manus Regis Ægypti Sesack. Verum simul ac Prophetam Semeiam audiuere, & coram Domino humiliati sunt, ira Dei sedata est, & è manu persequentium populus est liberatus. 2. Paralip. 12.

Manasses Rex Iudæ, qui peccatis horrendis Deum offenderat, cum vinctus catenis atque compedibus, ductus esset Babylonem, in angustijs istis orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam coram Deo patrum suorum, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in Regnum suum. 2. Paralip. 33.

Nabuchodonosor, cum à Deo humiliatus ex hominib. abijceretur, & fœnum, vt bos, comederet, Dei potentiam agnoscere didicit, & Altissimo benedixit, & Viuentē in sempiternum laudauit & glorificauit. Daniel. 4.

Susanna in extremis angustijs diuinitus liberatur. Daniel. 13.

Apostoli sibi gratulantes Deum laudabant, quod habiti essent digni, vt pro nomine Christi contumelia afficerentur.

Libentissime igitur gloriabor super infirmitatibus, vt inhabitet in me virtus Christi. Quamobrē placeo mihi in infirmitatib. in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo. 2. Corin. 12.

S. Bernhardus: Ecce in pace amaritudo mea amarissima est.

Christianæ Ecclesiæ status parum felix est, cum tentationum & persecutionum expers fuerit. Certum enim hoc indicium est à Satana iam facta irruptione, vel sectis eam esse infectam, vel securitate occupatas hominum mentes audiendi verbi tædio affici. Nec enim ea Satanæ natura est, vt vel quiescat vel ferietur. Quin imo vt rugiens leo sæuitiam suam in Christianos exercēs, eos tentationibus, persecutionibusque, quibuscunq; pōt modis infectatur. Quod satis euidēter ex historijs patet Ecclesiasticis, quib. ad exprimēdum Tyrannorum fremitum & sæuitiam aduersus Christi fideles verba satis idonea vix suppetunt, dum frequenter, iam viginti, iam triginta, sæpe quadraginta hominum millia, vel plures vna vice, partim in exilium acti, partim exquisitis supplicijs ad mortem crudelissimam raptati sunt. Quare Christianorum est, vt hisce assuescant, & Christi verba animis infigant dicentis: Qui nō accipit crucem & sequitur me, nō est me dignus. *Matth. 10.* Et 1. Pet. 2. Siquidem in hoc vocati estis. Quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt insequeremini vestigia ipsius. Rursus autem consolatio nobis proponitur, Matthæi 10. Qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam. Et 2. Timot. 2. Nam si commortui sumus, & conuiuemus. Si sufferimus, & conregnabimus.

Dionysius Alexandrinus, qui multis erroribus aduersatus fuit, senex in exilium pulsus est. Euseb. lib. 7. cap. 10. Chronic. Philip. lib. sub Valeriano.

Cheremon Episcopus in vrbe Nicopoli, cum in exilium pulsus esset, cū magna multitudine Christianorum, & propter senectam ipse & coniunx procedere non possent, spectante multitudine in cœlum, sublati sunt Cheremon & coniunx. Ita Deus testimonium præsentiæ suæ inter exules ostēdit. Chron. Philip. loco citato.

Iohannem Scotum Ludouici Pij seculo enarrantem libellum Dionysii de Hierarchia, & taxantem opinionem tunc receptam de oblatione Cœnæ dominicæ pro viuis & mortuis, discipuli graphijs confoderunt. Chronic. Philippi. lib. 4. sub Henrico Quarto.

Ischirion cuiusdam Magistratus negotia, mercede conductus, procurat. Is qui eum conduxerat, iubet idolis sacrificare: quem, cum mandato minime obsequeretur, cœpit conuicijs lacerare: ac cum constanter fidei adhæresceret, grauibus affecit contumeliis, atque vbi vidit eum pacate & tranquille omnia sufferentem, arrepto fuste præacuto, intestina ac viscera illius transfodit, crudeliterque interemit. Quid attinet percensere multitudinem eorum, qui in solitudine & montibus vagi, errantesq; fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestijs fuerunt extincti? Eusebius lib. 6. cap. 34. supra in primo Præcepto de Martyribus.

Senex quidam magno feruore pietati adhærens, quotannis variis conflictabatur morbis: accidit autem vt per annum à morbis omnino immunis esset, ibi suam hanc fortunam imis deplorans suspirijs subinde exclamauit: O Domine, cur me iam deseris? Cur & hoc anno me non visitasti? In Vitis patrum.

Alius quidam annis & pietatis studio venerandus, ad discipulum ægrotantem ait: Fili mi, ne propter corporis infirmitatem angaris, pro qua Christianum decet Deo gratias agere. Si enim es ferrum, per ignem hunc a rubigine mundaris: Si autem es aurum, per ignem hunc probaris, vt maiori orneris gloria, Quoniam ergo Deo visum est, te hunc ad modum inuisere, ne per impatientiam eius voluntati resistas, sed in patientia Deum ores, vt fiat misericors eius voluntas. Ibidem.

Fortunam in omnib. rebus secundam, nequaquam diuinę benedictionis esse indicium, in subiecto etiam docetur exemplo: diuus Ambrosius Mediolano Romam versus iter faciens, in pago quodam ad hospitem diuertitur hominem impium. Antequam autem mensæ accumberet, de variis rebus familiariter cum hospite collocutus est, qui cum inter alia affirmaret, aduersam fortunam se nunquam expertum esse: Auditis ijs, diuus Ambrosius ad comites suos conuersus ait: Propere hinc discedamus, ne diuina pœna hic nos obruat. Haud enim Deus in hisce moratur ædibus. Cumq; paululum cum suis progressus esset Ambrosius, terra sese aperiens domum istam vna cum hospite omniq; familia absorpsit. Meminit historiæ huius Cyriac. Spangenberg. in Catechesi. *Fortuna semper prospera insignes affert calamitates.*

Germanorum vetusti populi, Saxones, Franci, Sueui, Gothi, Vandali, Alani, Burgundiones, Hunni, Boii, tanta olim sæuitia, quanta hoc seculo Turcæ in Christianorum, Imperijque Romani nationes impetum faciebant, in Italiam, Romam ipsam, Galliam, Hispanias, tractum Rheni, Africam, templa Christianorum funditus diruebant, sacerdotes, in quoscunque incidérent, trucidabant, veteribusque colonis occisis, ipsi cum suis vxoribus & liberis eorum sedes occupabant. Moguntiæ in Ecclesia cathedrali tantum effusum est sanguinis, vt per templum sanguinis riui fluerēt, & alibi passim tanta eorum immanitas grassata est, quantam haud facile verbis consequi aliquis possit. Porro tractum Germaniæ, qui est ad Danubium, Romani tum occuparant, & Christiana ibi docebatur fides. Magna autem cum esset tum sacerdotū tum Monachorū impietas, vt qui omnino auaritiæ & superbiæ essent dediti: misit eo æternus Deus ex Africa, vbi ingentem etiam tyrannidem aduersus Christianos exercebant Germani, S. Seuerinum, & fratrē eius Victorē, qui licet essent laici, attamen magno spiritu Monachorum & Sacerdotum reprehendebant vitia, palam testantes, nisi pœnitentiam agant, iam iam ingruere iram Dei, quæ totam regionem oppressura sit, & tam in homines, quam pecudes grassatura. Verum hac sua prædicatione omnibus & inprimis sacerdotibus erant ludibrio. Itaque detestati eorum impietatem, inde digressi sunt. Paucisque diebus post Sueui, & Boij traiecto Danubio, regionem istam incendijs & populationibus prorsus deuastarunt, prædaque diuites, homines non secus ac pecora abegerunt. Inter alias complures ciuitates occuparunt Patauiam, Ratisbonam, Saltzburgum. In quibus ciuitatibus Sacerdotes, in templis, ipsisq; Baptistetijs trucidabant, corpora per muros ciuitatis abijciebant, nec vlli ciuium parcebant, sed trucidatis omnibus paucos ex agricolis, ne terra inculta iaceret, superstites esse passi sunt. Cœpit hæc calamitas anno 400. & durauit ad annum vsq; 500. Casp. Hedion. Chron. lib. 2. cap. 14. *S. Seuerini. Victor.*

Anno Domini 612. Anastasius Persa, vir sanctus, Cæsaream Palestinæ, vt precibus ibi vacaret, iter faciens, a Persis captus, plagisque affectus acerbis, in carcerem coniectus est, post ad regē Persarum Chosroëm, Chri- *Anastasius Persa.*

stiani

ſtiani nominis hoſtem acerrimum per iudicem Mazobonam tranſmiſſus. A quo ternis vicibus plagis immaniter multatus, tandem manu ſuſpenſus eſt, treſq; horas continuo cruciatu diſtentus, deinde capite truncatus eſt. Simili Martyrio ſeptuaginta alii Chriſtiani cum eo affecti ſunt. Caſp. Hedion. lib.5.cap.18.

Quadraginta ruſtici Martyres.

Eadem tempeſtate Longobardi quadraginta ruſticos Chriſtianæ religioni addictos cœperunt, quos omnes, cum idolothytis veſci nollent, crudeliter occiderunt.

Præterea quadringentos, eo quod caprini capitis effigiem adorare detrectarent, trucidarunt. lib.eod.cap.19.

Bonifacius Martyrio affectus.

Bonifacius, cuius ſupra meminimus, cum in finibus Auſtrię, & VVeſtrichæ, iuxta fluuium Bornam, feſtum Neophytorum celebrare conſtituiſſet, in quo per impoſitionem manuum recens baptizati confirmabantur, ſubito à Gentilibus obruebatur. Bono tamen eſſe animo iubens fideles, qui aderant: Dies, inquit, redemptionis iam adeſt: Confortamini in Domino, & gratiam nobis promiſſam grato amplectimini animo: Sperate in Deum, is veſtras animas liberabit. Quare magno ſitis animo, ne vobis metuatis ab iis qui corpus occidunt, &c. Sed exultate in Domino. His & aliis verbis cum conſolatus eſſet fideles, rabido impetu gentiles in eos irruerunt, & obuios quoſuis interfecerunt. Hi latrones deinde ab aliis Chriſtianis, quos etiam Bonifacius ad fidei veritatem adduxerat, ad internecionem cæſi & deleti ſunt. Hunc admodum Bonifacius, vna cum ſuis Sacerdotibus & Diaconis, aliiſque fidelibus, cum baptizandis neophytis intentus eſſet, Martyrio coronatus ad cœleſtem Patriam tranſiit, Idem lib.6. cap. 21. anno 754.

Sex frates in maiore Polonia vitam agentes auſteram in Eremo, non procul à ciuitate Cazimirz, ieiunijs & precibus Deo ſedulo inſeruiebant, quin etiam & docendo, & morum, ſanctimoniæque exemplo quoſuis informabant. Horum aliquando precibus Rex Boleſlaus ſe & populũ ſuum commendabat, ipſiſque, inſpectante populo, ingens auri pondus offerebat. Quod ipſi cum repudiarent, triduo elapſo, illud Regi per Barnabam, qui vnus erat ex fratribus, reddere conſtituerunt. Itaque Gnetznam verſus ad Regem pergens Barnabas, cum iam dimidium itineris emenſus eſſet, latrones quidam auri auidi noctu in fratrum cellulas irrumpunt, & poſt varia tormenta, quibus aurum ex ipſis extorquere fruſtra laborabat, eos crudeliter occidunt, & ne latrocinium illud detegeretur, flammam in cellulas coniiciunt, vt iis vna cum fratribus abſumptis, ſuſpicio in hominum animis exiſteret, caſu quodam cellulas incenſas eſſe. Verum ignis nepilum quidem in eorum corporibus combuſſit, nec eam terræ partem, in qua iacebant cadauera, attigit. Quod vbi reſciuit Rex, protinus egreſſus Gnetzna, latrones inſectat' eſt, caſuq; in eos in nemore errãtes, ſtrictoſq; gladios manibus tenentes incidens, horrendum, vt meriti fuerant, de ipſis ſumpſit ſupplicium. Chron. Tolon. lib.2.cap.9.

Seditio aduerſus Chriſtianos Alexandrina.

Temporibus Theodoſij grauis ſeditio aduerſus Chriſtianos Alexandriæ excitata fuit, hac de cauſſa: Templum Bacchi in Eccleſiam transformaturus Epiſcopus, cum oportune deridere ſtuderet myſteria Paganorũ, hæc ipſa pandebat: ac Priapos, & ſi quod aliud in ſecretis penetralib. ridiculum erat, aut videbatur, publice in conſpectum proferebat. Ibi conſpiratione inter ſeſe facta, Pagani Chriſtianos adorti ſunt, & aliis occiſis, aliis vulneratis, templum Serapidis occupant. Hinc velut ex arce quapiam de improuiſo irruentes, ex Chriſtianis multos comprehenderunt, ac tormentis adhibitis, ſacrificare coëgerunt. Quod qui facere detrectabant, eorum alios in crucem egerunt, alios confractis cruribus, alios aliis modi ſuſtulerunt. Vide Sozom. lib.7.cap.15.

Septē dormientes.

Ephesi Imperator Decius idolum erigens, vt ab omnibus adoraretur, seuere mandabat. Verum Deo magis, quam homini obediendum esse agnoscentes septem pij iuuenes, Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, & Constantinus, impio mandato parere nequaquam sustinebant. Imperator itaq;, eo quod in suorum satellitum esdit, donec, alio interim profecturus, Ephesum reuersus esset. Verum ipsi interea in absconditas Cælij montis cauernas clam aufugerunt. Quod vbi resciuit Imperator, sæuo percitus furore cauernas istas lapidibus obstrui præcepit, vt fame sitique confecti perirent. Illi autem ex diuina clementia protecti obdormierunt, continentique somno indulgentes, ab anno Christi 256. vsque ad annum 448. tyrannorum furores declinarunt. Vincen. Henric. de Erfford. in Legendis Sanctorum. Fides historiæ sit penes autores. Niceph. lib. 5. cap. 27. Ephesiorum quidem puerorum meminit, sed nullius somni.

Eustachius.

Adrianus Imperator Eustachium cum vxore & liberis, eo quod Christum libere confiterentur, æreo inclusum tauro, combussit. Quanquam autem canderi isti machinæ vel tauro integrum triduum inclusi essent, eorumque corpora prorsus in cinerem redacta esse crederentur, attamen exanima quidem, sed prorsus illæsa, vt ne pili quidem adusti essent, exempta fuere. Volater.

Dacianus præses Alexandriam vxorem à beato Georgio ad fidem conuersam, suspendi fecit & interfici. Rauisius.

Gabinus presbyter, ciuis Romanus, iussu Imperatoris Diocletiani in carcerem coniectus est, ibiq; fame extinctus, quod Christianam profiteretur religionem.

Fœliculâ virgo, cum nullis tormentis aut pollicitationibus à Christiana religione diuerti posset, iussu Flacci Comitis in latrinam detrusa est, & ibidem mori coacta.

Irenæum & Abundiũ, Martyres, Valerianus in cloacam detrudi, & ibidem emori fecit, quod sanctæ Concordiæ corpus è templo extraxissent.

Orator, Fortunatus, Fœlix, & Silinus, Martyres, apud Alexandriam pro Christi nomine fame & inedia interfecti sunt. Ex officin. Rauisij.

Murita Martyr ab Elphidofero quodam Arriano in exilium missus, ibidem fame & frigore extinctus, vitam cum morte mutauit. Ibid.

Vandalorum Rex Honoricus in exilium egit Christianos 4966. Vict. de persecut. Vandal. Plura exempla in 1. Præcepto exposita sunt.

Valde commẽdabat Philippus Melanch. pium Ducis VVirtenbergensis ex hac vita discessum, qui ingruente morte, sacræ Cœnæ particeps futurus è lecto alacri mente & vultu, non secus ac si conualuisset, sese erexit, Deoque gratias egit, quod tam clementer Euangelij consolationem sibi monstrasset, seque ad vitæ pœnitentiam vocasset. O Deus meus, inquiens, nos reuera infirmi admodum & debiles sumus grauissimisque onerati peccatis. Quod si minus dextram reip. curam gessi, aut subditos minus iustis oppressi grauaminibus, tu ô mitissime Deus, corpus in hac vita puni, sed animæ parce. Eadem pietas eluxit in optimo principe Francisco Luneburgensi, qui cum grauissimis in crure conficeretur doloribus, hæc verba protulit: Multo minores hi sunt cruciatus, quam meà peccata meruerint. Verum ô misericors æterne Deus, tu miserere mei, & ne me abijcias propter dilectum Filium tuum Iesum Christum. Talia dicta sunt rarissima in Principibus. Ex colloquijs Lutheri.

Itamus miles apud Antigonum militabat, qui corporis aduersa valetudine cum laboraret, rogatus à Rege palloris causam, ægritudinem incognitam causatus est. Rex vero animi magnificentia ductus, iubet remedia

adhiberi ad eum sanandum. Restitutus igitur sanitati miles, postea omnia cõtra mortem pericula vitabat. Rogatus vero à Rege mutationis causam, ait: O Rex, tu me minus audacem fecisti, quod iis malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemptui habetur. Sensit miles, ægritudinem hominibus in eo prodesse, vt omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram & ærumnosam contemnant, qua cum sani sumus, in nostram perniciem abutimur. Brus. lib. 4. cap. 15.

SENTENTIÆ PATRVM DE CRVce & tribulatione.

Origenes super Exodum, Homil. 8. cap. 20.

EGo opto, vt dũ in hoc seculo sum, visitet Dominus peccata mea, & hic mihi restituat, vt ibi dicat etiam de me Abraham, sicut dixit de paupere Lazaro ad diuitem: Memento fili, quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic requiescit, tu vero cruciaris. Propterea ergo cum corripimur, cum castigamur à Domino, esse non debemus ingrati, sed intelligamus, propterea nos in præsenti seculo corripi, vt in futuro requiem consequamur, sicut & Apostolus dicit: Cum autem castigamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Propterea denique & beatus Iob libenter suscipiebat cuncta supplicia, & dicebat: Quia si bona accepimus de manu Domini, nonne & mala tolerabimus? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.

Ibidem lib. 6 cap. 6.

Nihil mali datur à bono Deo, licet triste sit, licet doloris plenum, respectu tamen medendi & contemplatione sanitatis infertur, vt animã quam separauerat à Deo illecebra & dulcedo peccati, seueritatis austeritas separet à peccato. E contrario vero peccatum quicquid dederit, quicquid contulerit, etiamsi stipendia largiatur, animæ mors est.

Hilarius in Psalm. 118.

Multæ tribulationes iustorum sunt. Nunc Satanas insectatur, nunc ministeria eius impugnant, nunc falsorum fratrum simulatio ad nocendum arte fraudulentæ insectationis irrepit. Sed Propheta, qui veritatem esse mandata Dei meminerit, iniustæ iniquitatis persecutionem fideli animo sustinet. Et quia persecutionem fidei sciat esse documentum, non orat eam à se remoueri, sed adiuuari se in ea postulat, & opem & auxilium misericordiæ Dei precatur, Euangelici huius Præcepti non ignarus: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

Ibidem.

Quando morbi vexabunt, passiones & cruciatus corporum desæuient, damna defatigabunt, luctus & orbitates affligent, semper vtemur hac, qua nunc Propheta vsus est voce, dicens: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Diuus Hieronymus ad ægrotum amicum.

Auro nisi addiderit flamma fulgorem, vtilitatem patitur, purgamentis obscurum: ita qui non fuerit miseriarum tentamentis excussus, iacet partium fœlicitatis ac suæ virtutis ignarus. Merito Salomon hac voce testatur: Qui tentatus in aliquo non est, nescit qualis sit. Benedic ergo Dominũ tempore tribulationis, quem laudasti tempore sæuitatis. Vtere carminibus vocis Propheticæ: Benedicam, inquit, Dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Diuus Augustinus in Psalm. 55.

Omnis tentatio probatio est, & omnis probationis effectus fructum suum habet, quia homo plerunque etiam sibi ipsi ignotus est: quid ferat,

quidue

quidue non ferat, ignorat, & aliquando præsumit se ferre quod non potest, & aliquando desperat, se posse ferre quod potest. Accedit tentatio quasi interrogatio, & inuenitur homo à se ipso, qui latebat & seipsum, sed artificem non latebat.

Idem Tsal. 73.

Facit hoc Deus, quod plerunque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum, cædit inde filium suum, ac deinde proiicit sarmentum in ignem, & filio seruat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum.

Idem Tsal. 60.

Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione: Quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.

In sententijs August. Sentent. 99.

Tolerẽtur præsentia mala, donec veniat beatitudo promissa. Sustineantur à fidelibus infideles, & inter hortorum frumenta zizaniorum auulsio differatur. Quantumlibet sæuiant impii, melior est etiam in hoc tempore causa iustorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto glorioſius coronantur.

Sententia 186.

Non queratur homo, quãdo in his, quæ iuste habet, patitur aliquas aduersitates, per amaritudinem enim inferiorum docetur amare meliora, ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat.

Sentent. 231.

Quando Deus permittit, aut facit, vt aliqua tribulatione vexemur, tũc misericors est. Quia excitans fidem, & differens in opere, non auxilium negat, sed desiderium mouet.

Sentent. 270.

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sæuiat & fremat mũdus, increpet linguis, coruscet armis quicquid fecerit, quantulum erit ad illud quod accepturi sumus? Appendo, quod patior contra id quod spero: hoc quidem sentio, illud spero: & tamen incomparabiliter maius est, quod speratur, quam quod aufertur. Quicquid est, quod contra Christi nomen sæuit, si potest vinci, tolerabile est, si non potest, proficit præmio citius consequendo, & fidelis fine temporalis mali transit in perceptionem æterni boni.

Idem Tsal. 93.

Bonus est Deus. Si cessaret Deus, & non misceret amaritudines fœlicitatib. seculi, obliuisceremur eum. Sed vbi angores molestiarũ faciunt fluctus animæ, fides illa, quæ ibi dormiebat, excitatur. Tranquillum enim erat, quando dormiuit Christus in mari: illo dormiente tempestas orta est, & cœperunt periclitari. Ergo in corde Christiano trãquillitas erit & pax, sed quamdiu vigilat fides nostra: Si autem dormit fides nostra, periclitamur. Hoc enim significat dormiens Christus, quia quidam obliuiscuntur fidem suam, & periclitantur.

Tertullianus de fuga in persecutione.

Persecutio propter fidei probationem: ministerium autem iniquitas diaboli, propter persecutionis instructionem: ita eã per Diabolum, si forte, non à Diabolo euenire credimus. Nihil Satanæ in seruos Dei viui licebit, nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidẽ electorum in

tentatione victricem: aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi a Deo accepisset potestatem, nec in substantiam quidem eius, nisi Dominus, Ecce, dixisset, omnia quæ sunt ei, in manu tua do, in ipsum autem ne extenderis manum. Denique nec extendit, nisi posteaquam & hoc postulanti Dominus, Ecce, dixisset, trado tibi illum, tantum animam eius custodi.

Origenes, Homil. 9. super Numeros.

Et factum est, cum irrueret synagoga super Mosen, & Aaron, in impetu fugerunt ad tabernaculum testimonij. Illud vero obtexit nubes, & apparuit Maiestas Domini, & introiuit Moses & Aaron ad faciem tabernaculi testimonij. Non legimus antea, quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit Maiestas Domini, & receperit intra nubem Mosen & Aaron, nisi nunc cum insurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit. Discamus ex hoc, quanta sit vtilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus, quomodo abundanter sanctus Spiritus infundatur. Tunc enim maxime gratia Dei adest, cum hominum sæuitia concitatur, & tunc pacem habemus apud Deum, cum ab hominibus propter iustitiam bella perpetimur.

Diuus Augustinus, Psalmo 26.

Nouimus hoc, & legimus in libro Iob, quia neoille, qui videtur quasi maximam habere potestatem ad tempus Diabolus, potest aliquid nisi permissus. Accepit potestatem in infima, & amisit maxima & summa. Et non est ista potestas irati, sed pœna damnati. Nec ipse ergo potest habere aliquam potestatem, nisi permissus. Et in illo libro habes, quē cōmemorauí, & in Euangelio Dominus dicit: Hac nocte postulauit Satanas, vt vos cribraret sicut triticum, & ego rogaui pro te Patrem, ne deficiat fides tua. Permittitur autem aut ad pœnam nostram, aut ad probationem. Ergo quia nobis nemo potest auferre, quod dat Deus, non timeamus nisi DEVM, quicquid aliud superbierit aduersus nos, non timeat cor nostrum.

Diuus Augustinus, Psalmo 90.

Iob Diabolum non videbat, sed potestatem Dei intelligebat: Nouerat quia Diabolus in eo nihil posset, nisi ab illo, cuius summa potestas est, permitteretur: totam gloriam Deo dabat, potentiam Diabolo non dabat. Nam & quando abstulit Diabolus omnia, hoc dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit. Non dixit, Dominus dedit, Diabolus abstulit, quia nihil abstulisset Diabolus, nisi permisisset Dominus. Ideo autem permisit Dominus, vt homo probaretur, diabolus vinceretur. Et quando eū plaga percussit, ille permisit: quia cum a capite vsq; ad pedes in putredine vermium flueret, nec tunc tribuit diabolo aliquam potentiam Iob: sed cum ei suggessisset & vxor eius, quam solam reliquerat diabolus, non consolatricem mariti, sed adiutricem sui, & dixisset ei: Dic aliquod verbum in Deum, & morere. Dixit ei: Locuta es tanquam vna ex insipientibus mulieribus: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustinebimus?

Psalmo 103.

Noli falli, nouit te Dominus Deus tuus: & sic te nouit, vt capillos tuos habeat numeratos. Quid ergo times? Tentarurus est forte carnem tuam, flagellum est Domini Dei tui, non potestas tentatoris tui. Vult nocere saluti, quæ promittitur. Sed non permittitur, vt autem non permittatur, habet caput Christum, repelle caput Draconis. Suggestioni eius noli consentire, à via tua noli labi.

Idem Psalmo 34.

Nullum maius, nullum melius negotium est in tribulatione, quam re-

cede-

cedere ab eo strepitu qui foris est, & ire in interiora mentis secretaria. Ibi Deum inuocare, vbi nemo videt gementem & subuenientem, illius cubiculi aduersus omnem extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare & laudare Deum, & corripientem & consulentem. Prorsus hoc omni modo tenendum est.

In sententijs diui Augustini, Sentent. 23.

Iusto iudicio Dei datur plerunque peccatoribus potestas, qua Sanctos ipsius persequantur, vt qui Spiritu Dei iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

Origenes in Lucam, Homil. 26.

Quapropter antequam oriatur tempestas, antequam ventorum flabra consurgant, priusquam intumescant flumina, dum adhuc silent vniuersa, omne studium nostrum ad ædificiorum fundamenta vertamus: ædificemus domum nostram varijs firmisq; lapidibus præceptorum Dei, vt cum persecutio sæuierit aduersus Christianos, durusq; turbo surrexerit, ostendamus nos habere ædificium super petram Christum Iesum.

Idem, Psalmo 37. Homil. 1.

Omnis quidem correptio ad præsens non videtur gaudij esse, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimũ his, qui per eam exercitati sunt, reddet iustitiæ.

Idem, Homilia 2.

Etiã hæc vox boni & optimi (vt ita dixerim) peccatoris est, qui deliquerit quidem, spectet tamen delictorum flagella, quibus in præsenti optet emendari, ne puniatur & pereat in futuro. Propone tibi ante oculos peccatorem dicentem ad Dominum: Ego, quoniam peccaui, iam nunc in flagella paratus sum, noli me reseruare igni æterno, noli me reseruare exterioribus tenebris. Dum in hac vita sum, redde mihi peccata mea, quoniam flagellas omnem filium quem recipis. Oro te, flagella me quoq;, & noli me reseruare cum his, qui non flagellantur, qui in laboribus hominũ nõ sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, id est, qui penitus derelinquuntur à te, quorum emendationem correptionemq; non quæris.

Ego in flagella paratus sum, id est, si volueris superducere languores in me, mittere ægritudines, tolerabiliter feram: Scio quia dignus sum, vt non solum per ægritudines peccata mea soluantur, sed per omnes afflictiones purgari desidero, tantum vt æternis pœnis & cruciatibus non reseruer.

Hilarius, Psalmo 118.

Bona omnis passio, bonæ omnes tribulationes, per quas iustificationes Dei cognoscuntur, vt peccantes humilitate emendet, vt delinquentes seueritate coerceat, vt ignorantes doctrina doceat.

Ibidem.

Periculosa otiosæ fidei pax est, & faciles securis excubiis insidiæ sunt. Bellis autem exercitatum virum nõ cito doli capient, & glorioso certamine opus est, vt corona victoriæ deferatur.

Chrysostomus ad Philipp. cap. 3. Ser. 13.

Nihil est quod adeo sit inconcinnum & alienum à Christiano, atq; requiem & recreationem quærere: & ad præsentem vitam nimium officii, alienum est à professione & militia nostra. Dominus tuus crucifixus est, & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus est, & tu delitiaris? Et vbi sunt ista militis generosi?

Chrysostomus in Matthæi cap. 3. Homil. 12.

Propterea Deus in te tribulationes irruere permittit: Primo quidem, vt discas, quoniam Christi Baptisma multo [illegible] fecerit fortiorem: Deinde, vt in

egregia illa animi mediocritate permaneas, neq; donorum scilicet magnitudine elatus, neq; tentationum mole depressus. Adhæc vero, vt malignus ille dæmon, cum de tua a se discessione dubitat, ex ipsa tribulationum tolerantia discat, quod perfecta ab illo abrenunciatione discesseris. Quarto, vt fortior, & ipso prorsus ferro valentior tentationum exercitatione reddaris. Quinto, vt capias grande documentum thesaurorum tibi a Domino creditorum. Neque enim supereueniret tibi, neque aduersus te diabolus irrueret, nisi in maiore te positum honore conspiceret.

Ambrosius de Isaac. cap. 5.

Multi sunt qui in otio quærunt Christum, & non inueniunt, & querunt eum in persecutionibus, & cito inueniunt.

Lactantius lib. 5. cap. 23. ex Senecæ.

Deus homines pro liberis habet, sed corruptos & vitiosos luxuriose ac delicate patitur viuere: Quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsum virtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac deprauari sinit. Vnde nemini debet mirum videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur à Deo. Imo vero, cum vexamur, ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo Patri, quod corruptelam nostram nõ patitur longius procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, nos esse Deo curæ, quoniam, cum peccamus, irascitur.

DE ALLEGORIIS.

EX Allegorijs, quæ fidem concernunt, pie & dextre adductis, nõ parum sæpe fructus ad auditores verbi diuini permanat. Idcirco visum est inter exempla tertij Præcepti earum aliquot adducere, vt pius inde animus ad alias quoq; eruendas & perpendendas excitetur. De his consule libellum Hieronymi VVelleri de modo concionandi.

Porro Allegoria vulgo dicitur, cum aliud dicitur, aliud intelligitur. Allegoria est in sententia, Metaphora in verbis & vocabulis. Nec vlla lingua Allegoriarum adeo referta atque Hæbraica sacræ scripturæ.

DE IMMOLATIONE ISAACI, GENES. XXII.

QVod Abrahamus filium suum immolare iubetur, allegoriam de fide in se continet peruenustam. Abrahamus æternum patrem designat, qui humanum genus propter peccata funditus delere constituit. Isaacus humani generis figura est. Angelus arietem ostendens Spiritus sancti, is Deum paternæ misericordiæ, & amoris erga humanum genus commonefacit. Aries inter vepres hærens cornibus, Iesum Christum designat, qui ex diuino decreto factus est victima, vt a morte humanum genus redimeret.

DE ARCA FOEDERIS, EXOD. XXV.

ARca fœderis Christianæ Ecclesiæ figura est. Duæ tabulæ in arcam recõditæ denotant, quod Ecclesiam tam Propheticæ, quam Apostolicæ doctrinæ conseruatricem adeoq; propugnatricẽ esse conueniat, hoc est, totius S. Scripturæ, tam veteris, quam noui Testamenti. Et sane vbicunq; libri hi leguntur, & syncere docentur, ibi quoq; vera est Christi Ecclesia. Sanctuarium, in quo arca reponitur, est Christus ipse. Nam vt in illo solo Christiana Ecclesia permaneat necesse est. Vnde diuus Paulus ad Coloss. 2. ait: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi.

DE

DE SAMSONE, IVDIC. XIIII.

SAmſon imago eſt Seruatoris Chriſti: Sponſa Samſonis, Chriſtianæ Eccleſiæ: Conuiuæ, tum Iudæorum tum gentium: Problema, quod conuiuis Samſon propoſuit, Euangelij prædicationem denotat. Quemadmodum ergo ſponſa blanditijs ſuis & precibus Samſonem exorat, vt ſibi problema ſolueret, quod ipſa deinde conuiuis interpretatur: Eunde ad modum Chriſtiana Eccleſia myſteriorum ſacroſancti Euangelij explicationē a ſponſo ſuo Chriſto aſſequitur, & conuiuis, hoc eſt, ijs, qui ad regnū Chriſti vocati ſunt, ediſſerit. Quemadmodum enim ſponſæ preces apud ſponſum neutiquam irritæ ſunt, ſic nec Eccleſiæ preces apud Chriſtum cadunt irritæ. Leo a Samſone diſcerptus mortem deſignat victam & oppreſſam, cui Chriſtus aculeum ſuum abſtulit. Apes & mel adumbrant promiſſiones dulciſſimas, & conſolationes ſacroſancti Euangelij.

Allegoria ex Euangelio Marci 16.

Mulieres coementes aromata, & ſummo diluculo ad monumentū venientes, vt Chriſtum vngerent, imago ſunt omnium fidelium, quibus vere cordi eſt Euangelium, & qui ſyncero amore, veraque fide Chriſto adhærent. Aromata omnis generis deſignant beneficia, quæ pijs Eccleſię doctoribus exhibentur. Præterea docemur in pio hoc mulierum amore, quo ad monumentum properabant, vt Chriſtum vngerent, eos, qui pacata mēte in Chriſto obdormierunt, honeſte ſepeliendos eſſe, & locum ſepulturæ in honore habendum, vt qui vere ſit cœmeterion, quaſi dicas, locus cubationis, & quietis. Summo diluculo veniunt ad monumentum exorto Sole. Monumentum ſacram denotat Scripturam, ad quam perturbata & contrita corda confugient, vt conſolationem inde hauriant. Sol Chriſtum deſignat, qui nobis exortus eſt, & reſurrexit in conſolationem & iuſticiam. Malach. 4. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. Lapis oſtio monumenti impoſitus præfigurat omnis generis tentationes, quibus corda & conſcientiæ coarctantur. Hunc lapidem quiſquis amoliri velit, is accedat eos, qui verbū Dei docere & interpretari ſciunt. Præterea lapis iſte magnus doctrinas & traditiones hominū ſignificat, falſas, impias, & fanaticas. Qui lapis niſi a ſepulchro ſacræ Scripturæ auolutus fuerit, vt citra impedimentum in ſepulchrum illud Sacrarum literarum introſpicere liceat, & coram videre, quomodo Seruator Chriſtus reſurrexerit, nobisq; perditam iuſtitiam reſtituerit, homo vſque per impura ſua opera iuſtitiam quærere ſatagit. Angelus qui lapidem amolitur, Euangelij præconem adumbrat. Iſtius enim vere officium eſt, reuoluere prægrandem iſtum lapidem. Idem Angelus ad dextram ſedens innuit, Scripturam pure, & dextre explicandam eſſe. Stola candida Angeli denotat, Euangelij doctorem candida veſte amictum eſſe debere, hoc eſt, vitam agere caſtam, puram, & in conſpectu hominum irreprehenſibilem. Quemadmodum diuus Paulus ad Titum 1. docet.

DE NAVICVLA CHRISTI, MATTH. VIII.

NAuis, qua Chriſtus vehitur, figura eſt Chriſtianæ Eccleſiæ, Mare, ipſum mundum adumbrat, Procellę & fluctus, Satanam, omnesque veritatis hoſtes. Diſcipuli, omnes Chriſti fideles, tam doctores, quam auditores ſacroſancti Euangelij. Antequam Chriſtus cum diſcipulis ſuis nauim ingreditur, placidum & tranquillum eſt mare, quoniam aguntur omnia ex arbitrio Satanæ. Vt primum autem Chriſtus cum ſuis diſcipulis in altū ſubuectus eſt, protinus ſæuientium tempeſtatum furor vaſtum mare perturbat. Tunc enim Satanæ tyrannis & rabies ſeſe exerit, vt qui Chriſtū, eiuſq; verbum tolerare prorſus nequeat. Nam & ipſi nos edocti experientia, a-

nimaduertimus, quod, simul atq; Euangelij doctrina annunciatur, certatim se ei opponant Imperatores, Reges, Principes, Pontifices, & omni vi nauiculam, Christi Ecclesiam, oppugnent, & eam cum omnibus, qui ea vehuntur, submergere & pessundare conentur. Nam verbo Dei sonante, omnia in toto mundo turbantur, furiisq; agitantur, quod & Psalmus docet: Quare fremuerunt gentes? Quemadmodum & Christi Apostolorumque tempore, hinc omnibus seculis, & in hodiernum vsq; diem in delenda Christi Ecclesia omnes mundi vires in vnum quasi coierunt, & Martyrum sanguine orbis terrarum vbique conspersus est. Quod autem in naui dormit Christus, eo significatur, quod persecutionis tempore Christ⁹ nõ nunquam ad tempus dormire videatur, & contra Satanas rerum potiri. Verum Christus per discipulos, omniumque fidelium prèces excitatur, vt ventos & mare increpet, & Satanæ, omniumque tyrannorum impetum coerceat, & Ecclesia verbumq; eius firmiter persistat, etiamsi vel rumpatur, & Satanas & mundus.

DE ILLO QVI INCIDIT IN LATRONES, Lucæ 10.

PArabola, qua vtitur Seruator Christus, Lucæ 10. de eo, qui incidit in latrones, mystico sensu hunc ad modum accipi potest.

Primum per Baptismum cœlestis Hierusalem ciues facti sumus. Cum ergo neglecto fœdere, quod cum Deo per Baptismum inijmus, Hierosolymis Hierichũta versus ciuitatem illam maledictam tendimus, hoc est, vitæ impiæ animum adijcimus, tum in latrones incidimus, nempe peccatũ, mortem, Satanam. Hi nos plagis vulneribusq; confectos, semineces reliquunt. Sacerdos & Leuita prætereunt: Hoc est, Lex ipsa, & quicquid sanctis operibus addictũ est, nullam affert salutẽ. Solus ille Samaritanus, Seruator noster Iesus Christus, miseretur nostri, infundit vulneri vinum & oleum, hoc est, annunciat pœnitentiam, & peccatorum remissionem. Vinũ siquidem pœnitentiam præfigurat, & Legem, quæ mordet conscientiam. Rursus oleum sacrosanctum Euangelium, verbum cõsolationis & gratiæ, quod dolorem omnem pellens, gratam affert delinitionem. Christus nos in diuersorium Christianæ Ecclesiæ deducit, cõmendat nos hospiti, nempe synceris Ecclesiæ doctoribus, quibus incumbit, vt quod restat in curando vulnere, splenijsque superimponendis, perficiant, dum verbum sedulo docent, & Sacramenta administrant, donec Christus nos rursus educat è diuersorio huius mundi in æternam vitam. Hunc ad modum historiæ sacræ allegorico sensu non inconcinne explicari possunt.

DE IONA PROPHETA.

CVm Ionas in mare abiectus esset, & qui naui vehebantur, prorsus de salute eius actum esse putarent, præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam, in cuius ventre tribus diebus & noctibus incolumis propheta mansit, & ex Dei prouidentia, verbo & mandato piscis eum illesum in aridam euomuit. In hac historia, inquit Lutherus, euidenter ostendit æternus Deus, quod ipse in manu & mortem & res omnes habeat, & quam facile ipsi sit, e periculis extremis eripere, & salutem, vbi nulla iam salutis spes affulget, præstare. Ipse vbiq; præsto est, in morte, in inferno, in medio hostium, adeoque in eorum cordibus. Nam fecit omnia, & regit omnia, & eius voluntati omnia subiacent.

Propter nos autem hæc scripta sunt, & propter nos miraculose adeo eius ostenditur potentia, vt firma fiducia in eum speremus, cum vel in ipsa morte, vel hostium manibus constricti tenemur.

Porro

Porro verba hæc explicãs Lutherus: Et dixit Dominus piſci & euomuit. Ionam in aridam: Hic proprius, inquit, & genuinus Scripturæ ſtylus eſt. Nempe quod Deus omnia faciat & operetur verbo ſuo. Quemadmodum Ioannis 1. Omnia per ipſum (Verbum) facta ſunt: & ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt. Sic Pſalm. 33. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Sic Ionam piſcis iſte digerere non valuit, adeoq; natura ipſa piſcis à ſolita ſua operatione & digeſtionis virtute quieſcens, eſcam reddere, eamque incorruptam euomere coacta eſt, adeoque admiranda Dei potentia hic in Iona ſe exerit. Omnia naturæ ſuę contraria operantur. Quæ morti inſeruiebant, ea vitæ hic redduntur organa. Ionas per eum, à quo detentus ad mortem ducebatur, vitę beneficium accipit Quin & mare ſuo hoſpiti cedere cogitur, vt in aridã deferatur. Hic nec montium fundamenta perſiſtunt, nec terrarum obices quicquam valẽt, & maris vligo tegendi ſubmergendique vim amittit. Hæc noſtra eſt conſolatio & fiducia, qua in Deum ſpem noſtram collocamus, apud quem Mors & Vita idẽ ſunt, alterumq; altero permutare ipſi, nec operoſum nec difficile eſt. Nempe quæ nobis ſunt impoſſibilia, in iis maieſtatem & gloriam ſuam Deus oſtendit. Quemadmodum docet Pſalmus 104.

DE APOSTOLO PETRO.

PEtrus in Chriſti nomine & mandato ſuper aquas ambulat, Matth. 14. Cæterum cum videret ventum validum, territus eſt: & cum cœpiſſet demergi, clamauit, dicens: Domine ſerua me. Et continuo Ieſus extenta manu apprehendit eum, & è periculo eripit. Eundem ad modum Seruator Chriſtus nos ſæpe è variis & extremis liberat periculis, quemadmodum promiſit: Cum ipſo ſum in tribulatione: Eripiam eum, & glorificabo eum. Pſalm. 91.

Niteris in caſſum Petri ſubmergere nauem,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

NAVICVLA CHRISTI, EX MARTINO *Luthero.*

CVm diſcipuli in nauicula, in qua Chriſtus dormiebat, aduerſa laborarent fortuna, & graui orta tempeſtate fluctibuſq; nauim operiẽtibus, iuxta rationis ſuæ iudiciũ prorſus de ſalute ſua actum eſſe putarent, Chriſtumque in tantis terroribus & anguſtijs excitarent, clamantes: Domine ſerua nos, perimus: Ibi excitatus Chriſtus increpauit ventos & mare, & protinus facta eſt tranquillitas magna.

Hanc hiſtoriam explicans Lutherus, Hæc, inquit, Chriſtianorum eſt conſolatio, & in primis diuini verbi præconũ, qui firmiter ſtatuẽt, ſi Chriſtum vehant, & doceant, ſeſe perſecutionem toleraturos. Eſt autem purioris doctrinæ velut teſſera, eam odio & perſecutioni expoſitam eſſe mnndi & Satanæ, & præſertim eorum, qui ſanctitate, doctrina, & ſapientia reliquis præſtare iudicantur. Quemadmodum rurſus doctrinam parum ſanã eſſe indicium eſt, ſi quorũuis applauſu excepta à mundo colitur. Quod & Seruator Chriſtus Lucę 6. confirmat, inquiens: Væ vobis cum laudauerint vos omnes homines. Secundũ hæc enim faciebãt Pſeudoprophetis patres eorũ. Beati eritis cum vos oderint homines, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis. Secundum hæc enim faciebãt Prophetis patres eorum. Conſidera quæſo vitam eorum, qui proceres Eccleſiæ perhiberi volunt, & quæ ſit ratio ipſorum doctrinæ attende. Mundi huius bona, honores, potentiam, ſibi ſubiecta habent, interim Chriſtia-

nos doctores se profitentur,& quisquis eorum doctrinam laudat, atq; sectatur,is honoribus,diuitiis & voluptatibus cumulatur. Quare in hoc ostenditur exemplo vbi fidelib.Christi doctoribus, aliisq; syncera fide verbum amplectentibus, cum persecutionibus & afflictionibus infestantur, consolatio,refugium,& auxilium quærendum sit.Nequaquam apud mũdum.Humana eos sapientia & potestas minime tuebitur. Sed Christus ipse,& quidem solus. Ad eum confugient,ei firmiter adhærebunt in omni tribulatione & necessitate, quemadmodum & hic faciunt discipuli. Nisi enim certa fiducia ipsius ope & auxilio freti fuissent, nequaquam eum excitassent,neque eius opem imploràssent. Quanquam fides adhuc infirma erat, multumque in se habebat diffidentiæ. Nec enim prompti erant cum Christo vel præsentissimum vitæ periculũ subire,nec firmiter credebant,eum,vt vt res caderent, vel ex mediis fluctibus, vel ex ipsius mortis faucibus omnes facile erepturum. Et vt ad pauca redigã, historia hæc Euangelica duo nobis exhibet Prouerbia, quæ animos fidelium,& consolatione & quadam audacia erigunt.Prius est, quo vtemur ingruente persecutione,dicentes:In naui est Christus.Quare mare æstuat, venti sæuiunt, fluctus nos obruunt,& prorsus submergere conantur. Altero sic vtemur: Sæuiant quantum libet,venti & mare, attamen Christo obedient. Haud vltra præfixum ab illo terminum durabit persecutio. Quãtumuis nos obruant impij,attamen Christo subiecti esse cogentur. Ille Dominus est super omnia,quare nulla oberit nobis Tyrannorum rabies.Eam saltem nobis largiatur gratiam,ne ex diffidentia deficiamus,Amen.

Saluator Christus is est, qui maris fremitum & sæuitiam sedare potest, Tyrannorumq; impetum & furorem coërcere,ne sua persecutione Ecclesiam oppressam funditus extirpent. Eius virtus & potentia omnem potẽtiam superat. Quare merito canimus:

Ex Germanica paraphrasi Psal. 46. Luth.

Nil nostra valet potentia,
Vt illa resistat hostibus.
Protector at fortissimus,
Est noster heros,quem Deus
Elegit ipse.Si rogas
Quis nam sit ille? Nouerus
Hunc esse Christum Maximum,
Et vnicum mundi Deum,
Quem certa penes victoria
In secla durat gloria.

Vt scapha non perijt tumidis agitata procellis,
In medijs Christus cum veheretur aquis:
Sic sibi fidentem,grassantibus vndiq, sectis,
Cœtum non vnquam deseruisse volet.

Testatus est Christus, & adhuc hodiernum in diem testatur, se Dominum esse maris, procellarum , fanaticorum hominum , tyrannorum, omniumq; creaturarum , in hunc omnem nostram collocabimus fiduciã, hunc in omni tribulatione inuocabimus. Ipse & potest & vult nos protegere,& liberare,quemadmodum ipsemet nobis pollicetur: Ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi.

DE PAVLO APOSTOLO.

PLenum quoq; consolationis exemplũ in diuo Paulo nobis proponitur, dum in vehementi,diuturna,periculosaq; tẽpestate & maris sęuitia, in ipso quoque naufragio, cum omni humana ope destitutus esset,vna cum ducentis septuaginta sex animabus mirabiliter conseruatur, omnesq; partim natantes,partim arreptis tabulis, collisæque nauis fragmentis innitẽtes,incolumes in terram euadunt. In hoc periculo & naufragio diuũ Paulum, cæterosque qui vna in naui erant, solus Seruator Christus,vt gubernator nauis & Ecclesiæ, sua cura & gratia , diuinoq; suo auxilio conserua-

uit. Quemadmodum Paulus ipse omnes, qui naui vehebantur, consolatus fuerat, inquiens: Et nunc hortor, vt bono animo sitis, iactura enim animæ nulla erit ex vobis, sed tantum nauis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, quem & colo, dicens: ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecū. Propter quod bono animo estote viri. Credo enim Deo, quod sic erit, quēadmodum dictum est mihi. Christus Seruator, qui clementer adeo tum temporis seruauit Paulum, & hodiernum in diē vsque pusillum gregem eripere & liberare vult in hac terra ex omnibus calamitatibus: Quēadmodū pollicetur Sophon. 3. Et derelinquā in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini.

In Allegoriis hæc regula obseruabitur: Primum vt analogiæ fidei sint conformes. Deinde ne sint ineptæ, vel absurdæ, sed cum textu dextre conueniant.

Quoniam autem vetustiores illi Ecclesiæ doctores pulcherrimas sæpe auditoribus proposuere imagines, in quibus Christianum militem quasi depinxere, illarum etiam præcipuas subnectere hic visum est.

DE S. CHRISTOPHORO.

S. Christophorus strenuum Christi militem & cōfessorem denotat. Moles illa & robur corporis designat, in Christiano requiri ingens robur fidei, quo omnem tyrannorum, mundi, Satanæ furorem sustinere & superare possit. Fidem suam Christophorus soli cœlesti, & potentissimo Regi, cui seruiat, Sacramento astringit. Sic omnes fideles in Baptismo sancte promiserunt, soli Deo sese seruituros. Deducitur quoque ad Eremitam, qui ei Christum monstret Regem omnium Regum, & qua ratione sit ei seruiendum doceat. Quo innuitur, ad fidos Christi ministros & doctores Euangelii accedendum nobis esse, vt per fideles eorū conciones Christū discamus agnoscere. Porro quod rem nullius momēti & laboris esse iudicat Christophorus portare puerum paruulum, Christum nempe, qui noctu eū excitat, iubens, vt se ad vlterius maris littus transportet (cum enim potentissimo Regi inseruire constituisset, id muneris ei demendatū fuit, vt homines mare transueheret) ponderis autem magnitudine tantum non submergitur, prægrandi tamen arbori innitens se sustentat. Hoc indicatur figmento, quod Christianorum vita facilis quidem & leuis appareat: verum vbi Christum, eiusq; crucem humeris imposuerint, tū graue adeo pondus incumbat, vt prorsus eis succumbendum sit, nisi proceram & firmam arborem verbi Dei apprehendant, eique innitantur. Nempe verbum Dei est procera illa arbor, quæ Christianos sustentat & erigit. In vasto hoc mundo, per quem Christum & gestare & confiteri nos oportet, varia nobis maris monstra immanesque beluæ occurrunt, diabolus scilicet, peccatum, mors, mundus ipse, caro, omnisque generis tentationes & tribulationes. Ideirco senex, vel Eremita, vt in picturis solet exprimi, lucernam in littore præfert, viamque baiulo monstrat. Per hunc adumbratur præco vel Doctor verbi diuini, qui viam nobis per gratuitā Euangelij lucem monstrat, vt superatis omnibus periculis, portum æternæ vitæ obtineamus.

DE EODEM EX PHILIPPO *Melanchthone.*

CHristophori imago doctorem significat Euangelij, is enim Christum gerit monstrandum alijs hominibus. Oportet autem in tali vi[illegible] ma-

gnum animi robur esse, ideoq; pingitur magna corporis moles. Nam infinita pericula subeunda sunt doceti Euangelium, quare & iste heros per mare ac medios fluctus incedit, & vndique circũ eum natant varię beluę, minãtes ei exitium. Puer quem gerit, exiguus est. Nam potentia Christi aliquando perexigua videtur, laborant & periclitantur Apostoli, nec videntur adiuuari a Deo. Et queritur Christophorus inusitatum pondus esse. Puer ipse opprimit baiulum: Sæpe enim Deus ipse videtur aduersari ac iratsci, & terret pios, & pene ad desperationẽ adigit. Interim tamen erigit se Polyphemus ille, ac sustentat se quadam arbore, hoc est, Sancti in terroribus sustentãt & erigunt se verbo Dei. Et illa arbor primum marida, postea florere incipit. Nam doctrina parit multos bonos fructus, seruat & doctorem & Ecclesiam, quanquam impii iudicant doctrinam inanem: & inutilem esse. Præit autẽ in littore senex cum lychno. Is significat Prophetas, qui ante Christum natum de eo vaticinati sunt, & testimonio suo nos cõfirmant. Neque vero deest victus piis, tametsi impii vbique cupiant eos perditos esse, ideo secum in pera piscem ac panem gerit. Vides quam apte in hac pictura significatum sit, qualem esse, & quid sustinere Christianũ, ac præcipue doctorem Euangelii oporteat. Merito igitur, laudata est imago, & in õnibus picta templis, non vt per superstitionem coleretur, sed vt nos admoneret nostrorum periculorum.

DE TVNDALO EQVITE.

SIc & in Tundalo Christiani equitis imago nobis prefiguratur. Huic per pontem angustum, qui palmi latitudinem minoris non excedit, transeundum est, imposita humeris graui sarcina. Subter pontẽ lacus est igni & sulphure ardens, draconibus venenatisque vermibus refertus; in medio ponte vir ei obuius est robustus armisq; munitus, mandãs, vt retrocedat. In qua figura vetustiores illi Doctores adũbrare voluerunt, quæ sit ratio vitæ, quam in terris agit, qui Christum profitetur & sequitur. Tundalus Christianum denotat militem, qui per viam angustam in vitam æternam deducentẽ, ambulat. Via nempe angusta, & periculosa est, propter varias tentationes mundi & diabolorum. Hic vt caute admodum Christianus incedat necesse est, soliciteque sibi prospiciat, ne in lacum tartareorũ draconum incidat, qui arreptum eum ad se pertrahere omni conatu laborãt. Grauis illa sarcina humeris imposita, est vetus Adam, & caro peccatis polluta, quæ Christianum premit, eumque ab incepto itinere auocare & ad desperationem perducere contendit. Vir ille armatus, qui in ponte occurrit, est Mundus ipse. is enim ei, qui pie in Christo viuere constituit, mãdat, vt retrocedens pericula subterfugiat, & potius securam in mundo vitam sibi eligat.

DE S. MARGARETA.

CHristiana Ecclesia est generosa illa Margareta. Polybius Tyrañus mũdum designat, capitalem Ecclesiæ hostem. Is S. Margaretam in vincula coniectam, omnium tormentorum generibus affligit. Ad quæ mala accedens Tartaricus draco, rictum aduersus eam diduxit. Contra huius rabiem se apprehensa sancta crucis imagine tuetur, hoc est, fide in Christum, qui diabolum ab ea abigit, conficit, & puram illam virginem liberat. Ex colloq. Luth.

DE S. GEORGIO.

GEorgius imago est boni Principis, cui cura & administratio Reipub. & patriæ, tum et Ecclesiæ defensio diuinitus cõmissa est. Nec enim sufficit

cit, vrbem, vel regionem amplam esse, diuitijs, omniumque rerum copia affluere, viris etiam prudentibus esse præditam. Sed vt heros ille miraculis præstans accedat necesse est. Nam quemadmodum Rex ille in Libya viribus suis draconem omnia deuastantem perdere non poterat, sed alexicacon illum Georgium implorabat, qui sua virtute & robore regionem ab imminenti malo liberaret: Sic æternus Deus piũ Imperatorem, vel insignem aliquem heroa aut principem constituit, qui patriæ succurrat. Filia Regis Draconi exposita, vt ab eo deuoretur, Rempublicam adeoq; ipsum designat Imperium, cuius sane amore Imperator vel princeps, non secus, atque filiæ vnice flagrabit. Draco omnis generis pericula, quibus Imperium infestatur, tyrannorumque furorem denotat, quo sæuiente, equitem illum S. Georgium largitur Deus, qui diuino munitus auxilio Rempubl. liberat, hostem istum Draconem interimit, pacemque in Regno vel Repub. constituit. Tales fuere Georgij in populo Dei, Iosua, Gideon, Samson. Inter Ethnicos, Achilles, Hector, Iulius Cæsar, Augustus, Alexander Macedo, Themistocles.

Peruenustę etiam Allegoriæ ex natura & proprietatibus animalium ratione carentium desumi solent, quarum aliquot subnectemus.

DE CROCODILO ET *Ichneumone.*

CRocodilus Satanæ, Ichneumon Christi imago est. Exilis est bestiola Ichneumon, mergit se limo sæpius, siccatq; Sole. Mox vbi pluribus eodẽ modo corijs se loricauit, per apertas fauces dormientis Crocodili instar teli se in ventrem eius conijcit, erosisq; ventris mollibus, interfecto Crocodilo immani bestia illæsus ipse rursus exit. Eundem ad modum Christus Seruator noster in terris se ipsum exinaniuit, assumptaque humana natura inter abiectissimos reputatus est, nempe in eum finẽ, vt nos redimeret, & in fauces tartarei Crocodili insiliret, qui sane tantam præ se ferebat potentiam, vt Christum intra fauces arreptum deuoraturus videretur. Verum cum iam triumphum ageret Satanas, Christo in sepulchrum reposito, Ecce Christus, eroso ventre Satanæ, regnoque inferorum deuastato, resurrexit.

Crocodilus immanis est bestia, & in Ægypti Nilo, & Gange fluuio Indiæ degens, malum quadrupes, & terra pariter ac flumine infestum, ex parua origine, quo nempe, quod anserini magnitudinem non excedit, creseit in tantam magnitudinem, vt duodeuiginti cubita magnitudine excedat. Caput squamis sic incrustatum est, vt nec tormentis sit perforabile. Et nautæ & viatores magna cura, & industria eius insidias & insultum euitare coguntur. Fertur hoc animal hominem deuoraturũ lachrymare. Vnde prouerbium, Crocodili lachrymæ, de fictis lachrymis. Ichneumon Ægypti bestiola, felis magnitudinem non excedit, muris formam repræsentans, vnde etiam vocatur mus Indicus, hostis Crocodili acerrimus, quem eo, quo dictum est, modo interimit.

DE LEONE.

LEo primum imago est pij hominis. Prouerb. 28. Iustus quasi Leo confidens absq; terrore erit. Quemadmodum ingens robur est Leonis, tantaque animi generositas, vt nullam bestiam, quantumuis immanem, exhorreat. Haud dissimilem ad modum Iustus, cum in fide firmatus fuerit, nullum extimescit hostem, siue externum, siue spiritualem. Adhęc quemadmodum Leo dormiturus non ad latibulum suum festinat, sed vbicunq;

somnus

somnus eum opprimit, ibi citra omnem metum somno indulget: Sic pius quocunque tandem locorum deferatur, siue terra siue mari iactetur, siue liber hinc inde ambulet, siue vinculis constrictus teneatur, semper tamen læto securoque est animo. Certus siquidem est, Dominum prope esse, sibique protectorem adesse, & refugium. Psal. 91. 139. Act. 10.

Secundo Satanę quoq; imago est Leo. 1. Petri 5. Aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Quemadmodum rugiens Leo, quem malesuada fames exagitat, horrendu fremit, nec vlli parcit animalium: Sic etiam Satanas & Deo & humano generi infensissimus est, inprimis autem fidelibus, aduersum quos immanissime sæuit, nec vlli parcere cogitat. Præterea leonem tam sæuum atq; immane animal rotarum orbes circumacti, gallinaceorum cristæ, cantusque etiam magis terrent, sed maxime ignes: Sic etiam Satanas, quamuis omnes hominū vires, robur, & potentiam contemnat, adeoque irrideat, attamen verbum Dei, fidem, & inuocationem Dei ferre nequaquam potest, sed eius clangore territus, protinus fugatur. Quemadmodum in Psal. mo Germanorum canitur:

Ex Germ. Paraphras. Psalm. 46. Luth.

Quantum libet nos terreat — *Terrere potest, vel ladere.*
Antiquus hostis, sæuitat — *Est iudicatus, vnius*
Minis, furore: Nil tamen — *Vis sternit ipsum verbuli.*
Hæc sæua nos violentia

ALLEGORIA DE PELLICANO.

NAturale est odium inter Pellicanum & Serpentem. Pellicanus, cum relicto nido pullis suis quærit cibum, interim serpens in nidū irrepens, pullos interimit, quos mater reuertens triduo lugere fertur, deinde vulnerans pectus suum, sanguine suo eos conspergit, & ad vitam hoc modo reuocat. Sanguine effuso debilitatur mater adeo, vt a pullis eam ali & refici necesse sit, quorum quidam ex naturali affectu matrem debilitatam pascunt, quidam vero degeneres, matris curam omnē abiiciunt. Quod mater animaduertens, receptis viribus pullos, a quibus ipsa refecta fuit, refouet, ingratos vero & degeneres, quos sensit, eos repudiat, adeoq; occidit.

Pulcherrima hęc imago est, filium Dei, Seruatorē nostrum repręsentās. Diabolus naturali odio filium Dei, eiusque pullos, hoc est, credentes, prosequitur, eisque vitam crudeliter eripit. Christus vero tanto nostri amore flagrat, clademq; nostram tanto animi dolore luget, vt animam suam pro nostra salute ponat, seque in latere & pectore vulnerari patiatur, nosq; ex ineffabili amore, sanguine suo aspersos a tartarei serpentis morsu, æternaque morte liberet, vitam suam pro nobis æterno patri offerens. Quod Christi beneficium quidam ex pullis amplectuntur, & sunt grati erga matrem ecclesiam, & Christum: Quidam vero degeneres negligunt beneficia, & erga matrem Ecclesiam sunt astorgi, quos tandem filius Dei ex Ecclesia exterminabit, & in extremo iudicio iudicabit.

DE ALCYONIBVS.

ALcyones imago sunt Ecclesiæ: Aues hæ in medio mari circa brumam nidificantes pullos suos excludunt. Eoque tempore septem ante & totidem post brumam diebus, tanta est maris tranquillitas, vt tum etiā nautis detur commoda nauigandi fortuna. Sic ipsa natura auibus hisce prospicit, omnisq; maris, ventorū, tempestatumq; impetus præter consuetudinem & naturam suam, Deo ita disponente, quiescit, vt alcyonibus cōsulatur. Qua in re imaginem Ecclesiæ suæ misericors Pater nobis ob ocu-

los

los ponit. Nam quemadmodum tranquillitatem alcyonibus concedere cogitur impetuosum mare, vt pullos suos excludant & foueant: sic turbulenta huius mundi violentaq; imperia ex benignissima misericordis Dei voluntate, hospitium, nidum, & tranquillitatem Ecclesiæ largiri cogun-
tur, vt per verbū & Sacramenta semper in hoc mundo sanctus Dei popu-
lus colligatur. Quod sane nulla sæuitia, nulla rabies, aut persecutio tyran-
norum prohibebit. Vere enim Psal.33.dicitur: Dominus congregat sicut in
vtre aquas maris. Dominus dissipat consilia gentium. Et Psal.46. Deus no-
ster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos
nimis. Quare nequaquam expaueſcimus, etiamsi vel mūdus pessum iret,
montes in mare demergerentur, mare exundans aduersus nos insurgeret,
& ex eius impetu & violentia montes ipsi euerterentur.

DE PLVVIIS ET NVBIBVS.

SVam quoque circa Ecclesiæ protectionem, misericordiam in tempestatibus æternus Deus nobis repræsentauit. Cœlum enim Solisque iubar cum turbidis nubibus obtectum est, continentiq; impetu in vada præcipitant nimbi, nullaq; serenitatis subsecuturæ spes affulget, adeoq; diluuij metus mortalium animos incessit: ecce de improuiso nubes dissipantur, & exoptata lucet serenitas. Sic etiā cum Ecclesia comparatum est. Ea cum infestatur persecutionibus, eaq; rerum est facies, vt prævalente tyrannorum furore, finis & interitus Ecclesiæ ingruere videatur, quemadmodum factum est sub Diocletiano, Iuliano, Maxentio: Ecce Deus tamen pro sua gratia Ecclesiæ pacem & tranquillitatem largitur. Quod & diuus Athanasius innuit, persecutionem nubeculæ comparans. Nubecula est, inquiens, quæ cito transit, quasi dicat: Fratres mei, Persecutionem credite nubeculam esse, quæ Solem quidem obtegit, sed non extinguit, & quæ cito dissipatur atq; euanescit. Non tantum aquæ sunt in terræ visceribus infra nos, sed etiam supra nos in aere, quæ si cum impetu decciderent, omnia in momento secum inuoluta extinguerent. Nubes supra nos suspensæ ferūtur, quæ magnum animis mortalium incutiunt terrorem, cum descendentes ruinam minantur. Quæ quidem naturali suo motu delapsæ nos obruerēt, nisi verbo Dei in loco sibi destinato ferrentur. Sic vndiq; nos aquis sumus circundati, sublimesq; supra nos feruntur aquæ, quasi camerata laqueata, quæ fulta sunt materia admodum subtili, nempe aere, in quo suspensæ nubes agitantur & volitant, non quidem ex propria virtute, sed ex mandato & ordinatione Dei, vel ex virtute verbi ipsius. Quod cum Prophetæ contemplantur, admiratione quasi obstupescunt. Vtrunq; enim naturæ contrarium est, tum molem tantam ferri sublimem, tum naturali motu eam in terram non decidere.

Quare nos aquis prorsus non obrui, acceptum feramus oportet diuinæ Maiestati, quæ modo admirando creaturas omnes ordinat, regit ac fouet, adeoq; a nobis exigit, vt hanc suam bonitatem agnoscamus, ipsum laudemus & celebremus. In his enim quasi in pictura quadam nobis suam declarat bonitatem, qua suam Ecclesiā in terris cōseruare velit, etiamsi ea sit rerum facies, ac si iamiam a tyrannis opprimenda, prorsusque delenda esset. Nam cum eorum furor est sæuissimus, tum omnipotes Deus frænum eorum ori injicit, omnesq; ipsorum conatus irritos reddens, suam maiestatem & gloriam manifestat.

DE SIRENIS.

TEmpestatibus in mari sæuientibus, Sirenæ dulci cantu se oblectant, læta mente serenitatem expectātes. Rursus cum cœlo sereno, mare tran-

quillum

quillum fuerit, lugubrem cantum, vel potius vlulatum cient, quasi tempestatis inconstantiam, subsecuturasque procellas deplorantes. Eadem fertur Delphini esse natura, quod tempestatib. sæuientibus lúdat, & quasi tripudiet. Eundem ad modum Christiani in spiritu gaudent & exultant, crucis & afflictionis tempore, quod & Christus ipsemet, Matth. 5. eos monet: Beati estis, inquiens, quũ probra ieecerint in vos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersum vos mentientes, propter me. Causam enim annectit, vel spem, propter quam Christiani in cruce lætari debeant. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.

DE INSVLIS MARINIS.

QVemadmodũ insulæ & promontoria in medio mari aduersus omnem fluctuum impetum immota persistunt, eminent, & conseruantur, sic etiam eminet & subsistit Ecclesia Dei in vasto hoc pelago ærumnarum & miseriarum, & quamuis omnis generis tribulationes & insultus, tum a sectarijs, tum a tyrannis sustineat, attamen ipsa reuera est & permanet Insula fortunata, dum immota in æternum subsistit, nec omnino vel opprimi vel submergi potest.

DE ARIONE CITHAROEDO.

QVemadmodum Arion cum cithara sua tergo Delphini insidens conseruatur, tutóq; per mare vehitur, suauiter ludens cithara, qua cantus dulcedine non solum Delphinus iste demulcetur, verum etiam aliæ quæ uis beluæ maris attonitæ auscultant: Pari modo ex Dei prouidentia sæpenumero accidit, vt Imperator aliquis, vel Rex, aut Princeps, Theologum, vel diuini verbi præconem magnis ornatum dotibus suscipiat, foueat, colat, atque promoueat, cuius doctrina non tantum dominus ipse, verum etiam multi ex subditis ad fidei veritatem adducũtur. Cuius rei offert se nobis exemplum illustre, in tribus laudatissimis ducibus Electoribus, Friderico, Ioanne, Ioanne Friderico, qui fuere Delphini, baiuli, cultores & promotores diuini illius viri Martini Lutheri, ea in re non tantum suis subditis, verum etiam toti Germaniæ, atque adeo exteris quoque nationibus inseruientes.

DE NOVIS INSVLIS.

QVemadmodum sæpe ad incompertas Regiones, vel Insulas antehac incognitas deferuntur nautæ, & per negociationes mutuas, mercium-que permutationes aditum ad eas patefaciunt, vt cum Rex Ferdinandus, auus maternus Caroli Quinti, anno 1480. eiectis Sarracenis, nauigationem in Indiam & Mauritaniam iam olim intermissam restituit, sic vt tota Africa magno cum fructu Hispaniæ nauigando circumiri possit. Sic etiam non raro accidit, vt ex diuina gratia mirabili prorsus modo Euangelij doctrinam in regionem barbaram, diuinæque veritatis prorsus rudem feratur, sicut in Borussiam & Liuoniam peruenit, & aliquo modo in Galliam. Et licet alicubi tum Sacramentariorum virus, tum Osiandri furores pullulent, attamen aliquos pro sua immensa misericordia puros ab ista impietate & verbi diuini corruptela conseruabit misericors Pater, & sibi etiam cœtum aliquem vel Ecclesiam in istis regionibus per verbum & Sacramenta ad æternam vitam colliget.

DE

DE LVCERNIS.

LVcernæ, quas antiqui Pharos nominabant, turres sunt in littore maris ædificatæ, in quibus nocturnæ faces procul & e sublimi nauigantibus cursum dirigunt, quo in portum inoffensi deferantur. Talis fuit turris in Pharo Insula non procul ab Alexandria, & in Hostiensi portu iussu Imperatoris Claudij extructa, præterea in promontorio, quod Ceras vocant, prope Byzantium. Et hodie quoque duobus millianibus vltra Lubecum in littore maris turris ad eum vsum extructa conspicua est. Huiusmodi lucernas sæpe erigit Deus Opt. Max. iuxta ampias & populosas ciuitates, iubetque in caliginoso hoc mundo claram verbi sui lucem e lucernis istis coruscare. Talis lucerna fuit Euangelista Marcus, diui Petri discipulus, qui Alexandriæ Euangelium docuisse fertur, & luce Euangelij vitam ad cœlos dueentem hominibus præmonstrasse, vt ad portum delati, vitam æternam, & salutem per fidem in Christum consequerentur. Talis etiam & quidem eminentissima lucerna fuit Martinus Lutherus VVitenbergæ ad Albim, quę longe lateq; per totam Germaniam lucem emisit, iuxta quam etiã nauis Christianæ Ecclesiæ in plurimis regionibus cursum suũ direxit.

Quemadmodum autem procellæ & turbines suo impetu eo tendunt, vt ardentes faces lucernis impositas extinguant, sic etiam horrendo stridore & sonitu, sæuoque murmure Satanas per sua organa homines fanaticos & tyrannos ardentes illas diuini verbi lucernas impetit, vehementique flatu prorsus extinguere laborat. Qua de re vide præfationem Luther. in 2. Tomum Germanicum, VVitenbergæ impressum.

DE PAVONE.

PAuo hypocritarum imago est: gemmãtos expandit colores, alijs auibus ex fastu ob micantem caudam se præfert, non solum gloriosum animal, sed & malenolum. Verum vbi deformes pedes suos aspicit, horrescens caudam demittit. Eadem & hypocritarum est ratio, per externa sua opera coruscant, peculiari vtuntur vestitu, qui indicium sit sanctitatis, sua opera volunt conspici & laudari, interim scatent inuidia atque odio, alios præ se despiciunt, soli ipsi & sancti & iusti perhiberi volunt. Verum si quis fundamentum & vitæ & doctrinę ipsorum consideret, nihil præter mendacia & blasphemiam, quæ sanis omnibus horrorem incutiant, animaduertet, quin ipsimet quoque, si pedes suos aspiciant, finemq; considerent, vt corpore & animo cohorrescentes in desperationem horrendam incidant, necesse est. Lutherus de Pauone dicere solitus est, quod amictus eius sit Angelicus, incessus hypocriticus, cantus diabolicus. Quibus in verbis egregie hypocritarum naturam & ingenium depinxit.

DE STRVTHIOCAMELO.

ET hæc auis hypocritarum ingenium repræsentat. Cum inter frutices caput occultauerit, latere se toto corpore putat. Eundem ad modum hypocritæ ad externa sua respicientes opera omnia sua peccata & flagitia tam coram Deo, quam hominibus tegi & celari existimant, adeoque Deo se placere iudicant: vt apparet in hypocrita, Lucæ 18.

DE APIBVS.

CVm in hortis examen apum ex alueari prorepere, regique suo firmiter adhærere, & in arborem proximam eum sequi videret D. Lutherus, En, inquit, in isto apum examine Christi Ecclesia scite nobis prefiguratur.

Rex apum Christum denotat, is congregat & ad se conuocat suos fideles, vt ei adhæreant, eumque solum sequantur. Cum autem ductor ille abtuerit, totum agmen apum disturbatur & perit. Eadem est ratio Ecclesiæ, si Christo ductori & Regi suo nō adhæreat. Per naturam & ingenium apum vniuersum Regis vel Principis imperium depingi poterit. Vide Georgica Virgilij.

HISTORIÆ ET EXEMPLA, QVÆ AD tertium item Præceptum referri possunt.

De Christo testimoniū lapideæ cistæ insculptum.

IMmperium Orientis administrante Irene, cum filio impubere Constantino, qui decimum annum ætatis agebat, in Thracia quidam inter fodiendum in lapideam cistam incidit, quæ humanum cadauer continebat, incisis in ea literis huiusmodi: Christus nascetur ex virgine, & credo in eum. Verum sub Irene & Constantino iterum me videbis Sol. Zonaras lib. 3. annalium.

Miracula circa Christi natiuitatē.

Orosius lib. 6. cap. 22. refert, quod eo tempore, quo Christus natus est, Augustus dominum se hominum appellari vetuerit: forte ex diuina reuelatione edoctus, natum esse verum Dominum totius generis humani.

Eodem quoque anno tunc primum idem Cæsar, censum agi singulorum vbique prouinciarum, & censeri omnes homines iussit, ac si rationem administrati Imperij potentiori alicui Domino sibi reddendam esse metueret. Præterea eo anno Iani templum clausit Augustus, cunctis gentibus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum vna pace compositis. Nam & Prophetæ Regem pacis & iustitiæ Christum nominarunt. Præterea die illo, quo Christus natus est, Romæ oleum e terra per totum diem manauit, Christi gratiam gentibus offerendam denotans. Vide Chron. Platinæ.

Suida autor est, Cæsarem Augustum (sub cuius Imperij anno 41. Christus ex virgine natus est, quod & Irenæus lib. 3. cap. 35. testatur) sacra facientem interrogasse, quisnam post ipsum regnaturus esset, & respondisse Pythiam:

Παῖς Ἑβραῖος θεὸς αὐτὸς μοι, θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τόνδε δόμον τοῦδε λιπεῖν, ἠδ' αἰθέρα κῦδος ἰκέσθαι.
Λοιπὸν ἀπὸ σηκῶν σὸν βωμῶν ἡμετεροφώνων.

Me puer Ebræus, cœli qui regnat in arce
Cogit abire domo hac, & ad infera claustra redire,
Quod superest tacitus nostris discedito ab aris.

Quo accepto responso Augustus, confestim deserto Apollinis templo, in Capitolio aram extruxit, in qua Latinis Literis inscripsit: Hęc ara est primogeniti Dei. Fertur præterea omnia idolorum & dæmonum oracula per Græciam & alias passim nationes Christo nato cessasse: Romuli quoque imaginem apud Romanos collapsam esse.

Antiochiæ terræ motus.

Anno supra millesimum 27. Antiochiam graues terræ motus, horrendæ q; tempestates subinde concusserunt. Quæ res causa fuit ciuibus, vt ardentibus ad Deum precibus confugerent. Ibi vir quidam pius per visionē iussus est, ciuibus indicare, vt postibus ædium inscriberent: Christus nobiscum, state. Quo facto ira Dei sedata est. Chron. Hedion. parte 2.

Ioannes Patriarcha Alexandrinus, omnem quam potuit, & quibuscunque modis potuit, benignitatē & misericordiam erga pauperes exercuit, nec sine singulari voluptate aliorum erga indigentes liberalitatem prædicari audiuit. Quare summis euehit laudibus Serapionem Sidonium san-

ctum

ctum verbi diuini doctorem, qui cum brumali sæuiente frigore pauperi, quem obuium sibi habebat, dedisset pallium, vlterius progressus, alij cuidam tunicam largitus est. Interrogatus deinde, a quibusnam spoliatus esset? Hic, inquit liber, librum quem habebat Euangelij ostendens, id fecit. Alio tempore ipsum quoque Euangelij librum vendidit, pauperibusque eleemosynas inde elargitus est. Discipulisq; interrogantibus, vbi librum amisisset? Respondit: Dictum est ad me, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Accidit aliquando, vt vidua eum accedens, conqueretur de sua inopia & fame, qua cum liberis suis premeretur. Cum autem nihil ipsi in promptu esset, quod ei communicaret, seipsum viduæ tradidit, iussit vt se Græcis venderet. Quod cum vidua, vrgente ipso Serapione fecisset, paucis ille interiectis diebus Græcos ad Christianam fidem adduxit. Hist. Eccles. Casp. Hedion. lib. 5. cap. 10.

Serapionis Sidonij erga pauperes benignitas.

Bensyra Sentent. 10.

Ne retrahas manum tuam, quo minus eleemosynam pauperibus elargiatur, etiamsi vltra obulum cõmunicare nequeas. Nam ideo moneta orbicularis est, ne in eodem subsidat loco, sed vlterius semper voluatur.

Adolphus, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus in Bernburg / & Zerbst / anno supra sesquimillesimum decimo quarto, Mersburgensis factus episcopus, multis & præclaris dotibus illustris fuit Princeps, statura quidem non admodum procera, sed animo magno, & autoritate grauis, benignus, sanctus, clemens, in erogãdis eleemosynis largus, in docendo verbo Dei potẽs, omnis generis flagitia & scortationem, tam in Ecclesiasticis, quam secularibus, citra cunctationẽ puniebat, familiã quoque alebat modestam & piam, erga pios benignus & comis, erga malos grauis & seuerus. Reip. administrationem dextre institui sedulo curabat, in dijudicandis causis iustitiæ studiosus, omnes in protrahendis litibus causas præcidebat, concordiam & pacem vnice amplexus, complures antecessorum suorum lites, quæ per multos iam annos durauerant, sopiuit prorsusque sustulit. Vt primum Mersburgi magistratum inijt, omnes inde eiecit Iudæos, qui iam inde a deuastatione vrbis Hierosolymitanæ sedem ibi fixerant. Regnauit hic princeps annos duodecim, nec in fiducia suorũ operum, sed meriti Filij Dei Iesu Christi pie mortuus est, anno Christi millesimo quingentesimo, vicesimo sexto. Chron. Ernesti Brodtauff / libro 2. capite 56.

Cum ageretur in celebri quodam loco Tragœdia de passione & morte Domini nostri Iesu Christi, quidam agens personam pendentis in cruce Saluatoris nostri, accepto lethali vulnere, ab alio petente vesicam cruore impletam, & lateri ipsius alligatam, mortuus concidit: alium etiam, qui deflentis sub cruce personam repræsentabat, lapsu interemit. Hanc eadem frater eius, qui in cruce pependerat, vindicans in eo, qui pendentem sauciarat, capitali supplicio affectus est. Ita quatuor occubuerunt, omnibus haud immerito suspicantibus, diuinitus puniri hominum temeritatem, qui in rebus serijs & diuinis ludant, præsertim cum id fieri non possit sine offensione piorum hominum, ac Deum timentium. Est etiam pœna, qua Deus iram suam ostendit, aduersus contemptores passionis Domini nostri Iesu Christi, quam quasi per iocum & ludum repræsentari amplius nolit. Philip. Melanch. in Collect. Manlij.

De imagine Christi.

Effigiem Christi cum transis, semper honora,
Non tamen effigiem, sed quod designat, honora.

Augustinus de imagine Christi pendentis in cruce, inquit: Inspicite vul-

nera pendentis Christi, sanguinem morientis, precium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertũ ad diligendum, manus extensas ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogita, hæc in statera cordis tui perpende, vt totus figatur tibi in corde, qui totus pro te fixus fuit in crucem.

EPITAPHIVM SALVATORIS NOSTRI IESV Christi, quod fixum est Hierosolymis, ad Sepulchrum Christi.

Vm Deus, ex æuo carnem sumpsi sine næuo,
Plebs mea me ligno fixit pendente maligno.
Aspice plasma meum, qui transis ante sepulchrum,
Qui triduo iacui, hæc pro te passus obiui.
Quid pro me pateris, aut quæ mihi grata rependis?
Sum Deus & pulvis, sed regnes si modo serues.
Pro te passus, ita tu pro me prospera vita,
Pro te plagatus, pro me tu nega reatus.

Aliud.

Hac sub clausura iacuit Christi caro pura,
Sub cuius cura semper stat nostra figura.
Est Deus hic tantus, natus de virgine quantus,
Militia caput hic, iacet hic mundi medicina.

Stigelius.

Nemo petit cœlum, nisi per te Christe redemptor,
A te vera salus, non aliunde venit.

Diabolica est curiositas (inquit Lutherus) arcana Dei mysteria, quæ in verbo reuelata non sunt, scrutari. Deus nihil frustra operatur. Eius voluntas libera & perfecta est. In ipsum vere quadrat: Sic volo, sic iubeo. Deus omnium foret miserrimus, si ad vniuscuiusq; interrogata ipsi responden dum esset. Sufficit nobis scire verbum illud reuelatum. Hoc autem relinquimus, & volumus voluntatem absconditam inuestigare, ponderantes ita pondus ignis, & mensurantes flatum venti. Tales nempe sunt omnes scrutatores diuinæ Maiestatis.

Augustinus interrogatus, quidnam ante conditum mundum egisset Deus? Respondit, eum præparasse infernum istis, qui curiosis adeo quæstionibus discruciarentur.

Doctor Pontanus idem interrogatus, eum in dumeto sedisse ait, virgasq; connexuisse, quibus flagellentur isti, qui de rebus & cogitationibus adeo vanis anxie soliciti essent.

Deuteron. 8. & Matth. 4.

Non solo pane victurus est homo, sed omni verbo, quod egreditur per os Dei.

Huius dicti exempla subiecta obserues.

Virgo biennium cibo abstinet.

1. Prope pagum Commerciam virgo duodecimum agens ætatis annum, cum sacram Cœnam in festo Paschatis accessisset, per duos annos continuos & sex Menses omni cibo abstinuit, nec vllum cibi capiendi desiderium eam incessit, ab anno millesimo, trecentesimo, vicesimo tertio, vsq; ad annum 1325. quo anno sub initium Nouembris, pro more hominum cibum denuo assumere cœpit. Hist. Eccles. D. Casp. Hed. lib. 7. cap. 14.

Nicolaus de Petra vi-

2. Anno millesimo, quadringentesimo, octogesimo, fuit in Heluetia, nõ procul a Lucerna Eremita ætate grandis, Frater Nicolaus de Petra, qui viginti duobus annis abiq; vllo corporalis cibi vsu vixisse perhibetur. Cor-

pore fuit mæsilento & exhausto. Episcopus Constantiensis sæpenumero rei veritatem accurate explorãs, ab omni fuco & dolo eum immunem esse expertus est, diuinumque in eo feruorem, & sustentationem animaduertit. Nonnulli contendunt eum victitasse radicibus. Animo semper fuit læto populoque pœnitentiam serio annunciauit. Scribit Carolus Bouillus, se eius cellulam in Eremo conspicatum esse: præterea affirmat, Heluetios frequenter per omnes vias & pontes circumquaq; obseruatores dispositisse, qui explorarent, an aliunde cibus ipsi afferretur, nullaque obseruata fraude iudicasse homini huic naturam esse Angelicam. Inter alias hac potissimum vtebatur precatione: Mi Deus, me mihi ademptum tibi totum adiunge. *tam agit Angelicam.*

3. Anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, puella quædã non procul a Spira in pago Rod/per aliquot annorum spacium cibo prorsus abstinuit, corpore interim vegeto & colore sano corpori conueniente conspicua. Eam Imperator Ferdinandus ad se Ratisbonam, cum illic comitia ageret, accersiuit, medicisque eam explorandam & custodiendam tradens, nihil subesse doli aut fraudis animaduertit. Itaq; honeste vestitã, muneribus ornatam, ad parentes eius Imperator remisit. Vbi cum aliquandiu in eodem statu permansisset, tandem cibis vesci cœpit, breuique post mortua est. Caspar Goldtwurm in libro de miraculis.

4. Gnosius Epimenides, cum puer adhuc æstu & itinere fessus, in speum secessisset, VII. & L. dormijt annis. Plin. lib. 1. cap. 53.

5. Quo tempore Decius in media vrbe Epheso templa Idolis posuisset, vt eorum sacrificia omnes compelleret, inuenti sunt septem Christiani, Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Iohannes Serapion, & Constantinus, qui Christianissimi apud Imperatorem accusati, cum constanter professi essent, spacium resipiscendi vsque ad Imperatoris alio abeuntis reditũ acceperunt. Cuius beneficij hæc illis causa fuit, quod in Imperatoris essent satellitio. Imperatore igitur digresso, inito communi cõsilio in meatus abditos Cælij montis profugerunt. Reuersus Imperator, cum eos accurate perquiri iussisset, tandem comperit in Cælio monte eos delitescere. Irafus igitur, aditum & interiora montis lapidibus claudi præcepit, vt ibi fame contabescerent. Ac illi inter metum & dolore consopiti, in maximam ætatem somnum duxerunt. Supra de cruce & afflictione.

6. Fertur in inferiore Germania mulierem quandam per tringinta annos omni & cibo & potu abstinuisse. Caspar Goldtwurm de miraculis.

7. M. Damascenus vt rem veram narrat de rustico quodam, qui sese sub fœni acerium reclinans continenter ibi per autumnum & hyemem dormierit, donec insumpto fœno inuentus a familia excitaretur, excitatus autem nec virium nec mentis compos fuerit.

8. Anno supra millesimum, trecentesimo, septuagesimo sexto, Lubeci scholasticus in templi speluncam se abdens, illic septem totos annos cibi potusq; expers dormijt, experrectus adhuc a suis agnitus fuit. Vide Alber. Crantz. lib. 8. cap. 39. in Vandalia.

Anno supra sesquimillesimum quinquagesimum, quidam paupertate graui pressus, relictis post se vidua & sex liberis, mortuus est. Vidua fratris eiusdem pagi incolæ vxorem accedens, propter Deum panem sibi cõmunicari petijt. Verum repulsam passa est. Domum itaq; mœroris plena contendit, vbi liberos suos pariter omnes in soporẽ delatos offendit, & simul ipsa somno protinus occupatur. Hinc frater illius, quo absente soror a fratre tertera panem petierat, domum reuersus, panem solitum discindere voluit, ecce autem sanguis inde effluxit, territus alium sibi panem iubet porrigi, quem pari modo sanguinem stillare cõspicit. Quibus visis vxor, sororem eius adfuisse panemq; sibi communicari propter Deum petijsse, a se

autem repulsam esse indicat. Facile tunc pœnam hanc esse diuinam maritus cognouit, arreptoq; propere & pane & mẽsali ad ædes sororis festinauit, vbi cum omnes sopitos esse offenderet, ipse quoq; in somnum defertur, ibique quatuor septimanas continuas naturali respiratione & flatu dormierunt, nec vlla vel agitatione vel concussione excitari potuerunt. Vide Iob. Fincel. lib. 1. Hæc historia ad septimum quoque Præceptum sub titulum De auaritia referri potest.

Anno supra sesquimillesimum, quinquagesimo primo, ancilla quędam sextum decimum ætatis annum agens, in die S. Martini obdormijt, ibique omnis cibi expers, vsque ad anni 52. vicesimum quintum Iunij continenter somno indulsit, rubicundo ore decorata, pulsumque arteriarum naturalem retinens, sæpe etiam oculis scintillare visa est, latus etiam singulis diebus mutauit. Multi & magni nominis viri, & de plebe, eam quo dixi modo sopitam conspexerunt. Iob. Fincel. de Miraculis.

DE ASSIDVITATE LECTIONIS Theologicæ.

Esdra.

EVsebius tradit in libro temporum, Esdram Ebræum omnes Mosi libros memoriter recitasse, quos Chaldæorum reges sustulerant, ita ne amplius extarent: & ex recitatione transcriptos, hunc vsum, qui postea habitus est, præbuisse. Fulgos. lib. 8. cap. 7. Plura de diuina eius memoria & sapientia vide apud Iosephum, lib. 11. cap. 5. Antiq.

Antonius Ægyptius.

Antonius Ægyptius Monachus cum literas non didicisset, tamen adeo acris fuit iudicij, vt sacram Scripturam ex auditu perceptam memoria tenuerit, & ex assidua meditatione dextre intellexerit. August. in prol. lib. 1. de doctrina Christiana. Niceph. lib. 8. cap. 40.

Theodosius Imperator.

Theodosius Secundus, Imperator, sacrorum Librorum, eorundemque interpretum congerendorum adeo fuit studiosus, vt ea laude Ptolemæo inferior non esset. Noctu eis legendis operam nauauit: lucerna se sponte sua, machina quadam mouente, sibiq; ipsi oleum infundente, comparata, vt ne quis ministrorum eius in laboribus eiusmodi molestiam quampiam subiret. Niceph. lib. 14. cap. 3.

Mos fuit Theodosio mane precationes dicere, & Psalmos canere cum coniuge & sororibus. Habuit autem coniugem Εὐδοκίαν, filiam Leontij Philosophi Athenien sis, adeo eruditam, vt poemata scripserit, de victoria Arcadij, & de victorijs mariti. Ab ipso dicuntur congesta ἁμηχάνεται. Scripsit Theodosius sua manu libros noui Testamenti, quorum aliquam partem quotidie legit. Chro. Philip. lib. 3.

Diuus Hieronymus vanitatem seculi fugiens, Roma relicta Hierosolymam petijt, & cum nec adhuc se tenere posset, quin gentilium libros, præcipueque Ciceronis auidius legeret, fatetur in quiete sibi visum fuisse, se ad superni Iudicis tribunal in cœlũ trahi, accusari, verberibus affici, quod Ciceronianum dicerent esse, non Christianum. Deniq; cum iuramento dimissum, ne vnquam posthac alios præterquam diuinos codices præ manibus haberet. Tanto deinde studio legisse diuina, quanto antea mortalia non legerat. Itaque latentium sub velamento mysteriorum dulcore iam tandem plenius hausto, exclamauit, dicens: Quæ pars fideli cum infideli? Quæ communicatio luci ad tenebras? Quis consensus Christo cum Belial? Quid facit cum Psalterio Horatius? Cum Euangelijs Maro? Cum Apostolo Cicero? Demum ait: Non debemus bibere simul calicem Christi, & calicem dæmoniorum. Marul. lib. 2. cap. 5.

S. Paulus, 1. Thes. 5. Omnia probate, quod bonum est, tenete.

Nullum

Nullum malum esse, Plinius inquit, sine aliquo bono. At quid? si plura mala quam bona? Iudicio summo opus est, vt bona a malis secernātur, & distinguantur: & proinde etiam cautio summa est adhibenda. Præstat igitur, optimos quosque magno cum fructu legere & imitari, absq; periculo, quam in malis autoribus, & operam & oleum perdere.

Origenes quo consilio Philosophicas & prophanas literas sectatus fuerit, exponens: Posteaquam, inquit, totus diuinarum Literarum doctrinæ incubui, famaq; de iudicio ac studio meo increbuit, proindeq; frequenter ad me aduenere, nunc quidem hæretici, nunc autem Græcarum literarū studiosi, & Philosophi inprimis, visum mihi est, & hæreticorum dogmata & Philosophorum, quæ se de veritate afferre pollicentur, placita perscrutari. Quæ in re imitati sumus, qui nos præcedens multis plurimum attulit vtilitatis, Pantænum, non parum artibus prophanis instructum. Nicephorus lib. 5. cap. 13. Euseb. lib. 6. cap. 13.

Scholæ Hāburgensis fundatio.

Anno millesimo, quadringentesimo octauo, vir eruditione & pietate præstans, Iohañes Fridericus Hamburgensis, altius animo secum perpendens, quantis tenebris verbum Dei indies magis magisq; inuolueretur, tum quanta idololatria in Ecclesiā se immersisset, ex pio zelo Reipubl. & Ecclesiæ inseruiturus, scholam fundauit peculiarem Hamburgi, in qua sacræ docerentur literæ. Quanquam autem maleuoli quidam Canonici ferme per decem annos conatus eius impedirent, attamen ex diuina gratia res ipsi tandē successit. Fuitque per ordinem successionis nonus Lector vel Professor in hac schola, D. Albertus Crantzius, qui acriter in impiam & peruersam vitam Canonicorum & Monachorum inuehebatur. Verum facile animaduertebat, nisi initiū fieret reformationis Romę ab ipso capite, & inde velut a vertice Aaronis in omnia membra dimanaret, omnem frustra sumi operam. Cumq; ex eo nonnunquā quæreretur, cur nō, vt qui iudicio & eruditione excelleret, crassis adeo & horrendis erroribus se opponeret, respondit: Non esse hoc opus hominis. Cum etiam nouæ D. Martini Lutheri propositiones aduersus Indulgentias ipsi offerrētur, & facile ipse agnosceret, quam res hęc ardua & periculosa esset, fertur dixisse: Frater, frater abi in cellam, & dic Miserere, quasi dicat: Qua inscitia aduersus stimulum calces? Chron. Caspar. Hedionis. Hic agnouit quidem tetros Pontificum errores, & blasphemiā, sed ex carnis imbecillitate ijs se opponere haud sustinuit.

Albertus Crantzius.

Seruulus mendicus, & æger, & literarū ignarus, Ecclesiastica opuscula ex eleemosynis comparauerat, alijs quidem legenda, quoties lectorē nactus fuisset, sibi vero auscultanda atq; ediscenda. Audiendi assiduitas reddidit ita eruditum, vt alijs memoriter prædicaret, quæ ipse legere nesciebat. Quo magis illi arguendi sunt, qui literatura imbuti proficere negligunt, & legendi laborem refugientes, otio sese ignauiæq; corrumpendos tradunt. Marul. lib. 2. cap. 5.

Gennadius Episcopus Constantinopolitanus, nullum Sacerdotem cōsecrare solebat, qui Psalterium non edidicisset. Nicephorus libro decimo quinto, capite vigesimo tertio.

Monachorū fabulæ.

Eadmundus, Cantuariensis Archiepiscopus, dum Biblia legit, soporatur, candela ardens super paginas delapsa ipsa consumitur, chartam non adussit. Idem cum inter legendū indormisset, mox expergiscens lucernā extinctam reperit, & legendi sibi occasionem sublatam dolens, sanctam virginem inuocauit, lucernaq; repente illuxit. Marul. lib. 2. cap. 5. Verumne sit, an non, lector iudicabit.

Antonius Eremita solitudinis tædio affectus, exclamare cœpit: Seruari Domine cupio, & cogitationes meę mihi aduersantur. Mox vbi de cella prodijt, conspexit hominem Monachi habitu succinctum, nunc calathos

texentem, nunc ad orandum procumbentem. Et dum rem tacitus miratur, ab eodem tandem audiuit: Sic & tu age Antoni. Sic enim agendo tentationes vinces. Cumq; id loquentem statim non comparuisse animaduerteret, Angelum Dei fuisse intellexit. Idem lib. 3. cap. 9.

Diuus Hieronymus ad Demetriadem virginem sic scribit: Statue quot horis sanctam Scripturam edisc're debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem & institutionem animæ. Cumq; hæc studieris spacia, & frequenter te ad figenda genua solicitudo animæ fuscitauerit, habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusi vertantur, aliarumque nenia aut in globum collige, aut texenda compone: quæ texta sunt respice, quæ errata reprehende, quæ facienda constitue. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, nunquam dies tibi longi erunt, sed quamuis æstiuis tendantur solibus, breues videbuntur, in quibus aliquid operis prætermissum non est. Hæc obseruans & te ipsam saluabis, & alias, erisque Magistra sanctę conuersationis, multarumque castitatem lucrum tuum facies. Scriptura dicente: In desiderijs est anima omnis otiosi. Nec idcirco tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio nulla re indiges, sed ideo cũ omnibus laborãdum est, vt per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet seruitutem. Ibidem.

Origenes puer parentem suum Leonidem (qui Episcopus fuit) sæpe de abditis Scripturæ sensibus interrogauit, ita, vt pater ab eiusmodi præcoci sapientia retrahere illum cogeretur, sedulo monens, ne supra ætatem saperet. Verum noctu accedens, & pectus intuens, quasi sancti Spiritus templum deosculabatur, seque tali filio beatum iudicabat. Adolescentiam ingressus Origenes tanto amore Martyrij flagrabat, vt Martyres ad tribunalia ductos sequeretur, seque vna arripi gestiret. Cum pater eius in vinculis esset, & postero die cum multis alijs examinandus foret, ad ea loca, vbi de Christianis inquiri mos erat, profecisci decreuerat. At mater noctu clam in cubiculum dormientis ingressa, omnes vestes ei abscondit, ne in publicum prodiret. Spe igitur sua frustratus, scripto patrem in carcere ad constantiam est exhortatus. Vide Euseb lib. 6. cap. 2. &c.

Idem nunquam vel raro cibum absque lectione sumere solebat, vnde quibusdam dictus est etiam Adamantinus & Chalcenterus.

Sex millia voluminum (vt Hieronymus se vidisse testatur) ingentis doctrinæ scripsit, cum assidue septem notarios scribendo, ac totidem additos eis pueros fatigaret. Ful. lib. 3. cap. 7.

Diuus Augustinus, cum iam nonagenarius esset, nõ minus operose exercuit diuinarum literarum studia, quam iuuenis media ætate fecerat. Scripsit itaque plura quam quisquam legerit, si verus est Possidonius. Is decipi eum opinione credit, qui omnia, quæ Augustinus scripsit, arbitretur se legisse. Accessit his (quod hominis vel fœlicitati vel sapientiæ potius assignari possit) auctoritas tanta, vt nullius scriptis post Euangelicam historiam, Tarsensisq; Pauli maior hominum consensus accesserit. Sabel. lib. 1. cap. 7.

Hieronymus Stridone oppido, in Istria natus, quatuor Ecclesiasticorum doctorum vnus, ceu alter Plato, aut Pythagoras, doctrinam per totum terrarum orbem secutus, Syriam, Iudæam, atque Ægyptum peragrauit, vt ea oculis suis prius lustraret, de quibus postea scripturus erat, superatisque quas natura obiecerat, difficultatibus vt expressius Hebræa Babylonicaq; linguæ stridores verius quam voces pronunciare posset, lima diminui sibi anteriores iussit dentes. Et tandem cum Græce, Hebraice, Babylonice, Syre, atque Latine calleret, ac ad purum linguarum summum peruenisset, omnem Scripturam, quam sacram religio Christiana appellat, in Latinum

vertit sermonem. Cuius traductionis elegantia atq; veritas, omnes ante factas traductiones excluſit: nam ſtatutum fuit, vt Hieronymi ſola traductione, catholica vteretur Eccleſia. Itaque ſi Ennius, quod tribus vti ſciret linguis, vt A. Gellius tradit, trium ſe cordium hominem iactabat eſſe, multo verius quinq; Hieronymum habuiſſe corda fatebimur, cum quinq; optime calluerit linguas. Fulgoſ. lib. 7. cap. 8.

Epiphanius, qui poſtea Ticinenſis fuit Epiſcopus, tanta fuit indole, vt cum vix octauum attigiſſet annũ, Lector in Eccleſia ab Epiſcopo Criſpino ordinaretur, In Theatro Vitæ.

Epiphanius puer septennis

Anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſeptimo, puer Theodoricus ſex annos & duos menſes natus, viri cuiuſdam Baſilienſis graui paupertate oppreſſi filius, pure & eleganter, nõ ſine magna omniũ, qui loquentem audirent, admiratione, Latine locutus eſt. Chron. Hed. 4. parte.

Hieronymus Alexander tanta inuſitatæ memoriæ felicitate polluit, vt nihil eum, cuncta volumina cupide perlegentem, vel rerum vel verborũ omnino ſubterfugerit, quin etiam præter alias complures linguas, Latina, Græca, Hebraica, quaſi vernaculis vteretur. Iouius in Elogijs.

Didymus Alexandrinus a teneris annis oculis captus, & ob id etiã primarum literarum ignarus, cum ad quadrageſimum ætatis annum peruenſſet, in Grammaticum, Geometram, atq; Dialecticum conſummatiſſimum euaſit; cumq; in ſupputandis numeris dimenſionibuſq; atq; in ſcribendo aliena vteretur manu, multa ſubtiliſſime ſcripſit in Mathematicis. In Pſalmos quoq; & in Euangelium Matthæi ac Iohannis, & contra Arria nos multa edidit. Platina ſub Syricio Papa, Anno 386. Fulgoſ. lib. 8. cap. 7.

DE VITA DOCTORIS MARTINI LUTHERI.

QVoniam vir ille Dei, cœleſtiq; Spiritus ſancti illuminatus gratia, Martinus Lutherus, tertium Præceptum vere honorauit, & tum vitæ ſanctimonia, tum doctrinæ ſynceritate, ſuiſq; Scriptis ſanctificauit: viſum eſt hiſtoriam de eius vita, morte, multiplicique lucta, quam pro Euangelij veritate, ex diuina gratia & auxilio cõſtanter ſuſtinuit, & cum laude ſuperauit, breuiter ſubnectere.

Anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo, octuageſimo tertio, natus eſt Martinus Lutherus Iſlebii, decimo Nouembris, hora noctis decima, & ſequẽti die (qui Martino ſacer eſt) per Baptiſmum Eccleſiæ inſertus, Martini nomen accepit. Patri quoque eius nomẽ fuit Martino Luthero, matri Margaretæ, qui relicto Illebio, ſe Mansfeldiam contulere, ambo honeſtatis & pietatis ſtudioſi, quos iccirco ciues & amore & honore proſequebantur, & velut exemplum honeſtioris vitę ſuſpiciebant. Filium ſuum, vt primum diſcendi capax fuit, in pietate & bonis literis ſedulo informari curarũt. Cum natus eſſet annos quatuordecim, Magdeburgũ eum cum Iohanne Reimſen, qui in præclarum deinde virum euaſit, ablegarunt, vbi non vltra annum moratus, anno ſequenti octauo & nonageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimũ, Iſenacum profectus eſt. hic, cum maior ei diſcendi commoditas in Schola inſtructiore daretur, quadrienuium perdurauit.

Anno 1503. ad Erffordienſem Academiam miſſus, anno ætatis viceſimo Magiſterij inſignibus ornatus eſt.

Voluntas cognatorum & amicorum eius erat, vt ad Iuris ſtudium animum applicaret. Qua in re primum ipſis obſecundabat. Sed mox anno ætatis viceſimo primo, mutato animo, ordinẽ Auguſtinianorum vltro Erffordiæ ingreſſus eſt, nec parentibus, nec amicis, hoc eius conſilium admo-

dum probantibus. Elegit autem hoc genus vitæ, quod putaret, se Deo cõmodius, quam in mundo, hunc ad modum inseruire posse, ad hæc motus casu quodã sodalis sui, qui confossus perierat. In Monasterio itaq; degens, totus euoluendis Bibliis insudauit. Nec parum ipsi profuit industria Monachi cuiusdam ætate prægrandis, qui multa ei, quæ & consolationem & informationem concernerent, pio animo communicauit, articulumque de Iustificatione dextre exposuit. Quare diui Pauli Epistolas sibi familiares reddidit, eiusque dictum: Fide iustificamur, indies animo altius expendit. Præterea libros Augustini magna etiam cura euoluit. In hoc monastico vitæ genere quadriennium cõsumpsit. Circa ea tempora, cum ex mandato Principis Electoris scholam VVitenbergæ institueret vir doctrina & virtute insigniter excellens, Iohannes Staupicius, eamque in omnibus disciplinis & facultatibus storere optaret, efficit vt Martinus Lutherus, cuius excellentem circa sacrum Theologiæ studium, eruditionem cognouerat, ad docendas sacras literas VVitebergam vocaretur. Quod factum anno supra sesquimillesimũ octauo. Vbi facile intonuit, quanta in ipso Dei dona excellerent. Inter alios viros doctrina præeminentes, qui quotidie ipsum prælegentem audiebant, frequenter aderat Doctor Martinus Mellerstad, primus Academiæ Rector, qui affirmare nõ dubitabat, cum inviro hoc esse Spiritum, tantam quoque intellectus & ingenii eminentiam, vt cuiuis facile appareat, hunc tandem consuetam hactenus in Scholis doctrinæ rationem immutaturum.

Anno supra sesquimillesimum vndecimo, Romam profectus est, propter quædam Monachorum dissidia. Reuersum inde Princeps Elector Fridericus suis sumptibus Doctorem Theologiæ creari iussit. Nam concionantem cum audiuisset, vehementer excellens eius ingenium, verborumque grauitatem, vim & energiam admiratus fuerat. Detrectabat quidem hunc honoris titulum suscipere, verum vt Principis voluntati obsequeretur, vrgeat Iohannes Staupicius, qui sæpe per iocum dicebat ad Lutherum, Varia Deo in Ecclesia iam incumbere negotia, ad quæ ipsius opera & labore vsurus esset. Post hæc Epistolam diui Pauli ad Romanos interpretari orsus est, deinde Psalmos Dauidicos. Errores quibus tum ões Scholæ deprauatæ erãt, magna virtute refellebat, docens hominem nequaquã per sua opera, vel externam sanctimoniam coram Deo iustificari. Corda hominum adducebat ad filium Dei, vt qui solus esset agnus Dei, tollens peccata mundi, & per cuius solius meritum remissio peccatorum impetraretur.

Anno Christi supra sesquimillesimum decimo septimo, Leo Decimus, Pontifex Romanus, missis per omnia regna literis & diplomatis, omniũ delictorum expiationem ac salutem æternam pollicebatur, interuentu pecuniæ, quam quisque daret. Ad eam rem qui mittebãtur quæstores ac huius tanti beneficij præcones, æraria passim per omnes prouincias constituerant. Condonationem enim peccatorum, quam iactitabant, suo quodam vocabulo, iam olim recepto, nominabant Indulgentias, adhæc, ouis, lacte, caseo, carne vescendi facultatem precio vendebant. Iohannes Tezelius Dominicanus, Fran cofurti, quod est ad Viadrum flumen, horũ diplomatum venditor Pontificis dignitatem & potentiam, Indulgentiarumque virtutem & efficaciam impudenter prædicabat, nullum posse admitti tantum scelus, vociferans, quod eius rei beneficio non sit condonatum, eorumque animas qui crucientur igni purgatorio, simulac numus in arculã sit iniectus, in cœlum e vestigio subuolare solutas pœnis. Eoq; impudentię & blasphemię progrediebatur, vt clamaret, si quis vel sanctissimæ virgini Mariæ vim intulisset, peccatum istud horum diplomatũ virtute condonari posse. Hæ absurdæ adeo tum Tezelii, tum aliorũ concio-

nes

nes, Indulgentiarumq; laudes non tolerandæ, mouerunt Martinum Lutherum, virum diuino Zelo ardentem, vt & concionibus & scriptis, istorum mangonum impietati se opponeret, fideliterq; moneret quosuis, vt caute & circumspecte agerent, nec rem nullius pretii magno ære comparent. Promulgabat etiam disputandi causa VVitenbergæ themata numero ad nonaginta quinque: iis & de purgatorio, & vera pœnitentia, & charitatis officio, deque indulgentiis copiose disputat, & quæstorum conciones immoderatas impugnat. His contraria themata diuulgat Francofurti ad Viadrum Iohannes Tezelius, quorum tamen ipse reuera autor nõ erat, sed Doctor quidam Pontificius Conradus Vuimpina. Palam in ijs affirmat, summam esse in Ecclesia Pontificis potentiam, eamque omni & Ecclesiarum & Conciliorum autoritati præpollere, & penes ipsum solum esse, pro suo arbitrio sacram Scripturam interpretari. Ex quibus facile puto, cuiuis patet, num Papa vere sit Antichristus, & num Pontificatus ipso à Satana sit fundatus, an vero à Deo? Inter hasce de indulgentijs disputationes, Leo Decimus missis ad Ducem Fridericum Electorem literis, Doctorem Lutherum Romam citat, anno supra sequimillesimum decimooctauo. Cæterum cum res ea certum vitæ periculum Luthero crearet, perfectum est, vt solutus necessitate proficiscẽdi Romam Lutherus, Augustam euocaretur, apud Cardinalem Caietanum, Pontificis legatum, causam dicturus. Ad quẽ cum profectus esset, solum hoc ille vrgebat, vt quos diuulgasset errores Lutherus, reuocaret, nec eius Apologiam, pie & diserte cõscriptam, firmisque ex sacra Scriptura desumptis argumentis munitam, placido animo susciperе sustinebat, quin etiam conspectum eius non ferẽs vlteriori colloquio, nisi reuocaret suam doctrinam, interdicebat. Amicorum itaque secutus consilia, cum ingens malum Luthero machinari videretur Caietanus (iam enim Romam literas ad Pontificem transmiserat) discedit Lutherus, relicta post se appellatione, qua ad Pontificem prouocat. Quod factum ægre ferens animo Caietanus, missis ad Ducem Fridericum Electorem literis, de Lutheri obstinatione grauiter cõqueritur, qui nulli paternæ admonitioni locum daret, nulliusq; æquitatis in respondendo suis, quæ admodum pueriles essent, rationem haberet. Postremo hortatur Principem, vt Lutherum vel Romam mittat, vel è suis finibus eijciat. Ad quam Cardinalis querelam Lutherus constanti respondit animo, commemorans breuiter, quid singulis diebus inter se & Caietanum actum sit. Quod responsum Lutheri Princeps Elector Cardinali transmittit. Qui pudefactus, suas de Luth. querelas intermissas fuisse maluisset.

Posthæc Lipsiæ instituta fuit disputatio, in qua Iohannes Eccius Theologus audax vehementer in defendenda Pontificis authoritate sudabat, affirmans in verbo Dei fundatum esse, vt primatus Pontifici Romanæq; Ecclesiæ tribuatur. Quod constanter negans Lutherus diuinis ostendebat testimonijs Romanam Ecclesiam nequaquam alijs præponendam esse. Deinde disputabatur de purgatorio, indulgẽtiis pœnarum, & culpę remissione, de potestate Sacerdotum. Quas disputationes omnes deinde Lutherus publicauit, docens aduersarios suos manibus pedibusque laborantes, id vnum quærere, potius, quomodo & verbis & scriptis suis Pontificis authoritati patrocinentur, quam Christi honorem & veritatem verbi diuini tueantur.

Anno Christi millesimo, quingentesimo, vicesimo, supplices denuo literas mittit ad Pontificem Lutherus, vna cum libro à se recens conscripto, de libertate Christiana, quo declarabat, sibi nihil aliud cordi esse, quam veritatem verbi diuini indagare. Breui post Leo Põtifex Lutherum vt hæreticum damnat & proscribit, sacris ei interdicit, & mandat omnibus, vt aditum ipsius atque sermonem defugiant, nec vllam rem cum eo cõmu-

nicent: His stimulis excitatus Lutherus, longe acrius Romanæ sedis Tyrannidem & impietatem impugnare cœpit, & læpe ipsemet confessus est, se Pontificiorum iniurijs compulsum, tanta vehemetia regnum Papisticum adortum esse.

Eodem anno, mense Nouembri, cum Cæsar est Coloniæ, Pontifex per Marinum Caracciolum, & Hieronymum Alexandrum, denuo solicitare cœpit Fridericum Principem. Et illi quidem in ipsius atque etiam eius familiæ laudem nonnulla præfati, duo tandem petebãt, primum, vt illius omnes iuberet exuri libros, deinde vt ipsum vel capite plecteret, vel custodię datum Pontifici sisteret. Ad quæ Princeps Elector ornatis verbis respondit, iniquam & iniustam petitionem reijciens. Cumque ijdem legati apud Imperatorẽ Carolũ instarent, vt libros Lutheri cõburendos esse decerneret, nihil ille ad hæc eorum postulata temere respondere voluit: Episcopatum quoque opulentissimum Pontificis nomine Erasmo Roterodamo legati hi obtulerunt, si scriptis suis doctrinam Lutheri impugnare institueret. Sed recusauit Erasmus, hac in re ipsis gratificari, Lutheri libros, inquiens, Scripturæ sacræ autoritate munitos esse, vt ijs sese opponere minime ausit. Exusti deinde sunt Lutheri libri in Colonienſi, & Louanienſi Academia. Quo cognito, Lutherus, conuocato omni cœtu Scholastico, VVitenbergæ, in magna Doctorum virorum frequentia, ius Pontificium, & illud nuper euulgatum Pontificis decretum palam incendit, Decembris die decima: & postridie, cum doceret, vehementer admonuit, qui suæ saluti consultum esse vellent, vt à regno Pontificio sibi cauerent, affirmans, Regnum Pontificis Christi regno, vitæque Christianæ adeo aduersum esse, vt satius, tutiusque sit in deserto, vbi nemo degat hominum, morari, quam in eius, qui vere sit Antichristus, regno versari. Præterea iuris Pontificij hanc esse summam dicebat, Papam in terris esse Deum dominantem in cœlestia & terrestria, spiritualia & mundana, cuius omnia sint propria, à quo nullius facti ratio exigenda sit. Quæ vere est abominatio desolationis, stans in loco sancto.

Anno Christi millesimo, quingentesimo, vicesimoprimo, VVormatiam euocatur Lutherus, eoque per Cæsareum caduceatorem VVitenberga deducitur. Cum iam paucis abesset milliaribus, plerique à proposita profectione eum dehortabantur, eo quod nuper exusti erant ipsius libri. Quo quidem præiudicio iam ipsum esse damnatum, & in summo futurum discrimine dicebant, illata mentione, quid accidisset ætate superiore Iohanni Hussо: verum ipse magno quodã animi robore periculum omne contempsit, & terrorem hunc atque metum a Satana sibi dicebat adferri, qui confessione veritatis, & quidem loco tam illustri, regnum suum labefactari videat. Itaque progressus, VVormatiam venit ad decimam sextam Aprilis diem, cuius aduentu non parum turbati aduersarij, apud Cęsarem instãt, vt comprehensus in vincula conijciatur. Nec enim fas esse hæretico fidem seruari. Ad quæ Cæsar respondit, promissa fallere nefas esse. Postridie vocatus vbi coram Cæsare, ac frequenti Principum concilio constitit, Eccius IC. mandato Cæsaris verba facit, & duæ sunt, ait, caussæ cur Cæsar de consensu Principum, & omnium ordinum, te iussit accersiri, Martine Luthere, de quibus, vt ex te cognoscam, mihi mandauit. Primum, an hos libros abs te conscriptos esse fatearis, & pro tuis agnoscas? Alterum an retractare quicquã in ijs, an vero quę scripta sunt, velis tueri? Ad quæ graui & ornata oratione respondens Lutherus, se fateri, inquit, à se conscriptos esse libros, & nisi Scripturæ sacræ testimonijs, vel euidenti ratione conuictus fuerit, se non posse quicquam eorum, quæ scripserit, vel docuerit, reuocare. Diebus deinde aliquot interiectis, Episcopi nonnulli & Principes Lutherum ad se accersitum, humanioribus verbis, minas interdum addentes,

tes, monent, vt quę docuisset hactenus, reuocet, Cæsarisque & Principum iudicio scripta sua subijciat. Ad quę constanter vsque respondit, se ex sacra Scriptura doceri & erudiri paratum esse, & nisi ex verbo diuino errotis redarguatur, se non posse a sententia discedere. Cumque ex eo exquireret, Treuirensis Episcopus, quomodo huic morbo tam graui tamque periculoso esset medendum? ille optimum esse consilium, quod Gamaliel quondam Scribis & Pharisæis dedisset, ait, & vt Papæ scriberent iubet, nisi causa & doctrina sua ex Deo esset, fore vt intra biēnium ipse vna cum doctrina intercidat. Tandem VVormatia comitatus eodem, quo prius caduceatore Cæsaris ad vicesimam sextam Aprilis diem discedit. Hinc octaua die Maij Cæsar Lutherum proscribit, eosque omnes eodem decreto damnat, qui quocunque modo faueant, aut operam suam ei communicent, libros etiam aboleri iubet. Ea lata sententia, permagnam Cæsar inijt gratiam, ita quidē, vt à Gallis abalienato prorsus animo, fœdus cū eo Pontifex iniret. Ab ea promulgatione Fridericus Princeps, è nobilitate nonnullis, de quorum fide compertum habebat, negotium dabat, vt in locum quendam secretiorem, & ab hominū frequentia remotum, deducerent Lutherum, vitandi causa periculi: quod quidem summa diligentia fuit, & taciturnitate administratum. In hac sua solitudine, vel Pathmo, varias Epistolas ad amicos & liberos etiam emittit de abroganda Missa priuata. Et inter reliqua scriptum admodum acre ad Archiep. Magdeburgensem, & Moguntinum, de indulgentijs, quas Halæ, post mortem Tezelij Episcopus denuo promulgari mandarat, quē idcirco monet, vt ab ista idololatria recedat, quod nisi faciat, minatur, se non secus eius scelera atq; ipsius Papæ detecturum, adeoq; in vniuersum omnibus declaraturum discrimen inter Episcopum & Lupum, & quidem in libro, cuius futurus sit titulus, aduersus idolum Halense. Hoc eodem anno Cæsar Viennensi Academiæ præcipit, vt Lutheri libros exurat.

Anno millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo, multi illustres, & præpotentes viri scriptis Lutherum eiusque doctrinam impugnarunt. Verum irritus erat hic Satanæ conatus in euertendo & extinguendo Lutheto, qui interim egregia oratione conscripta, fideles omnes grauiter hortatur, vt omni studio seditionem & turbas vitent, nisi diuina gratia velint excidere, horrendumque Dei iudicium aduersus se concitare. Quo sane scripto testabatur publice, iniuriam sibi fieri, dum ab aduersarijs & maleuolis hominibus seditionis insimularetur. Quin etiam posthac vna cum Philippo Melanchthone, autorē seditionis Thomam Munzerum scriptis suis acriter insectatus est, & vt ad frugem redeat, exhortatus. Quæ seditio anno millesimo, quingentesimo, vicesimo quinto, summa vi erupit, sed exitum sortita est miserabilem. Hoc quoq; anno vicesimoquinto Lutherus ad matrimonium animum adijciens, vxorem duxit, cum antea & scriptis & concionibus hunc vitę statum commendasset, & ex diuinis literis defendisset, multisque, viris etiam magni nominis, fuisset autor, vt hūc vitæ statum sibi eligerent.

Anno millesimo, quingētesimo, vicesimonono, propter dissidium Lutheri & Zuinglij, super cœna Domini, colloquium institutum fuit Marpurgi Hessorum, in quo præsentibus multis grauibus ac eruditis viris, Lutherus atque Zuinglius causam disceptabant.

Eodem anno Martinus Lutherus præclaram fidei suæ confessionem edidit, de omnibus articulis, cui ad extremum vsque spiritum constanti firmoque animo ex gratia diuina adhæsit.

Anno millesimo, quingentesimo, tricesimo, Augustæ indicta fuere comitia, in quibus cum multa agerentur de religionis controuersijs sopiendis, & ex multiplici Pontificiorum potentissimorumque Principum insultatione,

sultatione, grauibusq; minis, nonnihil turbarentur & expauescerent, Protestantium Theologi: Lutherus, qui interim ob viciniam Coburgi degebat, missis literis eos animauit, & magna virtute consolatus est, docens, cum solius Dei omnipotētis agatur causa, decere ipsos vt animo sint magno, nec inanibus se curis macerent, sed Deo rem omnem commendent, qui exitum nequaquā tristissimum hisce turbis largiturus sit. Quid mundum, inquit, timetis, cum Christus eum vicerit? Sæuiant quotquot sunt in mundo Tyranni & Principes. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Quare cum omnia iam metu & terrore misceretur, certamque Pontificij victoriam pollicerentur, nostrosq; vt victos iam & oppressos irriderent, Psalmum 46. huc accommodans, composuit, Firma nobis est, inquiens, arx, & propugnaculum, Deus, &c. Et quidem æternus misericors Pater sic omnia disposuit, vt sancta eius Ecclesia cōmodiore fruatur pace & tranquillitate, quam Satanas, omnesque eius complices speraſſent. Nec ab eo tempore destitit vir hic diuinus, magno animo, virtute, & spiritu omnibus fanaticis hominibus, hostibusque veritatis se opponere, Ecclesiæque Iesu Christi fideliter inseruire, eamque tum concionibus, tum scriptis varijs erudire, inprimis syncera & dextra Bibliorum interpretatione atque enarratione, donec anno Christi 1546. vitam suam pie ac sancte clausit, Helias ipse postremus, & Propheta Dei sanctissimus.

Soli Deo gloria.

DE BEATO MARTINI LVTHERI EX hac mortali & ærumnosa vita discessu.

Anno Christi supra sesquimillesimum quadragesimo sexto, vicesima tertia Ianuarij Lutherus VVitenberga egressus, Islebium ad Comites Mansfeldios proficiscitur, vocatus ab ijs, componendi causa dissidij, quod inter ipsos erat de finibus & hæreditate. Non solebat ille quidem eiusmodi negocia tractare, & per omnem vitam suis tantum studijs vacauerat: sed quia natus erat Islebij, quod est Mansfeldiorum ditionis oppidum, non potuit hunc laborem & operam illis atque patriæ non præstare. Priusquam Islebium peruenirent, quod erat sub exitum Ianuarij, valetudine vtebatur tenuiori: sed tamen & causam agebat, propter quam erat vocatus, & aliquoties in templo docebat, percepta quoq; Cœna Domini. Decimo septimo vero Februarij die cœpit ægrotare grauius ex pectore. Erant cum eo tres filij, Ioannes, Martinus, Paulus, & alij quidam familiares, in his etiam Iustus Ionas, Halensis ecclesiæ minister: & quanquam erat imbecillior, prandit tamen cum reliquis atque cœnauit. Inter cœnandum varijs de rebus locutus, hoc etiam inter alia rogabat, num in illa sempiterna vita simus alter alterum recogniturī? Cumque illi auerent ex ipso scire: Quid, inquit, accidit Adamo? nunquam ille viderat Euam, sed quum eam formaret Deus, altissima quiete sopitus dormiebat, expergefactus autem, cum illam videret, non rogat quæ sit, aut vnde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit, & os de suis ossibus. Qui vero sciebat istud? nimirum Spiritu sancto plenus, & vera Dei cognitione præditus, ita pronunciabat: Ad eundem modum nos etiam in altera vita renouabimur per Christum, & parentes, vxores, liberos, & quicquid est, multo perfectius agnoscemus, quam tunc Euam Adamus cognouit. A cœna cum diuertisset precandi causa, sicut consueuit, cœpit augeri dolor pectoris. Ibi monitu quorūdam vsus est cornu Monocerotis, ex vino, post in minore lectulo hypocausti per vnam & alterum horam suauiter dormit. Cum euigilasset, in cubiculum ingreditur, In manus tuas, inquiens, commendo Spiritum meum, redemi

sti me Deus veritatis, mox ad quietem iterum se componit, & salutatis amicis, qui aderant, Orate, inquit, Deum, vt Euangelij doctrinam nobis conseruet: Pontifex enim & Tridentinum Concilium dira moliuntur. Hæc vbi dixit, facto silentio dormit aliquandiu, sed vrgente vi morbi post mediam noctem excitatus, queritur de pectoris angustia, & præsentiens iam instare vitæ finem, his omnino verbis Deum implorat: Pater mi cœlestis, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quod filium tuum Iesum Christum mihi reuelasti, cui credidi, quem sum professus, quem amaui, quem celebraui, quem Pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur, & afficit contumelia: Rogo te mi Domine Iesu Christe, suscipe animulam meam: mi Pater cœlestis, etiamsi diuellor ex hac vita, licet corpus hoc mihi sit iam deponendum, certo tamen scio, me tecum esse permansurum in sempiternum, neq; posse me tuis ex manibus à quoquam auelli. Post hanc precationem recitabat verba ex Euangelio Ioannis: Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum Filium suum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et verba Psalmi 68. Deus noster, Deus saluos faciendi, & Dominus est Dominus educēdi ex morte. Non multo post eam precationem, vbi Spiritum suum in manus Dei semel & iterum commendasset, tanquam dormiturus, paulatim è vita decedit, nullo cum corporis, qui quidem animaduerti posset, cruciatu. Sic ergo mortuus est in patria sua, quam a multis annis non viderat, Februarij die decimo octauo, maximo cum gemitu plurimorum. Mansfeldij quidem cupiebāt illum suis in finibus, quod illinc originem haberet, sepeliri. Sed iussu Principis Electoris, VVitenbergam honorifice delatus, quinto post die in templo arcis reconditus, cum annum ætatis ageret sexagesimum tertium. Veram hanc esse narrationem de placido & beato obitu, fideique vsque ad extremum Spiritum constantia diuini huius viri Lutheri testes sunt præter viros clarissimos, D. Iustum Ionam, M. Michaelem Cœlium, Ioannem Aurifabrum, alij complures, & inter eos magni nominis Principes & Comites, qui & ipsi morienti adfuere, & funus VVitenbergam vsque comitati sunt, hinc qui VVitenbergæ funebrem audiuete concionem D. Ioannis Bugenhagij, & orationem funebrem Philippi Melanchthonis, quorum sane aliquot fuere millia. Nec tamen ab impudentissimis mendacijs Pontificii abstinere sibi potuerunt, spargentes, quod vrgente vi morbi in extrema desperatione sese è fulcro lecti suspenderit. Quinetiam viuo adhuc Luthero, in Italia extremæ impudentiæ mēdacium de morte eius diuulgatum fuerat, typisque impressum, quo Pontificij seipsos passim, sed frustra titillarunt, quod, vt exemplum sit malitiæ aduersariorū, breuiter subnectere placuit.

IMPVDENS MENDACIVM IN ITALIA de morte Lutheri diuulgatum.

HORRENDVM ADEOQVE INAVDITVM miraculum, quod in æternum laudandus Deus in fœda morte Martini Lutheri, & corpore & anima damnati, exhibuit in gloriam Iesu Christi, atque in emendationem & consolationem piorum.

CVm in morbum incidisset Martinus Lutherus, corpus Domini nostri Iesu Christi sibi communicari petijt, quod vbi accepit, breui post extinctus est. Vitę suæ terminum instare vbi animaduertit, petijt, vt altari imponeretur corpus suum, diuinisq; honoribus affectum adoraretur. Verum

horren-

horrendis erroribus finem tandem impositurus Deus, ingenti miraculo populum monuit, vt ab impietate, quam Lutherus inuexisset, absisteret. Imposito enim corpore eius in sepulchrũ, tãtus subito tumultus & terror exorsus est, ac si terræ fundamenta concuterẽtur. Vnde qui funeri intererant, cohorrescentes obstupuere, moxque sublatis oculis, sacrã hostiam in aere pendentem conspicati sunt. Quare magna cum animi deuotione sanctissimam illam hostiam in sacro loco reposuere. Quod vbi factum, tartareus iste fragor audiri desijt. Sub insequẽtem vero noctem, strepitus & fragor priore multo impetuosior circa sepulchrum Lutheri auditus est, qui omnes per totam ciuitatem trepidos, pauoreq; tãtum non enectos e somno excitauit. Quare cum illuxisset, sepulchrũ, in quod detestandũ Lutheri corpus repositum fuerat, aperuerunt, vbi nec corpus, nec ossa, nec vllas vestes offenderunt, sed fœtor sulphureus è sepulchro exiens, circumstantes tantum non extinxit. Quo Miraculo complures territi vitam suam emendarunt, in honorem Christianæ fidei, & gloriam Iesu Christi.

Viuente adhuc Luthero hoc mẽdacium apud Italos sparsum est, cumq; delatum esset ad ipsum Lutherum, ipse sua manu hæc ei subscripsit verba:

Fateor & testor hac mea manu ego Martinus Lutherus, me 21. Martij figmentum hoc iracundiæ & furoris plenum, de morte mea accepisse, lætaque mente & hilari vultu legisse, sed detestatum istam blasphemiam, qua putens mendacium diuinæ maiestati ascribitur, in cæteris me non posse non gratulabundum ridere Satanæ, eiusque squamarum, Papæ & complicum eius odium, quo me insectãtur. Conuertat eos Deus à diabolica ista malitia. Sin autem decretum est, preces meas pro peccato in mortem irritas esse, tum faxit Deus, vt mensuram peccatorum compleant, & libellis huiusmodi mendacijs scatentibus seipsos inuicem ad facietatem vsque oblectent.

NARRATIO DE VITA ET OBITV PHILIPPI Melanchthonis, qui in propugnanda Euangelicæ doctrinæ veritate diui Lutheri comes fuit indiuiduus, & coadiutor fidelissimus.

NAtus est Philippus Melanchthon anno Domini 1497. die Feb 16. hora septima vespertina, in oppido Bretta, quod est ditionis Principum Palatinorum Rheni, in domo & familia honesta. Pater ipsius Georgius Schwartzerdt/natus Heidelbergæ, fuit Magister armorum, apud Principes Palatinos Philippum, & Rupertum: & propter eximiam prudentiã, artem, fidem ac virtutem charus Maximiliano Imperatori, & multis Principibus atq; Comitibus, fuit vir pius, & pene vsque ad superstitionem religiosus, singulis noctibus hora duodecima consueuit e lecto surgere, ad vsitatarũ precũ recitationem, liberos & familiam magno studio & cura regebat, & hoc vnice operam dabat, vt tota domus pie & honeste viueret. Denique ciuis erat Principibus, Reipub. ac patriæ vtilis. Mater Barbara ciuis Brettani primarij, Ioannis Reuteri filia, Matrona fuit honestissima, singulari sapientia & morum grauitate prædita.

Ex talibus parentibus natus, & ab his tam sancte educatus fuit Philippus, vt non sit mirum in tantum virum eum postea euasisse. Vere enim dictum est à veteri Poëta:

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, θυσεβέων δ' οὐ.

Res fuit illis non tenuis, sed quæ prope mediocritatem superaret, eam sustentabat, & augebat præcipue benedictio diuina, ipsorum sobria & honesta frugalitas, & in agricultura industria ac vigilantia.

Patrem Philippus amisit anno à nato Christo 1508. die 29. mensis Septembris,

ptembris, ipse natus iam annos duodecim. Auum maternum, in quo fuit excellens & vere senilis prudentia, grauitas & integritas coniuncta cum autoritate summa, amisit ante patrem diebus vndecim. Huic, patre occupato negocijs Principum, præcipue educatio & institutio Philippi curæ fuit. Quare cum in eo admodum puero euidentiora quam pro ætate, raræ atque excellentis indolis indicia esse animaduerteret, quamprimum per ætatem literas discere potuit, eum in Schola patriæ publica eruditi curat, hinc domestico Præceptori formandum tradit Ioanni Vngaro.

Fuit eo tempore celebris Schola in oppido Portæ Herciniæ, quã gubernauit Georgius Simlerus VVimpinensis. In eam Scholam Philippus missus apud sororem Doctoris Ioannis Capnionis cognatam suam collocatur. Collegam habuit Simlerus quendam Ioannem Hillebrandum, quo magistro & præceptore primum Philippus elementa Græcæ linguæ degustauit. Vtrumq; vt alterum patrem coluit, & Simlerum postea Tubingæ publice docentem audiuit.

Cum autem reuersus ex Gallia Capnio crebro in patriam expatiaretur, inuisendæ sororis causa, apud quam Philippus alebatur, considerare naturam pueri atque ingenium, & profectus explorare incipit, quæ omnia cum non probaret tantum, sed admiraretur, quem dilexerat antea propter cognationis vinculum, eum propter ingenij præstantiam etiam vt magnificaret mouetur, donatumq; libello Græcæ Grammatices, Lexico, vt vocant, græco, & Bibliorum codice, ad gnauiter, ac strenue pergendum incitat, additis exhortationibus, & impositio in caput eius pileo purpureo, quo ipse cum Doctor fieret, ornatus fuerat, tale futurum præsagiens quale is euasit. Bibliorum codicem & circumtulit secum perpetuo, & legit diligentissime, & hanc legendi rectus Biblici consuetudinem, quod sibi adolescenti profuisse plurimum expertus esset, retinuit ipse ad extremum vsque, tum vniuersis discipulis suis sæpe commendauit.

Biennium versatus in ea Schola, mittitur in patriam patris, nempe in publicam scholam Heidelbergensem, vbi adolescens propter rari & mirandi ingenij præstantiam, morumque suauitatem ac venustatem, omnibus bonis & honestis hominibus valde charus fuit, scripsitque iam tunc adolescẽs Professoribus in ea schola orationes, quæ publicæ recitatæ sunt, & linguarum studia ac præcipue scribendi exercitium soluta oratione & versu excitauit.

Primum scholasticum gradum, cui à Laurea nomen est, assumpsit, cum natus esset annos 14. nempe anno à nato ex virgine Christo, 1511.

Inde cum propter cœli grauitatem quotannis sub autumnum cum febre conflictaretur, mater periculum metuens, Tubingam ipsum trãsfert, ibi rectius valuit, & totum sexennium vixit, priuatim ac publice cum magna laude & admiratione docuit, & scripta quædam seu primos fœtus, ex quibus satis apparuit, qui prouentus in posterum expectandi forent, in lucem edidit. Præfuit & Typographicę officinæ Anshelmi aliquãdiu. Excudebatur tunc illud grãde volumen Naucleri, in quo multa, quæ corrupta erant, ipse emendauit, mutila multa compleuit, confusanea in ordinem redegit, obscuris lucem reddidit, superuacanea præcidit, effecitq; vt is liber, qui antea erat farrago verius, quam integrum historiæ corpus, postea à multis & appeteretur, & magna cum vtilitate legeretur.

Hoc sexennio crebro & multum fuit cum Capnione. Cumq; Capnio subinde ex Stukgardia Tubingam veniret, solebat apud Philippum diuertere in illo scholastico diuersoriolo, & vna cum eo in Collegio cibum capiebat.

Princeps autem Saxoniæ, Elector Fridericus, cuius sapiẽtia celebratur, cum ante annos non multos magno studio Academiã VVitenbergensem

condi-

condidisset,& vndecunq; viros doctos, quibus eam instruere & exornare posset,conquireret,hac in re vsus est consilio Capnionis,in conuentu imperij Augustano,anno à nato Christo 1518. Commendat Capnio Principi Friderico Philippum, tunc iuuenem adhuc, qui ipsum statim assumptum Luthero adiunxit,& ad docendam Græcam linguã VVitenbergam misit. Fuitq; ab eo tempore inter Lutherum & Philippum indissolubilis animorum coniunctio, & in defendenda veritatis Euangelicæ doctrina,aduersus ignita tela Satanæ,insidias falsorum fratrum, tum aduersus abominabilem impiorum Sophisticam, mendacia, contumelias, diuina constantia.

Edidit scripta plurima,vtilissima,& valde necessaria,quę hic singula recensere longum foret. Sunt autem ex his quædam exegetica, quibus præcipui libri sacri luculenta interpretatione explicantur, vt commentarii in Danielem, Ioannem Euangelistam, Epistolas Pauli, & alios libros sacros. Postremo summam doctrinæ Ecclesiarum nostrarum commodissimo & eruditissimo compendio complexus est,in duplici exomologesi Augustana,& illa,quæ superioris repetitio est,edita anno 1551. His accedit plena,& exactissima explicatio dogmatum singulorum,comprehensa libro,cui titulus est,Loci communes. Quem librum cũ vidisset Lutherus, ausus fuit dicere,non dubitare se, quin vel vnum hunc librum Philippi omnib. sententiarijs,& scholasticis scriptis anteferret. Atq; vt rumpant se inuidi,qui postea viro tanto obtrectare cœperunt,proferre neq; ex veterum,neq; ex recentiorum scriptis,neq; etiam sub theatro quidquam possunt,cum hoc scripto quod sit conferendum.

Quam placida tandem, tranquilla & sancta morte post varios labores & certamina, quæ pro Ecclesia sustinuit, ex hac ærũnosa vita in cœlestem patriam transmigrarit, iam exponendum erat. Verum breuitatis gratia, reliquis omissis exemplar scripti eius, quod vna cum eius cadauere in loculum stanneum reconditum est,subiiciemus. Sepultus autem est honorifice in templo arcis VVitenbergensis,ex aduerso sepulchri, in quo repositum est diui Lutheri corpus.

EXEMPLAR SCRIPTI IN LOCVLVM Philippi Melanchthonis inclusi.

CONditur hoc loco Philippus Melanchthon, qui sacras literas, bonasq; artes in Academia VVitenbergensi quadraginta duos annos docuit, vir excellenti eruditione,humanitate,prudentia,candore,pietate,sanctimonia,patientia,tum erga pauperes beneficentia eminentissimus. Reuerendi quondam viri Martini Lutheri assiduus fidelissimusque adiutor, in explicanda & propaganda synceriore doctrina verbi diuini, quod ex Romani Pontificis fraudulentia, tum Monachorum præstigiosis effascinationibus, innumerisque abusibus, densissimis tenebris erat immersum. Qui Augustanam confessionem conscripsit, Imperatori Carolo Quinto, anno 1530. oblatam, cum iam syncerioris doctrinæ lux anno 1517. affulgere cœpisset,& mutatio orta esset in Ecclesijs. Veritatem cœlestis doctrinæ per triginta annos strenue propugnauit,& publice in comitijs,& alias docendo in schola, id quod testantur varia eius scripta,id lucem emissa. Natus est Brettæ,quod oppidum est Palatinatus Rheni,honestis parentibus, patre quidem Georgio Schwartzerdt/ qui Palatinorum Principum,Philippi & Ruperti, Electorum, Magister armorum fuit, Imperatori Maximiliano, aliisque Imperij Principibus, ob virtutem, prudentiam, artem & industriam præcipue charus:matre vero Barbara Rutterin/ anno 1497. Februarij 16. septima hora vespertina,post Solis occasum. Tubinga VVi-

tenbergam

tenbergam vocatus est ab illustrissimo Principe Electore Friderico tertio, Duce Saxoniæ, fundatore Academiæ VVitenbergensis, ex consilio Doctoris Iohannis Capnionis, cognati eius. VVitenbergam aduenit anno 1518. vigesimo quinto Augusti, circa primam pomeridianam. Cumq; iam aduersus Pontificios disputare incœpisset Lutherus, eiusq; industriam, ingenijque dexteritatem singularem cognouisset, eum sibi velut indiuiduum Achatem adiunxit.

Anno 1520.25. Nouembris, Catharinam Krappin/ honesta in hac ciuitate prognatam familia, vxorem duxit, duosque filios, totidemque filias ex ea sustulit. Alter filiorum Georgius, secundo statim anno ætatis suæ mortuus est, alter vero Philippus patri superstes fuit: Alteram filiarū Annā Georgio Sabino, vtriusq; Iuris Doctori matrimoniali nexu iunxit: Alteram vero Magdalenam Caspari Peucero, Medicinæ Doctori. Coniunx eius Catharina fatis concessit, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo, vndecimo Octobris, cū maritus ipsius charissimus VVormatiæ degeret, eo accitus ab Imperij proceribus, propter disputationes suas per causa religionis. Reuersus inde VVitenbergam Philippus, quod reliquum fuit ætatis, viduus exegit, donec anno à morte coniugis tertio, nondum ea, quæ Dominicam Palmarum præcedit, febris eum inuasit: quæ corpus ætate iam debilitatum, adeoq; curis & laboribus attenuatum, citra laborem sopiuit. Placide enim & fere eitra sensum doloris, in vera inuocatione Patris, Filij & Spiritus sancti, confecto suo curriculo, die sexagesimo tertio, post completum climactericū nonum, annum, post septimum par oxysmum tertianæ febris 19. Aprilis, circa septimam vespertinam obdormijt, cuius anima vna cum omnibus electis in cœlesti Ecclesia, apud Filium Dei viuit. Quemadmodum scriptum est: Beati mortui, qui in Domino obdormierunt. Corpus eius in sepulchrum hoc reposuit Vniuersitas, hac in re dilecto, pio, & fideli patri, patrono, & Præceptori supremum gratitudinis præstans officium, anno 1560.21. Aprilis, cum Rector Vniuersitatis esset Georgius Cracouius vtriusq; Iuris Doctor. Theologiæ autem essent professores: Doctor Paulus Eberus, parochus, Doctor Georgius Maior, Doctor Paulus Crellius. Iuris doctores: Laurentius Lindemannus, ordinarius Doctor, Doctor Ioachimus à Beust/ Doctor Iohannes Schneidewind. Medicinæ doctores: Melchior Fendius, Casparus Peucerus, Iohan. Hermannus. Philosophiæ & liberalium artium: Doctor Vitus VVinshemius, Magister Sebastianus Theodoricus, Matthæus Blochingerus, Petrus Vincentius, Esromus Rudingerus, Casparus Cruciger, Iohannes Buggenhagius, Henricus Mollerus, Eusebius Menius. Sub illustrissimo Principe Electore Augusto, Duce Saxoniæ, Landgrafio Thuringiæ, Marchione Misniæ & Burggrafio Magdeburgensi.

IOHANNIS FRIDERICI, PRINCIPIS ELECTORIS constantia.

QVanta animi constantia, fide & pietate Illustrissimus Princeps Iohannes Fridericus Elector, Dux Saxoniæ, in ipsa quoq; captiuitate Euangelicæ doctrinæ veritatem confessus sit, tum quod nullis ab ea minis vel pollicitationibus deterreri potuerit, ex scripto illo patet, quod Cæsareæ Maiestati obtuilt, cum ab eo peteretur, vt nouæ Ecclesiarum constitutioni, quam vocabant Interim, subscriberet, quod breuiter excerptum, & his tertij Præcepti exemplis inserere placuit.

QVemnam in Religionis causa per sacrum Germaniæ Imperium, vsque ad certam Concilij determinationem, ordinem obseruandum esse decreuerint, Cæsarea & Regia Maiestas, nec non Principes Electores, Prin

cipes,& reliqui ordines Imperij,ſupplex cognoui, ad hæc ſerio à me peti, vt in iſtud decretum conſentiam, eique ſubſcribam. Non autem ſum immemor,quod ſuperiori anno, quando conditiones mihi Cæſar tulit, hæc etiam perſcripta fuerit, vt & ipſius & concilij de religione decreta futura probarem: Cum autem intelligeret, me nullius periculi terrore vel metu poſſe induci, vt aſſentirer,conditionem illam remiſit,neque de religione quicquam deinde mecum egit. Quod maximi certe beneficij loco tunc habui, & hoc velut onere grauiſſimo ſubleuatus, reliquas omnes conditiones, quibus de mea perſona, de fortunis omnibus, pro ſuo arbitratu Cęſar ſtatuebat,eo facilius,& æquiore animo tuli,ſperans futurum,vt religio mihi deinceps permitteretur libera.

Nunc autem quando rurſus viget ac mãdat,vt decreto facto ſubſcribã: Equidem profiteor me iam inde ab adoleſcentia ſic inſtitutum, ac deinde ſacrorum librorum lectione ſic eſſe confirmatum,vt hanc doctrinã,quam hactenus profeſſus ſum,plane conuenire cum Prophetarum & Apoſtolorum Scriptis, nec vllius erroris conuinci poſſe iudicem. Hac nimirum de cauſa & parens meus, & ego nonnulliq; alij Principes eius doctrinæ confeſſionem ſcripto comprehenſam Cæſareæ Maieſtati olim exhibuimus. Cum ergo hac ſui verbi cognitione me Deus illuſtrarit, non mihi licet ab agnita veritate diſcedere, niſi ſempiternum exitium mihi cõciliare velim. Itaque ſi decretum hoc reciperem, quoniam multis in locis,& grauiſſimis quidem, illud à ſacra Scriptura diſſidet, damnarem, quam ſum hucuſque profeſſus,Ieſu Chriſti doctrinam,& verbis atque ſermone proßare, quod vitioſum & impium eſſe ſcio. Hoc ipſum vero quid aliud ſit, quam pictis atque fucatis verbis ludificare diuinam Maieſtatem ſimul & Cæſarem? qua quidem re quid fieri poſſit flagitioſius? Nam hoc illud eſt,de quo Chriſtus tam diligenter nos admonet, peccatum in Spiritum ſanctum, quod nullo vnquam tempore condonatur.

Quod cum ita ſit,& quoniam his vinculis eſt alligata conſcientia mea, maiorem in modum,& per miſericordiam Dei,quam humano generi per Filij ſui immolationem impartiuit, oro & obſecro, ne Cæſar hoc meum factum implacate ferat. Quod enim Auguſtanæ confeſſionis doctrinam retineo,ſalutis meæ cauſa facio,& rebus omnibus poſthabitis, quomodo poſt hanc ærumnoſam vitam, ſempiternę vitę lætitiæque particeps fiam, cogito. Ad Cæſarem etiam à nonnullis audio deferri, quaſi non religionem,ſed gloriolam aliquam,& neſcio quid aliud,in eo ſpectem: obſecro, quid omnium rerum humanarum optatius euenire mihi poſſit,preſertim mole corporis grauato,quam libertas,quam reditus ad vxorem & liberos, quam otium & quies domeſtica? Teſtificor autem Deum, & tunc,cum à nobis omnibus factorum rationem ille poſcet,teſtificabor, me nihil aliud ſpectaſſe,quam vt vero ipſius cultu,regni cœleſtis hæreditatem cõſequar. Quod vt Cæſar certo credat, ſibique de me perſuadeat, vehementer oro. Cæteris in rebus omnibus prompta ſemper mea fuit in illum voluntas,& erit in perpetuum,& quam dedi ei fidem,eam vti virum bonum,& illuſtri genere natum,decet,præſtabo. Quod ſupereſt,& offenſionem omnem remittat,meque tandem ab hac diuturna captiuitate liberet,obſecro,ne videlicet ego ſim primus omnium Principum, qui ſuam ætatem captiuus apud ipſum tranſegiſſe dicatur.

DE TOENIS PERSECVTORVM ECCLEſiæ Chriſti.

QVanta Satanæ tyrannorumque rabies nunquam non fuerit, in opprimendis diuinæ veritatis confeſſoribus, compluribus exemplis & hiſtorijs

florijs in præcedentibus demonstratum est. Pauca etiam subnectemus iam exempla, de tyrannorum, Ecclesiæque persecutorum pœnis, quibus diuinitus affectis, Ecclesiam Christo curæ esse, nec aduersus eam portas inferorum prævalere posse ostenderunt.

ZACHIAS FILIVS BARACHIÆ.

HVius meminit diuus Augustinus sermone 242. de tempore, & diuus Matth. cap. 25. vbi ad Phariseos Seruator Christus ait: Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas, & illorum aliquot occidetis, erucifigetisque. Zacharias Pontifex magnus, inquit diuus Augustinus, pro cultu Dei, pro legibus sacris, pro censura in templo Sacerdotali rebellem increpans populum, mortem constanter accepit, & detestabilis acies Iudæorum eius cruore pauimentum infecit, nono anno Imperij Ioæ, Regis Iudæ decimi. Quam in virum Dei tyrannidem luit vniuersus populus Iudæa, venitq; in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos Principes populi. Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manus eorum vniuersam multitudinem. 2. Paralip. 24. *Iudæorum pœna ob interfectum Zachariæ.*

Ex Thalmudica historia Iudæorum, Rabbi Iehosua refert, à Nebuzaradane, summo belli duce Nabuchodonosoris, bis centena & vndecim Iudæorum millia cæsos esse in valle Hierosolymitana, intra vrbis autem mœnia nonaginta quatuor millia, in expiationem Zachariæ, cuius sanguis in eum vsque diem è terra velut è feruente olla ebullierat. *Nebuzaradan.*

Antiochus Epiphanes, Antiochi Magni filius, quam horrendas impietatis suæ, & tyrannidis, quam aduersus Iudæos exercuerat, pœnas coactus sit pendere, vide 2. Macchab. 9. capite. Ex Ægypto rediens, re male gesta, minatus est, se vrbem facturum communem totius gentis sepulchrum: sed in itinere excussus ab auriga, morbo fœdissimo affligitur, ita, vt vermes e putrefacti corpore ereptarent, & carnes ossibus defluerent, tanto fœtore, vt ferre eum nemo seruus vellet. Simulatam agens pœnitentiam, multa Iudæis incredibilia promittit: sed tanto cruciatu animi atque corporis consumitur, vt nihil cogitati aut optari possit ærumnosius. Extra patriam in agro moritur, & Antiochiam defertur. Regnauit annos duodecim, quē vt effigiem Antichristi, extremam mundi ætatem perdituri, Propheta Daniel proponit. *Antiochi Epiphanis pœna.*

Herodes primus Ascalonita, qui Christum ipsum ad necem inuestigās, vrbem Bethlehemam, & agrum vicinum, masculorum cædibus exhausit, vna contagione in morbos plurimos incidens, cruciatu longo, & tetro fœtore, vermibus toto corpore erumpentibus, consumitur, cultrum in viscera sacturum: Metroebus consobrinus, & Achiabus ministet prohibet. Moritur miserrime, cùm dolorum remedium nec animo inueniret, nec sentiret corpore. Florem nobilitatis & Senatus reliqui, ante mortem conabatur extinguere, vt essent, qui in eius fletent exequijs, nulli hominū, ipsius Tyranni iudicio flendis. Vide Iosephum lib. 2. de bello Iudaico. Item 18. librum Antiquitatum. *Herodis Ascalonitæ pœna.*

Herodes Antipas, qui Iohānem Baptistam, Prophetam maximum, nuptias incestuosas improbantem, in custodia Macheruntina capite minuit, ac C. Cesare in Gallos Allobroges, vt Strabo, seu in Lugdunenses, vt certius designat Iosephus, ire exulatum iubetur. Hegesippus fugisse in Hispaniā, & animi ægritudine ibidem consumptum scribit. Vide Iosephum lib. 18. cap. 8. Antiquitatum. *Herodis Antipæ pœna.*

Herodes Agrippa, vt Phariseis & populo faceret gratum, seuire in Christi discipulos cœpit, Iacobum Zebedæi filium ferit gladio: Petrum Ionæ *Herodis Agrippæ pœna.*

includit carceri. Adulatorum plausu & vocibus in theatro Cæsareæ Deus salutatur, quo mendacio cum delectaretur, ab Angelo percutitur morbo lethali: Intestina eius putrefacta cum vermes roderent, die quinto post moritur, ingenti & membrorum & conscientiæ cruciatu, conquerens & lamentans, nullum vspiam in terris hominem se miseriorem viuere. Vide Eusebium lib. 2. cap. 10. Lucam Act. 12.

Pōtius Pilatus, Christum Dominum, Regem & Redemptorem, cui innocentiæ testimonium septies dederat, & odio esse victum non ignorabat, cædi virgis, & rhamno coronari mandat, & non conuictum damnat propter formidinem, Barrhabam notum latronem dimittit. Hic gratia Tiberij Cæsaris cum excidisset, suo ipse gladio incumbit, teste Scriptore antiquo Tertulliano.

Gregorius Turonensis.

Tam tibi sit mitis Ponti Pilate Megæra,
Tamq; tuæ moueant lachrymæ Plutona ferocem,
Quam merito periit fato te iudice Christus.

Diuus Bartholomæus Regem Polemium ad Christianam fidem cōuerterat. Qua re exacerbati Sacerdotes idololatræ apud Astiagem, Regis Polemij fratrem, efficiunt, vt sanctus Apostolus interficeretur. Elapsis hinc triginta diebus, & Rex Astiages, & impij Sacerdotes, in templo idoli Satanico furore correpti, miserecq; vexati, & extincti sunt. Vide supra in vita Bartholomæi, in principio primi Præcepti.

Pari modo & Egeas Patrensis præfectus in Achaia, cum diuum Andream in crucem egisset, à Satana protinus obsessus & extinctus est.

Domitius Nero exercuit magnam sæuitiam in Christianos, interfecit Paulum & Petrum, cuius suæ impietatis pœnas dedit horrendas. Nam cum vixisset annos triginta, menses nouem, & regnasset annos tredecim, menses octo, defecerunt ab eo exercitus, eumque hostem iudicauit Senatus. Cum ex vrbe fugeret, ingens terræ motus factus est. Et terra Neroni dehiscere visa est, & spectra occurrerūt interfectorum ab eo. Cum autem audiuisset prope esse equites à Senatu missos ad eum interficiendum, ipse gladio se transfixit. Hic exitus testimonium est iudicij diuini, & congruit ad regulas: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Et: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, eradicabitur. Chron. Philipp. Melanchth. lib. 3.

Secunda persecutio.

Exercuit Domitianus Imperator multiplicem crudelitatem, trucidauit multos Christianos, Iudæos & Ethnicos. Hęc post Neronem proxima persecutio numerata est, in qua & Iohannes Euangelista, cum Ecclesiā Ephesinam doceret, relegatus est in Insulam Pathmum. Cum autem Domitia coniunx reperisset catalogum interficiendorum, scriptum in pagella, in quo ipsius, & multorum amicorum & libertorum nomina erant: re deliberata cum illis, Liberti Domitianum interfecerunt, cuius cadauer populari sandapila per vespillones exportatum, atque ignominiosissime sepultum est. Vide Eusebium lib. 3. cap. 13. Paulum Orosium lib. 7. cap. 11. Chron. Philipp. Melanchth.

Tertia persecutio. Plinius Secundus.

Traianus Imperator quidem fuit optimus, summisque ornatus virtutibus: aduersus Ecclesiam autem magnam exercuit sæuitiam, donec Plinij Secundi monitu Christianos nihil aduersus imperiū seditiose moliri cognouit. Numeraturq; ea persecutio tertia, in qua Simeon, filius Cleopæ, natus ex sorore Marię virginis, Episcopus Hierosolymæ anno ætatis suæ centesimo & vicesimo interfectus. Quare ingens eius fœlicitas, insignis calamitatis expers esse non potuit. Nam ingēti terræ motu aliquot vrbes grauiter concussæ & euersæ sunt, tum præter cæteras Antiochia ad Oron-

tem, vbi

tem, vbi Traianus quoque pene perijsset, ruina ædificij, in quo degebat, ictus. In ijs ruinis innumera multitudo perijt, alij grauitate molis oppressi, alij, qui fortuito ædificiorum casu in cauis locis inclusi, perfringere non poterant, illa concussione, per dies complures durante, fame perierunt. Tandem sedata calamitate, quidam ruinas conscendere ausus, mulietem insita eiulãtem audiuit, quam remota materia eduxerunt. Ferebat autem illa puerum vlnis, quem vt & semetipsam, vberibus suis aluerat. Deinde ruinis etiam cęteris remotis, nullos viuentes, prĕter vnum puerum repere runt: qui autem fame perierant, multos, vt refert Zonaras. Incredibili deinde motu sub vno tempore Iudæi, quasi rabie efferati, per diuersas terrarum partes exarserunt, qui in Ægypto, & Cyrene & Cypro quadraginta millia hominum tanta immanitate trucidarunt, vt carnes interfectorum comederint, & cruore eorum facies suas pinxerint. Inter eos Iudæorum motus, bellũ mouet Imperator contra Agarenos, in cuius apparatu morbo oppressus est. Cum Selinuntem, Ciliciæ vrbem, quę etiam Traianopolis dicitur, venisset, vita functus est, vt ipse putabat, veneno hausto: vt alij dicunt, ob suppressum sanguinem, quem quotannis per aluum excernere solebat. Accessit apoplexia, consecuta resolutione corporis ex parte. Verũ aqua intercus omnino mortis ei causa fuit. Vide Zonaram 2. annal. Eusebium lib. 3. sub finem. Paulum Oros. lib. 7. cap. 12. Philip. Melanchth. Chronic. 3.

Iudæorum seditio, & erga Christianos rabies.

EPISTOLA PLINII SECVNDI AD TRAIANVM Imperatorem, de Christianis.

SOleunne est mihi Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorãtiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquã, ideo nescio quid, & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitaui, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant, deturne pœnitentiæ venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit. Nomẽ ipsum etiamsi flagitijs careat, an flagitia cohærẽtia nomini puniantur. Interim ijs, qui ad me, tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogaui ipsos, an essent Christiani, confitentes iterum ac tertio interrogaui, supplicium minatus, perseuerantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset, quod faterentur, peruicaciam certe, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alij similis amentiæ, quos, quia ciues Romani erant, adnotaui, in vrbem remittendos. Mox ipso tractatu, vt fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine autore multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cũ præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iusseram cum simulachris numinum adferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reuera Christiani, dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, & mox negauerunt, fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoq;. Omnes & imaginem tuam, Deorumq; simulachra venerati sunt, ij & Christo maledixerunt. Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem, seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerẽt, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capien-

dum cibum, promiscuum tamen & innoxium, quod ipsum facere desiisse post edictum meum quo secundum mandata tua & hetęrias esse vetuerã. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministrę dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quam superstitionem prauam, & immodicam. Ideoq; dilata cognitione ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantum sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio peruagata est, quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solennia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inueniebatur, ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

Ad hanc Plinij Epistolam Imperator respondit hunc ad modum:

TRAIANVS PLINIO.

ACtum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neq; enim in vniuersum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt, si deferantur, & arguantur, puniẽdi sunt. Ita tamen, vt qui negauerit, se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est, supplicãdo Dijs nostris, quamuis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent; nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est.

Quarta persecutio.

Quartus aduersus Ecclesiam persecutio mota est, sub M. Aurelio Antonino Vero, & Lucio Vero, de cuius atrocitate lege Eusebium lib. 5. Eam secuta est lues plurimis infusa prouincijs, totamq; Italiam pestilentia tanta vastauit, vt passim villę, agri atque oppida sine cultore atq; habitatore deserta, in ruinas syluasq; concesserint, exercitumq; Romanum cunctasque legiones per longinqua late hyberna dispositas consumpserit, quæ clades tyrannidem aduersus Christianos compescuit, & ipse quoque tyrannus L. Verus apoplexia extinctus est, vndecimo imperij sui anno.

In hac persecutione Polycarpus & Pionius, de quibus supra in primo Præcepto, martyrio affecti sunt, Smyrnæ, quæ ciuitas decimo anno post graui terræ motu corruit.

Quintus persecutor Christianorum.

Quinta aduersus Christianos persecutio mota est sub Lucio Septimio Seuero, in qua multi fortiter obito certamine, Martyrij coronam meruerunt. Tum etiam Leonides, Origenis pater, captus, & post alia supplicia obtruncatus est. Verum tantis bellorum motibus agitatus fuit tyrannus, vt ex animi sui sententia pios insectari non posset. Tãdem Eboraci in Britannia mortuus est, vbi moriturus non citra desperationem suas miserias deplorans dixit: Πάντ' ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ. Omnia fui, & nihil mihi prodest. Senatus Romanus eum aut non nasci debuisse dixit, aut non mori.

Sextus persecutor.

Maximinus Thrax, à pueritia pastor, ob corporis vastitatem & robur tandem ad Imperatoriam dignitatem euectus, atrocissimã aduersus Christi Ecclesiam mouit persecutionem, de qua apud Eusebium libro nono. Cum triennium regnasset, ob crudelitatem à Senatu hostis iudicatus est, & cum Aquileiam obsideret, milites coniuratione facta, eum cum filio in castris trucidarunt.

Septimus persecutor.

Decius Christianorum persecutor à Nerone septimus, vltra biennium non regnauit. Nam cum aduersus Getas, qui postea Gothi nominati sunt,

qui

qui Istrum transierant, bellum gereret, ab hostibus in loca palustria arte tractus est, vbi filio interfecto, ipse in paludem mersus perijt.

Octauus persecutor.

Valerianus octauus Christianorum persecutor, initio mitis fuit erga Christianos, sed postea à Mago AEgyptio incitatus est, vt persecutionem moueret, qui persuasit etiam ei, vt humanas hostias mactaret. Non diutur nus fuit hic furor. Profectus enim anno quarto Imperij in Orientem Valerianus contra Persas, victus & captus est à Rege Persico Sapore, qui aliquot annos, quoties equum conscendit, pedem ceruici Valeriani imponens, pro scabello eo vsus est. Tandem in extrema senecta viuenti cutem à ceruice ad pedes detraxit.

Nonus persecutor.

Aurelianus nonus à Nerone Ecclesiæ Christi persecutor, cum sex annis, demptis paucis mensibus, imperio esset potitus, non procul a Byzantio à militibus, à Scriba Mnesteo incitatis interfectus est.

Decimus persecutor.

Diocletianus decimus à Nerone Christi persecutor, decimo Imperij sui anno, in festo Paschatis edictum promulgabat, quo iubebat, omnia Christianorum templa destrui, & solo æquari, omnes etiam libros, in quibus doctrina salutaris Euangelij & Prophetarum contineretur, aboleri, & in cineres verti, omnes præterea Christianæ religionis assecias omni honore & dignitate priuari. Satanica prorsus rabie aduersus Christianos sæuiens, multa eorum milliaria, nouisque tormentorum generibus occidit. Nec minor in Occidente, collegæ eius Maximiani aduersus Ecclesiam fuit rabies. Fuitque hæc inter Ecclesiæ persecutiones omnibus fere anteactis diu turnior atque immanior. Regia Nicomedensis cum incerto casu conflagrasset, falsus inde rumor dissipatus est, facinus illud à Christianis admissum, eaque de causa omnibus tormentorum generibus vbique in eos sæuitum est. Damascenus autor est, triginta dierum spacio septendecim hominum millia hinc inde ad supplicia raptos, & crudeliter interfectos esse. Vterque impietatis suæ pœnas dignas accepit. Ex desperatione siquidem, cum nec Christianos superare, nec præconium Christiani nominis delere possent, ambo eodem die Imperio se abdicarunt. Diocletianus itaque vitam agens priuatam, mœtis errore affectus, & diuturno morbo tabescens, miseram animam violenter eructauit. Maximianus vero Herculius laqueo sibi vitam finiuit. vide Zonaram annal. 2. Euseb. lib. 8. Chron. Philippi.

Non minore sæuitia in opprimenda Ecclesia vsi sunt Galerius Maximinus, & Maxentius Maximiani filius, quos ambos diuina pœna absumpsit.

Galerius Maximinus, cum persecutionem à Diocletiano & Maximiano decem omni genere hominum exhaustit prouincias, putrefacto introrsum pectore, & vitalibus dissolutis, cum vltra horrorē humanę miseriæ etiam vermes eructaret, & Medici vltra iam fœtorem non ferentes, crebro iussu eius occiderentur, à quodam Medico constantiā ex desperatione sumente increpitus, iram Dei esse pœnam suam, atque ideo à Medicis non posse curari, edictis late missis, Christianos de exilijs reuocauit. Ipse autem cruciatus non sustinens, vim vitæ suæ attulit. Paulus Orosius libro primo, Zonaras annalium 2. Chronic. Philippi.

Maxentius aduersus Cōstantinum pugnans, victus tandem ad pontem Miluium, cum magna multitudine in flumen mersus perijt. Ideo Christiani dixerunt, interitum Maxentij similem fuisse pœnæ Pharaonis.

Valens Imperator Arrianam amplexus impietatem, magnam aduersus orthodoxos crudelitatem exercuit. Anno imperij decimoquarto aduersus Gothos infeliciter pugnauit. Vulnere enim ad Adrianopolim accepto, decidit ex equo, & in proximum tugurium deductus est, quod cum persequentes hostes incendissent, ipse quoque flamma consumptus est.

Iulianus Apostata, cum extremum Ecclesiæ Christi minaretur exitium,

in prælio aduersus Persas vulnus in epate accepit à milite, qui quis fuerit, nescitur. Relatus in castra sanguinē caua manu excipiens, sursum sparsit, clamans: Vicisti tandem Galilæe. Hac voce emissa, qua fatetur impiā suam voluntatem, & ostendit ingentem fremitum, & sensum pœnarum, extinctus est, anno ætatis suæ secundo & tricesimo.

Vigellius Saturninus, Prætor Carthagiensis, qui primus in Christianos gladium strinxit, lumina amisit. Tertullianus in scripto ad Scapulam.

Claudius Herminianus in Cappadocia, cū indigne ferens vxorem suam Christi doctrinam amplexam esse; Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste, viuus vermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, ne gaudeant Christiani. Hac voce satis testatus, se crudelitatis suæ in Christianos tam tetras pœnas dare. Ibid.

Gentes Christianorum sanguinem Dijs victimā esse gratā putant.

Tertullianus in Apologetico eam gentium de Christianis opinionem fuisse ait, vt eos omnium malorum & calamitatum, quibus mortaliū genus opprimeretur, autores esse putarent, ideoque animo erga ipsos infestiore fuisse. Nam & Maximinum hac persuasione, quasi œstro quodam incitatum aduersus Christianos atrocissimam instituisse persecutionem. Nec affirmare dubitauit, postquā Christiani è regno electi essent, fertilitatem protinus subsecutam esse, ideoque se existimare, Christianorum sanguinem Dijs victimam esse omnium gratissimam.

Traianus Imperator de hoc in præcedentibus. Hadriani interitus.

Traianum Dion narrat, resolutione membrorum, & stupore corporis sensuumque primum subito correptum esse, adeo, vt venenum se hausisse suspicatus sit: postea vero aqua intercute repletum, apud Selinuntē Ciliciæ vrbem extinctum.

Idem Hadrianum scribit grauibus & multiplicibus morbis affectū miserabiliter perijsse, victumq; dolorum magnitudine iam venenum, iam cultrum petijsse, grandemq; pecuniæ summam, si quis gladium porrexisset, promisisse. Sed domesticorum neminem obtemperasse. Mortuūq; tādem esse supra quam dici potest miserabiliter, cruciatibus omnium fere membrorum confectum, cum vixisset annis sexaginta duobus.

Quintus Ælius Lætus.

Marcus Antoninus Verus, apoplexia correptus, cum per triduum mutus decubuisset, tandem extinctus est in Pannoniis.

Commodus, ille incommodus, qui Senatusconsulto Domitiano sæuior, & Nerone impurior iudicatus est, tragico perijt exitu, quia à nullis flagitijs nefandis, & atrocibus, quandiu Imperio præfuit, abstinuerat. Erat ei Præfectus prætorij Quintus Ælius Lætus, qui cum Martia Imperatoris concubina, de veneno ei exhibēdo, ob metum mortis, quam eis minitatus erat, conspirauit. Tentata res eo vsque successit, vt venenū Imperator biberet: sed quod seu efficax minus fuit, seu robore Imperatoris victum est. Alijs igitur insidiis circumuentus est, atque eiusmodi, vt cum Narcisso athleta, cum quo exerceri & ante frequenter consueuerat, in pugnam cōmitteretur, ab eo subito strangulatus est. Cent. 2. cap. 3.

Paulinus in Christianos sæuiens diuinitus punitur.

Processus & Martinianus milites, cum custodirent Paulum & Petrum in carcere, miraculis eorum conuersi sunt, & petierunt se baptizari: Et baptizati sunt vna cum quadraginta septem alijs captiuis. Idvero cum Paulinus cognouisset, iussit eos sacrificare idolis, quod cum facere recusarent, iussit eos partim lapidari, partim fustibus cædi, partim flammis vri, partim scorpionibus castigari. Verum vltio diuina eum subito insecuta est. Vno enim oculo priuatus est, & à dæmonio exagitatus obijt. Cent. 1. lib. 2. c. 12.

Seuerus Imperator, cum regnum sœliciter primum administrasset, statim posteaquam persecutionem mouisset, successibus destitui cæpit, ac continuis, varijsque periculis & bellis distrahi. Exitus vero eius tametsi cruentus & tragicus non fuerit quidem, tamen eiusmodi fuit, vt vehemē-

ti membrorum omnium, quemadmodum de eo Victor scripsit, maxime vero pedum dolore, venenum petierit.

Valerianum Imperatorem, de quo supra, a rege Persarum Sapore excoriari iussum Eusebius scribit. Verba eius hæc sunt: Sed & tu Valeriane, quoniam eandem homicidiorum sæuitiam erga subditos Dei exercuisti, iustum Dei iudicium declarasti, dum captiuus vna cum ipsa purpura ac reliquo Imperatorio ornatu abductus, ac tandem a Sapore Persarum Rege excoriari iussus, saleque conditus perpetuum infœlicitatis tuæ trophæum erexisti. Eius præsidem Claudium a diabolo arreptum, & post incisam minutatim linguam suffocatum scripsit Henricus de Erffordia. Centur. 3. capite 3.

Aurelianus postquam persecutionem meditari cœpisset, fulmine repẽtino territus est, sed eo nihil ad meliora flexus, a suis inter Byzantium & Heracleam occisus est. De quo Eusebius in sermone ad Conuentum, Et tu Aureliane, inquit, omnium iniquitatum incendium, quam manifeste cum Thraciam perrumperes, in media publica via cæsus, sulcos viæ impio sanguine replesti? Eius præses Antiochus, inter tormenta Agapiti Martyris subito de tribunali decidens, se totum in interioribus ardere clamauit, & expirauit. Ibid.

Teridates cum suis in porcos mutati.

Constantini tempore Teridates quidam in Armenia persecutionẽ exercuit: Vbi tum ab eo Gregorius Magnus ille, qui miraculis insignis fuit, multa passus, tandemque in foueam cœnosam & caliginosam ad annos quatuordecim inclusus est. Post quod Teridates, eius gentis Princeps, cum domo sua tota, & cum optimatibus diuinæ iræ vindictam expertus est: sic vt in porcos omnes transformati, porcorum inter se more vixerint, seque mutuo deuorarint. Narrat Niceph. lib. 8. cap. 35. Verane sit historia an fabulosa, lector iudicet. Vetustiores certe autores eius rei non meminerunt.

Antiochiæ terræ motus. Constantius Arrianus.

Sub Constantino post synodum Antiochenam, in qua Athanasius condemnatus fuit, ciuitates orientales, ac præsertim Antiochenorum, maximis terræ motibus quassatæ sunt, Sozomeno teste lib. 3. cap. 6.

Nec Constantius, Arrianæ blasphemiæ assertor, perfidiam & impietatem suam perpetuo impune tulit. Primum enim infœliciter ei res bellicæ, quas in Oriente gerebat, cessere. Deinde sub exitum vitæ misere conquestus est, quod fidem innouasset: quam rem inter mala, quæ regno suo indigne accidisse dicebat, enumerabat. Tandem etiam in eo pœnitentiæ gemitu & querelis, tristi ac violento morbo e vita excessit. Cent. 4. c. 3. In historia Ecclesiastica de eius morte sic legitur: Cum autem inter Cappadociam & Ciliciam, Mopsocrenis, quod est, ad Mopsi fontes, esset, præ solicitudine apoplexia correptus, vitã finit. Vixit annos quadraginta quinque, imperauit annos triginta & octo. Socr. lib. 2. cap. vlt.

Iuliani Apostatæ auũculus.

Iuliani Apostatæ auũculus: qui & ipse Iulianus vocabatur, Antiochię in templo sacram mensam lotio emisso profanauerat. Euzoio vero Episcopo ob id cum obiurganti, alapam impegerat. Non multo autem post graui correptus morbo intestinorum putrescentium, misere interijt, excrementis non amplius per meatus suos, sed per os sceleratum egredientibus.

Terræ motus & fames.

Sub imperio Iuliani terræ motus fuerunt grauissimi, ædificia & domus passim subruentes, adeo vt tutum nusquam esset, vel domi vel sub æthere morari. Præterea siccitates immensæ omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum est, vt homines necessariorum ex terra fructuum inopia carnibus animantium brutorum, Alexandriæ, & in Ægypto vesci coacti sint. Theod. lib. 4. ca. 4. scribit, famem illam ingentem, ob impietatem Iuliani, & frumentum Ecclesijs a Constantino donatum, raptum, sub Iouiniano adhuc durasse.

Grando inaestitatæ magnitudinis.

Sub Valente Constantinopoli delapsa grando adeo magna est, vt manum globus vnus implerer, & lapidibus similis esset. Ac scribit autor Fasciculi Temporum, grandinem eam tum homines, tum iumenta interfecisse, eamque per iram Dei demissam, tum multi affirmarunt, eo quod Imperator Valens Ecclesiasticos multos viros, ideo quod Eudoxio communicare nollent, exilijs afflixisset. Nec multo post terræ motus circa Bithyniam factus, Nicæam ciuitatem subuertit. Deinde & Germæ ciuitatis Hellesponti multæ partes alio terræ motu deiectæ & concussæ sunt. Quibus tamen neque Eudoxius neq; Imperator motus, persequi a se dissentientes destiterunt.

Sub eodem propter combustos in naui octoginta Presbyteros, subsecuta in Phrygia fames magna est: sic vt incolæ sedes mutare, alioque confugere, coacti fuerint. Cent. 4. cap. 3.

Licinius tyrannus punitur.

Licinius cum in pietate, quam initio professus erat, non perstitisset, & religionem Christianam exosus, bellum cõtra eam, & persecutionem mouisset, atq; ob illud bello eum Constantinus aggressus esset, victus primũ: deinde iterum repugnans Constantini mandato interfectus est. Ibid.

Persica ciuitas funditus euersa, ob Christũ repudiatũ.

Recitat Sozom. lib. 2. cap. 14. Millem quendam Episcopum, qui in persecutione sub Sapore in Persia Martyrium passus est, veniisse aliquando in ciuitatem Persicam, ac diligenter singulos ibi exhortatum esse, vt Christo nomẽ darent: sed verbera ibi multa passum, ac tractum per ciuitatem: neminĩ autem persuadere potuisse, vt Christianus fieret. Moleste igitur id eum tulisse, ciuitatique maledixisse, & abijsse. Paulo igitur post, cum in Regem Persicum Magistratus ciuitatis eius quiddam deliquisset, missum eo fuisse exercitum, qui ciuitatem eam funditus euerterit.

Romæ, vt Vincentius narrat, lib. 12. cap. 41. in terræ motu lapsus Cameræ, sub qua Iudex sedebat, Pirropogenem præfectum cum quadraginta ministris obruit. Spoleti vero lapsus Regiæ vltra trecentos quinquaginta paganos idolis seruientes, oppressit.

Post Martyrium Episcopi Spoletani Gregorij, præses Flaccus ab Angelo percussus, interiora sua euomuit & expirauit.

Dioscorus cum filiam suam Barbaram Christianam e medio tulisset, igne cœlesti consumptus est.

Alius rursus, quem Aprosiasium vocat, persecutionem apud Mendulas executus est. Sed dæmon eum equo insidentem, in terram præcipitauit. Cent. 4. cap. 3.

Agrippinus

Sub Alexandro Mammæa adolescẽs Agrippitus, quindecim annorum, ideo quod idolis sacrificare nollet, apud Prænestem comprehensus, loris cæsus, & pedibus suspensus, cum aquæ bullientis superfusione necari non posset, nec bestijs obiectus vulnerari, ad extremum gladio percussus est. Inter eius tormenta, ciuitatis præses ex tribunali subito procidens, examinatus est. Cent. 3. cap. 12.

Galli Imperatoris res initio satis bene habuerunt. At posteaquam persecutionem per manus quasi acceptam continuauit, nec prospere deinde nec diu regnauit. Siquidem biennio nondum exacto, & ipse & Volusianus filius, in regiam societatem nuper ascitus, in bello aduersus Æmilianum, a militibus deserti trucidantur.

Pestilentia tyrannorũ impietas punitur.

Sed quæ potuit esse horribilior Christiani sanguinis expiatio, atque illa immanis vastitas, quam lues pestifera, in prouincijs populi Romani, præcipue vero in Ægypto fecit, orta sub Gallo, vt Lætus scribit, ac deinceps per integrum decennium, aut quindecim adeo totos annos grassata? Vide Euseb. lib. 7. cap. 21. & 22.

Anno Christi 742.

Constantinus Copronymus patris sui Leonis impietatem longo interuallo superare studuit. Patriarcham Constantinum, impietatem eius re-

prehen-

prehendentem, crudeliter occidit. In delendis templorum imaginibus vehementior in plurimos, præsertim in monasticæ vitæ addictos, immanissime sæuijt, vsus Anastasij Patriarchæ hominis impij consilio, qui cum per viginti quatuor annos Ecclesiæ impie insultasset, morbo tetro extinctus est, stercus per superiora egerens. Constantinum vero, cum postremã expeditionem aduersus Bulgaros suscepisset, carbunculus inuasit, vnde eum vehemẽtes & calidæ febres sic vrebant, vt vociferaretur, se viuentem in ignem coniectum esse, quo etiam morbo extinctus est, sublatis multis orthodoxorum millibus. Zonaras 3. annalium Tomo. Ardabasdum affinem suum, cui vt orthodoxo Senatus imperium decreuerat, comprehensum, duosq; eius filios excæcauit. Vita fœde acta violentissime perijt, cum annos 34. & menses 3. rerum potitus esset.

Anno Christi 644.

Constans filius Constantini Iunioris, Heraclij nepos, Monothelitarum sectam est sectatus. Qua de causa Maximum, virum sanctissimũ & doctissimum, eiusq; duos filios, aliosq; complures orthodoxos occidit.

Attila flagellũ Dei.

Spoliata Roma, Ecclesiæ septem dierum spacio plus ademit, quam Barbari ducentis quinquaginta octo annis eo contribuerint. Quare multorũ passim odiũ incurrit. Graui prælio in Lycia a Saracenis, & in Italia a Longobardis victus, in Siciliam concessit, vbi cum sex annos vixisset, infœlix Imperator inter lauandum per insidias est occisus, capiti situla grauiter impacta, qua calida aqua perfundi solebat. Zonar. 3. annal.

Attila Hunnorum Rex, qui se flagellum Dei vocare solebat, cum se, vt in Italiam reuerteretur, accingeret, vxore in Pannonia ducta, prima infaustarum nuptiarum nocte cum nimio vino ciboque pressus dormiret, manante e naso sanguine, & per os guttur petente, prius enectus est, quam quispiam rem illam præsentiret. Diuino enim nutu factum videtur, vt illi nimius sanguis guttur obstrueret, qui feræ potius, quam hominis auiditate, ingentem nimis humani sanguinis vim, cædendo vastandoque sparserat, Campofulg. lib. 9. cap. 12.

Arnolphus miseranda morte perijt.

Arnolphus Imperator octuagesimus, fortunam parum moderate ferẽs, aduersus quosuis, inprimis autem aduersus Ecclesiastici ordinis homines, factus insolentior, veneno a Guidonis vxore apparato perijt. Fuit autem pharmaci vis, vt paralysis linguã, ac partes inferiores resolueret, hinc ex putrefactione corporis incurabili phtiriasis etiam accederet. Ita mortuus est erumpentibus toto corpore vermibus, anno Christi noningentesimo, Oringæ in Bauaria, anno Regni duodecimo. Sebast. Franc. Chron. Polon. Chron. Philip. lib. 4.

Brunechildis altera Iesabel.

Brunechildis Gallorum Regina, alio nomine Bruneusta, & impietate, & fortuna recte cum Iesabele confertur. Non solum in sanctos Dei sæuijt, sanctum Columbanum exilio multans, Leodegarium vero crudeli morte afficiens, sed etiam impiam se matrem, auiam autem sceleratissimam præstitit. Nam post Sigeberti viri, Regis, mortem, seminatis discordijs, inter Theodericum atq; Theodebertum, ex Childerico filio nepotes, oratione sua Theodericum impulit, vt Theodebertum interimeret, cuius ipsa liberos adhuc infantes manu sua occiderat, atque inter ipsos Merouеum adhuc in cunis agentem, pedibus apprehensum, saxo alliserat: Et, vt sola regnaret, Theodericum quoque postea veneno petijt. Ob quæ scelera a Clotharico Secundo regno priuata, magnaque affecta ignominia, demum pedibus equo alligata, per saxa, per vepres, ac dumeta raptata est, & crudelem in modum dilaniata, circiter annum quingentesimum, trigesimum octauum. Chron. Casp. Hedion. lib. 4. cap. 15. Campoful. lib. 9. cap. 11. & lib. 6. cap. 11.

Baiazetes Imperator Turcicus, Christianorum hostis acerrimus, cum Constantinopolitanæ obsidioni intentus esset, nec resistere diutius tam

feroci

Tamerlanes.

feroci & valido hosti attritæ Græcorum vires possent, a Tamerlane, Tartarorum Rege, qui se ipsum Terrorem gentium, Iram & flagellum Dei, atq; vastitatē orbis vocare solitus est, procul in Asiam abstractus est, a quo prælio victus, miserabile fortunæ ludentis spectaculum toti Asiæ præbuit. Nā catenis vinctus aureis, inq; cauea ferrea cancellata per Asiam circumductus, & passim ostentatus, victori equum ascendenti dorso subdito scabelli vsum præstitit. Chron. Philip. lib. 5. Campofulg. lib. 9. cap. 5.

Gensericus, Vandalorum Rex, magnam crudelitatem in orthodoxos exercens, Arriana impietate totam Africam impleuit, tandem cum post Carthaginem captam, regnum tenuisset annos triginta septem, a diabolo obsessus miseranda morte perijt, anno supra quadringētesimum, septuagesimo septimo. Casp. Hedion. Ecclesiast. histor. lib. 3. cap. 21. Sigebertus in Chronicis.

Tyrannis Honorici Anno Christi 476.

Honoricus Secundus, Vandalorum Rex, noua aduersus orthodoxos sæuitia vsus est. Honestas matronas & virgines nudatas suspendit, facibus vssit corpora, præcidit mamillas & brachia nolentibus assentiri Arrianæ impietati. Cum talibus supplicijs & exilijs multa millia hominum sustulisset Honoricus, secuta est sterilitas propter siccitatem, in qua & homines & pecudes fame perierunt, & late vagata est pestilentia, in qua & phteiriasi Regis corpus ita putrefactum est, vt alia membra post alia decciderint. Chron. Philip. lib. 3. Victor. lib. 3. in Vandalica hist. Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 3. refert, quod arreptus a dæmone proprijs se morsibus laniarit, in quo etiam cruciatu vitam indignam iusta morte finierit.

Anastasius fulmine perijsse creditur.

Anastasius Dicorus, Eutychianis addictus, Ecclesiā valde turbauit, qui paulo ante obitum in somnis vidisse memoratur, virum terribilem, qui librum manu gestans diceret: Ecce ob peruersitatem fidei tuæ, annos 14. vitæ tuæ deleo. Et quia fatale sibi esse ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret: Tholotum ædificium constructum, in eoq; degit, sed frustra. Nam cum aliquando tonitrua horrendum in morem resonarent, & fulgura multa eliderentur, atq; ipse perterritus e cœnaculo in cœnaculum descenderet, & alios atq; alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus est inuentus, cum vixisset annos 88. Anno Christi 521. Zon. lib. 3.

Dunaan PseudoMoses. De hoc supr. 1. Præcepto, pagina 44.

Dunaan Iudæus, PseudoMoses, cum Arabiæ ciuitatem Negram perfide occupasset, magnamq; in Christianos tyrānidem exercuisset, diuinam vltionem protinus expertus est. Eslabaan siquidem Æthiopum Princeps, & ex suo erga Christianos amore, & ex hortatu Iustini Imperatoris, Iudæum istum Homeriten terra marique fortiter oppugnat, virtute maiore in prælio victor euadit, hostemq; vna cum multis alijs genere ipsi coniunctis viuum capit, & omnes eos ferro cædit. Niceph. lib. 17. c. 6.

Iulianus Iudæorū Rex, anno Christi 530. Syluanus.

Iustiniano Imperium administrante, Iudæi Iuliano quodam sibi Rege creato in Christianos crudelissime grassati sunt. Quæ vbi Iustinianus intellexit, multa manu cum illis congressus, cum alios multos, tum Iulianū ipsum occidit. Captus quoq; Syluanus quidam Scythopoli, & igni crematus, perquam acerbam vitæ cataſtrophen subijt: vir qui plurimum per effrænatam petulantiam in Christianos illusisset, & diuina vindicta ad id tempus conseruatus esset. Niceph. lib. 17. cap. 24.

Sub eodem Imperatore cum Alemanni crudeliter & impie per Italiam templis direptis, Duce Leuthario præda onusti domum contenderent, diuina eos pœna obruit, & partim bello, partim morbo contriuit. Romanorum enim & Hunnorum Duces, qui ad Pisaurum stationem habebant, eos adoriebantur, & partim ferro cædebant, partim de rupe præcipites in vertices agebant. Hanc cladem qui fuga euitarunt, postea in Veneta vibe peste absumpti sunt. Princeps vero Leutharius in horrendam rabiem versus, suos ipse artus dentibus suis mordicus discerpebat, propriaque carne

dilacera-

dilacerata in feræ bestiæ morem vescebatur, defluentemq; abligurie-bat cruorē,& tandem suo sanguine exatiatus, miserrime vita excessit. Paulo post Bultinus frater eius,cum exercitu 50. millium in Campania a Romanis deletus est,tantū quinqne ex eo numero fuga elapsis. Ita infinita illa Francorum & Alemannorum multitudo sceleris,& impietatis suæ grauissimas persoluit pœnas. Agathius lib.2.de bellis Gothicis.

Chramnus erga Dei ministros & patrē impius.

Chramnus Clotharii Francorum Regis filius,erga Dei ministros crudelis,& patrem impius,instar Absolonis aduersus patrem bellum ciuile mouit. Mox patrem fugiens,Britanniam petiit:ibiq;cum Conoobro Britannorum Comite, ipse & vxor eius, ac filiæ latuerunt. Clotharius eum cum exercitu insequitur. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Præliū initurus Rex Clotharius, ad Dominum clamans: Respice, inquit, Domine de cœlo,& iudica causam meam,quia iniuste a filio iniurias patior,respice,& iudica iuste,illudq; impone iudicium, quod quondam inter Absolonem,& patrem eius Dauid posuisti. Confligentibus igitur pariter,Britañorum comes terga vertit, ibiq; & cecidit. Deniq; Chramnus fugam iniit,naues in mari paratas habens. Sed dum vxorem & filias liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cum Clothario Regi nunciatum fuisset, iussit eum inclusum in tugurio cuiusdam pauperculæ,cum vxore & filiabus igni consumi. Gregorius Turonensis lib.4.cap. 16.& 20.

Leo Pictauiensis.

Referri etiam potest hoc exemplum ad locum quarti Præcepti,de impietate liberorum. Habuit etiam Chramnus hic a consiliis Leonē quendam Pictauiensem ad omnia mala perpetranda grauem stimulū. Hic cum aliquando contemptim de ministris Dei loqueretur,statim surdus & mutus factus,amens est mortuus.

Goisuinta Arriana.

Goisuinta Hispaniarū Regina, Arrianorum impietati adhærens, cum atrocissime in eos,qui syncerę fidei veritatem amplecterentur,sæuiret,ce citate percussa est. Gregor. Turon. lib.5.cap.38.

Antiochia terræ motu concussa.

Eadem ferme tempestate grauis terræ motus Antiochiā cōcussit,haud dubie propter diuini verbi contemptum. Extinxit autem lues illa sexaginta hominū millia,virosq;nobiles & illustres quam plurimos,& inter eos Asterium, hostem & persecutorem Episcopi Antiocheni Gregorii. Sub Imperio Mauritii,anno quingentesimo,octuagesimoquinto. Supra de Angelis.

Antiochia sedes hæreticorum.

Fuit Antiochia fere sedes & refugium hæreticorum, quare etiam sæpe eam obruerunt pœnæ diuinæ. Sic anno 7. Imperii Iustini,4. Calendas Iunii in ipso meridie conquassatio & terræ motus vrbem occupant,parumque aberat,quin totam euertissent. quæ duo sequebatur incendium,quasi calamitatem cum illis partiturum. Qua clade ingens hominum multitudo periit. Postremo omnium Euphrasius, cuius mors aliam nouam calamitatem ciuitati attulit, eisdem cladibus opppessus interiit. Quæ vrbis calamitas Zosimæ,monasticæ genus vitæ excolenti, Cæsareæ, in Palestina, eodem momento,quo accidit, diuinitus reuelata est. Euagrius lib.4. cap.5.& 7.

Euphrasius.

Zosima monasticam vitam colens.

Autharis duodecimus Rex Longobardorum, infantes & pueros in Festo Paschatis baptizari, & in Christiana religione informari prohibuit. Qui cum annos regnasset sex,Ticini veneno extinctus esse scribitur, Año Christi.592. Paulus Diaconus lib.3.de gestis Longobardorum, capite decimo octauo.

Chrysostomus in exiliū actus reuocatur.

Imperante Arcadio, cum ex inuidorum hominum impulsu, & Eudoxiæ Imperatricis machinationibus Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus in exilium actus esset,nocte statim insequēti,ingens terræ motus toti vrbi,& Imperatrici grauem incussit terroré. Itaque

taque prima ſtatim luce Conſtantinopoli mittuntur legati ad Ioannem exulem, oratum vt quam primum ad vrbem redeat, periculumque ei impedens depellat: Poſt quos alij mittuntur legati, poſt illos etiam alij, adeo vt boſphorus refertus eſſet legatorum turba. Nempe ſerui ſui innocentiam concuſſione iſta terræ æternus Deus teſtari voluit. Porro complures eorum, qui erant iniuriarum autores, pœnas perſoluerunt, quorum ſupplicia alijs non parum attulerunt commodi, vt refert Euagrius lib. 5. cap. 34.

Eberulphus, Chilperici Regis cubicularius, omnis pietatis cõtemptor, turpiſſimis inquinatam ſceleribus vitam egit: Eccleſias ſpoliauit, ſeruos Chriſti probris affecit, pauperes oppreſſit, pauperum ſegetes & vineas inmentis ſuis, equis & pecoribus patere voluit. Poſt mortem autem Chilperici Regis, omnia rurſus eius bona ex iuſſu Regis Pariſiorũ Guntchrammi direpta ſunt, & ipſe in Baſilica S. Martini, in quam confugerat, a Claudio homine periuro ex inſidijs cæſus, miſere perijt. Gregorius Turonenſis, lib. 7. cap. 21. 22. & 29.

Smaragdus Smaragdus Italiæ Exarchus, quia Epiſcopos aliquot contra Chriſti doctrinam ſibi gratificari coegerat, a dæmonio coreptus eſt, anno quinto Imperij Mauritij. Paul. Diac. lib. 3. de geſtis Longobardorum, cap. 12.

Mamucha. Fuit ſub Iuſtino minore Mamucha quidam Agarenorum Princeps, qui vt crudelitate perſequendi Eccleſiam Dei Pharaoni Ægyptio non multum ceſſit, ita communi quoque cum ipſo mortis genere interijt. Nam direpto Caſſinenſi & Meſſano cœnobio, & patratis multorum piorum cædibus, paulo poſt cum toto ſuo exercitu & centum nauibus maris vorticibus abſorptus, miſere perijſſe dicitur in Epiſtola Gordiani ad Maurum, quæ extat in fine Chronici cœnobij Caſſinenſis. Idem Antonius refert lib. 15. cap. 15. Cent. 6. cap. 3.

Choſrois tyrannis & pœna. Choſroës Rex Perſarum, Romanum Imperium infeſtans, paſſim Chriſtianos duriter affligit, & expugnata Hieroſolyma, nonaginta hominum millia Iudæis trucidanda committit, & Patriarcham Zachariam, & numeroſam multitudinem ciuium, & vexillum Dominicæ crucis ſecum abducit, anno quinto Heraclij. Immani odio erga Chriſtum, & inexplebili cupiditate fundendi ſanguinis flagrans, ipſam etiam Ægyptum adoritur, Alexandriam & Libyam ad Æthiopiam vſque vaſtat, neque pacis vllam conditionem ſe amplexurum Heraclio reſpondet, niſi prius Chriſto abnegato, Solem ſe adoraturos Chriſtiani promittant. Anaſtaſius Perſa, Monachus, a Perſis captus propter confeſſionem veritatis, cum alijs ſeptuaginta Martyrio coronatus eſt, Anno Domini 620. vt tradit Sigebertus. Iuſſu autem Choſrois primum ſupinus in terra iacuit, & impoſitum eſt ſuper eius tibias lignum, in cuius extremitatibus vtrinque duo robuſtiſſimi viri ſteterunt, alternis ſeſe motibus ſurſum ac deorſum librantes. Deinde cum illos dolores fortiter pertuliſſet, iuſſus eſt vna manu ex alto ſuſpendi, alligato ingenti lapide ad pedes, quo deorſum traheretur. Tandem cum alijs ſeptuaginta ſocijs, fune collo aptato ſuffocatus vitam finiuit, & ad extremũ etiam decollatus, caputq; ad Regem delatum eſt. Porro cum miſerabiliter Eccleſias Paleſtinæ & vicinarum regionum tyrãnus hic vaſtaſſet, magnaque cum fœlicitate, permiſſu Dei, qui vindictam ab interemptoribus Mauritij exigebat, cõtra Romanos aliquãdiu pugnaſſet, tande etiã graſſationis ſuæ pœnas dedit. Sicut plerunque ſolet Deus virgam, qua ſuos caſtigat, vt eſt in prouerbio, tandem frangere, eamq; ipſam in ignem conijcere. Nam cũ ab Heraclio per annos ſex bello eſſet in Perſia exagitatus, & filium ſuum natu minorẽ Regem deſignaſſet, Syroes filius eius natu maximus, vindicaturus ius ſuum, cum militibus in eum irruit, & captum indignis tractauit modis. Primum manibus pedibusq; ligatis, a collo etiam

ferreo

ferreo pondere suspenso, eum in altissimam turrim, quam is ad recōdendas pecunias condiderat, demisit, ibique solo pane & aqua parcissime paſcuit, addens sæuissimas exprobrationes, vt de auro comederet, quod tam multorum sanguine, tamque immani vastatione orbis terrarum in eum locum collegisset. Deinde extractum fecit spectare atrocissimā necē filij sui, cui antea regnum destinarat. Illum enim coram eius aspectu, cum reliquis filijs omnibus, trucidari iussit. Tandem per dies quinque exposuit eum omnium conuicijs. Vltimo vero arcubus in eum collimari, & certatim telis peti ordinauit. Et sic magnus ille terror orbis terrarū infeliciter animam exhalauit. Paulus Diaconus, lib. 18. rerum Romanarum. Regino lib. 1. Chronicorum.

Supra in primo Præcepto mentio facta est Osrichi, Deiorum Regis, & Eanfridi Berniciorum in Anglia, qui cum fidē in Christum abnegarent, idololatriæ sordibus denuo se polluentes, vt eo trāquilliore in regno vitam degerēt, pariter & regno & vita a Ceduella Rege Britonū exuti sunt.

Iustinianus Secundus, cum crudelis & impius esset, decimo anno imperij sui a Leontio captus est, qui ei nares præcidit, & spoliatum Imperio Cherſonam relegauit. Duos etiam sycophantas aulicos, Theodosium & Stephanum funibus ad pedes alligatis per vrbem traxit, postea cōbussit. *Sycophanta aulici.*

Imperium deinde inuasit Tiberius Aplimarus, qui Leontium truncatis naribus in monasteriū inclusit. Rediit autē Iustinianus adiutus a Bulgaris, qui Leontium & Aplimarum per forum vinctos duci iussit, & prostratis coram ipso colla calcauit, deinde eis capita præcidit. Verum cum a tyrannide & impietate nihil remitteret, exercitus Philippicum Bardanem Imperatorem fecit, qui properans ad Constantinopolim, Iustinianum & filium eius Tiberium abstractos ab arā, occidit.

Saraceni Constantinopolim vicinasq; regiones infestātes, atrocemq; passim Christianis cladem inferentes, fame, frigore, bello, pestilentia sine numero perierunt. Tanta sane fames eos vexauit, vt nec ab excrementis tum iumentorum, tum hominum, nec carnibus cadauerum abstinuerint. Quibus fames & pestilentia pepercit, eos ferrum absumpsit. Qui cladibus illis superfuere, eos mare absorpsit, immissa in eos diuinitus ignea grandinis tempestate, ex qua ereptæ sunt decem naues, quarum quinq; a Romanis captæ, quinque in Syriam delatæ sunt, vt diuinæ vindictæ essent testimonio. Paulus Diaconus lib. 21. Sigebertus in Chron. Anno septingentesimo, decimo nono. *Saraceni aduersus Christianos sæuientes, diuinitus puniuntur.*

Ludouico Secundo Imperii habenas moderante, Rex quidam Bulgarorum (est autē gens ea Scythica) sacris Christianę legis initiatus, relicto regno ei ex filiis, qui natu maior erat, in monasterium se condidit, vbi austere viuendo Deo inseruiebat. Cum autem præter alia, quæ in regni administratione perperam filius agebat, intellexisset, eum ad pristinam decreuisse gentilitatem redire, abiecto religioso cultu, arma resumpsit, filiumque regno oculisq; simul priuauit. Et cum postea minoris natu filio, in quo plus obsequii cernebatur, regnum dedisset, ad monasterium, vnde discesserat, reuersus est. An. Domini 865. Regino & Sigebertus in Chronic. Campofulg. lib 5. cap. 8. *Patris erga filium impium seueritas.*

Michael Balbus Amorræus, post cædem Leonis Armenii ad Imperium euectus, cum multa crudeliter egisset, & aduersus pios variam tyrānidem exercuisset, phrenitide & profluuio vētris, quod dysenteriam vocant, perijt, cum imperasset annos octo, Menses nouem. Zonaras 3. annal. *Anno Christi 821.*

Bardas auunculus Michaēlis Theophili, omnia pro sua libidine in aula impii & stolidi Imperatoris versans, Theoctistum virum bonum fraude circumuentum occidit, Ignatium Episcopum, a quo ob incestum, & diuortium impie factum, reprehensus fuerat, multis malis exagitatum re- *Michael, Theophili filius, regnare cœpit cū*

legat

matre Theodora, Anno Christi 845. Hinc solus regnare cœpit, an. 856.

legat, & in alios quosuis intolerabili fastu importunus & crudelis fuit. Verum in quantacunque apud Imperatorẽ esset gratia, tandem tamen a Basilio, & reliquis coniuratis Imperatoris pedibus aduolutus, trucidatus est, & membratim dissectus. Zonaras 3. annal. & Cent. 9. cap. 3.

Anno Christi 891.

Normanni cum circiter annos septuaginta Christi fideles variis afflixissent iniuriis, tandem cum Lotharingiam depopularetur, internecione pene ab Arnolpho deleti sunt, cum vix vnus atq; alter in Imperatoris exercitu cecidisset. Helmoldus in Chron. Sclauorum, cap. 7. Sigebertus in Chron. & Chron. Philip. lib 4.

Regnerus Rex Daniæ, abrogata Christianorum religione, idololatriæ in regno denuo instituendæ auctor fuit. Quam eius impietatem diuina insecuta est vindicta. Nam Helles, quem regno ille eiecerat, adiunctis sibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum & captum carceri tetro serpentibusq; infesto inclusit, qui sanie eum perfusum, venenatisq; morsib. confectũ, horrenda morte affecerunt. Crantzius. lib. 4. cap. 10. Daniæ.

Tempestas in Christianorum hostes sæuit. Anno Christi 913.

Hungari cum Bremensium Ecclesiam deuastantes multis magnisque contumeliis seruos Christi afficerent, subito impetu tempestas in ciuitatem irruens flammas in templi fastigium eiaculata est, quarum vehementia scindulæ, lateres & tegulæ ingenti crepitu dissultãtes, ea vi hostes obruere, vt partim prostrati subito interirent, partim in vicinum amnem se præcipitarent, partim vero a ciuibus excepti cruenta morte occumberẽt. Albert. Crantz. lib. 3. cap. 2. in Metropoli.

Blusso a suis occiditur.

Blusso Rex Vandalorũ, cum Albim transgressus, magna clade Christianos infectatus esset in regnum suum reuersus, a suis occisus est. Helmold. in Sclauorum Chron. cap. 24.

Cruco vxoris sua insidijs perijt.

Vdo Sclauorum princeps, acerrimus Christianorum hostis, a Saxone quodam confossus periit. Idem.

Cruco Sclauorum Princeps, Christiani nominis persecutor, a propria sua vxore neci datus est. Ea enim cum maritum decrepitum auersaretur, Principisq; Saxoniæ Henrici amore flagraret, percussorem Principis Henrici satellitem Cruconi immisit, qui poculis sopito occiput securi diffidit. Helmol. cap. 34.

Theodoricus Treuirensis Episcopus.

Theodorici pij Episcopi Treuirensis mortem manifesta vindicta insecuta est. Comes Conradus necis autor Romam profecturus, vt pœnitentiam ageret, in itnere repentina morte extinctus est: vt Marianus Scotus annotat. Miles qui vna cum reliquis Episcopum e rupe deiecerat, inter cœnandum suffocatus perijt. Serui duo reliqui sibi ipsis ambo manus inferentes, misere extincti sunt. Hermannus Contractus.

Cupas seditiosorum Dux aduersus regem Hungariæ.

Aduersus Hungariæ Regẽ Christianam religionem in regno suo propagare modis omnibus contendentem, passim multi ex subditis insurrexere. Seditiosorũ Dux fuit Cupas, qui tandem in prælio obtruncatus est, eiusq; corpus in quatuor partes dissectũ, & ante ciuitatis portas, vt seditionem moliẽtibus terrori esset, suspensum est. Bonfi. lib. 1. Decad. 2.

Andreas Hungarorum Rex.

Rex Hungariæ Andreas plurimum & laboris & molestiarum sustinuit, dum doctrinam Christi subditis commendare & inculcare sategit. Christianum siquidem nomen omnibus erat infensissimum, & difficulter Scythicæ illæ & Barbaricæ, citra idololatriã ceremoniæ ex animis Barbarorũ euelli poterant. Ad hęc quantus erat in Christi religione promouenda Andreas, tantus in ea oppugnanda erat Leuenta frater eius, Imperij item eonsors. Cæterũ ne pios fratris sui conatus ille impediret ex diuino iudicio immatura morte sublatus est. Bonfi. lib. 2. Decad. 2.

Leuenta Christiani nominis hostis.

Gulielmus Rex Angliæ in venatione perijt.

Gulielmus Rex Angliæ, qui Anshelmum Episcopum Cantuarien sem eiecit, nec quicquam in votis magis habuit, quam diuinã veritatem cõtemnere, aliena ad se rapere, propinquos & cognatos persequi, is tandem

in ve-

in venatione iaculo a Gallico milite in ceruum emisso de improuiso ictus, lethali accepto vulnere ab equo decidit, dictoque citius nulla voce præter gemitum edita, extinctus est. An. 1101. Polydorus, lib. 10. Anglicæ hist.

Abbas Rex Hungarorum, seruis Dei, regnique proceribus plurimis infestus iniuriis, eosq; sua tyrannide passim e medio tollens, tandē ab Henrico tertio prælio victus, in fuga a suis satellitibus occisus est. Bonfin.

Licius Imperator, cum Herinam virginem filiam suam (quod Christiana esset) equis dedisset conculcandam, ab eorum vno, morsu interfectus est. Offic. Rauis.

Circa annum Christi septingentesimum; Geilana Gosberti VVurtzeburgensis Principis coniunx a S. Kiliano ob incestum obiurgata, fratri siquidem mariti sui nupserat, arte effecit, vt Kilianus vna cū suis fratribus e medio tolleretur. verum a Satana illa protinus obsessa, & impietatis & homicidij pœnas dedit. Histo. Ecclesiast. Caspar. Hedion. lib. 6. cap. 10.

Kilianus ab incesta mulier interficitur.

Epigeniam, quæ Christo se totam dicarat, cum Hurcatus Rex Æthiopū nec minis nec alia vi vlla, vt sibi nuberet, adigere posset, eo progressus est vesaniæ, vt cœnobiū, in quo illa degebat, flammis vastaret, quę in immensum exundantes arcem quoque regiam corripiunt, & in cineres totam conuertunt. Tandem etiam grauiores impietatis suæ pœnas luere coactus est, per totum corpus lepra infectus, cumq; omnis curatio frustra adhiberetur, ex doloris magnitudine & impatientia suo gladio incubuit. Guid. Bitur.

Hurcatus impietatis suæ dat pœnas.

Vitiza Gotthorū Rex in Hispania Christianę religionis violator, a Rhoderico Rege, (cuius patre Theodeberto Vitiza oculos effoderat) prælio victus captusq;, lumina regnumq; simul amisit, & in tetro carcere decessit. Campoful. lib. 1. cap. 2.

Pipinus, & Marcellus filius, Francorum Reges, in prospero omnium rerum successu in vitam incidere flagitiosam, neglectisq; coniugib. scortis ambo adhæsere. Quam eorum turpitudinem cum Liberius Tungrensis Ecclesiæ Episcopus increparet, a scorti Alpiadis fratre Dodone interfectus est. Verū diuina pœna protinus ille correptus, Phtiriasi misere cruciatur, cumque & doloris & fœtoris magnitudinem ferre non posset, seipsum in fluuium Mosam præcipitem dedit. Casp. Hedion. lib. 7. cap. 17.

Tungrensis Episcopus ob scortationem reprehensam interficitur.

Nostra etiam hæc ætas plurima nobis suppeditat exempla eorum, qui Christianam veritatem oppugnantes, misere interiere. Quemadmodum & Latomi exitus ostendit, cuius in secundo Præcepto facta est mentio. Meminit quoque Ludouicus Rabus de Martyribus lib. 3. prepotentis cuiusdam viri, qui ano 1546. vna cum filio Satanico furore correptus perijt, cum in persequendis fidelibus, eorumque sanguine effundendo multum sæuijssent.

Numeri anus & Carinus tyranni. Babylas Martyr.

Imperatori Caro duo fuere filij, Carinus & Numerianus. Numerianus, cum Antiochiæ Ecclesiam Christianorum ingressus, arcana eorum mysteria inspicere vellet: Babylas Episcopus magno animo ei resistens, id prohibuit, non licere dicens, cum cruore ex idolorum sacrificijs pollutum, in domum Dei irrumpere, & diuina mysteria contaminatis oculis spectare. Quare Numerianus offensus, excruciatū illum necauit. Non multo autem post ipse quoq; Numerianus cū ex oculis laborans in lectica ferretur, a socero suo, Ario Apro occisus est. Mox & Carinus cum flagitiosissimus esset, & Heliogabali mores imitaretur, ab exercitu desertus & occisus est. Nicephorus lib. 6. cap. 33. Chron. Philip. lib. 3.

De Cardinalis Scottēsis ad Fanum S. Iohannis in Christi fideles sęuitia, de pœna quoque eius, qua affectus est, cum in arce sua cōfossus, & in Pōtificali habitu de muro suspensus fuit, vide supra in primo Præcepto, de Martyribus nostri sæculi.

Anno supra sesquimillesimum sexagesimo, cum sæua in Gallijs aduersus Lutheranos exorta esset persecutio, præses iudicij, qui Christi fideles tormentis & neci destinabat, cum forte ex palatio suo, equo vectus procederet, subito duobus tormentis æneis ictus concidit & extinctus est. Iob. Fincel. lib. 3.

CVm Iudæi per contemptum verbi diuini atrocissimas sibi pœnas accersiuerint, exemplis pœnarum, quæ hactenus expositæ sunt, breuiter etiam subnectere visum est historiam de excidio vrbis Hierosolymitanę, in qua euidentissime ob oculos nobis ponitur, quam grauiter vlciscatur æternus Deus contemptum verbi sui saluifici.

EXCIDIVM HIEROSOLYMITANVM.

Portenta excidium vrbis præcedentia.

OBstinata Iudæorum gens templi sui æternitatem sibi pollicebatur, nec vllis signis vel portentis moueri poterat, vt iram Dei agnoscens, de imminentium calamitatum per pœnitetiam depulsione cogitaret. Nam supra vrbem Ierusalem astrum stetit gladio simile: Cometa per annum apparuit, & aliquando lux ante bellum noctu aram tam clara per dimidiam horam circumfulsit, vt dies esse videretur. Bos ad sacrificium adducta agnũ peperit. Porta orientalis ærea, itaq; robusta, vt a viris viginti vix clauderetur atque aperiretur, cum vectes & pessulos profundissimos haberet, noctu vltro patuit: quæ securitatem templi sublatam esse declarabat, & facilem in id hostium ingressum. Alio tẽpore visum est ante occasum solis spectrum mirabile, currus in sublimi omnem regionem peragrantes, & phalanges armatæ huc atq; illuc in nubibus saltãtes. In Festo Pentecostes Sacerdotes interius ingressi templum, motum & sonitum senserunt. Deinde vocem audierunt dicentem: Migremus hinc. Quadriennio ante bellum, in tabernaculorum Festo, Iesus quidam homo rusticus, ad festinitatem profectus, exclamauit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolyma & templum, vox super sponsos & ipõsas, vox super omnem populum. Hæc vociferans noctu atq; interdiu circuibat vrbem. Et quanquam ob voces mali ominis verberaretur, tamen eandem perpetuo cantilenam eanebat. Adductus ad Romanum prouinciæ præsidem, & flagris cæsus, neq; supplicauit, neq; lachrymauit, sed voce lugubriter intexa ad singulas plagas, Væ, væ, Hierosolymis, clamauit, donec Albinus (is enim tum Iudææ Procurator erat) hominem absoluit, insanire ratus. Ille vero ab eo tempore vsque ad bellum, Væ, væ, Hierosolymis, lametabatur, sed in festiuitatibus præcipue triste illud augurium proclamabat: idq; fecit annos septem, & quinq; menses, donec in obsidione in mœnibus obambulans, rursus, Væ, væ vrbi & populo cõtenta voce clamauit. Et vt postremo adiecit, Væ etiam mihi, lapide ex balista excusso, ictu succubuit. Porro omnia ante obsidionem etiam Hierosolymis, seditionibus, latrocinijs, direptionibus feruebant. Foris Simon cum sua factione Iudæis formidabilior erat quam Romani. Intus vero ij, qui se Zelotas a studio religionis iactabant, eorumque Dux Iohannes, & Romanis, & Simone grauiores erant: atq; vrbanos eo necessitatis adegere, vt populus Simonem cum sua turba in vrbem accerseret, spe illa quidẽ reprimendæ Zelotarum tyrannidis: sed non animaduertit, se grauiorem suis eruribus tyrannum imposuisse. In diuersas itaque factiones ciuitate diuisa, Eleazaro templum, inferiorem ciuitatis partem Iohanne, superiorem vero Simone occupante, Romanorum arma ei ingruere. Obsidio inchoata est in festo Paschatis, 14. Aprilis, anno secundo Vespasiani, anno Christi septuagesimo secundo, anno post resurrectionem Christi fere quadragesimo. Die decimo Augusti templo ignis iniectus est, quo conflagrauit. De-

Simon. Zelotæ. Ioannes Zelotarũ Dux.

inde

inde die octauo Septembris, quantum vrbis reliquum fuit, combustum est. Quam victoriam inter præcipuas Romani celebrarunt, & admirati sunt. Nam & Titus ipse tum operum magnitudinem, tum calamitatum inter Iudæos grassationes contemplatus, non ista humanis agi viribus, sed diuino regi nutu testatus est. Obsidionis tempore præter seditiones & latrocinia pestis & fames horrendum & inauditum in morem per ciuitatem grassabatur. Vindicaturus siquidem æternus Deus tum mortem Filij sui, tum cõtemptum oblatæ ipsis gratiæ; paleas in vnum quasi aceruum congregauit. Nam vt Iosephus auctor est, ad tercentenas myriadas hominum multitudo in ipsis Paschæ ferijs Hierosolymis confluxerat, atque ibi perinde, atq; in custodiæ & carcere, circumcluſa & obsesſa fuit. Apostoli autem, eorumque discipuli diuinitus moniti ante obsidionem Hierosolymis egressi vltra Iordanem, in oppidum Pellam se receperant. *Apostoli de obsidione præmoniti.*

Cum itaq; tanta multitudo intra mœnia concluſa esset, frugibus breui tempore consumptis, necessitas eos coegit, vt collectis etiam rebus ijs, quę impurissimis quibusq; animantibus ad cibum accommodæ non sunt, vesci iustinuerint. Siquidem ne a cingulis quidem, & calceamentis abstinuerunt, & pelles scutis detractas macerarunt & comederunt. Nonnullis etiã veteris fœni reiectamenta escę fuere. Alij collectas quisquilias parui ponderis quatuor Atticis vendiderunt. Multi fœnum ore tenentes mortui cõcidere, multi cloacas & cadauerum corpora perscrutati, escam quęsiere. Mulier quædam suum ipsa filium, quem habebat lactentem interficit, eiusq; ad ignem assi partem dimidiam edit, partem alteram occultatam seruat. Nulla intercedit mora, latrones nidorem infandum sentientes adsunt, eique nisi quam primum, quod parasset cibi, proferret, cædem minantur. Sed matrem in propria læuisse viscera vbi intelligunt, trementes abiere, ad hoc vnum facinus timidi. Latrones autem isti grauissima ad cibum inquirendum tormentorum cruciatuumque genera excogitabant. Meatus namque pudendorum, calamitosis hominibus obturabant. Quibusdam in arcana sedium loca perticas acutas per vim immittebat, vt vel panem vnum, vel occultatæ farinæ pugillum indicarent. Stercere columbino tosto, pro sale vsi sunt, idque ingenti mercati sunt precio. Aninus Eleazari filius, qui durante obsidione ad Titum confugerat, sepultos esse in ciuitate affirmabat, semel centena, & quindecim millia, atque octuaginta. Egesippus testatur, sexies centena millia per obsidionis tempus, extra vrbem proiecta esse cadauera, eorum vero, qui intra mœnia sepulti fuerint, numerum haud fuisse. Iosephus libro septimo, capite decimo septimo, de bello Iudaico, hunc ad modum scribit de multitudine populi, qui in vrbe ad festum Paschatis confluxerat: Et captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus. Mortuorum vero per omne tempus obsidionis vndecies centum millia. Horum plerique gentiles fuere, sed non indigenæ. Ab omnibus enim Regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt, vbi primo quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames. Quod autẽ caperet tantam hominum multitudinem ciuitas, certum erat ex his, qui sub Cestio fuerant enumerati. Is enim tunc vires ciuitatis ac florem Neroni significare cupiens, contemnenti nationem, a Pontificibus petijt, vt, si quo modo posset, multitudinem numerarent. Illi autem, cum dies festus adesset, qui Paschá vocatur, quando a nona quidem hora vsque ad vndecimam hostias cędunt, per singulas vero, contubernia nõ pauciorum quam decem virorum fiunt. Solum enim epulari non licet, multi etiam viceni conueniunt: hostiarum quidem ducenta & quinquaginta sex millia, & quingentas numerauere. Fiunt autem, vt denos epulatores per singulas *Horrenda fames.*

imputemus, vicies centena, ac septingenta millia, sancti omnes, ac puri. Nec enim leprosis siue vitiliginosis aut semine fluentibus, neq; mulieribus menstruo cruore pollutis, neq; alijs inquinatis participare sacrificia permittebatur: sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causa venissent: Vrbe itaq; post ineffabiles, quas perpessa fuerat calamitates, occupata, Iohannes, seditiosorum Dux, cum duobus millibus in cloaca perfugit. Simon in Romanorū manus viuus delatus, triumpho asseruatus est, & vna cum eo, quicunq; ex iuuentute proceritate & forma corporis præstitisset. Reliqua turba eorum, qui decimum septimum excessissent annū, vincta ad Ægypti opera missa est, plurimi quoque in prouincias, vt in theatris & spectaculis, vt ferro necarentur, vel bestijs obijcerentur, distributi, quorum numerum ad nouem myriadas peruenisse, Iosephus author est.

Qui infra decimum septimum annum essent, ij vendebantur, & quidē vili adeo precio, vt triginta pro vno denario venales esset. Porro cum duraret adhuc obsidio, multi, nec tamen impune, fugam ex ciuitate meditabantur, ex quibus nonnulli aurum, quod habebāt, deglutiebant, ne capti eo spoliarentur, idq; in castris cum excrementis ejectum colligebant, in quo vno deprehenso, famaq; in castris sparsa, transfugas auro plenos venire, miserorū ventres dissecabātur. Qua de causa plurimi, vnaque nocte, tria millia & amplius perierunt. Quod ne fieret, etsi Titus interdicebat, tamen eius minæ parum aut nihil miseris commodarunt, & cum in paucis nummi reperirentur, cæteros prædæ spes perdebat. Hunc ad modū Deus Filij sui, omniūq; Prophetarum morte vitus est, eo quod nō agnoscerent tempus visitationis, quēadmodum Christus Seruator lachrymans prædixit, Luc. 19. cap. Vide historiam Iosephi, Iosippi & Egesippi

Quanquam autem Iudæi ab eo tēpore aliquoties motis seditionibus in libertatem se aßerere, templumq; reædificare conati sunt, res ipsa tamē declarauit, veram esse Christi prædictionem, qua vastitatem vrbi, & templo excidium tale minatur, vt nec lapis super lapidē maneat. Iulianus vltro Iudæos hortatus est, odio Christianorum, vt suam politiam instaurarent, & eis defensionem & immunitatem promisit. Conuenit igitur ingens multitudo Iudæorum, & magna spe, collatis sumptibus & opibus, templum ædificare cœpit. Sed cum fundamenta iacerent, magno terræ motu, dehiscente terra inter fulmina, totum opus diiectum est, & multe millia Iudæorum ruinis oppressa sunt. Ita didicerunt Iudæi, se frustra niti contra decretum Dei. Inter ædificandum signa crucis in vestitu & in panibus passim Iudæis facta sunt, cumq; eluere & detergere crucis notas conarentur, nihil egere. Magna itaque ignominia confusi Iudæi, ab opere cœpto desistere coacti sunt, & fateri Christum Deum esse, eiusque verbū verax & æternum. Vide historiam Tripartitam, & Nicephorum libro decimo, cap. 32. & 33.

Illustribus fuit ornatum testimonijs de diuini numinis presentia & benignitate templum Hierosolymitanum. Verū ea quo illustriora fuere, eo grauius aduersus contemptores diuini numinis exarsit ira Dei, complētúque est in excidio vrbis & templi vaticiniū Saluatoris nostri Christi, dicentis: Venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapide, qui nō diruatur. Decem recensentur a Rabinis Iudæorum miracula, quibus templum Hierosolymitanum, cum in florenti adhuc esset statu, fuit insigne.

DECEM MIRACVLA IN DOMO SANCTVArij edita.

Decem signa facta fuerunt parentibus nostris in domo Sanctuarij.

Nunquam abortiuit mulier propter nidorem carnis in domo Sanctuarij.

Neque

Neque fœtuit vnquam caro Sanctuarij.
Neque conſpecta fuit muſca in domo mactationis.
Non accidit caſus nocturnus Sacerdoti magno in die expiationis.
Non extinxērunt pluuiæ ignem, qui erat in ſtrue lignorum.
Non vicit ventus columnam fumi.
Non repertum eſt vllum vitium in Gomer, & in duobus panibus, & in panibus facierum.
Stabant coarctati, & adorabant dilatati.
Nunquam læſit aliquem ſerpens & ſcorpio in Ieruſalem.
Nec dixit homo ſocio ſuo, anguſtior eſt mihi locus, quam vt poſſim permoctare Hieroſolymis.

Hæc ſigna, ſeu potius miracula, numero decem facta fuerunt in prima domo, quę certiſſima erant ſigna diuinæ beneuolētiæ, qua tum populum ſuum in præceptis ſuis ambulantem proſequebatur. Cæterum omnia hæc ceſſauerunt per annos quadraginta ante deſtructionem templi, ſicut dictum eſt Pſalmo ſeptuageſimo quarto: Signa noſtra non vidimus, non eſt vltra Propheta, neq; nobiſcum, qui ſciat. Hinc manifeſtum eſt, quod deficiente Iudæorum ſceptro, miracula quoq; templi pariter defecerint, tempore ſcilicet, quo Chriſtus paſſus eſt. Nam ante ipſius templi euerſionem miracula templi omnia ceſſauerūt, eo quod tunc ob Chriſti mortem templum illud Sanctitatem ſuam perdiderat. In cuius rei ſignum, ipſo Domino moriente, velum ipſius templi in duas partes ſciſſum eſt. Ex Iudaicis Decadibus.

Vt plenius Iudæorum cæcitas & obſtinatio perſpiciatur, hiſtoriam de Ieſu Chriſto, filio Dei, mundi Saluatore, ex Suidæ Philologia hic ſubnectemus.

Narratio ex Suida de Ieſu Chriſto, Mariæ & Dei filio.

Temporibus maximæ pietatis Imperatoris Iuſtiniani, fuit homo quidam Princeps Iudæorum, cui nomen Theodoſius erat. Hic multis Chriſtianorum fuit notus, ac ipſi, de quo dictum eſt, Imperatori. Sub eadē vero tempora homo quidam Chriſtianus erat (Philippus ei nomen) vt compendio dicam, argentarius. Hic rerum ſuarum Theodoſio conſcius, & vera beneuolētia coniunctus, hortabatur & monebat eum, vt Chriſtianus fieret. Quodam ergo die Philippus Theodoſium ita eſt alloquutus: Curnam, cum iis vir ſapiens, & perfectę ſcias ea, quę Lex de Domino Chriſto & Prophetæ prædicauerunt, nō ei credis, & Chriſtianus efficeris? Nam de te ſum perſuaſus, quod non ignorans quæ ſunt a Scripturis diuinitus inſpiratis prædicta de Chriſti noſtri communis Domini præſentia, recuſes fieri Chriſtianus? Feſtina igitur ad ſeruandam animam tuam, credendo in Seruatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ne, ſi remaneas in incredulitate, obnoxium teipſum facias æternæ damnationi. Hæc Iudæus cum audiuiſſet a Chriſtiano ad ſe dici, probauit eum, & verbis ei repoſuit gratiam, ac in hunc modum reſpondit: Accipio tuam beneuolentiam, quod ſalutis animæ curam gerens meæ, laboras adhortando, vt Chriſtianus fiam. Quare, vt coram Deo, qui nouit ac intuetur occulta cordium, ſine dolo & ſimulatione veriſſime verba tibi faciam: Aduenisſe igitur a Lege ac Prophetis prænunciatum Chriſtum, qui adoratur a vobis Chriſtianis, plane ſum perſuaſus, & conſtanter confiteor, vt vero amico meo, tibi & ſemper curanti, quæ ad bene faciendum mihi pertinent: Sed humana ratiocinatione impeditus, nō fio Chriſtianus, ac in his meipſum damno. Princeps nunc ſum Iudæorum, quando ſum Iudæus, & honore magno, ac multis muneribus, atque omnibus ad hanc vitam neceſſarijs vtor, fruorque. Suſpicor autem, neque ſi Patriarcha fiam Eccleſiæ Catholicæ, aut Principatus maiores ac dignitates nanciſcar, a vobis tanta obſeruantia dignū habitum iri. Ne igitur excidam iis, quę in hac vita videntur afferre poſſe delectationem, fatu-

ram vitam negligo, male hoc faciens. Vt autem probem tibi, dilecto mihi, meam orationem, arcanũ tibi credo, quod apud nos Hebræos abstrusum est: cum perfecte cognitum habeamus, Christum, qui a vobis Christianis adoratur, ipsum esse, qui a Lege & Prophetis prænunciatus est, nõ tantum ex ijs, quæ ante scripta sunt, verum etiam ex descripto apud nos, & recondito arcano. Sic autem habet arcanum: Antiquis temporibus, cum templum Hierosolymis conderetur, consuetudo erat apud Iudæos, numero æquales nostris literis, quæ sunt viginti duæ, Sacerdotes in templo constituere: vnde viginti etiam duos libros diuina inspiratione factos numeramus. Codex ergo repositus erat in templo, in quo inscribebatur vnius cuiusque duorum & viginti Sacerdotum nomen, & patris eius nomen, ac matris. Aliquo igitur ex eis mortuo, cæteri conueniebant in templo, & alium communi decreto constituebant in locum eius, qui decesserat, supplentes duorum & viginti Sacerdotam numerum, ac inscribebant codici diem, quo is vitam finijsset, cum patris & matris nomine, & quisnam lectus esset in eius locum, parentumque eius nomina. Cum igitur hic mos obtineret in Iudæorum gente, contigit temporibus illis, quibus in Iudæa Christus versabatur, vt vnus viginti duorum Sacerdotum vitam finiret, antequam se Christus patefaceret, ac doceret homines, vt in ipsum crederent. Conuenerunt itaque reliqui Sacerdotes, ad creandũ alium pro mortuo Sacerdotem, ac vnoquoque dignum, prout ab ipso crederetur, qui fieret Sacerdos, proponente: cæteri vt parum instructum virtute, cuius gratia deberet fieri Sacerdos, repudiarunt. Sic igitur multis factis per suffragia Sacerdotibus, & omnibus reiectis, quidam ex eis excitatus, in medium procedit, ac dicit reliquis: En multi a vobis nominati, sunt inuenti nõ conuenire Sacerdotio. Feratis ergo & me de vno dicentẽ homine, qui sit mortuo Sacerdoti sufficiendus. Opinor autem nemini vestrum nõ placiturum esse, factũ a me decretum. Ac hortantibus reliquis eum Sacerdotibus dixit: Ego in mortui Sacerdotis locũ venire volo Iesum, filiũ Iosephi fabri, ætate iuuenẽ sane, verbis autem ac vita, & moribus cõmode ornatum. Acputo neminem ex hominib. vnquã esse conspectum oratione, vita, moribusque talem, qualis hic est: ac opinor, hoc vobis omnib. Hierosolymis habitantibus notum esse, nec ab vllo posse contradici. Hanc orationẽ cum reliqui Sacerdotes audiuissent, virum sunt complexi, atq; decretum confirmauerunt: Iesum confessi omniũ esse hominum aptissimum ad Sacerdotium. Quidam autẽ eum nõ esse de tribu Leui, sed Iudæ, ac filium Iosephi dicebant: Iosephũ vero ex tribu Iudæ, non ex Leui tribu deduci omnia testabantur, ac ideo, quod non videretur ex tribu Leuitica esse, prohibebant eum Sacerdotem fieri: Sacerdos vero, qui nominarat eum, respondit eis, ac dixit: Eius genus mixtum esse. Nam olim factam esse tribuum duarum commistionem vetustis ætatibus, indeque Iosephi genus deduci. Hoc audito reliqui Sacerdotes approbauerunt decretum: & communi consilio visum est omnibus ijs, qui conuenerant, Iesum constituere pro Sacerdote mortuo. Cum autem esset consuetudo, non tantum nomen eius, qui fieret Sacerdos, in codicem referri, sed etiam patris ac matris eius: dixerunt quidam eorum esse accersendos prius parentes, ac ab eis discenda ipsorum nomina. Cæterum exponendum esse ab eis, an sit ipsorum filius, qui fit ad Sacerdotiũ declaratus, ac placuit hoc omnibus. Is igitur, qui nominatim Iesum, vt Sacerdos fieret, ante proposuerat, Iosephum dicit patrem Iesu decessisse, ac solam huius matrem viuere. Consenserunt itaque omnes, vt matrem eius in concilium ducerent, ac ab ea discerent, an esset mater Iesu, & an eum peperisset ipsa: & audirent eius viri nomen, vnde Iesum peperisset: Cumq; hoc placuisset cunctis, vocauerunt matrem Iesu, ad eamque dixerunt: Quando ille Sacerdos mortuus est, huius & huius filius, &

volumus

volumus filium tuum Iesum ei surrogare: mos autem est patris & matris nomen describi, dic nobis, an sit Iesus filius tuus, & an eum pepereris? Maria cum hæc audiuisset, respondit Sacerdotib. in hunc modū: Fateor quidem Iesum esse meum filium, ego enim eum peperi: ac mihi testimoniū dant viri & mulieres, qui tum adfueruut, cum eum parerem. Quod autē patrem non habeat in terra plenam cognitionem a me sumite, si vultis. Cum enim essem virgo, & in Galilęa versarer, Angelus Dei, me vigilante, non dormiente, ingressus in domum, in qua eram, bonum hoc nunciauit, e Spiritu sancto me pariturā esse filium cuius nomen Iesum me facere mādauit. Cū igitur essem virgo, & hoc visum vidissem, concepi & peperi Iesum: ita vt manserim virgo ad hodiernū vsq; diem, etiā postea quā pepe ri. Hæc vbi Sacerdotes audiuissent, venire iusserunt fideles obstetrices, & cōmiserunt eis, vt explorarent, verene adhuc virgo esset Maria. Quę plenam fidem nactæ ex rebus, virginem esse eam affirmarunt. Accesserunt etiam quæ adfuerunt, ac viderant eam parientem, Iesum eius filium esse testantes. Obstupefacti autem Sacerdotes ob ea quæ dicebantur a Maria quæque ab ijs, qui dederant ei testimoniū de partu, Mariæ dixerunt: Dic nobis audacter, vt percipiamus ex ore tuo, cuius sit, & cuius filius, vt sic a nobis describatur. Quos enim parentes eius dixeris nobis, eos describemus, & non alios. Hæc respondens ait: Ego vero ipsum genui, patrem eius in terra sciens neminem: sed audiui ex Angelo, Filium esse Dei. Filius igitur meus est, quæ Maria uocor, & Filius Dei. Cumq; nulli nupserim, virgo sum. Hæc vt audiuerunt Sacerdotes, in librum inscripserunt ita, vt exprimerent, quo die Sacerdos esset mortuus, quæ essent ipsius, & parentū eius nomina: quodque in eius locum suffecissent communi decreto Iesū filium Dei viuentis, & Mariæ virginis. Et hic liber ex templo ereptus, & conseruatus est ab ijs, qui abstulerunt, apud Iudæos, primo tēpore captiuitatis Hierosolymorū cum templo ac Tiberiade est repositus: Et est hoc arcanum paucis omnino, & fidis nostræ gentis notum. Quam ob causam & mihi patefactū est, & principi & doctori gentis Iudæorum. Non tantum igitur ex Lege & Prophetis plenam & certā cognitionem habemus, Christum, qui adoratur a vobis Christianis, ipsum esse Eilium Dei viuentis, profectum in terram ad mūdi redemptionem: sed etiam ex descriptione, quæ in hodiernum vsque diem conseruata est, ac Tiberiade reposita. Hæc ad se dicta vbi Christianus audiuisset a Iudæo, motus ardore diuino, dicit ei: Statim & recta referam quæ dixisti, ad fidelem & pium Regem, vt mittat Tyberiadem, ac proferat codicem, de quo dicis, ad reprehensionē Iudæorum. Sed Iudæus dixit ad Christianum: Quare vis animæ tuæ damnationē accersere, ac ad Regem etiam transferre, nec id, quod opera datur, adsequi? Nam si tale factum fuerit aliquid, magnum bellū conflabitur, & sequentur cædes. Ac vbi se opprimi videbunt, locū in quo repositus est codex, incendent, frustraque nos laboramus, quando non conficitur id, in quod a nobis incumbitur, ac solum sanguinis effusionē procurabimus. Hæc enim tibi, vt genuino amico patefeci, vt fidē tibi faceremn, nō ex ignorantia me repudiare Christianismum, sed ex inani opinione. Hæc postquam audiuisset a Iudæo Christianus, & vera esse, quæ dicta erant ab eo, credidisset, Imperatori quidem eam orationem non aperuit, ne diuino feruore fidelis ille ac magnus Rex moueretur, & curaret sanguinis effusionē fieri: nec tamē & sic, in quod opera daretur, facinus tā insigne per ficeretur: sed multis notorum & amicorum eum sermonem detexit. Eum nos cum ab ijs, qui audiuissent a Philippo argentario, cuius facta est mentio, didicissemus, non paruam adhibuimus curam, dum scire vellemus, an eam orationem Iudæus de illa descriptione certo habuisset. Inuenimus ergo, Iosephum scriptorē occupationis Hierosolymorum, cuius multam

Euſebius Pamphili mentionem facit, in Hiſtoria, quam edidit, Eccleſiaſtica, dicentem aperte in ſuæ captiuitatis commentarijs, Ieſum cum Sacerdotibus rem ſacram feciſſe. Hoc cum apud Ioſephum inueniſſemus, virum vetuſtum, & qui non multo poſt Apoſtolorum tempora fuiſſet, quæſiuimus in ſcriptis impulſu diuino confectis, a quo talis oratio confirmaretur. Inuenimus igitur in Euangelio, quod a Luca eſt conſcriptum, intraſſe Ieſum in Synagogam Iudæorum, & librum ei datum eſſe, legiſſeque Prophetam Eſaiam dicentem: Spiritus Domini in me, propter quod vnxit me, vt bonum & fauſtum nunciem pauperibus miſit me. Ratiocinati præterea ſumus, niſi locum habuiſſet in adminiſtratione rerum ſacrarum apud Iudæos Chriſtus Ieſus, non datum ei fuiſſe librum, vt legeret eum populo. Nec enim apud nos Chriſtianos licet in Eccleſia legi populo volumina, quorum Spiritus autor eſt, niſi quis in clerum, hoc eſt, claſſem & ordinem conſtitutorum ad curanda ſacra ſit receptus. Ac ita ex eis, quæ narrata ſunt a Ioſepho & Luca Euangeliſta, cognouimus, Theodoſium Iudæum, quem diximus, non finxiſſe, quod expoſuit Philippo illi argentario: ſed vere certoque, vt ſyncero amico, Philippo, arcanum, quod apud Iudæos occultatum eſt, credidiſſe.

Finis exemplorum tertij Præcepti.

QVARTVM

QVARTVM PRÆCEPTVM.



VIRTVTES quarti Præcepti sunt, Iustitia vniuersalis in gubernante,& subditis,Pietas erga liberos,pietas erga parẽtes, Iustitia coniugum inter seſe, Sedulitas. Estque 1. hoc Præceptum promissionem sibi annexam habens,qua ijs,qui mandato huic obtemperant, benedictionem diuinam, prosperitatem, & longæuam vitam æternus Deus pollicetur. Quemadmodum autem à liberis hoc requiritur,vt parentum,eorumque qui vices parentum sustinent, dicto sint audientes: Sic vicissim parentibus incumbit, vt liberos suos sedulo erudiant, & in pietatis ac virtutis studio educent. Quare præmissis aliquot ex sacrosancta Scriptura depromptis sententijs exempla subnectemus,primum eorum, qui mandato huic obsecuti sunt: deinde eorum,qui idipsum sunt transgressi.

Iaphetus & Semus patrem senem reueriti, eius errori,in quem imprudens inciderat, ignoscunt, ad nudum ambo facie auersa accedunt, & pallio superiniecto velant. Quare vtriq; senex experrectus optima precatur. In Chamum autem diras iacit,& seruum fore fratrum reliquorum prædicit. Genes.9.

Isaacus qua pietate,cura,& diligẽtia à patre Abrahamo educatus fuerit, testatur obedientia ea,qua patri suo vsque ad iugulum paret,& impositus rogo vibratum in ceruices suas acinacem non expauescit.Genes.22.

Quæ item cura & sedulitas fuerit Abrahami circa familiæ suæ informationem,declarat fides illa & pietas serui senioris, quam ipsi Abrahamo & filio eius Isaaco præstat, adducendo ei vxorem Rebeccam ex Mesopotamia.Genes.24.

Iacobus matri suæ obtemperans, ad fratrem illius Labânum in Haram proficiscitur. Patris etiam dicto audiens mandantis ei,ne de filiabus Canaan vxorem acciperet,Deum in omnibus sibi præsentem esse sensit.Genes.27.

Ioſephus à Patre ſuo iuſſus, vt fratres in deſerto ouium cuſtodiam agẽtes accederet, ei paret, licet fratres extremo ſui odio flagrare compertum haberet. Geneſ 37.

Dominus præcipit per Moſen, vt Iſraëlitæ filios ac nepotes ſuos doceant legem Dei, & omnia verba quæ audiuerint, & miracula quæ viderint. Deut. 4.

Dauid cum furorem Regis Sauli fugiens, incertis vagaretur ſedibus, parentes ſuos Regi Moabitarum interim commendauit. 1. Reg. 22.

Nec minor eiuſdem Dauidis eſt pietas, cum magna & fide & ſolicitudine filium ſuum Salomonem inſtruit, eique breui poſt moriturus, & regni adminiſtrationem, & cultus diuini curam commendat. 3. Reg. 2. cap.

Quantam pro liberis ſuis curam geſſerit pius Iob, dum quotidie apud Deum pro ijs deprecatus eſt, primo ſtatim capite hiſtoriæ eius oſtenditur.

Rechabitæ, filij Ionadab, patris ſui præceptis firmiter inſiſtũt, quem eorum zelum, licet circa humanas verſetur traditiones, Deus ipſe apud Prophetam commendat, non quod ſua illa abſtinentia meriti ſint remiſſionem peccatorum, ſed quod parentis præcepto reuerenter obtemperent, & ſimul oſtenditur hominum præcepta diligentius obſeruari quam diuina. Ierem. 35.

Quanta Elkanæ & Annæ circa filioli ſui Samuelis educationem eſt pietas, dum eum totum Deo conſecrant, vt cunctis diebus vitæ ſuæ ei iugiter inſeruiret? 1. Sam. 1.

Ingens etiam pietas in vtroque Tobia, & patre & filio, eluceſcit: in patre, dum magna cura filium erudit, & quę facienda ipſi ſint, præcipit: Inſilio, dum ſedulo parentis ſui præcepta faceſſit.

Magno etiam feruore Matathias filios ſuos, ne à veritate, eiuſq; propugnatione deficiant, exhortatur, cuius præcepta pio illi animo ſedulo ſecuti ſunt. 1. Machab. 2.

Maximam meretur admirationem ſeptem illorum fratrum cõſtantia, qui fidelem matris ſuæ viduæ exhortationem animo infixã habentes, immaniſſima tyranni Antiochi tormenta deſpicatui habuere, ijſq; ſuperatis, immente inuicta inter ſanctos Angelos triumphant. 2. Machab. 7.

Raguel & Anna, filiam ſuam Saram, pie & pudice educatam, dimittentes monent eam, vt honoraret ſoceros, diligeret maritum, regeret familiã, gubernaret domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhiberet. Tob. 10.

Danielis decimo tertio, Suſannæ parentes commendantur, quod cum ipſi iuſti eſſent, filiam etiam ſuam ſecundum legem Moyſi erudierint.

Inprimis autem illuſtre eſt exemplum Seruatoris Chriſti, qui puer ſubditus erat parentibus. Lucæ 2.

EXEMPLA TRANSGRESSORVM.

CHamus, filius Noæ, natu minimus, cernens patrem ſuum vino obrutum, & corpore nudato iacentem, ad irridendum ipſum fratres ſuos aduocat: ſeſe efferens & prædicãs, ſenis doctoris atq; patris vitio & imbecillitati inſultans. Audito eius ſcelere pater, ira iuſta inflammatus, poſteritatem ipſius deuouet, & ſeruituti fratrum perpetuo addicit. Geneſ. 9.

Ruben, primus Iacobi filius, excellẽtia donorum atq; Imperij inter fratres præcipuus. Sed propter thorum patris inquinatum, & dona effundit, & amittit Imperium. Geneſ. 49.

Dathan, Abiron, & Chore, cũ aliis ducentis, & quinquaginta Moſis tribulibus contra Moſen conſpirant, cumq; eſſent vnanimi conſenſu inceſa oblaturi, terra aperta, ipſos cum vxoribus, liberis, ſeruis, ſupellectile, tentoriis in profundum abſorbet. Hoc modo ex hominibus exemplo inuſi-

tato auferuntur, viuentesque ad inferos horribili pœna descendunt. Numer.16.

Achitophel tanta apud Dauidem æstimatione habitus, vt quicquid diceret, de cœlo prolatum duceretur: Tanta perfidia fuit, vt de comprehendendo Dauide daret cõsilium: Tanta improbitate, vt Absoloni autor esset thorum paternum luce clara coram populo contaminandi. Cum autem suum consilium vtile repudiaretur, indignatione victus, & præ impotentia, ac trepidatione laqueo sibi fauces intercludit. 2.Reg.17.

Absalon aduersus patrem Regem Dauidem insurgẽs, eum regno eiicit. Prælio cum paternis ducibus commisso, terga dare compellitur, ramisque quercus cæsarie inuolutus, & capite adhærens tribus hastilibus à Ioabo percutitur. 2.Reg.15.& 18.

Heli Sacerdos ad flagitia filiorum suorum, quamuis monitus à Propheta, & obiurgatus à ministro Samuele, cõniuet. Factum est igitur, vt pœnas inopinatas lenitatis & indulgentiæ lueret. Primum enim populum incessit sterilitas & inedia. Deinde bellum asperum est à Philistinis motum, in quo vna hora filiis ambobus orbatur in prælio, & ipse de sella cadens fractis ceruicibus expirat, anno ætatis suæ octauo & nonagesimo. Pœna impietatis & inobedientiæ diu in eius familia durauit. Nam Achitobus nepos partu immaturo editur: pronepos Abimelechus trucidatur, temporibus Sauli. Abnepos Abiathar, à dignitate remouetur, temporib⁹ Salomonis: Reliqui posteri ad ætatem grandem non peruenerunt.

Pueri Bethelenses cum Prophetam Elisæum irriderent, ex iis quadraginta duo à duabus vrsis rabidis, ex imprecatione Prophetæ immissis, laniantur. 4.Regum 2.

Adramelech & Sarasar patrem suum Sanheribin Regem trucidant, eaq; de causa regno priuati, in exilio ætatem suam exegerunt. 4.Regum 19.

Plura exempla sacræ literæ passim suppeditant. Subiiciemus iam insignes aliquot sententias ex Prophetarum scriptis depromptas, quartum Præceptum concernentes.

Psalmo 119. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos (Domine).

Prouerb.23. Non omittito castigationem pueri. Nam virga percussus nõ morietur. Quod si virga percusseris eum, ex inferis animã eius eripies.

Prouerb.29. Virga & obiurgatio affert sapientiam. At puer qui non coercetur, pudefacit matrem suam. Si castigaueris filium, iucundus erit tibi, & afferet animæ tuæ delicias.

Prouerb.13. Qui parce vtitur virga, odit filium suum: qui vero diligit filium suum, tempestiue eum castigat.

Ecclesiast.30. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo, & non palpet proximorum ostia.

Lacta filium, & pauentem te faciet, lude cum eo, & cõtristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Quare scite admodum dictum est:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos,

POENA IMMO RIGERORVM LIBERORVM.

Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur, patri matriq; qui maledixerit, sanguis eius sit super eum. Leuit.20.

Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coërcitus obedire contempserit, lapidib.

eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio vestri. Deuter. 21.

Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem. Deut. 27.

Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus est, & infœlix. Prouerb. 19.

Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Prouer. 30.

Corrige dum tener est puerum, nec parcito virgæ,
Dum tener est ramus flectitur obsequio.

DE LIBERORVM PIETATE IN PARENTES.

Dionysia, sub Decio martyrium passa, meminit Eusebius lib. 6. cap. 34. Anno Christi 253.

DIonysia matrona illustris, pietatisq; zelo præ alijs eminens, filium habuit Maioricum, ætate adhuc tenerum, & ad tormenta subeunda paruidum, quem cum in pietatis studio sedulo educasset, sic martyrio iam coronãda postremum affata est, & ad fidei constantiam exhortata: Memento fili, quod in nomine sanctæ Trinitatis, in matre, Ecclesia Christiana, baptizati sumus. Quare curæ nobis esse debet, ne vestem salutis nostræ amittamus, vt ne, si venerit is, qui ad nuptias nos inuitauit, nuptiali veste nos destitutos offendat, & ad ministros dicat: Eijcite eos in extremas tenebras. Hæc pœna, cuius finis non erit, formidanda est, vita ea, quæ æterna erit, optanda. Fidelis hæc admonitio filiũ sic animauit, vt maternæ informationi & doctrinæ obtemperans, Martyrij etiam corona sit ornatus. Casp. Hed. lib. 2. cap. 26.

Numidicus Carthagine, Christi & Ecclesiæ indefessus minister, cum hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misisset, vxoremq; adhærentem lateri suo cõcrematam simul cum cæteris lætus aspexisset: Ipse semustulatus, & lapidib. obrutus, & pro mortuo derelictus, dum postmodum filia solicito pietatis obsequio cadauer patris inquirit, semianimis inuentus, & refocillatus, & extractus à comitibus, quos ipse præmiserat remansit inuitus, & Presbyterorum Carthaginensium numero est adscriptus. Cyprian. lib. 4. Epist. 10.

Blandina Lugdunensis filium ad ferendam fortiter mortem hortata est Lugduni, imperante Antonino Vero. Neq; vero diu morata est post filiũ, eandem ob causam, id est, propter Carholicam fidem, ipsa quoq; interempta fuit. Campofulg. lib. 5. cap. 10.

Exempla ex prophanis Historicis.

Amphinomus & Anapius, Siculi fratres, cum Ætnæ incendio Catanæ vrbs, & omnia prope Siciliæ loca deflagrarent, parentes humeris superimpositos per medios ignes Ætnæ periculo subduxerunt, parcentibus & cedentibus eorum pietati ipsis flammis. Sylius:

Tum Catanæ nimium ardenti vicina Typhœo,
Et glomerasse pios quondam celeberrima fratres,
Amphinomus fraterq; pari sub munere fortes,
Quum iam vicinus streperent incendia tecti,
Accipiunt pigrumq; patrem, matremq; senilem.

Quorum pietatem Virgilius quoque in Ætna commendat his versibus:

Hinc rapiunt prædam, mediumq; exire per ignem,
Ipso dante fidem properant, ô maxima rerum,
Et merito pietas homini tutissima virtus.
Erubuere pios iuuenes attingere flammæ,
Et quacunq; ferunt illi vestigia, cedunt.

Simili exemplo laudatur pietas Æneæ, quod flammis vniuersam Troiã populantibus, inualido patri humeros subincuruarit, relictisque diuitijs, vnicum pignus redemerit ab incendio. Claudian.

Quod

Quod si notus amor prouexit in astra Lacones,
Aeneam Phrygio raptus ab igne pater.

Nota historia ex secundo Vergilij Æneid. Vide etiam exempla Sabellici, lib.3.cap.6.& Rauisij Officinam.

Periander Corinthius tyrannus, occisa Melissa coniuge, susceptos ex ea filios, ab Epidauro, vbi apud maternum auum alebãtur, accersiuit. Aui nomen Procles erat, qui priusquam nepotes à se dimitteret, seorsim vocatos monuit his verbis: Ignorare vos nolo, Periandrum patrem vestrum, sine vllo iure, filiam meam parentẽ vestram Melissam occidisse. Nullamq; rem vltra locutus, pueros ad patrem dimisit. Ea verba, quæ natu maior filius paruifecit, altius in minoris natu pueri, qui iam sextum decimum agebat annum, nomine Lycophronis, animo, tantam indignationem mouerunt, vt posteaquam Corinthum peruenit, nec alloqueretur parentem, nec appellanti responderet. Quamobrem domo pulsus à Periandro patre, apud quosdam comites alebatur. Cum nec ob id quidem sententiam mutaret, Periander omnibus interdixit, ne eum exciperent. Itaq; cum ipsum iam excipere nullus auderet, Lycophron in foro, locisque publicis diuersabatur, ijs rebus tantum vitam agens, quæ præ misericordia afferebantur. Cum ne hoc quidem incõmodo Lycophron à proposito discederet, tandem à Periandro edictum est, vt sub capitis pœna nemo eũ alloqueretur, neque re vlla iuuaret. Itaque triduum ieiunus Lycophron mansit, & cum ad eum postea pater accessisset, & miseriæ, in qua erat, admonuisset, spe facta, si sententiam mutasset, principatus se successorem eum relicturum. Filius hæc pauca respondit: Pœnam pater incurristi, quia contra edictum tuum me allocutus es. Vnde magis indignatus Periander, Lycophronem in Coryram misit, & cum iam annosus, morti se vicinũ putaret, accersiri Lycophronem iussit, vt ei Corinthium regnũ dimitteret, arbitratus eum ingenio ac virtute alios anteire fratres. Cæterum Lycophron immobilis perstans aperte respondit, sibi nunquam mentem dari posse, vt in ea vrbe maneret, in qua is moraretur, qui parentem suam peremisset. Hoc ingens Lycophronis suæ in matrem pietatis exemplum fuit, sed non minus paternæ quoque in eum indulgentiæ. Herodotus lib.3. Campofulgos. lib. 5. capitẽ 4.

Metellus pro patre adeo afflictis lachrymis & precibus intercessit apud Romanum pop. vt Pij cognomen iam inde ex ea re retulerit, Sabel. lib.3. Historia sic habet: In ciuilibus bellis, quibus inter se Antonius atque Octauius decertauerunt, quemadmodum sæpe euenit, contigit vt fratres cum fratribus, & cum filijs parentes diuersa acie concurrerent. Itaq; postremo prælio, quo apud Actiũ Octauius Antonium deuicit, cum capitiui recenserentur, sicuti mos erat, Metellus ad Octauium deductus est: cuius quanquam facies propter anxietatem, carceremque à consueta videretur mutata esse, à filio tamen Metello, qui cum Octauio militabat, agnitus fuit. Itaque lachrymabundus statim in patris amplexum cucurrit, deinde lachrymarũ plenus, ad Octauium conuersus dixit: Hic tuus hostis mortem meritus est. Ego autem præmio sum dignus, quia tibi inseruiui. Oro igitur te, vt pro eo munere, quod mihi à te debetur, hunc serues incolumem, & me pro eo occidas. Ea pietate motus Octauius filio Metellum patrem, quanquam infensissimus hostis esset, dono dedit.

Arriani, qui proscriptus erat, filius cum minime eius proscriptionis pœnæ addictus esset, & rem & pericula omnia spreuit, cum arte patrẽ carcere eripuit, & cum eo profugit. Permulti & priscis temporibus inuenti sunt, qui non vitam modo suam, sed ipsas quoque opes, quanquam tenues,

pluris

pluris quam paternam salutem fecerunt, & scelestiores alij ipsos parentes non opibus modo sed vita quoque priuarunt. Quorum scelus, de Arriani filio scriptum charitatis exemplum, vt excellētius videatur, efficiet. Campoful. lib. 5. cap. 4.

Miltiades ob temere susceptam expeditionem aduersus Parum, & rem male gestam ab Athenien sibus damnatus est, mulcta ipsi quinquaginta talentorum irrogata, quam cum exoluere non posset, & in carcere, exinanescente fenore, quod in infelici illa aduersus Parum expeditione confregerat, decessisset, sepulturam, quæ ei negabatur, Cimon filius voluntarijs vinculis emere non dubitauit. Cum autem nec Cimon, qui patris vices in se receperat, soluendo esset: accidit vt Callias vnus ex locupletibus sororem eius Elpinicen duceret, mulctamque Miltiadi irrogatam, sed iam Cimoni incumbentem, ærario publico penderet. Quo beneficio Cimon liberatus, pietatis suæ & præmium & gloriam ingentem adeptus est, Sabel. lib. 3. cap. 6. Valer. Max. lib. 5. cap. 4.

Parentibus omnibus modis succurrendum, sequens etiam exemplum à Valerio Maximo loco citato describptum monet:

Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam Triumuiro in carcere necandam tradidit, quam receptā, is, qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulauit, aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurū, vt inedia consumeretur. Cū autē iam dies plures intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tamdiu iuitentaretur, curiosius obseruata filia, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem, quæ tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prętore ad consulum iudicium perlata remissionem pœnę mulieri impetrauit. Putauerit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes primæ naturæ lex esset. Ne tantæ rei memoria intercideret, vbi carcer fuit, pietatis ara constituta est. Sabel. loco citato.

Oppius ciuis Romanus, à Triumuiris proscriptus, cum nimio senio debilitatus esset, & filium haberet, qui domi manere poterat, maluit filius cum vitæ suæ periculo patrem debilitatum morti, quæ domi parata esset, eripere. Sublatum igitur in collum, magno labore ab vrbe tulit, sub mendici specie latentem, atq; cum eo in Siciliam peruenit, vbi Sex. Pompeius proscriptos omnes recipiebat. Tandem hac singulari in parentem charitate à populo Romano patriæ restitutus, insuper ædilis quoque factus est. In eo Magistratu cum bonis spoliato, ad festos ludos edendos, opes nullæ essent, ne is consueto honore careret, theatrales artifices dono ei operas suas dederunt. Ludorum apparatui necessaria populus quoq; Romanus vniuersus priuatim in theatro tandem contulit, vt non modo agendis excellenter ludis sufficeret, verum ex eo quoque quod superfuit, vehementer ditaretur: à populo Romano mirum in modum laudata ipsius in Oppium patrem pietate. Campofulg. lib. 5. cap. 4.

Cum prælio captus a Seleuco Syriæ Rege Demetrius Asiæ atque Macedoniæ Rex esset, Antigonus filius, regni quietus possessor, Regiā pūpuram lugubri veste mutauit, atque inter continuas lachrymas ad vicinos Reges legatos oratū misit, vt pro patris liberatione operā dare vellēt. Ipse quoque ad Seleucum misit, qui regnum, se quoque ipsum obsidem pollicerentur, si carcere patrem liberaret. Qui posteaquam resciuit patrē mortuum esse, ingentem classem instruxit, vt ad accipiendū defuncti corpus proficisceretur. Cum autem nauigans patris corpus obuium habuisset, à Seleuco in Macedoniam remissum, tanto apparatu lachrymisq; illud excepit, vt omnes in admirationem, commiserationemque simul conuerte-

rer.

ret. Stabat Antigonus in puppi magnæ quinqueremis, eius apparatus gratia ædificatæ, atra veste indutus, mortuum parentem lachrymans, cuius in aurea vrna conditi, inter vexilla ipse continuus spectator erat. Illic cantu aliisq; musicis modis defuncti Regis virtus insigniaq; facinora decantabantur, canentium autem voces ad pietatem, lamentabilesque modos compositæ. Remiges quoque remorum pulsum eo ordine ad dolorem exprimendum temperabant, vt Corintho classe appropinquante, ipsa quoq; saxa ad lachrymas mouerentur. Campofulg.

Pinensis quidam iuuenis, cui Plutoni erat cognomen, cum obsessæ vrbis suæ claustris præsideret, & Romanus Imperator patrem eius captiuum in conspectu ipsius constitutum, districtis militum gladiis circundedisset, occisurum se minitans, nisi irruptioni suæ iter præbuisset, solus e manib. eorum senem rapuit: duplici pietate memorandus, quod & patris seruator, nec patriæ fuit proditor. Valer. Max.

Scipionis Africani adolescentis, cum natus esset annos octodecim, virtus, qua patrem Consulem in prælio ad Ticinum seruauit, cum hostem, qui patrem vulnerarat, repelleret, insecuturæ eius gloriæ præclarum fuit indicium. Stat.

Quis, tener sæuis genitorem Scipio pœnis,
Abstulit, &c.

Pari modo Æmilius Lepidus commendatur, qui puer etiam tum progressus in aciem hostem interemit, ciuem seruauit: Cuius tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta S. consulto posita. Val. Max. lib. 3. cap. 1.

Inter plurima insignium virorum charitatis erga parentes exempla, vnum Toletani hominis annectemus, in quo quod fortunæ defuerat, id rei magnitudo æquauit. Huius pater aurarius faber, à Petro primo Castulonis Rege, ob falsas suspiciones morte damnatus erat, filius amore erga patrem cõpulsus, lachrymis precibusq; agere non desistit, vt seruato patre ipse pro eo occideretur, quod assecutus vitam amisit, vt in vita eum seruaret, à quo ipse per genituram acceperat vitam, tanto omnibus aliis in hoc charitatis laude præferendus, quanto aliis omnibus rebus vita charior est. Campofulgos.

L. Manlio, Aulifilio, cum Dictator fuisset, M. Pomponius Tribunus plebis diem dixit, quod is paucos sibi dies ad Dictaturam gerendam addidisset. Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui Torquatus postea est appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare iussisset. Quod cum audiuisset adolescens filius, negotium exhiberi patri, accurrisse Romam, & prima luce Pomponij domum venisse dicitur. Cui cum esset nunciatũ, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, remotisq; arbitris, ad le adolescentem iussit venire. At ille vbi ingressus est, confestim gladium distrinxit, iurauitque se illum statim interfecturum, nisi iusiurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Iuratum hoc terrore coactus Pomponius, rem ad populum detulit, docuit, cur sibi à caussa desistere necesse esset. Manlium missum fecit. Cicero 3. Officiorum. Commendabilis est pietas, quæ manſuetis parentibus præstatur, sed Manlius, quo horridiorem patrem habuit, hoc periculo eius laudabilius subuenit: qui ad eum diligendum præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat. Val. Max. lib. 5. cap. 4.

Hanc pietatem æmulatus Marcus Cotta, eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus vt è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit: protractumque reum iudicio afflixit, & ingenium & adolescentiam præclaro opere auspicatus.

Apud C. quoq; Flaminium autoritas patris æque potens fuit. Nã cum Tribunus plebis de Gallico agro viritim diuidendo, inuito & repugnante Senatu promulgasset, precibus minisque eius acerrime resistens, ac ne ex ercitu quidem aduersus se conscripto, si in eadem sententia perseueraret, absterritus, postquam pro Rostris ei legem iam ferendi pater manum iniecit, priuato fractus imperio, descendit e Rostris, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.

Magna sunt hæc virilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus valentius & animosius Claudiæ Vestalis virginis factum: quæ cum patrẽ suum triumphantem, è curru violenta Tribuni pleb. manu detrahi animaduertisset, mira celeritate vtrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitijs accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit: nec discerni potuit, vtri plus laudis tribueretur: cui victoria, an cui pietas comes aderat. Valer. Max. libro 5. cap. 4.

Quintus Cicero, Marci frater, cum à Triumuiris proscriptus ad necem inuestigaretur, à filio occultatus est, qui ea de causa ad tormenta raptus, nullis vel supplicijs vel cruciatibus impelli poterat ad prodendum patrẽ. Sed filij motus & pietate & constantia pater, vltro percussoribus se obtulit, ne grauius aliquid in filium propter se statueretur. Xiphil. Dionis abbreuiator in Augusto. Zonar. lib. 2.

Vespasianus à Barbaris in Britannia obsessus, & in extremis constitutus periculis à filio Tito liberatus est. Xiphil. in Claudio.

Iuuenis Siculi pietas illustris fuit, qui Neapolim profectus, vltro pyratis se tradidit, durissimq; seruitutis iugum subijt, vt patrẽ captum, & seruitutis ærumnas sustinentem, liberaret. Iouianus Pont. lib. 2. c. de obed.

Captis à Cyro Sardibus, cum vnus è numero Persarum, ignarus viri, in Crœsi cædem concitato impetu ferretur, filius Crœsi Atys, qui ab eo tempore mutus fuerat, velut oblitus, quid sibi nascendi fortuna denegasset, nec Crœsum Regem occideret proclamãdo, pene iam impressum mucronem iugulo reuocauit: Ita qui ad tempus mutus sibi vixerat, saluti parentis vocalis factus est. Herod. in Clio. Valer. lib. 5. cap. 4. Gell. lib. 5. cap. 9. Solin. cap. 7.

Childebertus & Chlotharius fratres, Regia stirpe orti, atq; ipsi Reges, cum de regni possessione inter se armis disceptarent, essentq; acie dimicaturi, Chrotochildis matris interuentu primo, ferrum inhibuere, maternis precibus & lachrymis moti. Inde non solum prælio abstinuerunt, sed concordes facti mutuo se complexi sunt. Sabel. lib. 3. cap. 6.

Artaxerxes primus Persarum Rex, Statyram coniugem ardenter diligebat. quam etsi norat matris Parisatidis fraude veneno extinctam esse, tamen penes eum maritalem amorem materna pietas vicit, adeoque matris iniuriam dissimulauit (quanquam persæpe contra fieri videatur) vt non modo de vlciscendo eius scelere nihil loqueretur, sed ne minimo quidem nutu, offensæ voluntatis ei signum dederit. Campofol. lib. 5. cap. 4.

Persimilis erga matrem Mameam Alexandri Seueri charitas ac reuerentia fuit, qui nihil quæstus, tulit, vt propter muliebres contentiones ambitiosorum animorum mater exulatum eius vxorem mitteret in Africam, quam paulo ante ipse ab ea acceperat, maiusque pene matris in regendo Imperio, quam ipsius arbitrium esset. Ibidem.

Inprimis etiam illustris est Caroli Magni pietas, qua matrem vnice coluit. De cuius disciplina domestica & studijs vide Chron. Alb. Krantzij.

Ferdinandus Rex Neapolitanus dixisse fertur, nihil maiorem sibi voluptatem attulisse, quam quod parentis sui, quam diu superstes fuisset, consilio vti sibi licuisset: Contra nihil maiorem sibi afferre dolorem, quam

quod

quod in rebus gerendis parentis sui, post obitum eius, destitutus esset cõsilio. Quibus verbis mirificam erga patrem suum pietatem & charitatem testatus est. Pont. lib. 2. de obedient.

Cornelius apud Romanos nomen Scipionis ex pietate meruit, qua patrem luminibus carentem pro baculo regebat. Inde enim Scipio cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 6.

Harpalyce patrem suum Thracensium Regẽ captum à Getis, multitudine collecta liberauit, celerius quam de fœmina potest credi. Seruius in 1. Æneidos. Vel qualis equos Threissa fatigat Harpalyce, volucremque fuga præuertitur Hebrum.

VVermundo Danorum Regi filius fuit vnicus Vffo, corporis mole insigniter magnus, sed tam hebete sensu, tamque pigritante lingua, vt plumbeus potius stipes, quam homo censeretur, adeoque beatum se iudicaret pater, si filio prorsus careret. Huc accessit alia calamitas, vt in senectute VVermundus oculorum visu priuaretur. Quam ob causam vicinis Saxonibus, qui Danorum, eo quod ex Iutia ab ipsis pulsi essent, perpetui erant hostes, contemptui esse cœpit. Itaque Rex eorum, legatis in Daniam missis, à VVermundo petijt, vt habita ratione imbecillitatis vltro regno cederet, & id ipsum Saxonibus traderet, se enim regno ita præfuturũ, vt nequaquam ipsum permutationis istius vel adoptionis pœnitere possit, fore etiam filium longe commodiorem, quam modo quem in aula foueat monstrum potius, quam hominem. Legatio hæc & superbiæ & contumeliæ plena, Regem supra modum turbauit, qui non sine dolore & gemitu reputans, Regem Saxonum, ait, magis boni viri & Principis officium fore, si à contumelia ista, qua se Regem ætate grauem & debilem irrideret, adeoque domesticæ insultaret calamitati, quam non sua culpa contraxerit, sed imperscrutabili Dei iudicio sibi incumbentem habeat, temperans, per paucorum adhuc dierum spacium quiesceret, & vbi fatis ipse cõcessisset, tum demum de regno occupando solicitus esset. Veruntamen si omnino animum induxerit, Danorum regnum inuadere, se facile curaturum, vt eæ per Daniã conscribantur copiæ, quæ eius fastum & impetũ sustinere & reprimere possint. Ad quæ legati non opus esse dicebant, vt conscriptis vtrinque copijs graue & periculosum suscipiatur bellum, cum alia longe commodior rei transigendæ se offerat occasio. Regi enim Saxonũ filium esse iuuenem, qui singulari certamine cum eius filio Vffone de Imperio dimicaturus sit. Ad quæ rursus Rex VVermundus: Quis, inquit, modus erit contumeliarum, quibus grandæuo mihi illuditis? Quæ vos cogit superbia vel insolentia, morbum filij mei exagitare? quasi vero mihi impudandum sit, eum monstro quam homini similiorem esse, & non à Deo ita sit creatus? Cum hęc agerentur, astabat Regis filius Vffo, cumq; Legatorum contumelioſa verba audiuisset, subito, præter omnium opinionem & expectationem sibi dicendi copiam fieri petijt. Pater VVermundus, cum ei significaretur, filium eius Vffonem eum esse, qui ad Legatorum postulata respondere velit, primum se nouis, à suis quoque domesticis, irrideri contumelijs putabat, vt qui eius infantiæ sibi conscius esset: Verum iurando à Consiliarijs adductus, vt serio rem ita se habere crederet, iussit, vt filius, quicquid velit, proferret. Ibi Vffo magno animo fari orsus, Quoniam, inquit, Saxones legatione plena contumeliæ & superbię patri meo, nulla habita ratione Regiæ eius Maiestatis, insultant: Agedum agnoscite Regi Danorum talem esse filium, qui duos simul ex vestris ad certamẽ pro uocet: Curate ergo vt filius Regis vestri mecum in certamen descendat, addite quoq; ei armigerum, quem ipse probauerit, & aduersus duos istos, solus ego dimicabo. Accipiunt conditionem hanc Legati, lætique à Rege & filio discedunt. Mox filium suum propius accedere Rex iubet, contre-

ctat manus eius, vereque eum filium suũ Vffonem esse ex artuum crassitie agnoscit, & conuersus ad eum, Cur, inquit, mi fili, tandiu animũ istum tuum dissimulasti, teque & ignauum, & ad res gerendas ineptum ostendisti? Ad ea respondit filius: Quoniam, inquiens, pater dilecte, vires tibi hactenus ad res gerendas, Imperijque administrationem suffecere, meis nec verbis, nec factis opus habuisti. Nunc autem, cum vires te destituant, sic, vt exteri quoque insolenter tibi insultent, mearum esse partium animum induxi, vt & superborum Legatorum petulantiæ, ita vt decet, respõderem, & re ipsa quoque talem me præstarem, ne te filij tui pudeat. Quæ autem causa te mouit, quærit latius pater, vt tu solus duos ad certamẽ prouocares? Vt delerem, inquit ille, ignominiæ labem, nuper genti nostræ inustam, dum duo ex nostratibus vnum Regem Sueciæ Atislum deiecerunt. Quibus filij sui verbis supra modum delectatus V Vermundus, iubet filio suo expediri arma: nec ipsius enim patris, nec vllius aulicorum, artuum eius crassitiei habilia erant. Paterna tamen arma, quantum fieri potuit, ipsi adaptabantur. Erat patri ensis, cæteris incomparabilis, quo filium armabat, sperans eum robori eius fore idoneum, nam alium quemuis si vibraret, ceu futilis glacies ictu dissiliebat. Hinc campus certamini eligitur, prope fluuium Eydoram, qui limes est antiquus Danicæ atque Saxonicæ ditionis. Prodiere hinc Dani, inde Saxones, medius qui in flumine extabat locus deligitur, in quo Regum filij armis ex pacto concurrere iubentur. V Vermundus quamuis oculis iam captus esset, attamen ad certaminis locum se duci iubet, & quidem eo animo pontem, quo fluuius sternebatur, occupabat, vt si filium prælio vinci animaduerteret, se ipsum de ponte in flumen præcipitem daret. Processere Saxo cum armigero, quibus vnus Vffo opponitur. Prouocat ille vtrumque: pugnatur. Satelles prior in ensem alte sublatum consurgens ferit. Vffo ictum euitat, sublataque dextra, caput Saxonis diffidit. Pater cæcus ictum gladij ipso sono dijudicans, rogat qua parte hostem ceciderit? Illi respondent, vno ictu totum peremisse. Redibat seni spiritus, & æquatis iam viribus, quod vnus vni confligeret, certior illum victoriæ spes comprehendit. Succedit in pugnã Saxonum Regis filius, & elusis aliquandiu altrinsecus ictibus, idem fuit Regio iuueni exitus, qui armigero. Iam & pater victoris sonitum vibrati gladij cautius agnouit, & plenam iam filio constare victoriam lætus accepit. Fastus itaque Saxonum reprimitur, & iugo isto, quod Danis ipsi imponere meditabantur, pressi superbiæ suæ pœnas meritas pendere coacti sunt. Alber. Crantz. lib. 1. cap. 6.

Fertur historia seu fabula non inconcinna de tribus fratribus, qui cum de successione in regno paterno contenderent, arbitrum sibi sumpserunt Regẽ vicinum, eo pacto, vt quicquid ille statueret, id ipsum sancte omnes seruarent. Iussit itaq; ille patris eorum corpus exanimum effodi, singulosque tenso arcu patris sui cor petere, ea conditione, vt qui collimasset, patris in regno successor esset. Maximus itaque natu primus sagittam eiaculans, gulam patris transfixit, secundus pectus quidem sauciat, sed tamen à corde aberrat. Natu qui erat minimus, facinus hoc auersatus, Malo inquit, fratribus cedere, & regno prorsus carere, quam tanta contumelia patris mei corpus afficere. Quibus animaduersis Rex sententiam tulit, hunc solum Regno dignum esse, vt qui virtute quantum reliquis præstaret, eui denter ea pietate, qua patrem veneraretur, testatus sit.

Thales Milesius liberos monens, vt omnibus obsequijs & officijs parentes suos prosequerentur, dicere solitus est: Quale præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis tuis expectato. Eundem ad modum Isocrates ad Demonicum, Talem, inquit, erga parentes tuos te præbe, quales in te

libe-

liberos esse tuos optares. Τοιαῦτος γίνου πρὸς τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο ἂν πρὸς σαυτὸν γενέσθαι τοὺς σαυτῶ παῖδας.

Pittacus filium monens, ne cum patre coram iudice litigaret: Si patre, inquit, iniquiora dixeris, damnaberis: sin æquiora, vel ob istud dānari dignus es. Docens, cum patre omnino non litigandum esse, etiamsi causa litigandi iusta tibi videatur. Stob.

Cum Telecro significarent amici sui, quod pater aius passim eum diffamaret, quæreretq; ex eo, num istam maledicētiam eius puniri velit? Nequaquam, respondit ille. Maluit culpæ reus videri, quam patrem mendacij arguere. Idem Telecrus interrogatus, cur apud Spartanos iuniores senioribus assurgerent? Respondit, vt assuescerent maiores venerari, & eo maiore honore parentes suos prosequerentur. Plutarch. in Lacon.

Coriolanus optime de Repub. meritus, iniquissimę damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit, instructusque Volsco milite formidabilis admodum Romanis fuit. Missi ad eum deprecandum Legati, nihil profecerunt: missi deinde Sacerdotes cum infulis, æque fine effectu redierunt. Stupebat Senatus, trepidabat populus, viri pariter & mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater, Voluminiam vxorem eius, & liberos secum trahens, castra Volscorū petijt, quam vbi filius aspexit, propere vt amās matris complexum petiit. Illa ex precibus in iram versa, ait: Sine vt prius, quam complexum accipiam, sciam, an ad hostem, an ad filium venerim, captiuane an mater in castris tuis sim: multaq; insuper addidit complorando. Quibus & vxoris & puerulorum fletibus motus, matrem complexus, Expugnasti, inquit, & vi cisti iram meam patria. Precibus huius admonitus, cuius vtero conceptus sum, te quam nis merito mihi inuisam, dono: continuoq; agrum Romanum hostilibus armis liberauit. Liuius lib. 1. Val. Max. lib. 5.

Diogenes ad eum, qui patrem despiciebat, Non te pudet, inquit, eum contemnere, cui debes hoc ipsum, quo tibi places? Reperiuntur non raro impij liberi, qui cum ad honores & dignitates euecti fuerint, parentes suos despiciunt. Quod peccatum etiam inter gentiles fuit execrabile.

Lausus, Mezentij Tyrrheni filius, patrem in bello aduersus Æneam seruauit, eoq; liberato, ipse ab Æ nea interfectus est. 11. Æneid. Verg. Statius:

Et Lydi pietas temeraria Lausi.

Antigonus cum ingenti prælio superasset hostem, præmium belli trāstulit ad patrem, & imperium illi tradidit Cypr. Rauis.

Antigona patri suo Oedipo exoculato ducem se præbuit. Sophocl. in Oedipo.

Cleobis & Bithon fratres, Argiuam Sacerdotem matrē suam currui insidentem equorum penuria ab oppido traxerunt ad phanum, seque iugo alligarunt, quod ius esset, Sacerdotem ipsam ad sacrificium curru vehi. Cicero lib. 1. Tusc. quæst.

Claud.

Si vetus Argolicos illustrat gloria fratres,
Qui sua materno colla dedere iugo.

Vide Herodotum libro primo.

Leo iunior, cum annum vnicum præfuisset Imperio, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, ipsumq; deinceps imperare iussit.

Icarum patrem Erigones cum agrestes Attici interfecissent, filia doloris impatiens laqueum implicuit collo. Ouid.

Quodq; dolore necis patris pia filia fecit,
Vincula per laqueī fac quodq; guttur eat.

Trasamundus, Rex Vandalorum, Arriana impietate infectus, cum iam morti vicinus esset, Hildericum filium suum ex Eudoxia filia Valentini Imperatoris, astringit Sacramento, ne Catholicis in regno suo consuleret. Qui patre mortuo, Deo magis obediendum esse quã hominibus recte iudicans, antequam regnum susciperet, omnes Catholicos ab exilijs iussit reuocari, euolutis septuaginta quatuor annis, ex quo Gensericus auus eius statum Ecclesiæ in Africa prophanauit. Chron. Sigeberti, anno 520.

Conradus, qui Regio Imperio Italiæ præerat, licet à patre Hẽrico Quarto præteriretur, & imperij successor ab eo declararetur, natu minor filius Henricus Quintus, qui Põtificijs adactus furoribus, patrem postea Imperio exuit, nequaquam tamen paternam hanc iniuriam vlcisci animum induxit, sed modestum & grauem se rebus in omnibus gerens, honorificam semper parentis sui mentionem fecit, & ab alijs idem fieri voluit, magno pietatis erga patrem argumento, circa annum Christi 1100.

Alphonsus, Rex Aragonum, cum peregre aduenienti Ferdinando patri obuiam progressus animaduertisset, illum lectica vectari valetudine affectum, statim equo desilijt, vt patrem pedibus comitaretur: & si opus esset, humeris aut ceruice etiam sustolleret. Cumq; è lectica pater identidem cohortaretur, vt exemplo multorum Procerum iuxta adequitantium, & ipse quoq; equum ascenderet: Alij, inquit, ô pater, quid ad se attineat, ipsi viderint: ego quidem adduci ipse neutiquam potero, quin Regem, quin patrem, & eundem ægrotum pedibus sequar. Eundem post decem ac septem aureorum millibus funerauit, magno pietatis argumento. Panormitan. lib. 2. de gestis Alphonsi.

Annis ab hinc nõ ita multis in Anglia quidam ob veritatis Euangelicæ confessionẽ ignis supplicio damnatus erat, qui cũ palo iam alligatus esset, struesq; lignorum flammam concepisset, filius astans vltro in ignem insilijt, & vna cum patre suo Martyrium obijt. Manl. in Collect.

Demetrius Phalereus admonebat adolescentes, vt domi parentes, in via obuios, in solitudine reuererentur seipsos. Pudor teneram ætatem optime deterret à peccando, qui nusquam non adest, si quis reuereatur seipsum.

Euripides in Heraclidis.

Οὐκ ἔστι τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας,
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι. *Id est.*
Non liberis est pulchrius munus aliud,
Quam liberos dici parentis optimi.

Sophocles in Oedipo Coloneo.

Τοις τεκοῦσι γὰρ
Οὐδ' εἰ πονεῖ τις, δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν. *Id est.*
Si quis Parentum gratia
Laborat, hunc meminisse laboris haud decet.

Inter Arcanas Ægyptiorum literas, quas hieroglypha vocãt grammata, Ciconia gratitudinis & pietatis parentibus exhibendæ erat symbolum. Vna siquidem Ciconia parentes senecta defectos vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat. De qua auis natura Alciatus:

Aërio insignis pietate Ciconia nido
Inuestes pullos, pignora grata fouet.
Taliaq; expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Celebratur pari modo à naturę indagatoribus vpupę erga parentes officium, quos senio confectos, volandiq; impotentes sedulo curat, pennas

vetustate,

vetustate iam languidas euellit, præterea oculos cæcutientes herba quadam illinit, vnde viribus resumptis quasi reiuuenescunt.

Merops nidificat in specu sex pedum defossa altitudine, vbi postquam sedulo pullos suos enutrijt, ipsa corporis grauitate sublime petere prohibetur, vicissim autem nutricationis officium à pullis recipit. ij enim genitores reconditos magna cura sedulo pascunt. Author Plin. lib. 10. cap. 33.

In hirundinibus parentum erga liberos sedulitas nobis exprimitur. In educandis siquidem pullis pariter & masculus & fœmina labores partiuntur. Certo etiam ordine cibos pullis distribuunt, sic vt æqualis omnium sit portio, eamq; curam mater adhibet, vt primogenito primo etiam loco cibum porrigat, & certo deinde ad reliquos pergat ordine, donec ad quintum natu minimum perueniat. Quod si quis ex loco suo cedat, cibo eum priuat, donec locum sibi competentem denuo occupet, ad hæc sordes & excrementa nido eijciunt, pullosque assuefaciunt, vt cõuersis ad nidi ostium posterioribus, stercora egerant. Ex Æliano, & Oppiano.

De impietate liberorum in parentes.

SCelerata Tullia, optimi Romanorum Regis Seruij Tullij filia, tota in eo occupata erat, vt regnum domi suæ videret. Cum autem desponsata esset Arunti Tarquinio mitis ingenij iuueni, soror autẽ eius L. Tarquinio iuueni feroci, & ad quoduis facinus perpetrandum parato, contempto marito suo, tota in alterum versa Tarquinium, eum mirari, eum virum dicere, ac regio sanguine ortum: spernere sororem, quod virum nacta muliebri cessaret audacia, mox secretis viri alieni assuefacta sermonibus, nullis vorborum contumelijs parcere de viro ad fratrem, de sorore ad virum: & se rectius viduam, & illum cœlibem futurum fuisse contendere quam cum impari iungi. Si sibi eum, quo digna esset, Dij dedissent virum, domi se propediem visuram regnum fuisse, quod apud patrem videat. Celeriter adolescentem suę temeritatis implet, qui vxorem suam, Tullia vero marium suum Aruntem, interimit. Impijs iunguntur nuptijs Lucius Tarquinius, & Tullia, Rex Seruius infanda morte à genero afficitur, primum è curia in inferiorẽ partem per gradus deiectus, hinc in vico Cyprio, cum semianimis ferme domum properaret, trucidatus. Tali scelere cum regnum suum orsus esset Tarquinius, Tullia audita cæde patris sui, carpento in forum inuecta euocauit virum è curia, Regemque prima appellauit. A quo facessere iussa, ex tanto tumultu cum se domum reciperet, peruenisset q; ad summum Cyprium vicum, restitit pauidus, atq; inhibuit frænos is qui iumenta agebat, iacentemq; Dominæ Seruium trucidatum ostendit. Fœdum inhumanumque inde traditur scelus, monumentoq; locus est. Sceleratum vicum vocant, quo amens agitantibus furijs sororis ac viri Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur. Liuius libro primo. Ouidius 6. Fast.

Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta feroxq; vias:
Corpus vt aspexit, lachrymis auriga profusis
Restitit, hunc tali corripit illa sono:
Vadis, an expectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, inuitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

P. Malleolus, teste Liuio, matre interempta, primus omnium insutus culeo in mare præcipitatus est. Porro parricidij pœna more maiorum hæc instituta fuit, vt parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insu-

tus, cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, in mare profundum proiiciatur.

Cicero pro Roscio Amerino.

Prudentissima ciuitas Atheniẽsium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. Eius porro ciuitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quib⁹ hodie quoq; vtũtur, scripserit. Is cum interrogaretur, cur nullum supplicium statuisset in eum, qui parentem necasset? Respõdit se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur: cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat: ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius: qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquãdo violaret audacia: supplicium in parricidas singulare excogitauerunt: vt quos natura ipsa retinere in officio non potuisset: magnitudine pœnæ maleficio summouerentur, insui voluerunt in culeum viuos: atq; ita in flumẽ deijci. O singularem sapientiam iudices. Nonne videtur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui repente cœlum, Solem, aquam, terramq; ademerunt, vt qui eum necasset, vnde ipse natus esset: careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur, &c.

Ægyptij parricidis exquisitam imposuerunt pœnam. Nam articulatim præacutis calamis cæsos iubebant viuos supra spinarum aceruum comburi, maximum inter mortales iudicantes scelus, ei mortem per vim inferre, à quo vitam quis accepisset. Diod. Sicul. lib. 2. de Antiq. gest.

Lusitani parricidas ex finibus terræ suæ eiectos lapidibus cooperuerunt.

Nero, matrem suam Agrippinam cum veneno ter tentasset, sentiretq; antidotis præmunitam, lucanaria, quæ noctu super dormientem luxata machina deciderent, parauit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem nauem, cuius vel naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus est. Verum nando istud quoque periculum euasit. Quod vbi Nero cõperit, Anicero Centurioni cædem matris demandat, qui assumptis ad iussa promptissimis, villam, in quã delata erat Agrippina, statione circundat, refractaq; ianua cum percussoribus in cubiculum irruit, qui cum lectum circumfisterent, illa distringenti ferrum Centurioni protendens vterum, ventrem feriri exclamat, rogans ministrũ, vt vtero dirum ensem cõderet, adiiciens, hic est, hic est fodiendus ferro, monstrum qui tale tulit. Post hãc vocem cum supremo mixtam gemitu, animam tandem post fera triste vulnera reddidit. Cornel. Tacitus. lib. 14. Sueto. in Nerone, cap. 33. Addunt his atrociora, nec incertis autoribus, ad visendum interfectæ cadauer accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse.

Henricus Nicoloti Herulorum & Obtritorum ducis filius, genuit duos degeneres filios, quippe qui patri insidias tetẽderunt ob id, quod tertiam duceret vxorem. Henricus enim iunior filius consentiente fratre occidit patrem, anno supra millesimum ducentesimum nonagesimo primo. Qua propter iusta indignatione commotus Nicolotus patruelis eorum, priuauit eos paterna hæreditate, pepulitque in exilium, vbi non diu iuxta comminationem diuinam vixerunt. Cosmo. Munst. lib. 3. in Magnopolensis Ducatus descriptione.

Iohannes Maria, Iohannis Galeatæ filius, Dux Mediolani, Catharinam matrem facta sua acerbius obiurgantẽ, in turri conclusit, & ibidem emori fecit. Volater. & Rauis.

Selimus Turcarum Imperator Decimus, patrem suum Baiazeten imperio spoliatũ veneno extinxit, duos fratres, tota agnati sanguinis stirpe excisa à radice, crudeliter interfecit. Deinde cum annos regnasset o-

cto, vl-

cto, vlcere cancroso renum correptus, toto corpore ex longe lateq; serpentis vlceris corrosione fœde putrescente, morte sæuitia tam beluina dignа, meritas immanis parricidij pœnas persoluit. Anno Christi 1520. Septembri mense, apud Chiurlum Thraciæ pagum, eo ipso in loco, quo Bazazeten patrem acie circumfusum antea opprimere fuerat conatus. Vide Cosmogr. Munstr. libr. 4. Chronica Hedionis, 4. part. Chronica Philippi Melanchthonis, lib. 5.

Carolus Iunior cognomento Crassus, filius Ludouici Tertij, in præsentia parentis, & regni Procerum à Satana grauiter afflictus est, palamq; cõfessus, se pœnas luere impij sui conatus, quod animũ induxisset, aduersus patrem cum alijs conspirare. Casp. Hedion, libro sexto, capite vigesimo nono.

Henricus Quintus, Pontificiis Episcoporumq; furiis incitatus, patrem suum Henricum certaminibus longis, & exagitationibus crudelibus afflictum, & auxiliis sociorum insigni perfidia nudatum Imperio exuit, Moguntino Episcopo Pontificis iussu nimis insolenter & crudeliter omnia ornamenta regia in conspectu filij ei detrahente. Quam iniuriam & contumeliam vlturus senex, cum bellum repararet auxilijs Lontharingicis, Leodij mortuus est. Chron. Philipp. libr. 4. Pœnas suæ impietatis erga patrem luit Henricus hic Quintus, magna clade accepta in prælio aduersus Saxones, quibus cum congressus ad syluam in Comitatu Mansfeldensi, VVelphici saltus nomine in historiis ab hoc celebrem, victus ac repulsus. Hinc ijsdem Pontificum furijs, quæ patrem eius exagitarant, vexatus.

Agathias de moribus Persicis refert Philosophos quosdam, cum Ægyptum inuiserent, promiscuam ibi matrum & filiorum, patrum & filiarum deprehendisse commixtionem, eumque incestum abominatos ex Ægypto discessisse: Qui cum in Græciam delati essent, incidisse eos in cadauer humanum honore sepulturæ carens, motosque misericordia terræ illud mandasse, cumque postridie casu illac transirent, corpus denuo effossum offendisse, cumq; rursus illud humare animum inducerent, spectrum apparuisse, corpusq; sepeliri vetuisse, & simul indicasse, indignum esse hominem istum, cuius corpus humo tegatur, eo quod matrem suam incestarit: Quæ narratio indicat, quod ipsa quoque tellus turpem istam libidinum confusionem auersetur & execretur.

Cosroën, Regem Persarum, cœpit filius Siroës, & trucidato fratre Mardasa, spectante patre, deinde & patrem interfecit. Vide in tertio Præcepto, de pœnis persecutorum Ecclesiæ. Et Chron. Phil. lib. 3. sub Heraclio.

Hieronymus, Syracusanorum Rex, patris sui Gelonis, auique Hieronis admonitionum immemor, propter crudelitatem superbiamque à suis interfectus est. Liuius lib. 24.

Nicomedes Prusiam, patrem Bithyniæ Regem dominandi libidine vita spoliauit. Rauis.

Mithridates tantæ fuit impietatis, vt matrem, fratrem, filios tres, ac totidem filias interfecerit. Cælius Rhod.

Priscus Actium, Ferrariæ Principem, patrem suum in carcerem cõiecit, atque ibidem fecit emori, cum ob inductam nouercam, tum libidine dominandi. Volater.

Cyrillo, ciui Hipponensi honesto & pio, filius erat temporibus diui Augustini indulgenter admodum educatus. Iste cum luxuriosam vitam ageret, matrem prægnantem nequiter per ebrietatem oppressit, sororem violare voluit, patrẽ occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem, August. Tomo 10 sermone 33. ad fratres in Eremo.

Filius quidã degener & astorgos patrem suum, cuius vitę, propter hęreditatem adeundã, pertæsus erat, falso insimulabat fœdissimi incestus, quo

Horrenda filij erga pa-

trem impietatis.

cũ iumento commixtus esset. Res eo tandem redit, vt pater in vincula cõiectus, grauissimis tormẽtis adhibitis examinaretur, inter quæ victus cruciatuum magnitudine, se flagitij istius reum esse confessus, a tormẽtis deinde liberatus idem protinus negauit. Cum ergo ad tormenta sæpius reduceretur, tandem ait, se quidẽ prorsus intentati sibi criminis immunem esse, malle tamen ipsam mortem perpeti, quam tantis cruciatibus diutius distineri. Cum autem nihil hac sua inficiatione proficeret, sed ad grauiora subinde tormenta rapéretur, tãdem septem adhibiti sunt testes, qui coram iudicibus confessi sunt, illum crimen in tortura cõfessum esse. Fertur itaq; sententia, qua ad ignẽ insons & miser homo damnatur, qui dum ad locum supplicij educitur, alta voce ad populũ suam testatur innocentiam, & falso sese a filio suo paternis bonis inhiante, tanti criminis, cuius perpetrandi in mentem sibi nunquã venisset, reum actum. Inter quæ verba mortem forti animo sustinuit, suamque Deo commendauit animam. Post cuius mortem, intra vnius mensis spacium Iudex & testes ex diuino iudicio miseranda morte extincti sunt, impius autem iste filius laqueo sibi vitam finijt. Ex quorum pœna, veritas & innocentia miseri patris patefacta est. Ex lib. 5. cap. 4. de Officio Principum vel Magistratuum.

Fridericum Secundum filius nothus Manfredus, Tarenti Princeps, puluino stragulasse traditur, quod testamento eum à regno Neapolitano excluserat. Vide lib. 4. Chronicorum Philipp. De Manfredo plura in quinto Præcepto.

Adolphus erga patrem suum, Geldriæ ducem, impius.

Geldriæ quondam ducis filius Adolphus, cum filiam Ducis Borbonij è Gallia duxisset, patrem suum, quẽ vita priuatum ex cupiditate dominandi esse cupiebat, sub vespertinum crepusculum cepit, eumque discalceatum per intensissimum hyemis frigus in tetrum & squalidum carcerẽ per quinque milliaria abductum inclusit, vbi cum per semestre spacium vitam admodum afflictam egisset, Dux Cliuensis, qui Geldrensis Ducis sororẽ matrimoniali nexu sibi iunctam habebat, miserius affinis sui Adolphũ vi & armis aggreditur, vnde graue bellum inter eos exoritur, quod certis præscriptis conditionibus Carolus Dux Burgundiæ, hinc Imperator ipse, nec non Pontifex Romanus dirimere frustra conati sunt. Tandem Dux Carolus ex mandato Imperatoris vi ducem Geldrensem grandæuum è custodia liberat, mox etiam inter patrem & filium pacem conciliare studet, proponit conditiones, quibus filij potius quam patris fauere partibus videbatur, nempe, vt filius Burgundiæ agat præfectum, & Geldriæ ducatum obtineat, excepta vna ciuitate, quam patri relinquat, cui quotannis addat tria aureorum millia, pater item ducatus titulum vsurpet. Quas conditiones filius execratus, se malle, ait, in profundissimo puteo vna cum patre submersum esse, quam in eas cõsentire, patrem iam per quadraginta quatuor annos principatum & dominium obtinuisse, tempus esse, vt filio cedat. Se paratum quidem esse terna aureorũ millia patri suppeditare, sed extra Geldriæ ducatum. Dum huic transactioni interest Dux Carolus, Ludouicus Rex Gallorum irruptione facta in eius regionem, vi aliquot oppida & ciuitates Picardiæ occupat. Itaque infecta re ad suos Dux Carolus propere reuertitur. Adolphus Geldriam versus iter faciens, in hostium manus incidit, à quib. captus, & in custodia detentus est, donec post mortem Ducis Caroli Gandauenses eum liberarunt, & bello, quod aduersus Tornacenses gerebant, præfecerunt, in quo horrenda morte perijt, in minutas partes dissectus, ex iusto Dei iudicio puniẽtis impietatem, quam aduersus patrem exercuerat. Georg. Lauterb. de Discip. liberorum, ex Philippo Comineo.

Quidam diuitijs affluens, patrem annis confectum, & graui pressum pauperie despiciebat. cum autem sibi ignominiosum admodum duceret,

patrem suum mendicare, eum vel inuitus ad se recepit. Cumque aliquando ferculum opipare apparatum, in mensa appositum esset, pater interuenit, ibi protinus seponi illud filius iussit, quod, cum pater pransus abijsset, rursus depromi iubet. Sed ecce seruus patinam allaturus, non sine terrore plenam eam serpentum esse cõspicatus est, renunciat id hero, qui portento hoc attonitus, propere visurus illud accurrit, statimq; qui inter serpentes erat immanissimus in os ipsius illapsus est, suum os ori ipsius adiungẽs, ita vt semper, quandocunque ipse cibum sumeret, serpentem quoque cibare cogeretur, quem horrendo admodum spectaculo secum circumgestauit, quo ad vixit. Manl. in collect.

Ibidem refertur historia priori non admodum dissimilis de sene, qui graui paupertate colluctans, filium opibus abundantem accessit, ab eo threpteria, seu nutricationis præmia petens. Filius sibi probro & dedecori esse iudicans, patre adeo egeno se natum, palam negauit se pauperis istius esse filium, eumq; asperis verbis increpitum facessere iussit. Plorabundus pater abit, sed vix eo digresso, protinus furore corripitur filius, & in isto furore impiam suam efflat animam.

In ciuitate quadam Pomeraniæ, filium duodecim natum annos, luxui iam & nequitiæ deditum obiurgauit mater. Puer increpationis impatiens, postridie matrem circa matutinum crepusculum in lecto dormientem, cultro in pectus ipsi infixo interfecit. Hæc manifesta sunt opera Satanæ.

Francofordiæ ad Mœnum bombardarius quidam, cum puluerem in bombardam adhuc feruentem immitteret, puluis incensus eum solo illisum extinxit. Quem omnes peritum & ingeniosum fuisse artificem fatebantur, pœnã istam diuinitus ei irrogatam, eo quod impius erga matrem in iuuentute sua fuisset.

In Flandria duos cum haberet mater filios, summa erga eos indulgentia, inuito etiam & indignante patre vsa est, clam ipsis pecuniam, ne deesset eis vnde helluationi & aleæ studerent, subministrauit. Verũ vt primum pater fatis concessit, mater alterum filiorum gladio a carnifice feriri, alterum laqueo suspendi, non sine summo dolore, & indulgentiæ suæ detestatione conspicata est. Ludouicus Viues de institut. Christ. fœm. libro 2. cap. 10.

Mater ad puerilia filij sui furta conniuere solita, tandem, cum adoleuisset, eum furti reum actum, damnatumque ad crucem, a carnifice duci vidit, quem cum gemebunda & eiulans mater sequeretur, petijt filius, vt liceret sibi secreto aliquid in aurem matri significare. Quod cũ impetrasset, matri aurem dentibus abscidit, eam perditionis suæ auctorem & causam esse clamitans, aut quæ indulgentia sua impia ad furta eum pellexisset. Cyriac. Spangenb.

Simile fertur de Lucretij filio, qui cum damnatus mortis ad supplicij locum educeretur, postremum patri suo vale se dicturum simulans, morsu ei nasum abscidit, vt hoc indulgentiæ suæ præmium ferat, inquiens, qua ignominiosæ mortis, quam perferre cogatur, auctor ipsi fuerit. Meminit Guido Bituricensis.

Faber clauicularius, iuuenis adhuc, luxui deditus, vtrunque parentem pistillo occidit, spe potiundæ eorum pecuniæ, quo facinore immanissimo perpetrato e vestigio sutorem accessit, nouosq; ab eo calceos sibi coemit, relictis ibi veteribus suis & dissutis calceis, quos puer sutoris subter scamnum abiecit. Mox post horam vnam atque alteram ædes interfectorum per Magistratum reclusæ sunt, repertaque ibi trucidata corpora, quorum cædem filius dolenter adeo tulit, vt nemo vel minimam suspicionem capere potuerit, eum tanti facinoris auctorem esse. Accidit autem, vt sutor iste calceos sub scamno iacentes, cruore aspersos esse casu quodã animad-

uerteret. Obseruatum quoq; filium istum impium, præter solitum, nummatum esse. Quibus motus coniecturis Magistratus hominem in vincula conijciunt, qui citra moram facinus confessus est, pœnaq; digna affectus. Ferunt pistillum istud prætorio affixum esse, perpetuoq; tremore agitari. Anno Christi quinquagesimo, supra sesquimillesimum, in Regio monæ Borussiæ. Ex relatione Mart. Luth.

In finibus Magdeburgi filius & filia parentem suum in nemore interfecerunt. Quę ingens Satanæ est malitia, homines sic effascinantis, vt quid agant, vel moliantur, prorsus non agnoscant.

Narrant fuisse quendam, qui suum patrē male cæsum, capillis ad limen domus vsque protraxerat. Deinde, cum & ipse senescęret, multo deterius a filio tractatum fuisse, & extra limen domus protractum, in luto prouolutum esse, donec & ipse pater clamaret: Parce fili, Ego meum parentem tantum ad limen domus protraxi. Qualis quisque fuerit in parentes, talos experietur in se liberos. Et Deus plerunq; eodem genere, in quo quis peccat, punit.

Impij liberi.

Impios adeo liberos reperiri ipsa testatur experientia, qui patrem senio confectum patris appellatione dignati non sint, sed eum delirum senem & canem vocitent, nec tantillo parentes beneficio gaudere patiantur, vt intra ædes eos cubare sustineant, licet omnia ipsorum bona illi, parentib. vltro cedentibus, occuparint, quam liberorum impietatem ea maledictione Deus æternus opprimit, vt cum omnibus suis facultatibus radicitus intereant.

EXEMPLA EX DISCIPVLO *de tempore.*

BOnis suis parentes ætate grandes vltro cesserāt, eaq; omnia filio, quem habebant vnicum, tradiderant, vt is eo commodius ad opulentum aspirare posset matrimonium. Contra parentibus, quandiu superstites futuri essent, omnem fidem & curam filius promisit. Et quidem aliquandiu se erga parētes pium & liberalem præstitit. Postquam autem vxorem iuuenculam, eamque superbam domum duxit, ea auersata & exosa grandæuorum hominum præsentiam, obtundendo atque odio deniq; effecit, vt filius in aliam domum emigrare parentes iusserit, & tandem animū prorsus ab ijs abalienarit. Accidit autem, vt die quodam festo, lautum ferculum, idque assatum, in domum filij sui mater perferri conspicaretur, ideoque maritum suum moneret, vt filium accederet, & lautiore cibo se reficeret, cum iam diu carne vesci ei per inopiam non licuerit. Obtemperat coniugi suæ senex, filij ædes accedit, fores pulsat, filius animaduerso patris aduentu, assatum istud ferculum propere subter mensam abscondit, patremque inhumaniter compellans quid importuno suo aduentu velit interrogat? Adueni, inquit ille, vt tecum pranderem, & cibo lautiore me reficerem. Ad quæ filius: nihil modo in promptu esse vides ipsemet, simulq; duos depromens nummulos, eos patri porrigit, vt cibū, quo vescęretur sibi emeret. Sic patre dimisso, filius depromit ferculum, partemq; inde resectam ori admouet, quæ subito in tetrum conuertitur bufonem, qui in faciem ei inuolat, genisque mordicus sic adhæret, vt nulla vi vel arte auelli posset, quin si quis vi eum auellere conaretur, faciem collumque ipsius sic affligebat, vt bene secum actum putaret miser, pestem istam placide fouere, nec etiam cibum in os ingerere potuit, quin & bufo iste eundem degustaret. Durauitq; hęc eius pœna in decimumtertium annum, quo morte extinctus est. Rem ita gestam esse multi in Gallia, præsertim Lutetiæ Parisiorum, coram viderunt. In Decalogo Cæsarij, Serm. 24. in Discip.

Cum

Cum ex parentis sui, qui diuitijs affluebat, voluntate, filius vxorem formosam duxisset, patri autor fuit, vt relicta bonorū administratione vitam ageret securam & trāquillam, se enim omnia pietatis officia satis benigne ei exhibiturum. Obtemperat pater filio, eique omnes suas facultates tradit. Filius vicissim erga patrem se beneficium exhibet, conclaue ipsi tradit amœnum, omniaque ipsi necessaria liberali animo suppeditat. Vxor autem iuuencula nocturnos senis screatus fastidiens, suis effecit querelis, vt filius patrem e cubili extruderet, eique locum sub scalis assignaret. Hinc ingruente hyemis sæuitia, cum pater vestes sibi prēberi peteret, filius quatuor panni vlnas emit, quarum duas patri offert, duas sibi reseruat. Obseruans id tener filiolus, senioris nepos, duas illas vlnas, auo negatas clam abscondit. Quæ cum hinc inde per domum quærerentur, tandem puellus ad patrē, Ego, inquit, scio vbi pannus lateat: quærit pater, cur eum absconderit? Vt tibi eum, respondet filius, cum tu senueris, tradam, quo te coopertum. Pater intelligens diuinitus suam erga patrem tenacitatem & impietatem reprehendi, diuinumque expauescens iudicium, mutato animo, se erga parentem in omnibus & liberalissimum & obseruantissimum præstitit, Gulielmus Lugdunensis Idem Discip.

Erant cuidam liberi formæ gratia inprimis amabiles, qui cum matrem suā colere negligeret, protinus ex diuina vindicta omnes eius liberi morte extincti sunt. Serm. 24. in Discip.

Quidam magnis ditatus opibus cum omnes suos liberos honeste elocasset, omnia inter eos bona sua distribuit, quem breui post paupertate pressum liberi auersabantur. Sed arte eorū impietatem pater elusit & vltus est. Accersitis siquidem cistam ostendit multis seris munitam, singulis clauem tradit, sibiq; etiam vnam reseruat, vt nisi omnib. vna præsentibus aperiri non posset. Hinc callide eos affatur, Vbi inquiens, filij mei naturæ debitum persoluero, hāc vna aperietis cistam, & perscriptum ibi inuenietis, quid cuique vestrum assignauerim, quo etiam beneficio piæ alijs istos affectos esse velim, qui plurimum mihi humanitatis benefactorumq; exhibuerint. Nolo autem me viuo quidquam de thesauro ibi recondito demi. His verbis lactati liberi certatim honore & beneficijs patrem prosecuti sunt. Cumque post mortem eius nouæ inhiantes prædæ cistam aperuissent, fustem isthic prægrandem offendunt, cui hæc verba inscripta erant: Qui liberis omnia sua bona tradit, nec sibi vel necessaria ad vitam reseruat, dignus est, qui fuste hoc occidatur. Discip. de temp.

Simile fertur de alio quodam, qui cum duas elocasset filias, omnia quoque bona sua sub ipsarum potestatem tradidit. Cumque apud filias refugium suum se habiturum speraret, illæ mox tædio eius affectæ sunt. Ibi vicinus vir prudens ei consilium dedit, vt in die Dominico, turba ad templum properante, cistam probe occlusam & munitam, quam clam antea lapidibus implesset, ante se in domum vicini perferri curaret, vt videntes id opinionem concipiant, cistam pecunia refertam esse. Senex consilium hoc sequitur, protinusque vtraque filiarum patrem ad se pertraxit, beneficijsque in eum collocandis inuicem certarunt. Tandem ergo ad alteram filiarum, a qua commodius tractabatur, cistam deferri iubet, clauē tamen sibi reseruat. Post mortem eius gener noua spe ingentis thesauri exultat, cistam aperit, sed misere spe sua frustratus abit. Discip. de temp.

Quidam, qui vsuris & auaritia ingentes opes corraserat, filij sui fidem probaturus, ei præcipit, vt digitum flammæ ignis immersum teneat, donec salutationem Angelicam Aue Maria recitasset. Filius patri obsecuturus digitum in flammam immittit, sed vt primum ignis feruorē sentit, eundem retrahit, Quid, inquiens, mi pater tibi prodesse queat, etiamsi prorsus in flammas digitus, imo totum corpus conuerteretur? Et ibi, quid profuturum

rum sit, subijcit pater, si, dum tuis rebus studeo, tibique bona relinquere quam maxima satago, æternæ sim damnationi obnoxius? itaq; pœnitentiam agens, vsuris & auaritiæ valedixit, bona quæ per fas & nefas corraserat, ijs, quos defraudarat, restituit, erga pauperes & inopes misericordiam exercuit, vitamq; piam & Deo placentem egit. Serm. 24.

Alius quidam omnium rerum affluentibus copijs ditatus, tres, quos habebat, filios ad se accersitos, his verbis compellabat. Amplissimas, filij mei, vobis relinquo diuitias, quas in vestri gratiam corrasi, pauperum interim oblitus. Quare cum hora mortis ex hac vita me auocauerit, vigilijs & eleemosynis animæ meæ saluti consulite. Ibi maximus natu filius in ijs perficiendis, fidelem se nauaturum operam pollicetur. Idem promittit secundus. Tertius natu minimus cachinnum tollens, Non, inquit, vel terūcium post mortem tuam expendero. Cui cum pater grauiter succenseret, subiecit ille: Mi pater, dum vita tibi adhuc superstes est, tuis bonis & facultatibus diuinū cultum promoue, & pauperibus succurre, nec id vel mihi vel fratribus meis demanda. Nam vbi nos facultates obtinuerimus, priuatum potius lucrum & commodum, quam te mortuum, quisque amaturus est. Hæc altius animo secum perpendens pater, filij consilium secutus, statim auaritiæ & iniustitiæ vale dicens, pietati & misericordiæ erga pauperes studuit. Serm. 103.

Quidam cum iam in agone quasi mortis constitutus esset, multa in Monachos & Sacrificulos erogari præcipiebat. Quo mortuo, Monachis ea petentibus filius aiebat: Ex inferno nullæ deprecationes, nulla etiam opera vel merita damnatum hominem liberare possunt. Qui vero beatā in cœlis agit vitam, is nullis porro vel precibus vel meritis indiget. Cum ergo nihil patri meo defuncto preces vestrę commodare possint, nihil etiam temere de bonis meis vobis elargitus fuero. Serm. 103.

Meminit in Dialogo diuus Gregorius ciuis Romani, cui filiolus erat quinque annorum, qui cum singulis verbis execrationes & blasphemias immiscere assueseeret, nec parentes hanc pessimam eius consuetudinem compescerēt, accidit aliquando, vt cum pater vlnis puerum gestaret, puer subito alta voce clamaret, quinque atros, procerosque viros in se irruere, eaque verba, frustra eum patre, vt quiesceret, hortante & consolante, trepide recitaret, donec vi e patris manibus ereptus in minutas partes distraheretur. Serm. 123.

Iuuenis quidam cum ebrius e conuiuio domum versus tenderet, a patre obuio obiurgatur, quem filius ex ebrietate excæcatus, patrem esse non agnoscens interficit. Mater audito clamore accurrit trepida, a filio itidem ignaro occiditur, captus inter magnos terrores flagitiū suum deplorauit, pœnasq; meritas sustinuit. In Discip. de temp.

Quidam crapulæ, helluationi & aleæ deditus, totos dies in cauponis latitabat, filiumque puerum assidue secum eo adduxit, qui a teneris mores paternos imbibens nihil prius habuit, quam poculis aleæque indulgere, nummisq; destitutus, eos primum a patre, hinc a vicinis, mox ab alijs quibusuis suffurari cœpit. In furto deprehensum pecunia bis redimit pater, quo minus mortis supplicio afficeretur. Tertia vice captus, suspendijque damnatus, per omnia rogauit sacra, vt patrem sibi affari liceret. Pater accersitur, a quo plorabundus petijt, vt postremo osculandum se ei præberet. Pater cum eius volūtati acquiesceret, filius nasum ei mordicus abscidit. Ob quod facinus reprehensus, pater, inquit, huius meæ mortis auctor est, quod si me puerum commodius educasset, meamq; compescuisset malitiam, non ignominiosum hoc mihi ferendum modo esset supplicium. Serm. 16. de temp.

Solon, inquit, Si quis parentes non enutrierit, is ignobilis atq; obscurus

est.

est. Omnes sane eo sunt ingenio, vt sibi grandæuis omnia beneficiorum genera a liberis exhiberi vnice desiderent, quare & ipsi vicissim parentes suos obsequiis colent, beneficiisque vltro prosequentur, nec istius mores imitabuntur, qui cum parentem haberet, ex senectutis vitio bis puerum, & in mensa minus iam mundiciei studiosum, aqualiculum ei parari iubebat, ex quo in morem porci cibum mãducaret. Tener filiolus viso aqualiculo, ex patre quærit, quis vsus eius futurus sit? Respondet pater, quo paratum esse, vt ex eo cibum caperet. Ad quę filius: Cum ergo tu quoque ætatem talem attigeris, nosne itidem aqualiculum tibi comparabimus? Quibus auditis ille vehementer obstupefactus, aqualiculum abiecit. Georg. Lauterb. de discipl. Liberorum.

Anno sexagesimo supra sesquimillesimum, quidã Basileę patrẽ suum, virum honestum & opulentum, veneno, quod in Pharmacopolio comparârat, necauit, qui, vbi flagitium innotuit, asseri nudus alligatus est, & per ciuitatis plateas raptatus, quatuor vicibus candenti ferro punctus, hinc rotæ illigatus est, vbi cum per nouẽ horas grauissima sustinuisset tormenta, peccatũ suum agnoscens, & deplorans animam exhalauit. Casp. Hed. 4. part. Chron.

DE AMORE ET INDVLGENTIA *parentum erga liberos.*

NVllo arctiore vinculo homo homini iungitur, nullo minus solubili nexu, quam eo quo parentes liberis. Multa volumus Patriæ debere, multa parentibus, multa demum multis, sed filiorum causa omnia volumus, per ferrum, per flammas itur intrepide, si filiorum charitas postulet, nullius incolumitas homini suauior, nullum funus acerbius, magisque luctuosum. Vnum ex filiis amissum multos annos luxit Israel, nec prius diuturnum luctum absterfit, quam ex insperato repertus est. Cuius vrdẽ di studio patriam & domesticos lares reliquit, migrauitque cum tota domo in Ægyptum. 120. annos & amplius natus.

Dauid.

Deiecit Absolõ patrem Regio solio, deiectum hostiliter insectatus est: Cæterum prælio victum interfectumque media fuga tam dolenter fleuit pater, efflictimq; lamentatus est, vt fletus magnæ illi inuidiæ fuerit apud exercitum, maiori adhuc futurus, nisi amicorum admonitu lachrymis simulatum gaudium miscuisset.

Ægeus procul intuitus nauĩ, qua filius Theseus ex Creta victor vehebatur, quia nõ cãdida essent illi vela, siue cærulea, (vt alii memorant) quæ lætitiam & filii incolumitatẽ testarentur, sed funesta & atri coloris, quæ a principio fuere, Theseum periisse ratus, ex alta specula in subiectum sese pelagus præcipitauit. Sabell. lib. 3. cap. 4.

Flauius filiusque a Triumuiris proscripti fuerant, itaq; cum abire in Siciliam decreuissent, ad maritimam vrbis partem seorsim profecti sunt, vt minus suspecta eorũ profectio haberetur. Cum autẽ falso pater filium, qui anteceserat, accepisset, in Triumuirorum milites incidisse, & ab eis cæsum fuisse, ad ipsos milites vltro se contulit, atque ab eis vt interficeretur, impetrauit.

Gordianus senior Aphricę Proconsul, a Pœnis, atq; exercitu aduersus Maximinorum crudelitatem Imperator creatus, cum filium eodem, quo ipse nomine, contra Capellianum, Maximinorum Ducem misisset, accepisseq; victum eum, atque cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine clam se in cubiculo suspendit. Cam pofulg. lib. 5. cap. 7.

Matres in fluctus se coniiciunt.

Carthaginenses matres, quum tertio bello Punico, ex omni nobilitate lectissimi adolescentes obsides in Sicilia mitterentur, eos fletu & lamen-

tatione

tatione querula sunt ad naues vsq; comitatæ Tum ex his quædam a filiorum complexibus auulsæ, vbi oram solutam videre nauimque portu egredi, dolore stimulante in subiectos fluctus desiluere. Sabell.

Mopsus Cretensis.

Hannibale Sagunthum oppugnante, Mopsus Cretensis cum duos suos filios prælio cæsos esse comperisset, se ipsum de turri præcipitem dedit, filijs in morte comitem se addens. Silius lib. 2.

Iocasta, Creontis filia, vxor Laij, cum filios suos, Eteoclem & Polynicen mutuis vulnerib. cæsos perijsse cognouisset, se ipsam ex mœroris magnitudine interfecit. Stat. lib. 2.

Auctolia, Sinonis filia, & vxor Laertæ, cum falso nuncio intellexisset, Vlyssem Filium apud Troiam in bello decubuisse, impatientia mœroris vitam proiecit. Rauisius.

Anius, Thuscorum Rex filiam habuit Saliam nomine; quam cum rapuisset Catheus adolescens, iratus pater, in fluuiū Anienem, inde cognominatum, sese proiecit. Plutarch.

Euenus, Martis & Steropæ filius, cum stupratorē filiæ Marpissæ, Aphareti nomine, comprehendere non posset ad supplicium, coniecit se in Lycormam fluuium animi dolore. Plutarch.

Orodes, Rex Parthorum, vbi resciuit Pacorum filium in bello contra Ventidium perijsse, animi dolore versus est in rabiem. Ratisf.

Arantij vxor ob filij sui mortem seipsam interemit.

Proscriptus a Triumuiris Arantius, cum petere Siciliam statuisset, vxoris suasu filium ipsum quoque proscriptum præmisit, qui cum nauem conscendisset, atque aduersa tempestate actus, neque procedere posset, neq; retro ad terram reuerti, ita eum fato vrgente fame consumptus est: quod cum mater intellexisset, magis eam premente dolore, quia eius consilij ipsa auctor fuerat, haud multo post seipsam interemit. Campoful. li. 5. c. 7.

Matres gaudio extinctæ.

Multi bello Punico Secundo, Romanis legionibus ad Thrasimenum & Cannas cæsis, falso creditī sunt perijsse, eratq; nonnullorum vita iam temere deplorata, cum repente matribus oblati tantam lætitiæ molem illarum animis effudere, vt velut subita ruina oppressæ, inter oscula & complexus expirarint. Liuius.

Fabius Rutilianus quinq; Consulatibus summa cum gloria peractis, omnibusq; & virtutib. & vitæ meritis stipendijs, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile & periculosum conficiendum, grauatus non est, pene ipse per se duntaxat animo sine corpore militaturus, vtpote propter vltimam senectutem lectuli otio, quam labori prælioru habilior. Idem triumphantis currum equo insidens, sequi, quem ipse paruulū triumphis suis gestauerat, in maxima voluptate posuit: nec accessor glorioſæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.

Octauius Balbus proscriptus a Triumuiris, cum domo postico clam esset egressus, iamq; fugæ expeditum initium haberet: post quam intus filiū trucidari falso clamore vicinię accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit, occidendumq; militibus tradidit.

Antiochus nouercæ amore flagrans, in morbum incidit.

Seleuci Regis filius Antiochus nouercæ Stratonices infando amore correptus, memor quam improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat. Itaq; diuersi ijsdem viscerib. affectus, ac medulis incluſi, summa cupiditas & maxima verecundia, ad vltimam tabem corpus eius redegerunt. Iacebat ipse Antiochus in lectulo moribundo similis: lamentabantur necessarij, pater mœrore prostratus, de obitu vnici filij deque sua miserrima orbitate cogitabat: totius domus funebris magis quam regius, erat vultus. Sed hanc tristitiæ nubem Leptini Mathematici, vel vt quidam tradunt, Herasistrati Medici, prouidentia discussit. Qui cognitam morbi causam Seleuco expoſuit. Qui charissimam sibi coniugem filio suo cedere non dubitauit: quod in amorem incidisset, for-

tunæ

tunæ acceptum referens: quod dissimulare eum vsq; ad mortem paratus esset, ipsius pudori imputans.

Ariobarzanes filio suo Cappadocię Regno cessit in conspectu Cn. Pōpeii, cuius cum ipse tribunal conscendisset, inuitatusque ab eo curuli sella sedisset, postquam filium in cornu scribæ humiliorem fortuna sua locū obtinentem conspexit, non sustinuit infra se collocatum intueri: sed protinus sella descendit, & diadema in caput eius transtulit, hortariq; cœpit, vt eo transiret, vnde ipse surrexerat. Excidere lachrymæ iuueni, cohorruit corpus, delapsum diadema est. nec quo iussus erat, progredi potuit: quodque pene fidem veritatis excedit, lętus erat qui regnum deponebat: tristis cui dabatur: nec vllum finem tam egregium certamen habuisset, ni si patriæ voluntati autoritas Pompeii affuisset: Filium enim & Regem appellauit, & diadema sumere iussit, & in Curuli sella considere coegit. Valer. Max.

Ingens parentum moderatio aduersus liberos etiā peruersos sæpe animaduertitur, vt patet ex sequentibus exemplis ex Valer. Max. desumptis.

Lucius Gellius omnibus honoribus ad censuram vsq; defunctus, cum crimina grauissima de filio, in nouercam commissum stuprum, & parricidium cogitatum propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam procurrit continuo, sed pene vniuerso Senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit: Inspectaq; diligentissime causa absoluit eum tum consilij tum etiam sententia sua, quod si impetu iræ abstractus sæuire festinasset, admisisset magis scelus, quam vindicasset. *L. Gellius.*

Commendatur ibidem L. Hortensij erga filium comitas, qui cum nequitiam eius suspectam & inuisam haberet, eumq; exhæredare animum induceret, tamen moderate vsus affectibus se ipsum vicit, filiumq; omnibus paternæ humanitatis beneficiis prosecutus est.

Idem fecit clari generis magnæq; dignitatis vir Fuluius, sed in filio aliquantum tetriore. Nam cum auxilium Senatus implorasset, vt suspectus in parricidio, & ob id latens per Triumuirum conquireretur, ac iussu patrum C. comprehensus esset, non solum eum non notauit, sed etiam decedens, dominum omnium esse voluit.

Alius quidam ignotus cum a filio necti sibi insidias comperisset, nec in ducere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc sceleris progressū crederet, seductam vxorem suppliciter rogauit, ne se vltorius celaret, siue illum adolescentē subiecisset, siue ex alio concepisset. Assueratione deinde eius & iureiurando, se nihil tale debere suspicari persuasus in locum desertum filio perducto gladium, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec veneno, nec latrone ei ad peragēdum parricidium opus esse affirmans: quo facto, nō paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit. Continuoque abiecto gladio, tu vero, inquit, pater viue, & si tam obsequens es, vt hoc precari filio permittas, me quoque exupera. Sed tantum quæso, ne meus erga te amor eo sit vilior, quod a pœnitentia oritur. Valerius Max. libro quinto cap. nono.

Rhodius Diagoras tres filios adolescentes habuit, vnum Pugilem, alterum Pancratiasten, tertium Luctatorem. Eosq; omnes vidit vincere, coronariq; eodem Olympiæ die: & cum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suauiarentur, cumque populus gratulabundus flores vndiq; in eum iaceret, ibi in stadio, inspectante populo, in oculis atque manibus filiorum animam efflauit. Gellius libro 3. capite 15. *Pater gaudio mortuus.*

Galenus lib. 3. de accidenti & morbo, Quoniā, inquit, vis vitalis ex gau-

dio

dio egreditur ad partes corporis exteriores, ita corpus calore vegetabili destitutum extinguitur.

Aurelianus eo die quo Domitiani Imperatoris filiam in vxorem accepit, ad sonitum ioculatorum tandiu iocatus est, quousque Spiritum ibidē exhalauerit. Hæc testatur Hagiographia.

Sophocles & Dionysius Siciliæ tyrannus vterq; accepto tragicæ victoriæ nuncio, gaudibundi vitam efflauerunt. Plin. lib. 7. cap. 53.

Philemon risu moritur.

Philemonem vis risus immoderati abstulit. Paratas ei ficus, atq; in cōspectu positas asello consumente, puerum, vt illū abigeret, inclamauit. qui cum iam comestis omnib. superuenisset, Quoniam inquit, tu tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecuti, senile guttur salebris Spiritus prægrauauit. Val. Max.

Lacedæmonius Chilo immodica perijt lætitia, cum filium in cōplexu teneret Olympiæ coronatum. Rauis.

Cestutius eques Romanus, cum a Cæsare filium abdicare inberetur, quod is Tribunus plebis cum Marullo collega ei inuidiam monuisset regni affectati, Citius, inquit, Cæsar tu mihi omnes filios meos e tipies, quā ego ex his vnum nota pellam mea. Val. Max. lib. 5. Eras. in Apophth. lib. 6.

Agesilaus cum liberis suis ludit.

Agesilaus arundini insidens, equitauit cum filio suo adhuc infante, & cum quidam risisset, Nunc, inquit, tace: Cum vir & ipse pater euaseris, tunc etiam imitaberis patres. Ælian. lib. 12.

Socrates etiam aliquando deprehensus est ab Alcibiade, ludere cum Lamprocle adhuc infante.

Architas Tarentinus Reipubl. simul & Philosopiæ studio deditus, factus iam maritus, seruis abundans, maxime liberis eorum delectabatur, & cum seruorum filijs ludicra agitabat: plurimumque inter epulandum illorum præsentia delectari solebat. Ælian. lib. 12.

Infantes materno lacte nutriendi.

Philosophus Phauorinus eleganti oratione suadet nobili fœminę, vt liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret. Vide Gellium, lib. 12. cap. 1.

Cum peregrinos quosdam diuites Romæ forte vidisset Cęsar canum & simiarum catulos in gremijs circumferre, ijsq; sese oblectare, percōtatus est, ecquid apud ipsos mulieres liberos non parerent: digna me hercule principe vox, qua erroris admonuit eos, qui a natura inditos nobis affectus, quibus ad amorem hominum incitamur, in bestias absumerēt. Plutarchus in vita Periclis.

DE IRA ET SEVERITATE PARENTVM erga liberos.

SAulus, qui primus in Iudæa regnauit, cum Ionathas filius ingentē hostium fudisset exercitū, fusumq; Rex cum suis a tergo premeret, ac forte edictum esset, ne quis cibum caperet, nisi debellatum prius esset cum hoste, ipsum victorię auctorem filium, qui æstu & labore fessus, fauū mellis media hostium infectatione per obliuionem comedisset, ad supplicium arreptum capite damnauit, essetq; confestim pœna consecuta, nisi victor exercitus fortissimum iuuenem iam aræ admotum impensissimis precibus ab Rege impetrasset, vt & eum seruaret, per quem vniuersa gens eo die seruata esset. 1. Sam. cap. 14.

Herodes filiorum interfector.

Herodes Ascalonita, qui in pueros Bethlehemiticos, qui infra bimatū essent, sæuijt, filios suos Alexandrum & Aristobulum, egregios iuuenes falsis adductus suspicionibus laqueo suffocauit. quibus addit quartum Macrobius intra bimatum peremptum. Quam ob causam & immanitatē eius Augustus dixisse fertur, Melius est Herodis porcum esse, quam filiū.

Lauda-

Laudabilis inprimis est Berœensis præfecti seueritas, qui Imperatoris Iuliani indignationem incurrere maluit, quam filium, quem exauctorarat, eo quod a Christianorum fide defeciſſet, recipere. In Historia Tripart. Rex Thracum, cum Xerxes bellum in Græciam importaret, aufugit in montem Rhodopen. Sex vero suis filijs consulebat, vt ne contra Græciã arma caperent, ex quo manifestum est, eum Græcis bene cupiuisse: Verũ cum illi patri morem non gessissent, reuersis omnib. oculos eruit, nõ pręse ferens in hoc Græcum ingenium. Ælian. lib 5.

Berœensis præfectus in filium seuerus, & in Deum pius.

Barbara seueritas patrũ.

Manlius Torquatus filium securi percussit Latinõ bello, quod contra imperium in hostem dimicasset. Nec profuit iuueni, quod victor, quod hostilibus ornatus spolijs ad patrem rediisset. Valuit plus Imperii Maiestas apud patrem Manlium, militarisque disciplina, quam paterna pietas, aut filij strenuitas. Vide Liuium.

Summi iuris executiõ.

Posthumius Tiburtus, Dictator, Aulum Posthumium, quẽ ad generis penetralium q; sacrorum successionem propagandam genuerat, cuius infantiæ blandimenta sinu atq; osculis fouerat, quem puerum literis, iuuenem armis instruxerat, qui non eius iussu, sed sua sponte præsidio progressus, hostes fuderat, victorem securi feriri iussit. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Epaminondas cum Thebani exercitus aduersus Lacedæmonios Dux esset, & tempus eligendorum Magistratuum appeteret, id quod nisi præsente ipso (nam prætor erat) fieri non poterat, Thebas profectus est, Stesimbroto filio relicta exercitus cura, sub ea lege, ne cum hoste manum cõsereret. Filius autem plus hostium contumelijs motus (nam præ ignauia eum detrectare certamen increpabant) quam paterni Imperij memor, in aciem progressus, hostes penitus fudit. Itaque reuerso patri, cum se tanta victoria lætum obtulisset, ab eo primum, vt victor coronatus est, deinde statim, quia Imperium neglexerat, morte mulctatus est. De Bruti seueritate, vide titulum de Proditoribus patriæ.

Cum in quodam conuiuio Simonides adesset, aiunt Pausaniam Lacedæmonium, qui vna epulabatur, iussisse, vt aliquid e sapientiæ Præceptis deprompturn narraret: & Cæum illum arrisisse, atq; memento te hominem esse, dixisse. Id Pausanias tunc temporis non magnopere curauit, & nihili fecit, captus iam superbia, eo quod ad Medorum partes se applicuisset, & elatus ob hospitij ius, quod ei cum Rege intercedebat, forsitan etiã vino depulsus a sede rectę rationis. Paulo post conuictus proditionis, cum ephori eum deprehensuri, & in carcerem ducturi essent, fugit in templũ. Ibi cum audiuissent ephori ipsum fatentem crimen, inclusus fame perijt. Et mater Alcithea, cum muro fores obstruerentur, primum lapidem in ea obstructione locauit. In ista angustia constitutus Paulanias, verborum Simonidis recordatus. O Cæ hospes, inquit, magnum igitur quiddam oratio erat tua, sed præ amentia nihil esse ipse opinabar. Ælianus libro nono Thucydides primo.

Mater in filium Pausaniam seuera.

Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui nõ audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuijs. Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malũ de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat. Deuter. 21.

Homo quidam genere Mardus, nomine Rhacones, septem habebat liberos. Sed ex his omnium minimus natũ, nomine Cartones, Magos & sapientes multis damnis affligebat. Primum igitur eum pater instituere, erudire, & verbis reducere in viam tentabat. Verum cum ille non admitteret disciplinam, & quodam tempore vicini iudices eõ venirent, vbi sedes

Rhaconis in filium seueritas.

suas habebat adolescentis pater, ille comprehensum filium, & manibus in tergum reunctis ad iudices abduxit. Ibi quęcunq; vnquam per audaciam deliquisset, cum accusatione commemorauit, & a iudicibus postulauit, vt adolescentem ad mortem raperent. At illi animis consternati, suis sententijs eum condemnare noluerunt, sed vtrunq; ad Regem Artaxerxem adduxerunt. Mardo vero semper instante, & eadem contendente, excipiens Rex ait: Potisne es etiam ferre, vt filius in tuo conspectu vita priuetur? Qui respondit: Maxime. Quoniam cum in horto nascentium lactucarum luculos amaros defringo & amputo: tantum abest, vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, vt etiam magis efflorescat, item magnitudine & dulcedine plus augeatur. Ad eundem modum ego, o Rex, cum videro eũ, qui meam familiam lædit, & vitæ fratrum officit obstatq;, vitam amittere, & a suis in ipsos iniurijs prohiberi, etiam ipse amplificabor, & reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere conspiciam. Quibus auditis Artaxerxes, Rhaconem collaudauit, & in collegium Regiorum iudicum cooptauit, his verbis præsentes allocutus: Qui tam seueriter & iuste de proprijs liberis sententiam audet pronunciare, omnino etiam in alienis criminibus incorruptum & syncerum iudicem se præstabit: adolescentem vero præsenti culpa liberauit, grauissimam mortem interminatus, si præter antecedentia peccata in posterum simili in crimine deprehensus fuisset. Ælian. lib. 1.

Dioscorus filiam suam Barbaram, eo quod Christianam religionẽ amplexa esset, multis prius tormentis affectam truncauit.

Ptolemęus Euergetes a suis ob crudelitatem regno pulsus, filium, quem ex Cleopatra sorore susceperat, in Cypro occidit, eiusque caput & pedes matri pro munere natalitio remisit. Liuius.

Apteras Saturnus.

Apteras vetustissimus Græcorum Saturnus patrem castrauit, filios interemit, fratribus bella & ferrum intulit. Annius in Berosum.

Deiotarus cum multos suscepisset liberos, omnes, excepto tantum vno, iugulauit, vt qui superfuturus erat, potentior fieret, & maiestatis augustioris, Cœlius.

Tyberius Drusum & Germanicum ex fratre nepotes adoptauit, eosq; deinde veneno extinxit.

Fridericus Secundus filium suum Henricum, paternos amicos & socios hostiliter oppugnantem, ad se in Apuliam inuitatum comprehendit, atq; in carcerem condidit. In eo miserabiliter mortuus est. Nec post eam crudelitatem pater fortunam secundam expertus est, sed magno ad Parmam victus prælio thesauros suos, & in ijs Coronam Imperatoriam amisit. Deinde cum ardentissima febre ex propinato veneno correptus esset, Medicorumque diligentia vis veneni retusa aliquantum ac debilitata, spem de conualescentia præbuisset, Manfredus nothus ex Lombarda pellice filius iniecto in os puluino cum suffocasse fertur. lib. 5. Chron. Philip.

Hunni infantes suos sauciant.

Hunni, quæ gens est barbara, natos suos infantulos, antequam maternis adhibeant vberibus, sauciant, eorumq; faciem fœde lancinant, vt sic vna cum materno lacte immanitatem, & in sustinendis vulneribus ferociam imbibant. Ea porro faciei dilancinatio facit, vt & imberbes maneant, tantamq; præ se ferant truculentiam, vt vel solo aspectu hostibus terrorem incutiant.

Exempla seueritatis paternæ, ex Romana historia.

Sp. Cassius Romanus filium, qui Tribunus plebis Agrariam legem primus tulerat, multisque alijs rebus populariter animos hominum amore sui deuinctos tenebat, postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum & amicorum consilio affectati regni crimine domi damnauit, verberibusq; affectum, necari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit. Valer. Max.

Titus

Titus Manlius Torquatus, cum ad Senatū Macedonia de filio eius Decio Syllano, qui eam prouinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset, a P.C. petijt, ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum, filijq; sui causam inspexisset: summo deinde tum amplissimi ordinis, tum etiam eorum, qui questū venerant consensu, cognitione suscepta, domi consedit, solusq; vtriq; parti per biduum vacauit, ac tertio die plenissime diligentissimeq; auditis testibus, ita pronunciauit: Syllanum filium meū pecunias a socijs accepisse mihi probatum sit: & Repub. eum & domo mea indignum iudico, protinusque e conspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia percussus Syllanus, lucem vlterius intueri non sustinuit, suspendioq; se proxima nocte consumpsit.

Marcus Scaurus, lumen ac decus patriæ, cum apud Athesin flumen impetu Cymbrorum Romani equites pulsi deserto Consule Catulo, pauidi vrbem repeterent, consternationis eorum participi filio suo misit, qui diceret, se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, quam ipsū tam deformis fugæ reum visurum. Itaque si quid modo reliquum in pectore verecundiæ superesset, conspectum degenerati patris vitaturum: Recordatione enim iuuentæ suę, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernē dus esset filius, admonebatur: quo nuncio accepto, iuuenis coactus est fortius aduersus semetipsū gladio vti, quam aduersus hostes vsus fuerat. Valer. Max. lib. 5. cap. 8.

Aulus Fuluius vir Senatorij ordinis, filium ingenio, literis & forma florentem, quoniam in Catilinæ castra properabat, ex itinere retractum occidit, dicens: Ego te non Catilinæ aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genui. Valer. Max.

Mithridates sanguinolentus & crudelis in omnes fuit. Nam matrem, fratrem, & filios tres impuberes, & totidem filias interfecit. Tandem filius eius Pharnax, in eas eum redegit angustias, vt vxoribus & concubinis omnibus, filiabusq; venenum propinaret, ijsque extinctis & ipse venenū biberet, cumque minus illud esset efficax, propter antidota, quibus assueuerat, iugulum vltro Gallico militi feriendum præberet. *Mithridates tyrannus.*

Darius Rex Persarum, Ariobarsanem filium interfecit, quod is Alexādro promisisset, se patri insidiaturum & mortem intentaturum, Plutar. in Parall.

Artaxerxes Mnemon cognomento, Persarum Rex, Darium filium cum quinquaginta filijs interfecit, quod ab eis insidijs peteretur. Trog. lib. 10.

Hippones Athenienſium Princeps filiā Limonem in adulterio deprehensam, vna cum equo feroci conclusit, nec huic, nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam deuorauit. Hinc Hipponis impietas Prouerbio locum fecit, apud Diogenianum.

Eadem seueritate vsus Hippodamas, filiam Perimelen ab Acheloo stupratam præcipitauit in pelagus. Ouid. lib. 8. Met.

Orchamus filiam Leucothoam ab Apolline stupratam, viuam defodit. Auctor Domit. in Ibin. Ouid. 4. Met.

Cum inter complures Comites Ducatus Holsatiæ olim distributus esset, multitudo regētum effecit, vt dum quisq; suis rebus studuit, varijs grauaminibus subditi premerentur, Cumque prę alijs Comes Adolphus de Segenberg, subditis grauis esset, nobilibusque Holsatiæ infestus, ingens equestris ordinis odium aduersus se concitauit. Quare motus rei indignitate, vnus ex nobilibus, Harduicus de Reuentlow, eā Adolphi improbitatem vlcisci conatus est, præsertim cum videret Comitem Gebhardum a reliquis indigne desertū, magna pressū esse inopia, principatu interim dignissimum. Huic itaq; Adolphi bona, quippe qui ijs indignus esset, attribuere cogitabat. Quod vt citra tumultum perficeret, noctu paucis cōsilij

Probitas præpostera.

sui conscijs assumptis, per auia ad arcem Adolphi tendit, murisque superatis in cubile Comitis irrumpit, vt sese abiectis armis dederet, petens. Contra Adolphus tandiu arreptis armis sese tuetur, donec ab Harduico trucidaretur. Aderat autem Comiti filius ipsius Harduici adolescés, quem pater interfecto Comite, itidem interficit, ne si superstes maneret, proditionis reus iudicaretur. Quæ memorabilis sane patris erga filium fuit seueritas, dum ne forte in suspicionem proditionis incideret, eum manu sua occidit. Vide Crantz. lib. 8. Saxoniæ, cap. 39.

Carolus Caluus filium Carolomannum sacris destinatum, & iam initiatum, cum is vitæ religiosæ tædio, hac repudiata, sacrum ordinem bello ac direptionibus persequeretur, pater aliquoties frustra obiurgatum, tandem oculis priuauit, & in vincula coniecit. Chron. Philip. lib. 4.

Aristippus, incusante quodam, quod filium sic abijceret, negligeretq;, quasi ex ipso natus nō esset: An non, inquit, & pituitam & pediculos e nobis natos, velut inutiles procul a nobis abijcimus? Sensit eos non habendos pro filijs, qui nihil haberent, quo se parentum affectui commendent, nisi quod ab ipsis progeniti sint. Laert. lib. 2. & Erasm. Apoph. 3.

Irene filio Constantino, cum insolentius Imperium administraret, oculos eruit. Lib. 4. Chron.

Lacæna quædam filium, qui deserto in acie loco fugerat, vt patria indignum interemit, dicens: Haud meum est hoc germen. In quam hoc extat Epigramma:

Germen ineris, abeas ad tartara, reque perosus
Eurotæ ceruis nec det aquam timidis.
Ignauus catulus, mala sors, hinc vade sub orcum,
I, Sparta indignus, quem nec ego peperi.

Eristheues a matre inedia interfectus est, quod male in bello pugnasset. Rauis.

Damatria cum accepisset, filium ita se gerere in bello, vt tali matre videretur indignus, domum redeuntem interemit. Qua de re hoc fertur Epigramma:

Transgressum leges mater Damatria natum,
Ipsa Lacæna necat non Lacedæmonium.

Cum Chij exules venissent Spartam, multis nominibus incusabant Pedaretum. Eos mater Teleutia ad se accersit, ex his vbi cognouisset, quæ filio obijcerent, videreturq; filius in culpa esse, scripsit illi in hunc modum: Mater Pædarato, vt aut melius viueret, aut illic maneret, desperans, se Spartæ esse incolumem. Virago mortem minata est filio, ni mores corrigeret suos. In Apoph. Lacænarum.

CÆDES LIBERORVM, EX NOVERCARUM odio perpetratæ.

LYsimachus vnus ex Alexādri successoribus, Agathoclem filium suum, quem in successionem Regni ordinauerat, per quem multa bella prospere gesserat, non solum patrium, verum etiam humanum vltra morem perosus, ministra Arsyrice nouerca, veneno interfecit. Trogus, lib. 17.

Olympias, mater Alexandri Magni, Aridæum, fratrem Alexandri, cum vxore Eurydice interfecit, vt sibi regnum Macedoniæ vendicaret. Trogus, lib. 14.

Meminit & Plutarchus Nuceriæ cuiusdam, quæ ex nouercali odio priuignum Helium occidit.

Hippodamia, vxor Pelopis, cū Chrysippo priuigno suo, quem ex Danaide puella susceperat Pelops, inprimis propēsum esse patrem Pelopem ani-

maduerteret, ad illius cædem incitauit filios suos Atreum & Thyestem, impiasq; manus cruor eius contaminauit.

Ino Athamantis vxor, cum capitali odio priuignos suos, Phryxũ & Hellẽ, insectaretur, insidijs rẽ aggressa, apud agricolas effecit, vt semina prius tosta sererent. Vnde cum agrorũ sequeretur sterilitas, famesq; Cadmæam terram premeret: Rex missis ad Apollinem Legatis, calamitatis vrgentis & causam & auerruncationem sciscitabatur. Ibi Legatis persuasit iniqua fœmina, vt Apollinem responsisse constanter affirmarent, sanguine Phryxi & Helles Deos placandos esse. Qui rumor vbi emanauit, vno ore eos sacrificari postulãt, vt placato numine a graui calamitate terra liberaretur. Pater in postulata populi consentire coactus, clam liberos, vt fuga salutem quærerent, admonet. In fuga, filia Helle fluctibus submersa perijt. Phryxus incolumis Colchos delatus est. Hanc mulieris impietatem grauis excepit Nemesis. Athamas furore correptus, filium Inus paruulũ Læarchum parieti illisum interfecit. Mater Ino furorem mariti fugiens, altero filio Melicerta trepide arrepto, cum eo ex scopulo in fluctus marinos se dedit præcipitem. Vide Bocat. lib. 13. cap. 67.

Constantinus, Heraclij filius, cum vnum regnasset annum, veneno perijt, a Martina nouerca, eademque sorore patrueli temperato. Martina autem cum filio Heraclona Imperium sibi vendicans, ob Constantini parricidium Senatui inuisa, per seditionem Regio solio auulsa est, ipsaq; lingua execta, & Heraclonas decennis adhuc, naso præciso a Senatu, relegantur. Zon. Tom. 3.

Phædram Hippolyti nouercam furiæ Veneris vsque adeo torruerunt, vt spiritũ laqueo sibi interceperit, quod priuigni (cuius amore æstuabat impatienter, pruriebatque) concubitum non posset exorare. Moriens tamen scelerata mulier, literas reliquit, quibus Hippolytum stupri accusabat, sequę mortis vocabat auctorem. Hoc vbi resciuit Hippolytus, statim metu patris Thesei propere aufugit, & in fuga discerptus est ab equis.

Fausta, Constantini Magni vxor, Crispum Constantini ex concubina filium natu maximum, cum ad concubitum pellicere nequiuisset, apud patrem detulit, vt a quo adamaretur, sua pudicitia sæpe solicitata. Ob id crimen capitis damnat Crispum pater, coniugi obsecutus. Sed deinde veritate cognita, de ipsa quoque cum ob impudicitiam, tum propter filij cędem pœnas sumit. Nam in balneum vehementer calefactum introducta, æstu præfocatur. Zon. 3. annal. Sext. Aurel.

PARENTES QVI LIBEROS *suos deuorarunt.*

IN obsidione Samariæ, matres duæ ob inediam filios suos mactant, coctosq; comedunt. 4. Reg. 6. cap.

In obsidione Hierosolymitana, mulier quædã ex accolis, qui trans Iordanem habitabant, nomine Maria, generis & diuitiarum amplitudine illustris, vna cum reliqua hominum multitudine Hierosolymam salutis & vitæ tuendæ causa profugiens, eadem cum illis obsidione premebatur, quæ cum satellitum, in dies singulos, in ædes eius irruentium, & quicquid aderat cibi auferentium, magnam perpessa esset & iniuriam & contumeliam, tandem intolerabili pressa fame, eos in suam ipsius cædem & perniciem lacessiuit. Quod cum frustra sæpius faceret, arrepto in manus filio, infans, inquit, misselle, & infœlix, cuinam in hoc belli, famis, & seditionis tumultu, te commode reseruem? Si Romanorum subijciamur imperio, illic seruitutis iugo pressi, vitam infœliciter exigemus. Sed seruitutem, credo, fames anteuerter. Accedit factiosorum prædonum turba, his vtrisque

miserijs toleratu multo aspetior. Age igitur, mi gnate, sis matri cibus, sis prædonibus furia, sis communi hominum vitæ fabula: quæ res vna ad iudæorum calamitates deesse videtur. Quæ cum dixisset, gnatum trucidat. Quem vbi assaquerat, dimidiatam partem ipsa comedit, reliquam clam occultatam reponit in posterum. Paulo post aduentant prædones, atque infandum carnium nidorem naribus attrahentes, minabantur se eam, si nõ statim cibum, quem paratum habebat, ipsis ostenderet, extemplo mactaturos. Tum illa partem, inquit, præstantissimam vobis seruaui. Deinde reliquias prolis suæ interemptæ eis ostendit, Meus est, inquiens, germanus hic filius, meum quidem hoc facinus. Comedite modo, ego enim ipsa comedi, ne sitis mulierę effœminatiores. Quibus illi auditis metu contremiscentes abiere. Qui quidem hac vna re perterriti, ægre illud detestabile, & immane alimenti genus matri integrum concesserunt. Euseb. libro 3. cap. 6.

Calagurium, vrbs est Hisp. Quintiliani patria, cuius incolæ a Cn. Pompeio obsessi, vt fidem Sertorio præstarent, in tantam famem durauerunt, vt vxores suas ac liberos, in vsum extremę dapis conuerterent, quum nullum aliud animal in vrbe superesset. Valer. lib. 7. cap. 6.

Cimbricarum mulierum in postremo conflictu tanta in se & suos fuit fæuitia, vt nigris indutæ vestibus supra carros stantes, fugientes suos, maritos aliæ, fratres aliæ aut patres cæderent, infantium q3 fauces manibus elidentes, mortuos sub rotas & pedes iumentorum proijcerent, seq; deinde ipsæ iugularent. Quandam ferunt de summo temone, vtrinque laqueo appensis ad imos pedes infantibus pependisse. Plutar. in vita Marij.

Anno octingentesimo, nonagesimo octauo, magna fames homines se inuicem comedere persuasit. Abb. & Func.

Gothis, Italiam sub Totila deuastantibus, fœmina obscuri nominis, filij a se interfecti carnes esitauit. Rauis. & Sabell.

Placentia, a Gothis obsessa, tam graui fame afflicta est, vt humanis vesci carnibus inciperent, qua necessitate coacti, Totilæ se dediderunt. Procop. & Func. anno Christi 547.

Romæ etiam, obsidente eam Totila ferme per biennium, tanta fames fuit, vt pater, qui multos filios habuerat, spectantibus multis sese de ponte in Tybrim præcipitauerit, iubens filios petentes cibum se sequi. Milites igitur Isaurici portam Asinariam Totilæ patefecerunt. Lib. 3. Chron. Philip.

Anno 851. fames tam valida Germaniam attriuit, vt etiã pater filium suum deuorare voluerit. Qui cum relicta Rheni ora in Thuringiam cum vxore & filiolo tenderet, se faciliorem victus rationem ibi inuenturum sperans, in itinere, extrema vrgente fame, strictum tandem cultrum, frustra renitẽte vxore, filij iugulo admouet, & duos ecce lupos e nemore procurrentes, ceruumq; prostratum discerpentes, subito prospicit. Retracta itaq; a pueri iugulo manu, lupos insectatur, prædaq; ipsis erepta, crudis carnibus acerbissimam famem sistit. Sigeb. Spec. Vincen. lib. 25. cap. 36. Mutius, Chron. Hirs. Naucl.

Post mortem Henrici Septimi (qui nefarie necatus fuit veneno per infectum panem sacrum Beneconuenti) fames per triennium continuata, ad mutuam mactationem, præsertim in Bohemia & Polonia compulit. Infelices parentes liberos, liberi parentes mactatos deuorabant, multi cadauera crucibus detracta ad sedandam diram famem suffurati sunt, nec telis vel armis agricolæ luporum insultum, quo minus præda & esca ipsis essent, arcere potuerunt. in Chro. Polon.

DE

DE PARENTIBVS DIRA LIBERIS imprecantibus.

PEssima consuetudo est parentũ, liberis per indignationẽ dira imprecantium. Ipsa enim testatur experientia, execrationes istas non esse irritas.

Nostra accidit memoria Neoburgi, vt mater filio suo dirum imprecans exitium, irata in hæc verba prorumperet: Vade, faxit Deus, vt viuus ad me nunquam reuertaris. Eodem die adolescens frigidas ingressus aquas, submersus est. Sic quotidianis edocti exemplis videmus, alios lapsu perire, alios in conflictu ex rixis orto interfici. Scilicet punit æternus Deus diras istas imprecationes, nec semper irritas eas esse patitur. Quod si tutelæ Diuinæ liberos suos cõmendarent parentes, istæ quoq; eorum preces exaudirentur, & ex diuina protectione liberi conseruarentur: cum autem ex impia consuetudine meras execrationes euomant, Deus impietatem istã punit, & execrationes istas suum quoq; habere effectum permittit.

Cæsareæ in Cappadocia fœmina, & genere & diuitiis illustris, cum numerosam haberet prolem, septem filios, & tres filias, horrendas ex indignatione in eos execrationes euomuit, protinusq; diuina se exeruit vindicta. Nam omnes simul toto corpore, horrore & tremore concussi, grauem imprecationis pœnam miseri sustinuere, matriq; horrendum & triste diuinæ vindictæ exemplum & spectaculum præbuere. Discip. de temp. Serm. 14.

Nec minus triste & horrendum exemplum refert Cæsarius de parentibus, qui cum frequenter filio suo imprecarentur, vt a diabolo auferatur, tandem filius eorũ a Satana arreptus & abductus est, nec vnquam eorum oculis redditus. Serm. 24.

VVitebergam adducebat mater filiam, ab immundo Spiritu obsessam, affirmans, se filiæ iratam, vt Satanas in eam inuolaret, imprecatam esse, idque factum esse e continenti, quod palam multis audientibus confirebatur. Cumque publice preces ad Deum pro ea funderentur, & ipse Lutherus, piæ memoriæ, verba diui Iudæ vsurpans, ad Spiritum malignum diceret: Increpet te Deus: Ille ex puella respondens, idem verbum submurmurando, Increpet, increpet, inquiens, repetebat, vt facile cuiuis pateret, vere eam a diabolo obsessam esse.

In celebri quodam Misniæ oppido accidit, vt bilioſus pater, cum filius in expediẽdo negotio esset tardior, ei dira imprecatus diceret: Faxit Deus, vt nunquam inde pedem dimoueas. Dictum, factum, filius eodem momento affixus in isto loco, in quo erat, stetit, nec vlla vi inde auelli potuit, cumque nec corpus inclinare ad sedendum posset, noctu tergo eius oppositum, cui innitens commodius quiesceret. In quo statu per integrum mansit triẽnium, quo elapso per quotidianas fidelium preces pœna ei mitigata est, sic vt corpus reclinare posset. Sedendo itaque insumpsit quadriennium, ore admodum macilento, cibi sermonisque parcus. Interrogatus, quomodo res suæ se haberent, hoc plerunque dedit responsi, se a Domino castigari, & penes Deum misericordem esse, quem res suæ habituræ essent exitum. Nec tamẽ se quicquam de animæ salute per Christum parta dubitare. Elapso demum septennio, in vera confessione, & fide in Christum mortuus est, 11. Septemb. anno quinquagesimo secundo, supra sesquimillesimum.

Vidimus ipsi annis abhinc non ita multis, quendam & corpore afflictum, & facultatibus paternis exutum, miserãdam egisse vitam, ingruentibus in eum execrationibus patris, qui paulo ante mortem eum deuouerat, aduersam ei fortunam in omnibus rebus, omniq; vita imprecans.

Fertur, matrem quandam, cum filium haberet contumacem, in genua prouolutam, orasse Deum, vt filiũ sacer ignis corriperet. Preces antequam

finitæ essent, exaudiebantur, filiusq; toto ardens corpore, triduo post extinctus est. Quare parentes non erunt procliues ad imprecandum malà liberis, nec liberi sua contumacia parentes offendent, eosque ad imprecationes incitabunt.

Contumacis filij improbitati cum succenseret mater quædã, in genua coram Christi crucifixi imagine prouoluta esse dicitur, filioque his verbis exitium imprecata Precor Iesu Christe, cuius simulachrum intueor, vt sacro igne filij mei corpus inflammes. quæ preces nequaquam fuerunt irritæ. Filius siquidem toto inflammatus corpore: O mater, exclamat, preces tuæ exauditæ sunt, triduique dolores perpessus miseranda morte extinctus est.

Meminit diuus Augustinus matris, quæ septem liberis dira cum imprecata esset, illi toto trementes corpore per diuersas mundi regiones circũuagati, tãdem in templo ad S. Stephanum a pœna ista liberati sunt. Quos diuus Augustinus seipsum vidisse testatur.

Mediolani contumax & impius filius, porrectis digitis, oreq; oblique intorto, contumeliose matrem irridebat. Mater grauiter filio succensens, Vtinam, inquit, in mala cruce os sic intorqueas. Diebus parum multis elapsis, filius iste in furto deprehensus, crucis supplicio damnatur, vbi cum per scalas subueheretur à carnifice, visus est pari modo, quo matrem irriserat, os suum intorquere.

DE ODIO DIABOLI ERGA PARENTES & liberos.

QVantum Satanæ aduersus parentes & liberos sit odium, sequentes ostendunt historiæ, quas ideo subnectere visum est, vt eo maiori cura & assiduitate diuinum aduersus Satanæ furores & malitiã imploremus auxilium.

1. In Marchia improba quædam mater, furijs agitata diabolicis, maritũ suum vnà cum duobus filijs interfecit, & cadauera suspensis de collo eorum prægrandibus saxis in flumen Oderam proiecit.

2. Anno tricesimo sexto, supra sesquimillesimũ, in pago Silesiæ Rutzendorff, mulier quædam Satanico furore plena, ternos liberos, absente marito, portẽtola crudelitate interfecit, deide sibi ipsi quoq; manus intulit.

3. In noua Marchia, cum mater quædam infantulum lauans, puerum cultro se læsisse, matrisque auxilium moribundum implorare audiret, trepide ad puerum accurrit, non habita ratione infantis, qui in labro interim suffocatur. Spectaculo huic maritus interueniens, statim conspectã coniugem pugione confodit, eius enim socordia periisse infantem arbitrabatur. Cognoscens postea causam, cur ab infante coniunx discessisset, seipsum strangulauit. Ex Colloq. Luth.

4. Anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo, in pago quodã nõ procul ab Anneberga, rusticus mactans vitulum, liberos tenellæ adhuc ætatis, mactationis spectatores habuit. Breui post, patre digresso, ipsa quoq; mater suis intenta laboribus, domo egressa est, relictis intra ædes liberis, & infantulo in cunis sopito. Pueri itaq; more suo ludentes, facinus oẽs Tragœdiarum calamitates superans committunt, cultro siquidem arrepto iugulum infantulo dissecuere, haud dubie gratulabũdi interim cantantes: Et nos quoq; vitulum mactabimus. Mox vbi sanguine emisso infantulum videre mortuum, terror eos inuasit. pauidi itaque disquirentes latebras, tandẽ in fornacem prorepsere. Interim mater nihil mali suspicata, domum reuertitur, & prius, quam hypocaustum intret, stipularij manipuli incensum in fornacem coniicit, simulque hypocaustum ingredi-

tur

turibi miserandam conspicata infantuli cædem, territa, cum fœmineo vlulatu extra ædes prouolat, vicini trepidę aduolant, causam tantę eius perturbationis inquirunt. Eos illa in hypocaustum introducit, infantulum mactatum monstrat, quem dum cunis & fascijs euoluunt, mater reliquorum liberorum præsentiam desiderat, quos dum anxie omnes disquirũt, tandem eos in fornace fumo iam necatos offendunt. Iob. Fincelius, lib. 2. de Miraculis.

5. Anno quinquagesimo primo, supra sesquimillesimum, non procul ab Eschuegia, quod Hassiæ est oppidum, in pago Weidenhausen/ Nouembris vicesimo, fœmina quædam immanibus cœptis effera, vndique ædes suas firmiter obserauit, hinc liberos suos, quorum erant quatuor, trucidare aggressa est. Arrepta itaque acuminata ascia, filium primogenitum, annos natum octo, insequitur, qui in cellam fugiens post vastum latebat dolium. Mater accenso lumine omnes perscrutatur cellæ angulos, puer matrem accedentem conspicatus, sublatis manibus, miserandoque eiulatu matris sæuitiam deprecatur, sed nihil illa nec lachrymas nec preces curãs, caput pueri fortiter diffindit, brachiaque eius minutatim dissecat. Qua cæde perpetrata è cella prouolat, arreptamque filiolam quinquennem pari immanitate trucidat, capite, brachiis, & pectore dissectis. Post ianuam latebat puellus triennis, quem vbi furibunda aspexit, arreptum crinibus, in mediam aream protraxit, caput ei amputans. In cunis iacebat infantulus sex menses natus, qui vel ploratu suo animum matris molliret, eum è cunis extractum, extra hypocaustum in aream mediam abiicit, & simili immanitate capite truncat. Tot perpetratis cædibus cultro arrepto gulam sibi ipsi transfigit, quo tamen ictu statim non extincta est. Interim vicini miserando ploratu & clamore audito, vi in ædes irrumpunt, facinusque illud atrocissimum attoniti & horrore obstupescentes intuentur. Mulier ad se ipsam rediens, per nouem adhuc dies superstes, in peccati agnitione, & fide in Christum mortua est. Fincel. lib. 1.

6. Anno quinquagesimo supra sesquimillesimum, in superiore Alsatia quidam Adamus Steckmannus, qui pro mercede vineas colens victum quærebat, cum mercedem ab hero acceptam alea insumpsisset, in magnã animi ægritudinem, tandem etiam, accedentibus capitis doloribus, in desperationem incidit. In festo Paschatis, neglecta religionis cura, vxor eius, assumpto filio natu maximo, vineam consuetis laboribus intẽta ingreditur, reliquorum liberorum curam marito demandat, qui cum solus indulgeret cogitationibus, victus cura desperabundus angitur, eoque anxietatis adigitur, vt de morte sibi inferenda cogitare inciperet. Arrepta itaque securi, locum circumspicit, in quem clauum infigat, de quo se suspẽderet, cumque nusquam commoditas se ei offerret, interim filiam septennẽ obuiam habet, cui quærenti, cur per ædes irrequietus discurrat, nihil respondit, sed tacitus in conclaue irrumpit, insequitur eum minor natu filiolus panem à patre petens, cui pater, Affer cultrum, inquit, & quod petis dabo. Protinus filia maior natu accurrens, cultrum ei porrigit, quo ille accepto liberos omnes interficit, primo ipsam puellam, hinc filiolum, denique infantem in cunis cubantem. Mox domum reuersa vxor tam immanem cõspicata cædem, exanimata concidit, parricida comprehensus, ignita forcipe ter notatus, hinc rotæ innexus est. Finc. lib. 2.

7. Anno quinquagesimo quinto, supra sesquimillesimum, quidam prope Aldendorffium Hassiæ, metis parum compos, cum ab vxore cibum flagitaret, nec eam, quæ alijs rebus occupata esset, protinus expeditam videret, infantulo in cunis dormienti femur præcidit, idque matri porrigens, Cape, inquit, hunc armum, & assa. Caspar Goldtwurm/ de Miraculis.

8. Eodem anno Budingę, in Comitum Isenbergensium diœcesi, mulier

partui vicina cum à marito suo comiter peteret, vt quas parturiēti sibi adesse vellet humaniter inuitaret, ille vxorem conuitijs adortus à se repulit, & tandem pugione confodit, infantulum simul in vtero materno interficiens. Ibid.

9. Anno 1557. vicesimo quinto Nouembris, Halberstadij, Georgij Wederingo vxor, nata annos 24. pietatis inprimis studiosa, cum filiam enixa esset, quæ sacro Baptismatis fonte tingebatur vicesimo sexto Nouembris, ea nocte, quæ festo Conceptionis Mariæ dicata est, in lecto disparuit: Ancilla eiulantem audiens infantem, heram alto somno pressam esse existimans, lectum accedit, eam excitatura. Quam absentem mirata, protinus herum excitat, qui territus, in omnibus latebris & angulis coniugem disquirit, infantulum fasciis inuolutum vlnis simul gestans, altaque voce frustra eam inclamat, cumque vndique omnia niue essent obtecta, nusquam apparebant vestigia, quæ eam domo egressam esse proderent. Tandem etiam in cellam descendunt, sed nec ibi eam inueniunt, interim in puteo cellæ vicino moueri quidpiam audiunt, sed quidvis potius quam ibi puerperam latere cogitabant. Anxius itaque maritus vicinos excitat, quid cū vxore sua puerpera accidisset cum gemitu & lachrymis exponit. Interea in vicini domo per hortum accedere quempiam, foresque pulsare audiunt, quibus apertis, prodit frigore ferme enecta puerpera, queritur in imo puteo se iacuisse, cuius rei etiam indicium faciebant vestes, quib. cooperta erat, humefactæ. Interrogata quomodo in puteū delata esset, cum is tectus & probe munitus esset, & vnicum tantum idque peranguſtum foramen in latere pateret, ipsamet rationem reddere non poterat, nec qua ratione id accidisset, vlli hominum constabat. Cumque per aliquot dies grauissimis doloribus conflictata esset, meliuscule demum habere cœpit, sic vt quarta decima Decembris è lecto surgens, infantulum ipsa fouere, mensæque accumberet, cumq; cereuisiam allatum ancillā ablegasset, ipsa interim in lectum se reclinans sopitur. Reuersa ancilla heræ placide sopitæ gratulata cunas accedit, quas non sine terrore vacuas offendit. Trepide itaque ad puteum cuius ei statim in mentem veniebat, procurrit, infantulum in aquis hærentem attonita videt, quem inde duo Senatorij ordinis viri, præsente verbi ministro Conrado Perca exemere. Mater interim quasi animę passa deliquium, immobilis iacuit. Tandem post preces ad Deum fusas, cum ad se reuersa esset, Cur, inquit, me ex somno excitastis? Quæ in summo constituta gaudio, Saluatorem meum vidi, & Angelos audiui. Cumq; per quatuor deinde horas quieuisset, infantuli sui recordatur, quem cum ad se receptura esset, nec præsentē videret, nec quorsum ablatus esset, exploratum haberet, quantis tum doloribus animique perturbationibus circunsepta fuerit, id facilius quiuis cogitationibus, quam verbis consequi poterit. Iob. Fincel. prolixe historiam hanc describit, lib. 2. de Miraculis.

DE CVSTODIA ANGELORVM CIRCA liberos & parentes.

EXpositis aliquot malitię Satanę exemplis, pauca etiam subiicere visum est diuinæ bonitatis & gratiæ, quæ præsto est pijs parentibus & liberis, eosque sanctorum Angelorum ministerio, aduersus Satanæ malitiam & furores clementer protegit & tuetur.

1. In oppido Silesiæ Olsse, anno tricesimo quinto, supra sesquimillesimum, atrocissima insolenti prorsus & inaudito furore sæuiente tempestate, omniaq; ædificia, tam tignis constructa robustissimis, quam lapidibus compacta solidis, partim concutiente, partim funditus euertente ac pro-

sternente: Ciuis quidam Laurentius Thopharoske, ædes habens foro vicinas, cum iam extremum instare diem certo crederet, igneis flammis de cœlo volantibus, cum vxore sua & liberis in genua procidens, ex intimo cordis motu preces ad Deum fudit, sacrosque Hymnos & Psalmos magno pietatis affectu decantauit, interim fremebunda tempestas horrendo & immani impetu superiorē domus partem lapideam vniuersam vna cū tecto aulasam comminuit, neq; tamen vllum vel ipsi patrifamilias, vel eius coniugi aut liberis damnum intulit. Præterea Curiæ partem eminentiorem lapidibus ante secula aliquot firmissime compactam, ferreisque retinaculis probe munitam horribili motu deiecit, & quinque personas in vicinis ædibus misere contudit. Tres autem personę cum infantulo in cunis cubante in eodem loco, sub eodem lapsu diuinitus conseruatæ sunt, cumque deinceps ex infante isto quæreret, quid ei in ruina ista accidisset, digito cœlum monstrare solebat. Iob. Fincel. lib. 1. Et Ambrosius Moibanus, in expositione Psalmi 29.

3. Nec minus atrox fuit tempestas illa, quæ in Misnia tertia decima Augusti, anno quinquagesimo nono, supra sesquimillesimū grassata est. Qua horribiliter sæuiente, magnoq; cum fragore per aërem reboante, & obuia quæuis prosternente, mater quædam cum quatuor suis filijs & ancilla propere ad hypocaustum se recepere, ibique angulum occupantes angustum, scammo innixi mortem expectarunt. Mater ad liberos conuersa, Sæpe, inquit, extremi diei mentionem fieri audiuimus, quem tum despeximus, iam ingruentem cernimus, & simul his dictis ad Deum omnes vno ore ex toto corde preces fundunt. Interim violentissimus ventus, tectum ædibus diripit, murumque lapideum ædium latus munientem horribili ruina prosternit, ipsius quoq; hypocausti omnia latera, postes, liminaria, trabes, laquearia conuellit, horrendoque cum fragore hinc inde disijcit. Quantacunque autem procellarum erat rabies, mater tamen cum suis liberis in angulo isto, quāuis circumquaq; trabibus, tignis, asseribus, saxisque volantibus, illæsa perstitit. Quod ægre ferens humani ille generis hostis trabem validam & prægrandem duodecim cubitos longam, per passus viginti quatuor vehementi turbine, veluti sagittam per aëra volantē, per hypocausti fenestram impellit, metam quasi præfigens matrem cum liberis scamno incumbentes. Sed homicidæ istius Satanæ conatum sancti Angeli reprimunt, trabemq; in oppositum angulum fornaci vicinum, detorquent. Eadem sæuiente tempestate domus agricolæ cuiusdam collapsa, ipsum patremfamilias cum vxore, & alio quodā amico contegit: illi autem in ruina ista, quamuis trabibus limoque obruti, diuino tamen Angelorum auxilio incolumes inde emersere. Fincel. lib. 3.

3. Ioannes Spangenbergius, pastor Northusanus, conferens se cum filiis suis in balneum, aliquot horas lauando consumpsit. Egresso è balneo cum filijs statim hypocaustum corruit. Testatus est pater cœlestis, nos illi curæ esse, & vere Angelos esse custodes nostrorum liberorum, parentum, cognatorum: & omnes nostras facultates per suos ministros tueri & protegere. Philip. Melanchthon, in Collect. Manlij, lib. 2. Plura exēpla in tertio Præcepto sunt exposita.

DE EDVCATIONE, INSTITVTIONE & doctrina liberorum.

QVemadmodum parentibus incumbit, vt liberos suos honestis artibus vel ipsi erudiant, vel erudiri curent: sic vicissim liberi parentibus obedientiam debent. Qua de re tam parentes quam liberi subiecta obseruent exempla.

Satanas cõplures pueros & puellas in Saxonia auehit.

1. Annis abhinc ferme ducentis, in Saxoniæ oppido Hammel/ Satanas humana assumpta specie, per vicos ciuitatis circumuagatus res ludicras exercens, multos tam pueros quam puellas ad se pellexit, quos cum extra ciuitatis portas in montem proximum abduxisset, vna cum ijs disparuit. Quod cum per puellam, quæ à longinquo secuta fuerat, ciuibus significatum esset, magna cura in fluuiorum ostijs, portubus, totaq; regione liberos suos inquisiuere, sed nemini vnquã scire licuit, quonam abducti fuissent. Quæ historia in Annalib. præmemoratæ ciuitatis annotata & descripta, à multis præclaris viris est lecta. Est sane exemplum hoc memorabile & horrendum, monens parentes, vt liberos sedulo curent, eosque à rebus ludicris auocatos in Scholis informari magna diligentia efficiant. Fincel. lib. 1. de Miraculis.

2. Martinus Lutherus adolescentem formæ speciosæ, & optimæ indolis, sed moribus parum decentibus conspicatus, indulgentiam qua pueri corrumpuntur, deplorabat, Magna inquiens, Abrahami est gloria, qua Genes. 18. æternus Deus eum ornat, vbi eum ita laudat: Num potero celare Abrahamum? Scio enim quod præcepturus sit filijs suis domi suæ. O quã pauci reperiuntur parentes, qui tali possint elogio exornari? Idcirco mundus est adeo peruersus & malignus. Quæ Abrahami commendatio omnib. exemplo esse debebat, vt & ipsi liberos suos in timore & agnitione Dei informarẽt, eoq; pacto gratiam apud æternũ Deum sibi conciliarent.

3. Athanasius puer adhuc à pueris in littore colludentibus, Episcopus ludiq; Princeps creabatur, puerosq; ritu Episcoporum baptizabat, alios Diaconos, alios Presbyteros constituens. Quod cum Alexander Episcopus Alexandrinus vidisset, accersitos eius parentes hortatus est, vt ad Ecclesiæ ministeria puerum educarent, vti in eo munere vitam transigeret, quod imitatione adumbrasset. Quod & factum ita est. Nam præclare educatus, summam eruditionem pietati coniunxit, & in Episcopatu Alexandro succedens, Christianæ veritatis propugnator fuit admodum strenuus magnoq; spiritu aduersariorum insidias & blasphemiam repressit. Sozom. lib. 2. cap. 16.

4. Origenis supra etiam facta est mẽtio, qui puer in eliciendo sacrarum literarum recondito sensu patri suo Leonidæ multum sæpe facessebat negocij, sic vt ei necesse esset, filij impetum in discendo nonnihil inhibere. Cumq; innumeri coronis decorarentur martyrij, tantus amor, tantaque martyrij cupiditas animum eius occupauit, vt prope vltro se offerret periculis. Cumque patrem Leonidem comprehensum carcere teneri intellexisset, vltro ad tribunal pergere constituerat, & vna cum patre Martyrium subire. Verum hunc eius impetum mater inhibuit, omni eius vestitu clam ablato, & in intetiores qnosdam ædium recessus abdito. Quæ res domi eum manere necessario coegit. Ad patrem itaque, vbi aliud nihil agere liceret, literas, quibus illum ad Martyrium impelleret, misit. Eusebius lib. 6. capite 2.

Gregorius Magnus Romanorum electus Episcopus, anno Christi 591. Episcopatum obtinuit annos 14.

5. Gregorius, in pago Siciliæ, non procul ab Agrigẽto natus, octauo ætatis suæ anno à Damiano Grammatico literis imbutus, tanta fœlicitate progressus in earum fuit studio, vt 14. ætatis anno Clericorum collegio cooptaretur, hinc à Macario Episcopo Hierosolymitano Diaconus crearetur, tandem Romæ ei Episcopatus Ecclesiæ Agrigentinæ committeretur. Metaphrastes in vita eius.

6. Imperator Theodosius liberis suis virtutis Magistrum præficere volens, Arsenio eos commisit, morens illum, ne quem ex Imperij sublimita te conciperet metum, sed illis potius vt seruis vteretur. Cumque aliquando derepente Imperator ad eos ingressus esset, pueros quidem cũ splendore magnifico considentes, Arsenium autem inter docendum eis astan-

tem

tem reperit. Qua de causa Imperator indignatus, cum illos insignibus principalibus nudauit, tum sempiterna memoria dignum, & vere Imperiale illud verbum est prolocutus: Si tales se præbituri essent, vt mores vitamq; suam ad disciplinam & leges Dei componerent, se etiam propensum fore, vt eis imperium in manus tradat, ad ciuium & subditorũ commodum & vtilitatem accommodatum: sin minus, conducibilius eis esse dixit, vt sic priuati vitam exigerẽt, quam doctrina nulla cum periculo imperarent. Niceph. lib. 12. cap. 23.

7. Aristippus quodam tempore cum ciuibus aliquot suis nauigans fracta naui eiectus est. Quum in littore vidisset figuras Mathematicas: Salua, inquit, res est, amici, hominum vestigia conspicio, & ingressus ciuitatem proximam, inuestigauit, quinam essent illic disciplinarum studiosi? Cum his vbi congressus est, summa cum humanitate tractarunt non ipsum modo, verum & comites illius, atque etiam viaticum ad reditum submistrarunt. Tandem cum hi, qui cum Aristippo venerant, pararẽt reditum in patriam, rogarentq; illum, ecquid vellet suis ciuibus renunciari, Vt, inquit, studeãt sibi huiusmodi parare opes, quæ naufragio non pereunt, sed simul cum possidente enatant.

8. Demetrius, Antigoni filius, cum Megara cœpisset, iussit Stilpontis domum seruari indemnem. Admonitus igitur Stilpon, vt libellum daret rerum omnium, quas amisisset, Ego, inquit, nihil bonorum meorum amisi. Nam eruditio, & eloquentia mihi sunt incolumes, quod hæc vere sunt œceia, hoc est, domestica, propriaq; bona.

9. Dionysius Iunior posteaquam regno fuit expulsus, cuidam dicenti, Quid tibi Plato & Philosophia profuit? vt tantam, inquit, fortunæ mutationem facile feram. Neque enim sibi manus admouit, quod alij solent, sed Corinthi ludum literarium aperuit. Quare & Aristoteles Stagirita recte & vere dixit, Eruditionem in prosperis esse ornamentum, in aduersis refugium. Et Cicero: Studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

10. Diogenes, cum captus venderetur in Creta, præconi roganti quid sciret, & quo titulo eum commendaret emptori? Dic, inquit, te vendere hominem, qui sciat imperare liberis. Quidam Xeniates Corinthius admiratus præconij nouitatẽ, adijt Diogenem, percontans num sciret quod profiteretur? Vbi ex sermone hominis comperit esse sapiẽtem ac doctum, mercatus duxit domũ, eiq; suos liberos erudiẽdos tradidit. quos ille suscepros liberaliter instituit, primũq; tradidit Artes liberales, mox docuit equitare, arcum tendere, fundam rotare, iaculari telũ. In palæstra vero non permittebat, vt prædotriba illos grauioribus laboribus in morem athletarum exerceret: sed hactenus, quantum ad ruborem, bonamque corporis valetudinem conduceret. Curauit etiam, vt ex Poëtis alijsque Scriptoribus optima quæque addiscerent, quod ea modo vere sciamus, quæ memoria tenemus. Breuiter totius doctrinę summam redegit illis in compendium, quo & citius perciperent, & fidelius memoria complecterentur. Eosdem institutit domi ministrare parentibus, cibo leui vilique & aquæ potu contentos esse: Cumque cæteri cæsariem alant ad formæ commendationem, ille iussit illos radere comam, & si quando prodeundum esset in publicũ, incomptos producebat absque tunicis incalceatos ac tacitos. Quin & ad venatum illos instituebat, Lacedæmonios imitatus. His rebus factum est, vtà pueris obseruaretur, perq; illos parenti commendaretur. Alij narrant, præconem Diogenis iussu ita prædicasse: Est ne quispiam, qui velit emere dominum?

Ouid.

11. Vbique locorum viri docti in precio sunt, omnisque terra artem alit. Nec exiliũ vllum graue esse potest viro honestis artibus munito, sed quauis ipsi terra patria est, vt piscibus æquor, vt volucri vacuo quicquid in orbe patet. Sic & Socrates, cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, Mundanum, inquit, totius enim mundi se incolam & ciuem arbitrabatur.

12. Antisthenes etiam ea paranda esse viatica discipulos suos admonebat, quæ simul cum naufragio enatarent. Sentiens bonas artes vbiq; esse in precio, nec posse à fortuna eripi.

13. Eruditionem omnibus hoc sermone cõmendabat Diogenes, quod diceret, Iuuenibus afferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum.

14. Antisthenes cum Socrati se addixisset tantum cum eo profecit, vt moneret discipulos vt sui sub Socrate essent condiscipuli. Commorans; in Pireo quotidie, quadraginta stadijs emensis audiebat Socratem à quo & tolerantiam addiscens, trãquillitatis illius imitator effectus est. Laert. lib. 6.

15. Cum Antisthenes multos ad Philosophiæ studium inuitaret, & nemo morem ei gereret, tandẽ indignatus nemini audiendi se potestatem fecit. Quare Diogenem etiam à sua conuersatione repulit. Cum vero frequentior & magis assiduus esset Diogenes, etiam illum increpuit, minatusq; est, se baculum ei inflicturum: aliquando etiam ei baculum impegit. At ille non recessit, sed maiori studio cum quadam audiendi siti instit, inquiens: Tu percute tantum, ego tibi caput prebebo, neque vero tam durũ fustem inueneris, quo me à tuis disputationibus abigas. Quod cum audisset Antisthenes, intimus ei factus est amicus. Ælian. lib. 10.

16. Phædon Eleus, cum Athenis in seruitute esset, à Domino vt prostaret, in turpi lupanari constitutus: quantum iniunctæ necessitatis turpitudinem vitare poterat, cum Socrate incluſus, Philosophiæ operam dabat. In qua re ita egit, vt parto precio, ab ea turpitudine se redimeret, atque inter Philosophos doctissimus euaderet.

17. Cleanthes Philosophus inopia mercenarium se fecit, ac noctu quidem in hauriendis aquis, vnde phreantles per iocum dictus, victum sibi comparauit, interdiu liberalibus studiis operam dedit, cumq; ob inopiam coëmere in scribendi vsum papyrum non posset, quod audiebat in tegula vel osse notabat. Laert.

18. Plautus ob paupertatem victum quæritabat, agẽdis molis illis, quas trusatiles vocant. Quod temporis supererat non quieti, cæterum scribendis comœdiolis impertiebatur, vt eas postmodũ vẽditaret. Quam credibile igitur est, longe maiora confecturum fuisse, si otii atque opum, quibus alii affluenter abundant, partem nactus fuisset? Cum in tantis & temporis & rerum angustiis, perpetuo pene labore pressus, de literarum studiis tam multa scribendo bene mereri voluerit?

19. Commendatur etiam Zenonis in discendo feruor, qui cum Palæmonis auditorium clam frequentaret, Palæmon ad eum conuersus, Non latet nos, inquit, Zeno, te per horti ianuas irrepere, furariq; dogmata, eaque Phœnicum more induere. Laërtius lib. 7.

20. Post Agin, Spartanorum Regem, bello superatum Antipatro postulanti obsides pueros quinquaginta, Eteocles, qui tum ephorum agebat, respondit: Se pueros non daturum, ne si licenter vixissent, fierent indociles patriæ disciplinæ, itaq; ne ciues quidem essent: Cæterum senes & mulieres se duplo numero daturum. Verum Antipatro dira minitanti, ni acciperet postulata, populus vna voce respondit: Si imperas acerbiora morte facilius moriemur. Hunc animum in vno alteroue ciuium reperire, fortasse non ita magni miraculi esse videatur: in vniuerso populo tantum

esse con-

esse consensum, prodigiosum est. Hoc exemplo simul admonemur, quanta solicitudo debeatur ætati teneræ ad probitatem educandæ, quando licenter educatos iuuenes illi non putarunt habendos pro ciuibus: perinde quasi mater abdicet filium ex se natum, nisi probitate morum maioribus suis respondeat.

21. Non ab re frequenter dicere solitus est Crates ille Philosophus, in excelsissimam vrbis partem, se si fieri possit, scansurum, ibiq; exclamaturum: Quo miseri ruitis, qui in quærenda pecunia omnem mouetis lapidem: liberi vero, quibus hæc estis relicturi, parum vos solicitant? His ego adiungam, inquit Plutarchus, perinde facere huiuscemodi genitores, ac si calcei cura te angat, nihil labores de pede. De instituendis liberis Plutarchus.

22. Carolus Magnus Scholam nobilissimam in Lutetia Parisiorum fundauit, ibique & pauperum & procerum pueros Clementi erudiendos tradidit. Et cum longo post tempore in Galliam diuertisset, pueros, quos Clementi commiserat, Epistolas, versibus, carminibus, orationibus, panegyricis scriptis, vt periculum de eorum ingenio atque indole faceret, sibi exhiberi iubet. Vbi tenuiores præter spem profecisse, nobiles vero gaudiis corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendit, illis ad dextram segregatis: Vos quidem macti virtute, inquit, estote filioli pientissimi, qui nostro Imperio gnauiter defuncti estis, vestra erũt sacerdotia locupletissima, & Põtificatus maximi. Ego vos in aulam adscisco, ex vobis Senatores cooptabo: vos in albũ prætorum, & patrum curiam adlegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à læua collocarat, vultu haud iram dissimulans, ait: At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus, & splendore parentum, nostram Maiestatem conspreuistis, vitia, otia, luxum, & inertiam, bonis literis, virtutibusq;, contempto decreto nostro, prætulistis, iubeo, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obulum quidem ab Imperatore vestro, cuius iussa aspernati estis, expectare, faxim vt omnibus mortalibus ludibrio viuatis, & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam diligentia expiaueritis.

Idem Imperator vniuersos veteris ac noui instrumenti libros, librariorum imperitia, lectorum oscitantia, interpretum inscitia, & incuria temporum deprauatos, ad amussim & veritatem fontis correxit: nec siuit in diuinis lectionibus, templisq;, inter sacra officia, inconditos solœcismos, barbarismosq; inconcinnos obstrepere.

Hic Carolus cum insigni esset eruditione præditus, filios quoque suos à teneris in humanioribus literis informari sedulo curauit, adultos iuxta morem gentis Gallicæ equitando, arma ferendo, iaculando exercuit. Filias lanæ & telæ deditas esse voluit, ne otiosam agerent vitam. Mensæ suæ filios semper adhibuit, cumque aliquo iter faceret, eos lateri suo adiunxit, filias autem à tergo sequentes habuit, virorum fortissimorum custodia munitas.

Euripides ἐν ἱκετίδι.

Ἃ δ' ἂν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ
Πρὸς γῆρας, οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε·
Discit puer quæcunque, seruare hæc solet
Vsque ad senectam: Cura proinde liberos
Sit prima dextris instituisse moribus.

Æneas filium Ascanium his verbis ad virtutis studium exhortatur apud Maronem:

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem,
Fortunam ex alijs, nunc te mea dextera bello.

Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito mox, cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

23. Themistocles adhuc puer, cum à discendo vacaret, nō vt reliqui pueri, ludicris aut otio sese oblectare, sed orationes secum aliquas meditari, & componere deprehendebatur. Plutarch. in vita Themist.

24. Thucydides Athenienſis hiſtoricus, à teneris ſtatim præclaræ indolis ſpecimen edidit. Cumque Herodotus aliquando hiſtorias ſuas cum magno auditorum applauſu legeret, Thucydides puer quaſi ex diuino quodam afflatu lachrymari cœpit. Quibus viſis Herodotus, patrem eius Olorum ob tantæ indolis filium beatum prædicans, eum hortatus eſt, vt omnibus aliis poſthabitis filium in humanioribus diſciplinis ſedulo informari curaret. Suida.

25. Bion Boryſthenites cuidam obiicienti, quod adoleſcētem quendam ad ſe non pellexiſſet, Tenellus, inquit, Caſeus non attrahitur hamo. Significans pueros delicatos non eſſe ad Philoſophiam accommodos.

26. Apud Indos, Cathæos, & Brachmanes editum infantem poſt duos menſes in publico Concilio ſpectandum exhibebant. Cuius ſi indoles probaretur, bonis ille formabatur diſciplinis: ſi improbaretur, vel exponebatur in ſyluis, vel ſtatim in conſpectu omnium occidebatur. Alex. ab Alexand. lib. 2 cap. 25. & Sabel. lib. 6. En. 4.

27. Socrates conſpiciens hominem prædiuitem & arrogātem, ſed nulla virtute aut doctrina præditum: Hic, inquit, equus eſt argento circumtectus. Solent enim equi ſtragulis, phaleris, ac bullis argenteis exornari, quum interim tamen nihil aliud ſint quam equi.

28. Thales Mileſius percontanti quis eſſet fœlix? Qui corpore, inquit, ſanus eſt, animo eruditus ſiue caſtigatus. Cupiditates enim animorum morbi ſunt.

29. Socrates interrogatus, quod animal eſſet formoſiſſimum: Homo, inquit, doctrina ornatus.

30. Plato interrogatus, quod diſcrimen eſſet inter doctum & indoctum, Reſpondit, Quod inter Medicum & ægrotum. Sic Ariſtoteles interrogatus, qua re differrent docti ab indoctis? Qua viui, inquit, à mortuis: ſentiens hominem abſq; literis ſtatuam eſſe verius, quam hominem.

31. Democritus dicere ſolebat, diſciplinam & eruditionem fortunatis eſſe ornamentum, infortunatis autem refugium. Item, Eruditionis radices eſſe quidem ſatis amaras, fructum autem ferre dulciſſimum. Item, eruditionem & doctrinam non aliter quam aurum vbiuis terrarum in maximo ſolere eſſe precio.

32. Ariſtippus rogatus, quo differrēt docti ab indoctis? Quo, inquit, equi domiti ab indomitis. Quemadmodum equus indomitus ad omne vſum incommodus eſt ob inſcitiam ac feroriam: ita qui rapitur affectibus, quos ſola domat Philoſophia, ad omnem vitæ conſuetudinem inutilis eſt.

33. Idem percontanti, qua re differret ſapiens ab indocto: mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, & videbis. Significauit ſapientem ſecum in pectore circumferre, quæ ſe commendet quibuſlibet. Proinde ſi doctum & indoctum pariter nudos mittas in regionem peregrinam, vbi ambo ſint æque ignoti, ſapiens proferens opes ſuas, protinus & rem & amicos inueniet, nudus alter pro inſano ridebitur, & fame periclitabitur.

34. Quidam cum Ariſtippo agebat, vt filium ſuum ſuſciperet eiudendum: ſed quum Philoſophus pro mercede peteret quingentas drachmas, alter deterritus magnitudine precij, Minoris, inquit, emerem mancipium. At hic, inquit, habebis duo. Senſit eadem pecunia illum ſibi paraturum, &

philo-

Philosophum vtilem,& filium obsequentem.Lepide taxauit vulgi iudicium,nusquam enim parciores sunt homines,quam in recte instituendis liberis,plusq; sumptus impendunt curandis equis,quam filijs.

35. Rogatus Aristippus, quid fructus cepisset ex Philosophiæ studio? Quod cum quibuslibet,inquit,libere loqui possim. Nec enim metuebat potentes,nec fastidiebat humiles. Quoniam animum habebat spe pariter ac metu liberum,nemini seruiebat, neque cuiquam assentabatur præter animi sententiam.

36. Zeno Cittiæus oraculum consuluisse dicitur,quo pacto possit vitam optime instituere? Respondit Deus, εἰ συγχωνιζοιτο τοις νεκροις. si concolor fieret mortuis.Ille sentiens se vocari ad lectionem veterum,contulisse ad Philosophiam.

37. Cleanthes dicere solebat, homines indoctos nulla re nisi externa forma à brutis animalibus differre.

38. Diogenes taxans Megarensium in filijs curandis negligentiam, se malle dicebat Megarensis alicuius esse arietem,quam filium Quo significabat,Megarenses pecoris diligentiorem curam gerere,quam liberorum. Ælian.lib.12.de varia hist.

39. Protagoras Abderites puer victus quærendi gratia vecturas onerum corpore suo factitauit.Cumq; aliquando in Abderam oppidum,cuius popularis fuit,caudices ligni plurimos funiculo breui circundatos portaret, Democritus ciuitatis eiusdem ciuis pueri demiratus solertiam, in componendis & Geometrica quadam proportione ordinandis caudicibus: Mî adolescens,inquit,cum ingenium benefaciendi habeas, sunt maiora melioraque,quæ facere mecum possis,abduxitque eum statim, secumq; habuit, & sumptum ministrauit, & Philosophias docuit: & esse eum fecit, quantus postea fuit.Gell.lib.5.cap.3.

40. Socrates discipulos suos admonere solitus est,vt in omni vita sedulo hæc tria meditarentur,vt in animo sapientiam & doctrinam haberent recõditam,in vultu verecundiam & honestatem, in lingua taciturnitatem, & verba præmeditata.

41. Cicero de senectute, Aptissima,inquit,omnino sunt arma senectutis artes,exercitationesq; virtutum,quæ in omni ætate cultę,quum multum diuq; vixeris, mirificos afferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt,ne in extremo quidem tempore ætatis quanquam id maximum est, verum etiam quia cõscientia bene actæ vitę,multorumq; benefactorum recordatio iucundissima est.

42. Philonides Melitensis prægrandi corpore, cæterum indoctus & insulsus,prouerbio locum fecit,vt dicatur indoctior Philonide,homo stupidus omnisq; doctrinæ expers.

43. Theodorus Athenienſis,cognomine atheos,obijcientibus,quod ex ipsius doctrina multi redderentur deteriores, Id aliorum,respondit, vitio accidere,qui doctrinam,quam ipse dextra porrigeret, siniſtra exciperent. Plutarch.de animi tranquillitate.

44. Philosophus quidam duos cum haberet discipulos, alterum diligentem quidem,sed prorsus indocilem, ingenijque stupidi:alterum vero ingeniosum,sed prorsus ignauum & negligentem, vtrumque à se abegit. Ambo pereatis,inquiens, quoniam tu cum velis non potes, tu vero cum possis,non vis.Max.Serm.17.

45. Cum maris imperium tenerent Mitylenenses,socijs,qui desciuerãt, hanc pœnam imposuerunt, vt liberos suos non docerent literas neq; artes liberales, omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes, in insciti & ignorantia Artium liberalium vitam transigere. Ælian.lib.7.

46. Ingens fuit Persarum in educandis filijs cura, ante omnia iustitię & pietati eos assuefaciebant, nec non in cibo potuque continentiæ, nec iis à latere pædagogi sui discedere fas erat, quibus præsentibus, & quidem non nisi præfinito prandebant & cœnabant. Vide Xenophont. in pædia Cyri, & Stob. Serm. 24.

47. Lucani liberos suos à teneris laborum tolerantiæ adhibuerunt, exili tectos vestitu in syluis educarunt, eosque venatu cibum quærere, & solius aquæ potu contentos esse coegerunt. Alex. ab Alexand. lib. 2. cap. 25.

48. Romani filios sub patruorum cura esse voluerunt, ne apud parentes delicatuli redderentur. Volater.

49. Franciscus Sfortia, Mediolanensis Princeps, magna sapientiæ gloria illustris, hæc tria filio suo peculiariter commendauit, monens ne vnquam ea negligeret, aut per obliuionem in animo suo obliterari pateretur. Primum vt vitam agens castam, alienam nunquam attingeret vxorem: Secundum, ne quãdo seruum fidelem, cuius ministerio multis annis vsus esset, verberaret: quod si omnino eius auersaretur præsentiam, vt numerata mercede benigne eum dimitteret. Ne indomitum equum, qui calcibus alios impetat, vel ipse conscendat, vel ab aliis ministris conscendi patiatur. Ignat. libro quarto, capite tertio.

50. Lacedæmonij ex institutis Lycurgi peculiari diligentia liberos informabant, eosq; laboribus tolerandis, & iis potissimum rebus, quæ in proiectiore ætate ipsis & Reipub. vsui futuræ essent, assuefaciebant.

51. Extat Epistola Philippi, Regis Macedonum, ad Aristotelem, quę quoniam curæ diligentiæque in liberorum disciplinas hortamentum est, exscribenda visa est ad commouendos parentum animos. Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito, quod equidem Diis habeo gratiam: Non proinde, quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vitæ tuę. Spero enim fore, vt eductus eruditusque abs te, dignus existat, & nobis, & rerum istarum successione. Gellius libro nono, capite tertio.

52. Nec minor Pauli Æmylij cura fuit circa liberos recte informandos, qui cum inter Macedonica spolia maximos reperisset thesauros, nihil præter Bibliothecam regiam inde sibi retinuit, quam suis tradidit liberis. Maiori ipsi curæ fuit, animos filiorum ingenuis excoli artibus, quam amplissimis ipsos cumulari diuitijs.

53. Quemadmodum liberis suis Æmylius instrumentũ, nempe insignẽ Bibliothecam comparauit, per quod fœlicius in literarũ studio progredi possent: Sic Portius Cato Tribunus, se ipsum liberis suis pædagogum tradidit. Quo quid sanctius, quid vtilius liberis suis pater præstare possit?

SENECTVTEM ESSE HONORANDAM.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos,
Tam venerabile erat, præcedere quattuor annis.

Iuuenal. Satyr. 13.

Senectus apud Romanos honorabilis.

Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Leuit. 19.

Senectuti apud Romanos iuuentus ità cumulatum & circumspectum honorem reddebat, tãquam maiores natu adolescentium communes patres essent. Quocirca iuuenes, Senatus die, vtiq; aliquẽ ex patribus C. aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixiq; valuis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur: qua quidem voluntaria statione, & corpora, & animos, ad publica officia sustineda im-

pigre

pigre roborabant, breuique processu morarum, claram in lucem virtutũ suarum verecunda laboris meditatione, ipsi doctores erãt. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio essent interfuturi, ne senioris aduentum discubitu præcurrerent, sublataq; mensa priores consurgere, & abire patiebantur: e quibus apparet cœnæ quoq; tempore quam parco, & quam modesto sermone his præsentibus soliti sint vti.

Apud eosdem maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia superiorum opera Carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuuentute alacriorem redderent. Quid hoc splendidius? quid etiam vtilius certaminc: pubertas canis suum honorem reddebat. Defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam fauoris nutrimentis prosequebatur. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Spartæ honestissimum domicilium senectutis. Cicero de senectute.

Spartæ aliquando in theatrum progressus vir grandæuus, à quodam ex iuuenibus locum sibi dari petebat. Apud Spartanos siquidem iuuenem seniori non cedere crimen erat capitale. Verum ille, homo confidens & temerarius, ad grandeuum, Quoniam, inquit, tibi non sunt liberi, qui olim & mihi vicissim assurgant, locoq; cedant, nec ego tibi locũ dare dignatus fuero. Propter quæ verba graui pœna fuit affectus.

Bensyra super sententiam quintam decimam, Semper, inquit, honora seniores, nec eos despice. Nam quotiescunq; natu grandes in ciuitate aliqua per mortem tolluntur, iudica eam & grauem & certam esse pœnam, certumq; diuinæ iræ aduersus ciuitatem istam effusæ indicium. Idem testatur diluuij pœnam per septem dies dilatam fuisse, propter Mathusalah, quem antequam calamitas illa mundo ingrueret, in pace obdormire & quiescere æternus Deus voluit.

A. Gellius lib. 2. huiuscemodi refert exemplum de ratione officiorum inter patrem & filium:

Ad Philosophum Taurum Athenas visendi cognoscendique eius gratia venerat vir Cl. præses Cretæ Prouinciæ, & cum eo simul eiusdem præsidis pater. Taurus sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus. & cum assistentibus nobis sermocinabatur, introiuit prouinciæ Præses, & cum eo pater. Assurrexit placide Taurus, & post mutuam salutationem resedit. Allata mox vna sella est, quæ in promptu erat: atque dum aliæ promebantur, apposita est. Inuitauit Taurus patrem præsidis, vt sederet. Atq; ille ait: Sedeat hic potius, qui populi Rom. Magistratus est. Et cũ pater assedisset, appositumq; esset aliud filio quoq; eius sedile, verba super ea re Taurus facit cum summa (dij boni) honorum atq; officiorum perpẽ fatione. Eorum verborum sententia hæc fuit: In publicis locis, atque muneribus atq; actionibus, patrũ iura, cum filiorum, qui in Magistratu sunt, potestatibus collata, interquiescere paululum & conniuere. Sed cum extra Rempub. in domestica re, atque vita sedeatur, ambuletur, in conuiuio quoq; familiari discumbatur, tum inter filium magistratum, & patre priuatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri.

Athenis quidam vltimæ senectutis, cum spectatum ludos in theatrum venisset, eumq; nemo e ciuibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos forte peruenit: qui hominis ætate moti, canos eius & annos assurgendi officio venerati sunt, sedemq; ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt: quod vbi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ vrbis verecundiam comprobauit. Ferunt tunc vnum e Lacedæmonijs dixisse: Ergo Athenienses, quid rectum sit sciunt, sed id facere negligunt. Val. Max. lib. 4. cap. 5. Cicero de senectute.

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani;
Inque suo precio ruga senilis erat. Ouid.

DE ERVDITIONE MAGNORVM PRINCIPVM.

COsroes, Persarum Rex, quamuis esset barbarus, id tamen eruditionis fastigium attigit, vt in Philosophia, omniq; Græcorum disciplina cum primi nominis Philosophis certaret. Agath.

Claudius Imperator vir fuit Græce Latineq; doctissimus, vt qui libros XL. historiarum, adhortante Tito Liuio, conscripserit. Homerum memoria tenebat, vt in vsu rerum sæpe versus eius recitaret. Volater. lib. 23.

Carolus Magnus tanta fuit fecundia, vt non deesset ei copia & splendor in patrio & latino sermone. Versue etiam fecit de Rolando sororis filio.

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo, & binos super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis.

Græcos legatos Græce loquentes intellexit, sed nō respondit longo sermone Græco. lib. 4. Chron. Philip.

Carolus Quartus excelluit ingenio & doctrina, & multarum linguarū peritia: Consuetudine doctorum delectatus est plurimum. In Scholam Pragensem, quam recens fundarat, aliquando ingressus, cum doctos audisset disputantes in horas quatuor, idq; purpurati moleste ferrent, ac cœnæ tempus adesse dicerent: Mihi, inquit, tempus est minime. Nam cœna hæc mea est. Æneas Sylu. & Chron. Phil. lib. 5.

Alexander Magnus.

Didicit Alexander Macedo nō pauca ab Aristotele, sed puer adultus vero medioq; gerēdarum rerum ardore Homerici carminis lectione captus, tanto eius rei studio tenebatur, vt aureum scrinium gemmis prædirum in Dariana præda repertum in eum vsum legerit, vt Homeri opera eo inclusa bellicis gestarētur expeditionibus, dignus qui tātum vatem sortitus esset, aut certe talem, vt ne suum Æacidæ inuidere debuerit Sabelli. libro. 2. cap. 7.

Robertus Hierosolymorum & Siciliæ Rex, multis nominibus prædicādus, Solonis illū versum in frequenti vsu habebat, αἰεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος. Tanto etiam studiorum tenebatur desiderio, vt diceret, si vtique alterutro carendum esset, malle se regno, quam doctrina & eruditione exutum esse. Petrarcha.

Sigismundus Imperator.

Sigismūdus Imperator, Alberti socer, cum alijs multis nominibus, tum illo præcipue commēdabilis fuit, quod vt ipse linguarum ac literarum peritiam amauit, ita viros eruditiōe præstantes semper ornare ac prouehere studuit. Quo nomine cū a Germanis Principibus, qui latinas literas oderant, reprehenderetur, quod homines obscuro genere natos ob literarum commendationem foueret: Quid ni, inquit, eos amem, quos natura cæteris antecellere voluit? Germani plurimum tribuunt generis nobilitati: at vir prudens intellexit in eruditis esse quiddam stemmate præstantius. Illi habēt ædium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animum optimis disciplinis exornatum. Porro vt natura animus præstantior est corpore, ita ornamenta ingenij longe pulchriora sunt externæ nobilitatis insignibus. Qui nihil aliud habet, quam maiorum imagines, opinione nobilis est verius, quam re. At qui virtute præditus est, vnde manat etiam illa vulgaris nobilitas, germanam ac natiuam habet nobilitatem. Eras. Apophth.

Mithridates Ponti atq; Bithyniæ Rex inclytus, qui à Cn. Pompeio bello superatus est, duarum & viginti gentiū, quas sub ditione habuit, linguas percalluit: earumq; omnium gentium viris haud vnquam per interpretē locutus est, sed vt quenq; ab eo appellari vsus fuit, perinde lingua & oratione ipsius non minus scite, quam si gentilis eius esset, locutus est. Gell. lib. 17. cap. 17. Plin. lib. 25. cap. 2.

Ad-

Admirandus fuit in Alphonſo Arragorum Rege erga literarum & pietatis ſtudium amor. Non ſolum enim magnis ſumptibus Scholas fundauit, Auditoriaque extruxit, in quibus ſacræ inprimis docerentur literæ, ſed ipſemet quoque Doctorum interfuit lectionibus & diſputationibus, & quidem tanta animi attentione atque diligentia, vt verbis ea dignis predicari difficulter poſſit. Adhæc tanto ſtudio ſacra euoluit Biblia, vt non ſolum memoriæ infixas ſingulas haberet hiſtorias, ſed ſingula etiam verba, quo ordine in textu poſita ſunt, expedite recitaret. Panorm lib. 2. Publ. Maronis carmina tanti fecit, vt Meſſanæ frequēter inter plebeios cōſederit pueros, vt Antonium Panormitanum ea enarrantem audiret. *Antonius Panormitanus.*

Idem Deum ipſum vocans teſtem confeſſus eſt, ſe malle & regno & vniuerſis priuari facultatibus, quam literarum ſtudio carere.

Idem cum audiuiſſet quendam ex Hiſpaniæ Regibus dixiſſe, non decere principes viros ſcire literas, exclamauit, eam vocem bouis eſſe, non hominis.

Percontantibus vtri rei plus debere ſe fateretur, libris an armis? Ex libris, inquit, & arma, & amorum iura didici, hac voce profitens ſe libris debere omnia.

Intentus aliquando Ciceronis lucubrationibus, buccinatoribus concentu ſuo & clangore obſtrepentibus: Faceſſite, inquit, modo vos Muſici, faceſſite. Nam adeſt qui longe & ſuauius & vtilius mecum loquatur, nempe Cicero, fons & ſcaturigo Romanæ eloquentiæ.

Charmidas quidam in Græcia quæcunque exegiſſet volumina, ea memoriter legentis modo repreſentauit. Plin. lib. 7. cap. 24.

Celebrarut etiam Clemens VI. quod tanta valuerit memoria, vt quicquid legendo ſemel euoluiſſet, memoriæ firmiter infixum haberet.

Epiphanes filius Carpocratis, hæretici Gnoſticorum patris, tam præclaro fuit ingenio, vt 17. ætatis anno (quo etiam obijt) omnes diſciplinas ad vnguem a patre ſuo hauſerit, & in Philoſophia Platonica excellentiſſimus fuerit. Eam ob rem Sama Cephaleniæ vrbs diuinis honoribus illum poſt mortem affecit. In Catal. Hæretic.

Iulianus Cardinalis ſancti Angeli, qui Baſilienſi Concilio præfuit, libros veterum cum in Bibliotheca lectitaret, acceſſit quidam Otho, qui diceret: Quid tu hic inter mortuos latitas? Ad nos tandem, qui viuimus, exi. Ei Iulianus: Imo, inquit, ij fama viuunt, tu neque nomine, neque re viuis. Æneas Sylu. 3. Commentariorum Alphonſi.

DE DOCTRINA ET ERVDITIONE FŒMINARUM.

EX permultis, inquit Socrates in Sympoſio Xenophontis, licet colligere manifeſto muliebre ingenium nihil eſſe quamcunque ad rem ineptius virili.

Amalaſuntha, Theoderici Oſtrogotorum in Italia Regis filia, patri ſuo in regno cum filio ſuo Atalarico ſeptenni ſucceſſit, circiter annū Chriſti 419. Hanc, vt Caſſiodorus, refert, nemo ſine veneratione videre potuit, audire loquentem fuit miraculum. Græcis, Latiniſque literis egregie imbuta, omnium gentium, nationumque, quibus cum Romano Imperio aliqua eſſet conſuetudo, linguas exactiſſime norat, tantæ grauitatis ac prudentiæ, vt cum improbos acrius increparet, nihil illi ſibi quod acerbum eſſet illatum & dicerent & ſentirent. Atalaricum filium, quamuis multum repugnantibus Gothorum proceribus, diſciplina Romana inſtituendum curauit, eiuſque ætatem ſic moderata eſt, vt aui Theoderici virtutes præclare imitaretur. Hæc vt publicam gratiam, quam pater Arriana hæreſi de-

mentatus amiserat, recuperaret, Symmachi & Boëtij filijs ablatum patrimonium restituit.

Zenobia, Regina Palmyrenorum, Græci Ægyptijque sermonis fuit peritissima, & Latini non ignara. Scripsit Epitomen in Orientalem Alexandrinamq; historiam, Herennianum & Timolaum filios literis erudijt. Elegantissimas orationes ad milites suos plerunque habuit, quas galeata recitabat. Pollio Trebel. & Fulgos. libr. 8. cap. 3. Hanc Aurealinus Imperator repurgato orbe à tyrannis, speciosissimum agens triumphum ex Oriente Romam adduxit.

Arete, Aristippi Cyrenaici Philosophi filia, post patris mortẽ Scholam rexit, & filium suum Aristippum Philosophiam docuit. Laër. lib. 2. in Aristip.

Dama, Pythagoræ filia, ingenium & doctrinam in exponendis paternis sententiarum inuolucris exercuit. Ibidem.

Catharina virgo, Costi Alexandriæ Principis filia, sacris literis partim studio, partim diuino Spiritus afflatu adeo fuit imbuta, vt accersitos à patre vndecunque doctissimos viros, & Philosophos, ad persuadendam idololatriam, refellendamque vnius Dei religionem viuacissimis terruerit argumentis, & in suam opinionem pertraxerit.

Baptista prima, Galeacij Malatestæ Pisaurensis Principis filia, & Guidoni Montefeltrensi Vrbinatium Comiti matrimonio coniuncta, cum doctissimis viris sæpe non sine laude disputauit, & Latine de humana fragilitate, atq; de vera religione luculentos libros edidit. Fulg. lib. 8. cap. 3.

Fabiola Romana mulier, cum magno studio sacras literas amplecteretur, Prophetias, Euangelia & Psalmos frequentissime reuoluebat, vt itera ta plerunque lectio amorem diuinæ religionis (quo flagrabat) augeret magis. Vnde & D. Hieron. librum de veste Sacerdotali, eidem nuncupauit.

Simili laude claret Marcella Romana frequentibus Epistolis à D. Hieronymo salutata.

Eustochium Paulæ Romanæ filia, Latinarum, Hebraicarum, & Græcarum literarum studijs plurimum excelluit, vnde & suo tempore, nouum orbis prodigium vocata est. Ingeniũ Sacris literis deuouit maxime, adeo, vt Psalmos Hebraice legeret cursim, & mira celeritate. Testis D. Hieron.

Quatuor filiæ Isabellæ.

Quatuor filias Isabellæ Reginæ Hispaniarum, ætas nostra vidit doctissimas, inquit Viues. Iohanna, Philippi Austrij coniunx, Caroli V. mater, ex tempore Latinis orationibus, quæ de more apud nouos Principes oppidatim sunt habitæ, Latine respondit. Idem præstitit Catharina, Henrici Septimi, Angliæ Regis vxor. Idem omnes de duab. aliis, quæ in Lusitania fato concessere, narrabant. Ludouic. Viues, de Christiana fœmina, lib. 1.

Cornelia, vxor Africani, & Gracchorum mater, ornatissime scriptas reliquit Epistolas, vnde & filiorum fluxit eloquentia, teste Cic. in Brut. Circa literas, circa fides, circa Geometrica perita erat. Plutarch. in vita Gracchorum.

Polla, Lucani vxor, tanta dicitur fuisse doctrina, vt maritum iuuerit in emendandis tribus libris Pharsaliæ. Celebrat hanc Statius libr. 2. Syluarum.

Anastasia discipuli Chrysogoni Martyris fuit, & vxor Publij Romani, cuius thorũ simulato morbo euitauit. Scripsit Epistolas ad Chrysogonum, quib. cõquerebatur facultates suas à sacrilego viro absumi, seq; in carcere detineri. Hæc ad palum cremata est, quod sanctis ministraret. Volater.

Damophila Græca, vxor Pamphili, socia Sapphus poëtriæ, poëmata scripsit amatoria, & Dianæ laudes. Theophrast. in vita Apollonij.

Hypathia, mulier Alexandrina, Theonis Geometræ filia, & vxor Isidori Philosophi, vixit imperante Arcadio. Scripsit in Astronomiam, professa

Alexan-

Alexandriæ varia disciplinarum genera magno & frequenti auditorio, conuolantibusque turmatim, & vndecunque discipulis. Suidas apud Volaterranum.

Sosipatra vates fuit è Libya, multis disciplinis cumulatissima, quã propterea creditum est à numinibus quibusdam fuisse educatam. Eunapius apud Volater.

Istrina, Scytharum regina, Aripithis vxor, Scylem filium Græcam linguam literasque edocuit. Author Herod. in Melp.

Corinna Thebana, seu Tanagræa, Archelodori, & Procratię filia, & Myrtidis discipula, Lyricorum Principem Pindarum quinquies vicisse, & Epigrammatum quinque libros edidisse fertur.

Erinna poëtria Teia aut Telia (est enim Telos Insula prope Gnidõ) floruit Dionis Syracusani temporibus. Scripsit Dorica lingua elegãs poëma, trecentis versibus absolutum. Aliaque item Epigrammata. Ferunt eius carmina ad Homericam accessisse maiestatem. Mortua est annos 19. nata. De hac Propert. lib. 2.

Sappho Lesbia Lyrica, floruit temporibus Alcæi & Stesichori Poëtarũ. Maritum habuit Cercilam ditissimum virum ex Andro, ex quo filiam suscepit Clio nomine. Scripsit Lyricorum libros nouem. Præterea Epigrammata, Elegias, Iambos, & Monodias. Carmini Sapphico, cuius inuentrix fuit, dedit nomen.

Aspasia, mulier Milesia, magna doctrinæ fama claruit: In studijs Philosophicis abunde promouit. Rhetoricen exercuit. Fuit Periclis Magistra, & tandem vxor. Plutarchus in Pericle.

DE CHARITATE IN PATRIAM.

ABrahamus assumptis vernaculis suis trecentis, decem & octo, Reges quatuor victores spoliisque onustos de improuiso obruit, ijsque debellatis & fusis, fratrem suum Lothum, qui inter captiuos vinctus tenebatur, reducit, omnemque eius substantiam, mulieres quoque & populum. Genes. 14.

Iosua heros fortissimus, pro populo suo dimicat, & necatis vno & triginta Regib. vrbes eorum sorte diuidit. Vide librum Iosuæ.

Gideon Manassæus, viris tantum trecentis electis, populum Israëliticum à Midianitis liberat. Iud. cap. 7.

Simson vnus se Philistinis omnibus opposuit, neque copiis aut exercitu, sed manu sua solus pugnauit, & victorias miraculosas retulit. Asini maxilla mille viros interemit. Moriens plures secum occidit, quam viuens antea occiderat. Perierunt enim ruina domus, quam apprehensis columnis euertit, nobilissimorum sexus vtriusque hominum tria millia. Iudicum 15. & 16. cap.

Ionathan Sauli filius vno comitatus armigero ad hostes contendit, viros in acie sternit viginti, & reliquum exercitum solo aspectu territat. 1. Reg. 14.

Dauid adolescens Goliado gigante armis pastoralibus victo, tantum gloriæ meretur, quantum decem militum millia. 1. Samuel. 17.

Iudas Machabæus quanta virtute pro patria certarit, ex primo Machabæorum patet.

Hector apud Homerum socios suos, vt fortiter pro patria dimicent, nec mortem pro eius salute obire horreant, his verbis hortatur, Iliad. o.

Ἀλλὰ μάχεσθ' ἐπὶ νηυσὶν ἀολλέες, ὅς δέ κεν ὑμέων
Βλήμενος ἢε τυπεὶς θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ.

Τεθνάτω, ὃ οἱ ἀεὶ κὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης
Τεθνάμεν, ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ παῖδες ὀπίσσω,
Καὶ οἶκος καὶ κλῆρος ἀκήρατος, εἴ κεν ἀχαιοὶ
Οἴχονται σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.
Pro patria magnum decus est profundere vitam:
Nam reliqui ciues vestra virtute teguntur.
Et saluæ interea matres, natiq; manebunt,
Qui sunt ætatis venturæ semina & vrbis.
Templa manent, legesq; bonæ, pietasq;, pudorq;:
Et tunc quisq; suis rebus fundisq; fruetur,
Cum pulsi fugient hostes in patria regna.

PRO LEGE ET PRO GREGE ACHILLES 9. Iliados ad Legatos Græcorum.

Ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρησι
Μάστακ' ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ.
Ὡς καὶ ἐγὼ πολλὰς μὲν ἀϋπνους νῦκτας ἴαυον,
Ἤματα δ' αἱματόεντα δι' ἔπρησσον πολεμίζων,
Ἀνδράσι μαρναμένοις ὀάρων ἕνεκα σφετεράων.
Sicut auis, quæ pro pullis implumibus ipsa
Euolat, & pastum miseris parat: haud secus ipse,
Pro Danais mala multa ferens, quod sæpe peregi
Peruigiles noctes, quod luces Marte cruentas,
Assidue dum bella gero, dum prælior ipsis
Proq; viris & coniugibus Danaumq; salute.

Omnnibus sane amor patriæ per naturam insitus est. Vnde & Ouid. 1. de Ponto:

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat,
Fumum de patrijs posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Horatij Coclitis pro patria pugnātis virtus.

Hetruscis in vrbem, ponte sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam eius partem occupauit: totumq; hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit, atque vt patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus se in Tyberim misit: Cuius fortitudinem dij immortales admirati, incolumitatem synceram ei præstiterunt. Nam neque altitudine deiectus, quassatusue, neque pondere armorum pressus, nec vllo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ vndique congerebantur, læsus tutum natandi euentum habuit. Grata erga tantam virtutem ciuitas fuit, statua in Comitio posita: agri quantum vno die circumarauit datum: Priuata quoque inter publicos honores studia eminebant. Nam in magna inopia pro domesticis copijs vnusquisque ei aliquid fraudans se ipse victu suo contulit. Liuius lib. 2. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2.

C. Mutij Scæuolæ virtus.

C. Mutius adolescens nobilis cum à Porsena Rege Hetruscorum vrbem Romanam graui ac diutino bello vrgeri ægre ferret, castra eius, abdito intra vestem ferro, ingressus in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi cum stipendium forte militibus daretur, & scriba cum Rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eumq; milites vulgo adirēt, scribam pro Rege obtruncat. Comprehensus inde à Regijs satellitibus, & ante tribunal Regis retractus, metuendus magis quam metuens, Romanus sum,

inquit,

inquit, ciuis, C. Mutium vocant, nec ad mortem minus animi, quam ad cædem fuit, & facere & pati fortia Romanum est. Cum Rex simul ira incensus, periculoque conterritus circundari ignes minitabundus iuberet, nisi exponeret propere, quas insidiarum ambages faceret: En tibi, inquit, vt sentias, quam vile corpus sit ijs, qui magnam gloriam petunt, dextramq; accenso ad sacrificium foculo injcit. Quam cum velut alienato ab sensu torreret animo: prope attonitus miraculo Rex, cum ab sede sua prosiluisset, amouerique ab altaribus iuuenem iussisset, Tu vero abi, inquit, in te magis quam in me hostilia ausus. Iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Nunc iure belli liberum te, intactum, inuiolatumque dimitto. Tum Mutius quasi remunerans meritum, Trecenti, inquit, coniurauimus Principes iuuentutis Romanę, vt in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit. Cæteri, vt cuique ceciderit primo, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt. Mutium dimissum, cui postea Scæuolæ a clade dextræ manus cognomentum inditum, Legati a Porsena Romam secuti sunt. Adeo mouerat eum & primi periculi casus, quo nihil se pręter errorem insidiatoris texisset, & subeunda dimicatio tories, quot coniurati superessent, vt pacis cõditiones vltro ferret Romanis. Patres C. Mutio virtutis causa trans Tyberim agrum dono dedere, quæ postea sunt Mutia prata appellata. Liuius lib. 2.

Pompeij virtus.

Pompeij etiam probabilis virtus, qui dum legationis officio fungeretur, a Genthio Rege interceptus, cum Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ P. R. amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. Val. Max. lib. 3. cap. 3.

M. Curtius pro patria se deuouet.

Anno ab vrbe condita trecẽtesimo, nonagesimotertio, cum forum Romanum seu terrę motu, seu qua alia vi, specu vasto in immensam altitudinẽ medium ferme collapsum esset, neque ea vorago coniectu terrę expleri posset, canebant Vates, id illi loco dicandum, quo plurimum populus Romanus posset. Ibi M. Curtius iuuenis bello egregius, nullũ esse prestantius Romanorum bonum affirmans, quam arma virtutemq;, seipsum pro patria deuouit, equo deinde quam poterat maxime exornato insidens, armatus se in specum immisit, protinusq; ea expleta est. Liuius lib. 7.

Leonidas Rex Spartanus.

Leonidas Lacedæmonius, & vna cum ipso trecenti viri, quamuis scirẽt ex Oraculo, simul & Megistæ vatis prædictionibus, sibi ad Thermopylas ad internecionem cum omnibus suis pereundum, aut certæ Spartam euertendam, patriæ incolumitati, suæque æternę gloriæ consulentes, & pro defensione Græciæ strenue pugnantes, gloriosum finem sortiti sunt, ac perpetuam sibi gloriam, & nomen clarissimum reliquerunt. Herodotus lib. 7. Ælian. lib. 3.

Vt peruenit intra Thermopylas, ad commilitones ait: In propinquo ferunt esse barbarum. Quare non est tẽpus terendum. Iam enim aut vincẽdi barbari, aut nobis est moriendum. Dicenti cum tam multis conflictu-rus Leonida paucos sub signis adduxisti: Si multitudine, ait, me censetis fretum esse, ne vniuersa quidem Græcia satis sit, sin virtute, & hic numerus sufficit. Plutar. in Apoph.

Pugna ad Thermopylas.

Pugnam ad Thermopylas omnes ætates admiratæ sunt. Ibi enim cum exiguus exercitus custodiret fauces, trecenti Lacedæmonij, quadringenti Thebani, & ex alijs locis Græciæ circiter tria millia. Phocenses primi, deinde alij discesserunt ante pugnam, sed remanserunt soli Lacedæmonij, Thebani, & Thespienses. Hic paruus numerus trucidauit viginti millia in exercitu Xerxis, sed ipsi simul interfecti sunt, Lacedęmonij & Thespienses omnes, præter duos. Chron. Philip. lib. 2.

Decij pater & filius pro patria se deuouent.

Publius Decius, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam pene iam & proſtratam videret, caput ſuum pro ſalute reipub. deuouit, ac protinus concitato equo, in mediũ hoſtium agmen, patriæ ſalutem, ſibi mortem petens, irrupit: factaque ingenti ſtrage, plurimis telis obrutus, ſuper corruit, ex cuius vulneribus & ſanguine inſperata victoria emerſit. Liuius lib. 8. Val. Max. lib. 5.

Patris exemplum & virtutem æmulatus filius in bello aduerſus Gallos Senonas, ſe Dijs manibus deuouit, ſuoque ſanguine patriæ ſalutem attulit. Liuius lib. 10.

Attilius Regulus Xantippi Ducis Lacedæmoniorum inſidijs ab Aſtrubale captus, miſſusque ad populum Romanum legatus, vt ſe vno, & ſene, Carthaginenſiũ captiui penſarentur, dato in contrarium conſilio, ad inimicos iuxta prætitam fidem redijt. A quibus in arcam ligneam coniectus, clauis introrſum adactis, efferatam barbaræ gentis ſæuitiam expertus eſt. Demum palpebris oculorum inferne & ſurſum verſum conſutis, Soli expoſitus, alijsq; poſtmodum multis tormentis lento peremptus fato. Claudian. Prorogat æternam feritas tibi punica palmam Regule. Cic. in Offic. Gel. cap. 4. lib. 6. Val. Max. lib. 9. cap. 2.

Ancharus Midæ filius.

Cum regnante Mida apud Phrygios ingẽti hiatu terra apud vrbem Celænon patuiſſet, indeq; vis aquaru: quæ ingens eruperat, & ædes, & mortales permultos abſorpſiſſet, monitus eſt Midas Rex oraculo, ſi in eũ hiatum res admodum precioſa demitteretur, humum in conſuetam faciem reuerſuram. Cum autem demiſſis in eum locum gemmis auroque, ad priſtinum ſtatum terra non rediret, Ancharus Midæ filius patriæ quam ſalutis ſuæ amantior, interpretatus Oraculum in hanc ſententiam: Quod vitæ hominis conferri res nulla inter humanas poſſit, prius patrem vxoremq; complexus, in eam voraginem, vt Calliſthenes in hiſtoria tradit, equo inſidens ſaltu ſe demiſit. Campo fulg. lib. 5. cap. 6.

Embarus filiam ſuam ſacrificat.

Olim Piræus inſula fuit, in ea cum Munychus principatum obtineret, templum inſtituit Dianæ, cui cognomen additum Munychiæ. Deinde cum vrſus quidam Dianæ ſacer ibi repertus, & ab Athenienſibus interfectus eſſet, fames ingruit: itum eſt ad Oraculum, quæſitumque malo remedium. Reſpondit Deus, ita demum finem mali futurum, ſi quis filiam immolaſſet numini. Vnus ibi repertus eſt Embarus, qui filiam ſuam ſolenni ritu ornatam ſacrificaret. Eraſmus in Chiliad. Hunc ad modum Satanas & homicidia, & idololatriam inter excæcatos mortales inuehere & ſtabilire eſt ſolitus.

Valer. Torquatus.

Paulo Æmilio in Pyrrhum, Epirotarum Regem, bellante, quum ab Oraculo reſponſum fuiſſet, Romanos fore victores, ſi quis eorum in voraginem ſe dimitteret, Valer. Torquatus ſponte ſe obtulit. Critolaus apud Plutarchum in Parallelis.

Marius filiam ſuam ſacrificat.

Cum aduerſus Cimbros Mario deſignata eſſet Prouincia, in ſomnis monitus eſt, victoriam de hoſtibus reportaturum, ſi filiam Calpurniam ſacrificaſſet. Id egiſſe eum Dorothæus Græcus, lib. 3. Italicarum rerum tradit. Cimbrorum quidem victorem euaſiſſe, nulli qui eius geſta legerit, dubium eſt. Fulg. lib. 5. cap. 6.

Erechtheus filiam ſacrificat.

Erechtheus bellum cum Eumolpo gerens, quum ab Oraculo accepiſſet futuram ſibi victoriam, ſi filiam immolaret, paruit, & conſenſu Praxitheæ vxoris puellam cecidit. Eurip. apud Plutar.

Lycurgus Legiſlator mortem ſibi ex amore patriæ conſciſcit.

Lycurgus ordinandis ſcribendisque legibus, quibus Lacedæmonij viuerent, præfectus cum eas diligenter ſcripſiſſet, populo oſtendit, ſibi Delphos eundum eſſe, rerum gratia ad eas leges pertinentium. Et ne interea, dum abeſſet, incepta iam per leges turbarentur, populum iureiurando adegit, ſe contra ipſas non iturum, quoad Delphis Lycurgus redijſſet. Pro-

fectus igitur cum responsum ab Apolline accepisset, leges ab ipso recte conditas esse, ne Lacedæmonem ipso redeunte, populus Sacramento se solutũ arbitraretur, decreuit ante perpetuo a patria exulare, quã redeundo salutem Lacedæmoniorum, quæ legibus illis constabat, in discrimen adducere. Itaq; monitis Lacedæmonijs quæ responsa ab Oraculo accepisset, sibi ipse ne in patriam rediret, mortem cõscisiuit. Maiori charitate patriam, quam vitam suam prosecutus. Fulg. lib. 5. cap. 6.

Mater Cleomenis magni animi mulier.

Fœdus cum Ptolemæo Ægyptio rege Cleomenes Spartanus Rex aduersus Antigonum Asiæ Regem atq; Achæos iniuerat, matremque ac filium manserat cum eo fidei, id est, ipsum sine eo pacem cum hoste non facturum, obsides dederat. Cum autem mater eius resciuisset, Cleomeni pacem Achæos honestissimis conditionibus offerre, scripsit, ne propter vetulæ corpus eam pacem omitteret, quam patriæ honestam salutaremque duceret. Maiore enim animo, quam pro fœminæ captu, vitam pro patria obtulit.

Pub. Rutilij in patriam charitas.

Clare Pub. Rutilius, quanta ipsius in patriam charitas esset, ostendit. Nam cum exulem ipsum amicus moneret, parari ciuile bellum, vnde reditum in patriam breui sperare posset: Respondit ei, Quibus te incommodis vnquam affeci, quod mihi maiori acerbitate reditum in patriam, quam inde profectus sim, exoptare ostendis? Ciuium enim meorum quietem pluris quam reditum meum facio, maloque vt exilij mei eos pudeat, quam vt propter reditum meum patria defleat. Fulg. loco citato.

Zeno Imperator patriæ quietẽ imperio præfert.

Constantinopolitanus Imperator Zeno, cum apud Chalcedonem bellum gereret, vt accepit a Verrina socru, fratrem Basiliscum Imperatorem esse creatum, etsi permulti, vt Constantinopolim rediret, hortarentur, spe data armis in imperium rediturum (quia ea res permultis in vrbe molesta acciderat, qui sumptures se pro eo arma pollicebantur) patriæ charitate motus, cuius quietem imperio potiorem ducebat, respondit: Nolle, vt sui gratia inter ciues arma mouerentur, atq; vt omnes suspicione liberaret, in Isauriam se recepit. Vnde haud multo post depulso Basilisco, populus eum reuocauit, atq; imperio restituit. Rarum profecto exemplum, & cuius memoria celebretur, dignum, pluris patriæ quietem, quam imperium facere, quod a multis etiam vitæ præpositum fuit. Ibid.

Damatria Spartana cum filiũ accepisset vili atq; ignauo animo esse domũ reuersum, manu sua occidit, ac Græcis versibus sepulchro inscripsit:

Τὸν παραβάλλα νόμους Δαμάτελον ἔκτανε μάτηρ,
Ἁ Λακεδαιμονία ἁ Λακεδαιμόνιον Id est:
Transgressum leges mater Damatria natum,
Ipsa Lacæna necat non Lacedæmonium.

Hoc facinus propius accedit ad barbaricam immanitatem, quam ad fortitudinem, vtile tamen exemplum est ad exprobrandam vulgo matrum nimiam in liberos indulgentiam, quæ ob hoc ipsum sæpe impotentius amant eos, quod sint nequitia corruptissimi.

Alia cum ex prælio redeuntem filium interrogasset, quo in statu res patriæ versarentur: Et is mortuos omnes respondisset: arreptam tegulam in filij caput ita impegit, vt eo vulnere moreretur. dixit enim: Ergo te solum ad rem fœuam tristemq; nuncium miserunt?

Eristhenes a matre in media interfectus est, quod male in bello pugnasset. Ouid. in Ibin.

Obstrictus q; famem patiaris limine tecti,
Vt legem pœnæ cui dedit ipsa parem.

Mardonius occupata Attica, Legatos misit ad Athenienses ad Salaminem congregatos, qui hortarentur, vt certis conditionibus se Persis dede-

rent.

rent. Sed tanta fuit magnitudo animorum, vt non sint admissæ vllæ conditiones deditionis. Cum autem ciuis quidam Athenienſis, quem Herodotus Lycidam nominat, Demosthenes Cyrſilum, ſuaſor eſſet accipiendi conditiones, cæteri ciues Athenienſes lapidibus eum obruerunt. Necarunt & mulieres Atticæ vxorem eius lapidibus, adeoque liberos. Tantus fuit ardor animorum in defenſione patriæ, quia barbaros ſciebant abolitis legibus, & diſciplina Græciæ, crudeliter imperaturos eſſe, & coniuges, filios, filias & facultates erepturos, quib. vellent. Herod. lib. 9. Chron. Philip. lib. 2.

Lycidas qui & Cyrſilus, ab Athenienſibus lapidatur.

Darii Perſarum Regis Legatos, terram & aquam petentes, Lacedæmonii in puteos deiecerant. Ob quam Legatorum violationem Lacedæmoniis ira Thalthybij, qui fuit Agamemnonis præco, incubuit. Eſt autem Spartæ Thalthybii templum, cum eius poſteris, qui Thalthybiadæ nominantur, quibus honos legationis Spartanorum ſemper tribuitur. Graui itaq; laborantes peſtilẽtia Spartani, cum ob eam cædem morbo illo ſe affectos, arbitrarentur, exiſtimarunt, malorum ſe nunquam finem habituros, niſi prius pro cæde violatoque iure gentium Perſarum Regi ſatisfeciſſent. Itaque edixerunt, Si quis pro patria mori vellet, is ad ephoros ſe conferret. Ibi Spertius Aneriſti, & Bulis Nicolai filius viri Spartiatæ & natalibus & opibus inter primos, vltro ſe obtulerunt, ad ſatisfaciendum ſua pœna Xerxi Darii filio. Eam rem plurimum miratus Xerxes, nõ ſolũ iniuriæ ſatisfactionem cum vita dono eis dedit, verum ingentibus quoq; promiſſis apud ſe eos retinere contendit. Cui vterque reſpondit in hæc verba: Quam rẽ arbitraris o Rex tanti apud nos eſſe poſſe, vt a patria nos ſeparet, cuius gratia tam lõgum iter emenſi vitam ipſam effundere voluimus. Herodot. lib 7. Fulgoſ. lib. 5. cap. 6.

Legati Perſarum in puteos deiecti.

Sperthius & Bulis vltro pro patria mori ſe offerunt.

Codrus, Melanti filius, Rex Athenienſium vltimus, cuius Imperium incidit in 67. annum Samuelis, cum ingenti hoſtium exercitu Attica regio debilitata ferro, ignique vaſtaretur, diffidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos ſciſcitatus eſt, quonam modo illud tam graue bellum diſcuti poſſet. Reſpondit Deus, ita illi finem fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet. Quod quidem non ſolum totis Athenienſium caſtris, ſed etiam contrariis percrebuit. Eoque factum eſt, vt ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id poſtquam cognouit, depoſitis inſignibus imperij, familiarem cultum induit, ac pabulantium hoſtium globo ſeſe obiecit: vnumq; ex his falce percuſſum, in cædem ſuam compulit: cuius interitu ne Athenæ occiderent, effectum eſt. Trogus, Val. lib. 5. cap. 6. & Guid. Bituricen.

Codrus vltimus Athenienſium Rex.

Iulianus Imperator in expeditione Perſica, cum in Romanorũ ditionem regredi pararet: Senex quidam, qui vitam pro communi Perſarum ſalute deuouerat, conſulto, vt caperetur, Romanis occaſionem præbuit. Ad Imperatorem ductus, pollicitus eſt, exercitum ſe quam primũ ad Romanorum fines ducturum. Quem cum Iulianus cum exercitu ſequeretur, triduiq; iter progreſſus eſſet, in locos incultos incidit & viæ dux totus conſilium ſuum, ſua videlicet ſponte propter ciues & populares ſuos, ſe ad mortem procurriſſe, cruciatusq; omnes perferre paratum eſſe profeſſus eſt. Vbi cum in ſummo diſcrimine verſaretur exercitus, difficultate itineris, & alimentorum penuria confectus, derepente ſplendida Perſarum acies adeſt, fuſisq; Romanorũ copijs, ipſe quoq; Iulianus allapſa ſagitta, incertum qua pulſa manu, quo turbine adacta, lethaliter vulneratur. Sozom lib. 6. Niceph. lib. 10. cap. 34.

Senex quidam pro ſalute Perſarũ ſe deuouet.

Lucullus Imperator ad direptionem incitantibus, dixit, ſe malle vnum militem Romanũ ex hoſtium manibus eripere, quam vniuerſas hoſtium fortunas ſibi vindicare.

Anto-

Antoninus Pius adamabat illam Scipionis Africani celebratissimam sententiam subinde dicens: Se malle vnum seruare ciuem, quam mille hostes occidere.

Agesilaus, Rex Spartanus, militibus denunciabat, ne captos tanquam iniustos plecterent, sed quasi homines custodirent. Sæpe quoties mutabat castra, si animaduerteret paruos mercatorum pueros relictos esse, cubabat vt hi quoque aliquo deportarentur. Si qui captiui ob senectutem relinquerentur, imperabat vt horum etiam haberetur cura, ne vel a canib. vel lupis discerperentur. Qua sua humanitate magnam sibi apud omnes benevolentiam conciliauit. Hodie ii strenui maxime perhiberi volũt milites, qui nulli ætati, nulli demum sexui parcunt, Vide Xenophontem in Agesilaum.

Darius, Histaspis filius, initio regni Babylonem, quæ a Persis defecerat, post longam obsidionem vicesimo mense recepit, astutia Zopyri, qui cum sibi nares & aures præcidisset ipse, Babylonem venit cruenta facie, simulans, se a Rege hac contumelia affectum esse, quod hortator fuisset relinquendæ obsidionis, vehementer accusans Regiam sæuitiam. Hæc credentes Babylonii, præficiunt eum exercitui, qui primum, vt ei plus fidei esset, lenibus præliis vicit Persas, aliquanto post autem vrbem Dario tradidit. Tanto autem in honore postea Zopyrus apud Darium semper fuit, vt cũ Darius pomum Punicũ in manu teneret, dixerit, se non optare maiorem thesaurum vllum, quam vt tot haberet Zopyros, quot grana sint illius pomi, significans, Regibus nihil vtilius esse fidelibus amicis. Autor Herod. Trogus, Chron. Philip. lib. 2.

Zopyri fides erga Regẽ Darium.

Sardanapalus omissa subditorum & patriæ cura inter scortorũ greges purpuram colo nere, & muliebri habitu pensa inter virgines partiri nõ erubuit. Quæ eius ignauia & mollities effecit, vt deficerent ab eo Medi, imperiumq; Assyriorum euerteretur. Trogus lib 1.

Patria salutẽ neglexit Sardanapalus.

Anaxilaus Bizantium Lacedæmoniorum nomine cum præsidio tenẽs, multis fame intra mœnia pereuntibus, deditione facta hostes intromisit. Ob quod factum Spartæ capitis arcessitus est, vt qui hostibus vrbem prodidisset. Contra Anaxilaus, quod vrbem minime prodiderit, se excusans excusatione satisfecit ephoris, & absolutus est. Nam quamdiu cum hostibus bellum est, ducis & præfecti est tueri ciuitatem sibi commissam. Sed cum aduersus naturam ipsam pugnandum fuerit, quouis modo subditorum, imbellisq; turbæ saluti consulendũ est. Idcirco vt pater patriæ Anaxilaus hic laudãdus est, qui noluerit ea æquitia in suos grassari, quo obstinati duces & milites in Hierosolymitana obsidione in miseram turbam grassati fuere.

Anaxilaus patriæ seruator.

Aduersus hostes, non aduersus naturam pugnãdum.

Poterat Æmylius Paulus Cañensi acie tametsi vulneratus, viuus tamẽ & omnis culpæ expers, in tutum euadere, sed legionibus cæsis noluit, repudiato equo, qui illi ad fugam a Lentulo deferebatur. Quin imo saxo sedens, macte inquit ista virtute C. Corneli, abi nuncia publice patribus, vt vrbem Romam muniant, firmentq; præsidiis ante hostis aduentũ, meq; (vt decet) sinito inter meos milites expirare. Mira Imperatoris charitas, qui non potuit patriæ, quæ superstes erat, non esse memor, paulo post expiraturus. Liuius & Sabel lib. 5. cap. 2.

Æmylius Paulus.

Imperator Ferdinandus cum Norinbergæ moraretur, ex primario Senatore quærebat, quanã arte tantampopuli multitudinem regerẽt, adeoq; in officio retinerẽt? Respondit ille: Rex clemẽtissime, bonis verbis, & atrocibus pœnis. Quod sane ingeniosissimi hominis sapiẽs fuit responsũ. Ea enim in Imperio obseruanda ratio, vt humanitas in verbis erga subditos exerceatur, & seueritas in pœnis aduersus delinquẽtes adhibeatur.

Multitudo populi quo modo in officio retineatur.

Antigo-

Regnū nobilis seruitus.

Antigonus cum cerneret filium suū se violentiorem, & immodestiorem erga subditos gerere, An, non, inquit, nouisti fili, nostrum regnum esse nobilem seruitutem? Atq; hęc Antigoni verba, quibus filium alloquutus est, maximam mansuetudinem, & humanitatē præ se ferunt. Qui id non approbat, is vero mihi videtur neq; Regem, neq; ciuem nosse, sed tyrannicam potius vitam agere. Ælian. lib. 2.

Ex Satanico oraculo humano litatur sanguine.

Quodam tempore, quum annonæ caritas Atticam premeret, consulta Oracula cecinere, finē malo non prius futurū, quam aliqua immolaretur puella. Id vbi resciuit Leos Orphei filius, publico permotus bono filias suas Phasithean, Theopen, Eubulen exhibuit immolandas. auctor Suidas.

Chlœlia virtus.

Chlœlia inter cęteras virgines Regi Porsenę a Romanis obsęs data, nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit, celerique traiectū fluminis, non solum obsidione, sed etiā metu, patriam soluit. Viris puella lumine virtutis præferenda. Liuius lib. 2. Val. lib. 3.

Brutus Cōsul pro patria occumbit.

Amoris erga patriā tanta vis est, vt multi salutis suę impendio cum testati sint. Brutus consul primus, qui amore ductus patriæ nec propriis pepercit liberis, cum Arunte Tarquinii Superbi filio regno expulsi in acie ita equo concurrit, vt pariter illatis hastis vterq; mortifero vulnere ictus exanimis prosterneretur.

Genitius Cippus.

Genitio Cippo, prætorij paludato portam egredienti noui & inauditi generis prodigiū incidit. Namq; in capite eius subito veluti cornua emerserunt, responsumque est, eum Regem fore, si in vrbem reuertisset. Quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum sibimet indixit exilium.

Ælius prætor.

Genitius laudis huius successionem Ælio prætori tradidit, cuius dicenti, cum in capite picus consedisset, aruspex que affirmasset, conseruato eo, fore domus ipsius statum fœlicissimum, Reipub. miserrimum, occiso, in contrarium vtrumq; cessurum: e vestigio picum morsu suo in conspectu Senatus necauit: decem & septem militū familiā, eximiæ fortitudinis viros Cannensi prelio amisit. Respub. procedente tempore ad summum imperij fastigium excessit. Valerius libro quinto, cap. sexto. Ouid. Metamorph. vltimo.

Scipio Africanus patriæ seruator.

Non est extinctus pro Repub. Superior Scipio Africanus, sed admirabili virtute, ne extingueretur prouidit. Siquidem cum afflicta Cannensi clade Vrbs Romana nihil aliud quam præda esse Hannibalis videretur: ideoq; reliquæ prostrati exercitus deferendę Italiæ, auctore Quinto Metello, consilium agitarent, Tribunus militum admodum iuuenis, iurare omnes nunquam se relicturos patriam coegit: pietatemque non solum ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem reuocauit.

Publicanorum erga patriam amor.

Cum secundo Punico bello exhaustum ærarium, ne Deorum quidem cultui sufficeret: publicani vltro aditos censores hortati sunt, vt omnia fic locarent tanquam Respub. pecunia abundaret, seque præstaturos cuncta nec vllum assem, nisi bello confecto, petituros polliciti sunt.

Militum & ciuium in bello aduersō Hannibalē erga patriā amor.

Domini quoq; eorum seruorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnā Beneuenti manumiserat, precia ab Imperatore exigere superfederunt. In castris etiam non eques, non centurio stipendium sibi dari desiderauit. viri, ac fœminæ, quicquid auri argentiue habuerunt, item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt, ac neque beneficio Senatus, qui muneribus his functos tributi onere liberauerat, quisquā vti voluit, sed insuper hęc omnes promptissimis animis præstiterunt. Non ignorabant enim captis Veijs, cum decimarum nomine, quas Camillus vouerat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret, neque emēdi eius facultas esset, matronas ornamenta sua in ærarium

ratium retulisse. Similiterq; audierant, mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione Capitolij promissa debebantur, earum cultu expleta. Itaque & proprio ingenio, & exemplo vetustatis admoniti, nulla sibi in re cessandum existimauerunt.

Matronæ aurum pro Reipub. salute conferunt.

Cum inter Carthaginem & Cyrenas de margine agri pertinacissima cõtentio esset, ad vltimum placuit vtriq; eodem tempore iuuenes mitti, & hoc pactum duo fratres Carthaginenses, nomine Phileni, perfidia præcurrere citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis: quod cum intellexissent Cyrenensium iuuenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate conditionis iniuriam discutere conati sunt: dixerunt namque, sic eum finem ratum fore, si Phileni viuos se ibi obrui passi essent: sed consilio euentus non respondit. Illi enim nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt.

Philenī duo fratres in patriæ gratia vitam proiecisunt.

Aristoteles Athenis in lectulo iacens, non potuit tamen non esse solicitus de patria. Quam quum euertisset Alexãder, ab eodem literis obtinuit, vt instauraretur. Vide Val. Max. lib. 5.

Aristoteles patriæ instaurationē impetrat. Generosa Epaminondæ mors.

Epaminondas, inclytus Thebanorum Dux, cum aduersus Agesilaum, Spartanorum regem, non procul a Mantinea prælium ipse cieret, & cedere hostes cogeret, vulnus accepit. In castra itaque relatus semianimis, vt vocem spiritumque collegit, id vnum a circumstantibus requisiuit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis, quod vt seruatum audiuit, allatum velut laborum gloriæque socium osculatus est. Hinc vtri vicissent interrogat: Cumque victores esse Thebanos diceretur, sibi demum spiculum, quo erat transfixus, euelli iussit, patriæq; gratulans, placide mortuus est. Trogus lib. 6. Chron. Philip. lib. 2.

Dulce & decorum est pro patria mori. Horat.

Fabius apud Silium filium suum grauiter his verbis instruit:

Iamque hoc ne dubites longæui nate parentis
Accipe, & aterno fixum sub pectore serua:
Succensere nefas patriæ, nec fædior vlla
Culpa sub extremas fertur mortalibus vmbras.
Sic docuere senes.

Cum Senatus consentiens cum populo Romano Augustum, Patrem patriæ, per Valerium Messalam cõsalutaret, lachrymans respondit his verbis: Compos factus votorum meorum, patres C. quid habeo aliud deos immortales precari, quam vt hunc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat? Sueton. in August.

Augustus pater patriæ.

Pythagoras interrogatus, quid patriæ ingratæ præstandum esset? Idem quod matri respondit.

Phocioni inique ab Athenienſibus capitis damnato, cum poculum cicuta temperatum porrigeretur, percontatus est quispiam, si quid filio vellet dicere. Nam is aderat. Ego, inquit, tibi fili præcipio, atque etiam obsecro, ne quid ob huius rei memoriam Athenienſibus male velis. Cæteris morientibus præcipuum solatium esse solet spes vindictæ: Huic illud curæ fuit, ne filius patris iniustam necem vlciſceretur, maluitq; illum in patriam, quam in patrem seruare pietatem.

Phocion.

Aristides Athenienſis post multa in Rempub. beneficia, tandem sua virtute incidit in odium malorum, quorum inuidia pulsus in exilium, cum vrbe discederet, manibus ad cœlum sublatis precatus est, ne Athenienſium rebus occasio ingrueret vnquam, quæ meminisse populum Aristidis cogeret. Plutarch.

Timotheus Dux Athenienſium quærenti cuidam, num etiam apud memorem & gratam patriam, operam suam & beneficia reponant, respondit:

modo

modo nos patriæ dignas referre gratias queamus, monẽs si vel periculum vel laborem patriæ nomine subeamus, non id spectandum, quomodo nobis referantur gratiæ, sed quomodo nos ipsos patriæ gratos exhibeamus.

Ageſilaus Rex Spartanus rogatus a quopiam, quam ob rem Spartanorũ Reſpub. præ cæteris, ſecundis rebus floreret, Quoniam, inquit, plus cæteris in hoc ſeſe exercent, vt pariter & imperare, & parere ſciant. Quæ duæ res a ciuibus excludunt ſeditiones, & tuentur concordiam.

Eidem oſtendebat quidam ciuitatis cuiuſdam muros bene tutos valideque extructos, quumque rogaſſet, Viden turne pulchri? Pulchri, inquit, per ſouem, verum apparet in hoc paratos, vt mulieres inhabitent, non viri: ſentiens non alijs mœnibus rectius communiri ciuitatem, quam ſtrenuis ciuibus.

Alij cuidam percontanti, quam ob cauſam Sparta nõ cingeretur mœnibus, oſtendit ciues armatos, Hi, inquiens, ſunt Spartanæ ciuitatis mœnia: ſignificans Reſpub. nullo munimento tutiores eſſe, quam virtute ciuium.

Pompeius annonæ procurator.

Quum ingens rei frumentariæ Romæ eſſet penuria, Pompeius titulo quidem annonæ procurator, re autem vera maris terræq; dominus declaratus, in Africam, Sardiniam ac Siciliam nauigauit, multaq; frumenti vi collecta, properabat ire Romam: verum cum ingenti tempeſtate oborta naucleri detrectarent nauigationem, ipſe primus nauim ingreſſus iuſſit anchoras tolli, clamans, vt nauigemus vrget neceſſitas, vt viuamus nõ vrget: Significans patriæ periclitantis habendam rationem potius, quam priuatæ incolumitatis.

Pomponius vir inſignis multis vulneribus in bello acceptis, cum ad Mithridatem adductus ab eo quæreretur, an ſi curaret eum, vellet ſibi eſſe amicus? Si tu, inquit, Romanis amicus fueris, me quoq; amicum habebis.

Dion Syracuſanus vſque adeo patriæ ſtudioſus habitus eſt, vt animum ſemper adiecerit ad eam liberandam a Dionyſij tyrannide. Quod tandem fecit virtute, pulſo in exilium tyranno.

Damarathus Lacedæmonius patria pulſus, quum Athenis exularet, nõ potuit tamen ſuos non monere belli, quod tacite parabant Athenienſes.

Themiſtocles Athenis patria pulſus, coactus eſt ſe recipere ad Xerxen Perſarum Regem, quem prius debellauerat. A quo mira exceptus beneuolentia, & hoſpitalitate, cum poſtea ſolicitaretur ad inferendum ingratæ patriæ bellum, mortem ſibi conſciuit, epoto ſanguine taurino.

Argiuis Thebas obſidentibus, Menœceus Thebanus pro patriæ ſalute ſe e muris præcipitem dedit, gladio iam perfoſſus. Statius:

—Inſignemq; animam mucrone coruſco
Arripit, atq; vno quæſitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc ſpargit turres, & mœnia luſtrat,
Seq; ſuper medias acies nondum enſe remiſſo
Iecit, & in ſuos cadere eſt conatus Achiuos.

Tres fuere Decij, qui pro ſalute patriæ ſe deuouere. Pater cum Latino bello Romanorum aciem inclinatam pene, & iam proſtratam videret, ſe ipſum deuouit, ac protinus concitato equo in medium hoſtium agmen, patriæ ſalutem, ſibi mortem petens irrupit. Filius in quarto Conſulatu Q. Fabij collega aduerſus Gallos & Samnites profectus, pro patria fortiſſime pugnans occubuit. Nepos perijt in bello Pyrrhi, quod geſſit pro Tarentinis. Meminit horum Cicero 1. Tuſc. Quæſt. & primo Parodoxo.

DE PRODITORIBVS PATRIÆ.

QVa pœna Iudas Machabæus transfugas & proditores patriæ affecerit, primo capite primi Machabæorum exponitur.

Sabinis

Sabinis Romam obsidetibus, Rex eorum Tatius Tarpeiam filiam Sp. Tarpeii, qui Romanæ præerat arci, auro corrumpit, vt armatos in arcem accipiat, aquam forte ea tum sacris extra mœnia petitũ ierat, accepti obrutam armis necauerunt, seu vt vi capta potius arx videretur; seu prodendi exempli causa, ne quid vsquam fidum proditor esset. Additur fabula, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo, gemmatosque magna specie annulos habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent, eo scuta illi pro aureis donis congesta. Liuius libro primo. *Tarpeia patria prodit.*

Metius Suffetius Romanorum ex pacto socius, aperte aduersus Romanos bellum mouere non ausus, ad defectionem & bellum Fidenates & Veios concitat, suis per speciem societatis proditionem reseruat. Cum ergo Fidenæ Veijque aperte defecissent, Tullus Rex Romanorum Metio etiamque exercitu Alba accersito contra hostes aciem educit. Cumque vtrinque aduersis copijs in prælium ferrentur, Metius Albanorum Dux, Romanorũ deserto agmine sensim ad montes succedit. Consilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare vires. Romani vt nudari latera sua sociorum digressu senserunt, vehementer terrebantur. Tullus, vt animum suis redderet, terrorque ad hostes transiret, clara voce, vt hostes exaudirent, suo iussu circumduci Albanum exercitum, ait, vt Fidenatium nuda terga inuadat. Moxque armis commissis, magno prælio Veij Fidenatesq; funduntur. Tum Albanus exercitus, spectator certaminis, deductus in campos, Metius Tullo deuictos hostes gratulatur. Cuius ille perfidiam & proditionem memorabili exemplo puniturus, corpus eius duabus quadrigis alligari, equisque in diuersum iter concitatis, in diuersas partes dissrahi mandat. Primum vltimumq; illud supplicium apud Romanos exẽ. plũ parum memoris legum humanarum fuit, in alijs gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas. Liuius lib. 1. *Metius Suffetius, Dux Albanus.*

Coniurarant Romani adolescentes nobiles, & inter eos ipsius quoque Bruti Consulis filij, de regibus Tarquinijs, Bruti opera & virtute paulo ante eiectis, noctu clam in vrbem recipiendis, Senatuq; vna cum patria ijs prodendo. Quod nefarium eorum consilium cum resciuisset seruus, cui nomen Vindicio, ad Consules Iunium Brutum, & P. Valerium defert, qui adolescentes de improuiso comprehensos, literisq; ipsorum ad Tarquinios datis, sceleris conuictos, virgis cædi, & securi iusserunt feriri. *Brutus in suos liberos seuerus.*

Huc refer exemplum de Pausania rege Spartano, quod in præcedentibus positum est sub titulo, De seueritate parentum erga liberos.

Pausanias iste cum Persis aduersus patriam conspirarat, cumq; ad vrbẽ ab ephoris reuocatus, animaduertisset illud agi, vt comprehenderetur, in Palladis asylum confugit. Vnde cum religio esset, vi eum deducere, decreuerunt ephori in eo inclusum ad mortem fame compellere. Quod eius mater cum intellexisset, ipsa esse voluit, quæ ante alios ad obstruendas tẽpli fores materiam perferret. Hac enim seueritate in filium pro patria vti voluit, quanquã vnicum illum haberet, & is præter multas virtutes, quibus ornatus erat, multas quoque insignes victorias peperisset.

Sub Henrico Quarto proditoribus patrię ea pœna irrogata fuit, vt alligatis ad palum vterus nouacula a pudendis ad crates vsque pectoris dissecaretur, euulsisque intestinis & extis cor circumstantibus spectandum exhiberetur. *Proditorũ patriæ pœna.*

Post cæsum Syracusanũ regem Hieronymum, Andronodorus, & Themistius a coniugibus regio stemmate ortis, ad affectandam tyrannidem incitati, res nouas, patriæque exitiales clam moliebantur. Andronodorũ Damarata vxor Hieronis filia inflata regijs animis, ac muliebri spiritu omnibus modis ad regnum occupandum stimulat, nec minus Themisti- *Syracusana seditio.*

um Gelonis filia Harmonia ad regiam potentiam acquirendam inflammat. Proditis eorum consilijs Prætores, consultis senioribus, ingressos in curiam, Themistium atque Andronodorum interfecerunt. Hinc ad populum tumultuantem delata, cum regiæ coniuges omnis mali authores esse dicerentur, præcipiti iudicio sententia lata est, nullam earum viuere debere, nec quenquam superesse tyrannorum stirpis, protinusque missi a Prætoribus, qui Damaratam Hieronis, & Harmoniam Gelonis filias, coniuges Andronodori & Themistij interfecerunt. Erat præterea Syracusis & altera Hieronis filia Heraclea, ignara consiliorum sororis, quæ in eodem tumultu cum duabus filiabus virginibus ab altaribus auulsis miserabiliter licet insons interfecta est. Nempe hæc natura multitudinis est, aut seruit humiliter, aut superbe dominatur. Liuius lib. 24.

Ludimagister perfidus.

Camillo Phaliscos obsidenti ludimagister liberos Phaliscorum, tanquam spatiandi causa, extra murum eductos tradidit: dicens, repetendis obsidibus ciuitatem imperata facturam. Camillus non solum spreuit perfidiam, at Magistrum, reuinctis post tergum manibus, pueris dedit verberandum, & ad parentes cum plagis reducendum. Phalisci ob hanc iustitiã sponte deditionem fecerunt. Liuius lib. 5. Claudianus in Rufinum. Ductosque Camillus trans murum pueros obsessæ reddidit vrbi.

Romanis in Latinos certantibus, Cassius Signifer Crassum Brutum filium occidit, quod is patrem prodere, & hostibus portas aperire voluisset. Rauisi.

Cillicon patriæ proditor.

Cillicon Milesius prodita Prienensibus Mileto patria, ampliter quidem, sed fœde ditatus est. Commigrarat autem Samum Theagenes quidam Syrius, atque illic vendebat carnes. Ab hoc cum Cillicon carnes emere vellet, tradidit ille, vt quod superesset amputaret. At ille porrecta machæra, manum hominis abscidit, ista, inquiens, manu non prodes alteram ciuitatem. Eras. in Chiliad. Bruso. lib. 5. cap. 6.

Proditores vbiq; odiosi.

Quum in conuiuio Rhœmitalces, Thracum rex, qui ab Antonio ad Augustum desciuerat, insolentius iactaret sua erga Cæsarem merita, ac fine fine exprobrans belli societatem molestus esset, Cæsar dissimulata illius petulantia, alteri cuidam regum propinans dixit, Proditionem amo, proditores non laudo. Significans his, qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ. licet enim officium, quod præstant pro tempore, gratum fit, ipsi tamen habentur pro malis ac fœditragis.

Rex Macedonum Philippus, & C. Cæsar dicere quoque soliti sunt: Proditorem quidem primum se amare, sed vbi prodiderit, extremo odisse & aduersari.

Quum Brennus, Senonum Dux, Ephesum obsideret, Demonica mulier auiditate monilium, quibus ille ornatissimus enitebat, vrbem ipsam prodidit. Brennus vero vrbem ingressus, tanto auro fœminam oneranit, vt dedita opera oppresserit viuam, muliebrem illam pertęsus auaritiam. Eandem ob causam Tarpeia virgo Romana Capitolium Sabinorum regi Tatio prodidit, de qua paulo ante.

Aurelianus quum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit: Canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites erecti sunt in spem prædæ, & Heradamon Tyanensis, metu ne cum cæteris occideretur, prodidit ciuitatem. Qua capta, Aurelianus Heradamonem, patriæ proditorem, occidit. Militibus ex Cæsaris promisso direptionem oppidi flagitantibus respondit: Agite canem me negaui relicturum, canes omnes occidite. Hoc pacto & proditori mercedem rependit, & militum auaritiam elusit. Videtur autem hic sermonis color sumptus ab Ebræis, in quorum literis reges, qui minantur internecionem, negant se quenquam reli-

sturos, vsq; ad mingentem ad parietem, canem hac Periphrasi significantes. Erasm. in Apophtheg lib. 6.

Anno tricesimo nono, supra sesquimillesimum, ex Anglia nunciabatur, Pontificem Romanum magnis pollicitationibus cognatos regis Anglici solicitasse, vt regem suum tanquam apostatam interficerent, gloriatumq; se hæredem regni esse legitimum, idque transferendi in alios potestatem habere, eaque de causa se cognatis regis illud assignare: detectis autem his Pontificis machinationibus, regem in omnes coniuratos subito comprehensos animaduertisse, eosque capitis supplicio affeciisse.

Pontificis erga regem Angliæ perfidia.

Anno 1260. Episcopus Colonienſis ciuitatem suis spoliatam priuilegijs sibi subijcere, sed frustra, conatus est. Educabant eo tempore in gratiam & honorem Episcopi catulum leonis duo Canonici, qui æstuantes odio aduersus Consulem Hermannum Grin, eum simulata amicitia ad prandium inuitarunt, venientem ad leonem famelicum duxerunt, incautumque & nihil minus metuentem in lustrum leonis impulerunt, clausoque ostio cum a leone certo deuoratum iri putabant. At Consul videns periculum vitæ suæ, illico sinistram pallio inuolutam, rictui bestię adsilientis immittit, eamq; dextra iugulans illæsus euasit, missisque lictoribus comprehensos istos Canonicos ad trabem iuxta cathedrale monasterium suspendi mandauit. Munster. lib. 3.

Canonicorū aduersus Consulem Colonienſem perfidia.

DE TRANSFVGIS.

Q. Fabius Maximus omnium eorum, qui ex præsidijs Rom. ad hostes transfugerant, captiq; erant, manus abscidit, vt trunca præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis inijcerent. rebelles itaque manus a corporibus suis distractę, inq; cruentato solo sparsæ, cæteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt. Valerius Maximus, libro secundo, capite secundo.

2. Africanus Superior aliquid ab alienissima crudelitate sibi amaritudinis mutuandum existimauit: si quidem deuicta Carthagine, cum omnes, qui ex Romanorum exercitibus ad Pœnos transierant, in suam potestatem redegisset, grauius in Romanos, quam in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos socios securi percussit.

3. Africanus posterior euerso Punico Imperio exterarum gentiū transfugas, in edendis populo spectaculis, feris bestijs obiecit.

4. L. Paulus Perse Rege superato, eiusdem generis, & culpæ homines elephantis proterendos substrauit.

5. Grauem etiam iram aduersus illos Senatus Romanus distrinxit, qui apud Cannas Rempub. deseruerant. Nam cum eos grauitate decreti vltra mortalium conditionem relegasset, acceptis a M. Marcello literis, vt eorum sibi opera ad expugnationem Syracusanorum vti liceret, rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur. Sic enerues animos odisse virtus solet.

6. Cum fortissime aduersus Ligures pugnans Quintus Petilius occisus esset, Senatus legioni neq; stipendium anni procedere, neque æra dari voluit, quia pro salute Imperatoris hostium telis se non obtulerant.

7. Octo Romanorum millia in castris capta habebat Hannibal, quorum redimēdorum potestatem cum senatui fecisset, Senatus conditionē spreuit, memor tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse.

8. Clearchus, Lacedæmoniorum dux, egregio dicto disciplinam militiæ continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando, a militibus im-

peratorem potius, quam hostem metui debere: quo aperte denunciabat futurum, vt spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent. Idq; a duce præcipi non mirabantur, maternarum blanditiarum memores, quæ exituros eos ad præliandū monebant, vt aut viui cum armis in cōspectum earum venirent, aut mortui in armis referrentur. Hoc intra domesticos parietes accepto signo Spartanæ acies dimicabant.

9. Athenienſium in defectores atrox fuit crudelitas. Æginetarum vnicuiq; pollicem e manu dextra resciderunt, vt hastam ferre non possent, remos vero commode agere possent. Mitylenensem vero iuuentutem occiderunt. Idemq; decretum factum est referente Cleone, filio Cleæneti. Captiuos vero Samiorum punctis in facie notabant, quę noctuam referrent, quod ipsum etiam Atticum erat psephisma. Ælianus libro secundo, de varia historia.

10. Apud Spartanos capitale erat, scutum in prælio amittere vel abijcere.

11. Romani ignauos milites summa notarunt ignominia, per omne tempus vitæ iureiurando adactos cibum potumque non nisi stantes capere iusserunt, transfugas vero capitali affecere supplicio. Alex. ab Alexandr.

12. Adeo indecorum penes priscos Germanos putabatur in acie scutum amittere, vt cui hoc contigisset, publicum consilium ineundi ius auferret, atque vbi sacra fierent, interesse prohiberent: qua ignominia multi cum premerentur, mortem manu sua sibi consciuerunt. Fulg. lib. 2. cap. 1.

13. Apud Dacos si qui per ignauiam infœliciter pugnassent, ea notabantur ignominia, vt dormituri inuerso corpore caput in locum imum pedib. destinatum reclinarent, vxoribusq; subiecti, ijs vt serui ministrarent.

14. Apud Macedonas, qui hostem in acie non strauisset, cingulo vti militari prohibebatur.

Nicolaus Canalis Venetæ Classis dux.

15. Non caruisse scueritate illa quoque dici potest pœna, qua Veneti Nicolaum Canalem affecerunt, quod Venetæ classis Dux, cum Mahomerus, Turcarum Rex, Eubœam Insulam oppugnaret, præ ignauia obsessis opem non tulisset. Reuersum enim perpetuo exilio damnarunt, inutilem eum ciuem ducentes, qui pluris vitam quam Christi religionem, patriæque honorem, atque tam multorum aliorum ciuium salutem fecisset. Res profecto vrbe illa digna, cuius imperium tam multos annos in Italia incolume mansit.

16. Alexander Magnus tribunum militum demandato sibi officio minus strenue fungentem capitis affecit supplicio: alium item oscitāter partes sibi commissas administrantem iaculo transfixit. Alex. ab Alexan.

17. In bellis apud Ægyptios, qui aut ordinem reliquissent, aut non parerent ducibus, non plectebātur, sed maxima omnium ignominia afficiebantur, qua postmodum virtute & recte facto deleta ad priorem statum redibant. Ea lex & homines assuefaciebat, vt id dedecus pessimū malum, morteque ipsa grauius censerent, & simul admonebat, mortuos nihil iam vitæ mortalium prodesse: Ignominia autem affectos plurimorum bonorum virtutis desiderio causam futuros.

18. Ægyptij ijs, qui belli consilia aut secreta hostib reuelassent, linguam eruebant, ac abscindebant, ne posthac nociua linguæ licentia patriæ ciuibus damno essent.

19. Dum apud Athesim Romani impetu Cimbrorum exterriti diffugerent, M. Scaurus filio suo illius consternationis & fugæ participi misit, qui diceret, se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, quam ipsum tam deformis fugæ reum visurum. Quo audito, filius animi dolore gladio suo se confodit.

20. Fabius Rullus, consul Romanus, complures, spectante exercitu, ca-

pitis-

pitis supplicio affecit, eo quod ordinis fuissent in prælio desertores. Frontinus lib.4.cap.1.

21. Iulianus Augustus, cum bellũ aduersus Persas gereret, & tres cohortes a paruo hostium numero in fugam compulsi essent, decem, a quibus primo fuga cœpta erat, militia exauctoratos capite mulctuit. Ea enim animaduersione cum par periculum fugæ ac pugnæ fecisset, resistendi hostibus dubitationem ademit, atque ita in prælio milites audaciores fortioresque reddidit.

22. Iuba Rex Mauritianæ milites ignauos, periculumq; pro patria subire horrentes, crucibus affixit.

23. Agesilaus, Rex Spartanus, cum in bello Peloponnesiaco Athenienses quosdam milites captiuos teneret, egregijs quidem armis conspicuos, sed nulla animi generositate aut fortitudine præditos, eos vestibus armisque exutos per castra circumduxit, vestes autem & arma inter honoratiores in exercitu suo milites distribuit. Alex. ab Alexand.

24. Lucius Calpurnius Piso Cos. cum in Sicilia bellum aduersus fugitiuos gereret, & Titius equitum præfectus, fugitiuorum multitudine hostium circumuentus, arma his tradidisset, his pręfectum ignominiæ generibus affici iussit, cum toga lacinijs abscissis amictum, nudis pedibus a mane noctem vsque, ad principia per omne tempus militię adesse. Interdixit etiam ei conuictum hominum, vsumque balnearum, turmasq; equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit. Valerius lib.2.cap.2.

25. Qu. Metellus, cum apud Contrebiam res gereretur, collocatas a se in quadam statione quinq; cohortes, atque ex ea viribus hostium depulsas, repetere eandem stationem e vestigio iussit: nõ quod speraret ab ijs amissum locum recuperari posse, sed vt præteritæ culpam pugnæ, in sequentis certaminis manifesto periculo puniret: edixit etiam, vt si quis ex his fugiens castra petijsset, pro hoste interficeretur. Qua seueritate compressi milites, corporibus fatigatis, & animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinemq; hostium superarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

26. Pyrrhus, Epirotharum Rex, cum in bello Tarentino magno prælio Romanorum copias fudisset, octo captiuorum ciuium millia Romam vltro remisit. Quos Senatus ea notauit ignominia, vt ex ijs, qui equo meruerant, peditum numero militarent: qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transscriberentur, neue quis eorum intra castra tenderet, neue locum extra assignatum, vallo aut fossa cingeret, neue tentorium ex pellibus haberet: recursum autem ijs ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. Quibus supplicijs compressi, ex deformibus Pyrrhi munusculis acerrimi hostes extiterunt. Valer. lib.2. capite 2.

27. M. Clodium Senatus Romanus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: quem ab hostibus non acceptum, in publica custodia necari iussit.

28. C. Vatienus cum sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abscidisset, Senatus publicatis bonis eius, ipsum æternis vinculis puniendum censuit: effecitque, vt quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

29. M. Curius consul cum delectum subitum educere coactus esset, & iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus tribubus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen vrna extractum citari iussit: neque eo respondente, bona adolescentis hastæ subiecit. Quod vt illi nunciatum est, ad consulum tribunal cucurtit, collegiumq; Tribunorum appellauit.

Tunc M. Curius præfatus non opus esse eo ciue Reipub. qui parcere nesciret, & bona eius & ipsum vendidit. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

DE GRATITVDINE ET INGRATITUDINE.

PVlcherrimam sanctissimamq; omnium virtutum Gratitudinem commendat, & a nobis exigit quartum Præceptum. Cum autem ingratæ mentis vitio plerique laborent, obliti & immemores beneficiorum vel a parentibus, vel alijs quibuslibet paterno animo erga ipsos affectis acceptorum, primum gratitudinis, hinc ingratitudinis exempla aliquot subnectemus, per quæ virtutis amor, vitijq; odium in animis adolescentium & cuiuslibet ætatis hominum, qui ab humanitate alieni non sunt, excitetur.

DE GRATITVDINE.

Rex Sodomorum erga Abrahamum gratus.

ABrahamus cum fusis quatuor Regibus omnes captiuos spoliaq; reduceret, in occursum ei exijt Rex Sodomorum, animumq; gratum declaraturus, iubet vt omnia spolia demptis animabus, sibi retineret. Gen. 14.

Laban erga seruũ Abrahami gratus.

Laban visis muneribus, quibus seruus Abrahami sororem eius ornarat, protinus ad virum exijt, eumque humaniter exceptum omnibus hospitalitatis officijs prosequitur. Gen. 24.

Pharao audita ex Iosepho somni interpretatione, vt gratum se declararet, amplissimis & honoribus & diuitijs eum cumulat. Genes. 41.

Nec minora gratæ mentis officia & munera Prophetę Danieli exhibuit Nabuchodonosor, Rex Babyloniorum. Daniel. 2.

Ietro, Sacerdos in Midian, Mosi fideliter seruienti, gratitudinem animi declaraturus, filiam suam despondet. Exod. 2.

Rahab meretrix eo quod abscondisset nuncios Israelitarum, cum vniuersa domo & cognatione sua a Iosua seruatur. Iosuæ 6.

Israelitæ erga Gedeonẽ grati.

Cum de manu Madianitarum filios Israel liberasset Gedeon, dixerunt ad eum omnes viri Israel, Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filij tui: quia liberasti nos de manu Madian. Iudicum 8.

Dauid gratus erga Abimelechum.

Abiathar occiso patre Abimelecho Sacerdote ad Dauidem fugit, qui memor hospitij, & beneficiorum, quæ a patre eius acceperat; humaniter eum excipit, Mane, inquiens, mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam tuam, quæret & animam meam, mecumq; seruaberis. 1. Samuel. 22.

Dauid erga Ionathanę gratus.

Nec Ionathanis fidei officiorumque vnquam fuit immemor Dauid, quippe qui post mortem eius, filio eius Mesphiboset omnia Saulis Regis bona assignarit, eumque Regiæ mensæ adhibuerit 2. Samuel. 9.

Elias erga Sareptanã gratus.

Magna etiam hospitalitatis suæ, quam erga Prophetam Eliam exercuerat vidua Sareptana, percepit præmia, dum eius precibus filium suum vnicum e mortuis excitari vidit. 3. Reg. 17.

Eliseus gratus Sunamitidi.

Propheta Elisæus gratus pro hospitio, Sunamitidi hospitæ suæ filium a Domino impetrat, eundemque postea mortuum suscitat. 4. Reg. 4.

Esther grata Mardochæo.

Regina Esther, a Mardochæo educata, tanta ei nutritionis præmia exhibuit, vt ea in vniuersam Iudæorum gentem dimanarent.

Quanto amore, quantisque gratitudinis officijs diuus Paulus omnes bene de se meritos prosequutus fuerit, patet ex Epistola ad Galatas quarto capite, ad Philippens. 4. 2. Timoth. 1.

Gratitudo virtus est, non solum maxima, sed etiã mater virtutis omniũ reliquarum. Cicero pro Plancio.

Aristoteles ait: Deo, Parentibus & Præceptoribus nunquam dignas agi posse gratias.

Nemo

Nemo Deo, charisq; parentibus atq; Magistris
Præmia pro meritis digna referre potest.

Cum in Græcia pestem ex Illyrico appropinquare diceretur, Hippocrates ex discipulis quosdam in diuersas Græciæ ciuitates dimisit, qui illis laborare incipientibus opitularentur. Quapropter eosdem, quos & Herculi, Græcia illi honores decreuit. Sabell. lib. 7. cap. 1. *Græcia erga Hippocratem grata.*

Athenienſium ciuitas eorum memor, quę Ariſtides pro ipſorum ſalute Perſarum bello egerat, honeſte dotatas a publico eius filias, ex publico palatio ad maritorum ædes deduxit, Lyſimachoque filio centum argēti minas & totidem agri iugera, quadraginta que drachmas in ſingulos dies, vnde viueret, contulit. *Athenienſes erga Ariſtidę grati.*

Artaxerxi, Xerxis filio, Perſarum Regi, cum per regnum obequitaret, e more munera populi offerebāt. Ruſticus autem quidā tranſeunte Rege, habere ſe nihil quod daret, cernens, ſtatim ad proximum amnem ſe contulit, vnde impletis aqua manibus ambabus, alios qui cum muneribus antecesſerant, currendo conſecutus, Regi aquam obtulit. Eo amoris argumento motus Rex, mille Daricos, & cum eis cantharum aureum ruſtico, quia gratitudine vinci ſe nolebat, dono dedit, Fulgoſius libro quinto, cap. 2. *Ruſticus aquam offert Artaxerxi.*

Inſignis fuit Iſocratis erga Præceptorem Theramenem pietas & gratitudo. Cum enim Theramenes a triginta Tyrannis comprehenderetur, & ad arā in curia confugiſſet: metu attonitis cæteris vniuerſis, ſolus Iſocrates ſurrexit, ei patrocinaturus. Quem Theramenes, collaudato eius officio, verba facere vetuit: teſtatus, priuata ſibi calamitate id fore acerbius, ſi cui amicorum ſua cauſa periculum crearetur. Plutarc. in vita Iſocratis.

M. Antonius Præceptoris ſui effigiem ſculptam in templo conſecraſſe dicitur, vt perpetuum gratitudinis ſuæ monumentum extaret.

Cum Agrippa ex iuſſu Tiberii propter falſas, ſuſpiciones catenis ante palatiū vinctus eſſet, vt inde in carcerē duceretur, vidit prætereuntē Thaumaſten Caii ſeruum aquæ pręgelidæ vas ferentem, cumque magna ſiti torqueretur, orauit eum, vt ſe bibere ſineret, quod ille cum amanter feciſſet, dixit Agrippa, ſe pro iſta re gratiā aliquando ei relaturum. Haud multo poſt igitur Tiberio Caius in principatu ſucceſſit, a quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus, atque in Iudæa Rex conſtitutus fuit, qui tunc a Caio impetrauit, vt eius precibus Thaumaſtes liberaretur. Itaque poſtea ſuorum in numero acceptum regni procuratorem fecit, moriensque teſtamento cauit, vt vxor & liberi eodem apud ſe loco Thaumaſten retinerēt. Quæ res exemplo ſatis eſſe poteſt, omnibus inſeruiendum, quantum fieri poteſt, ſemper eſſe, pręſertim his, qui magno orti ſanguine, aduerſa fortuna premi conſpiciūtur. Perſępe enim cōtingit, vt ob paruam rem gratiæ cum magno fœnore referantur. Fulgoſ. lib. 5. ca. 2. *Agrippa erga Thaumaſten gratus.*

Haud vulgaris illa fides in ſeruo, quod triumuirali conſpiratione proſcriptorum quendā fidelisſimus ſeruus ſepulchro texit, quoad ipſe ad mare occurreret, vt nauigium ad fugam expediret. Mox inde reuerſus herū interfectum inuenit, ſed adhuc paululum ſpirantē. Tum ille, Suſtine (inquit) here, & hoc vide, vibratoque ferro turmarum ducem, qui ad cædem venerat, in veſtigio obtruncat, mox ſuum hauſit pectus inclamans, & hoc ſolamen mortis accipe. Sabel. lib. 3. cap. 8. *Serui erga herū gratitudo inſignis.*

Pub. Catrenus Philotimus, non ſeruus, ſed libertate donatus, & omnibus bonis relictis hæres, ita tamen fuit erga patronum affectus, vt in defuncti rogum, doloris impatiens ſeſe coniecerit. Ibidem, & Campoſul. lib. 4. cap. 7. *Liberti erga patronum fides.*

Ca. Plotinus Plancus cum a Triumuiris proſcriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, & odore vnguenti, occultam ſalutis *Mutua fides ſeruo-*

rum & domini.

custodiam detexit: istis enim vestigijs, eorum, qui miserum prosequebantur, sagax inducta cura, abditum fugæ eius cubile odorata est: a quibus cõprehensi serui latentes, multumq; ac diu torti, negabant se scire, vbi Dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamque boni exempli seruos vlterius cruciari: sed processit in medium, iugulumque gladijs militum obiecit. Quod certamen mutuæ beneuolentiæ arduum dignosci facit, vtrum dignior Dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur, an serui, qui tam iusta Domini misericordia quæstionis sæuitia liberarentur.

Seruus pro hero occiditur.

Quid Vibani Panopionis seruus? quam admirabilis fidei? Qui cum ad Dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosceret, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illũ postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & vt Panopionẽ occidi passus est, Val. Max. lib. 6. cap. 8.

Veneti erga Dandalum grati.

Franciscus Dandalus Venetus, quia ad publicã ignominiam deprecandam diu ad Clementis Romani Pontificis mensã humiliter stratus iacuisset, ad quod ipsum fuerat publice in Galliam missus, ex ea legatione reuersus, magno omnium ordinum fauore princeps est ciuitatis Venetorum factus, vt qui nuper in squalore & sordibus pro patria cõspectus esset, sublimi loco conspiceretur, auro & purpura conspicuus. Sabell. lib. 7. cap primo.

Seruus sua morte herum liberat.

In Triumuirali proscriptione, inter proscriptos Menenius erat, & cum eius domum circumseptam armatorum corona, qui Menenium quærebant, seruus videret, spreto omni præmio, quod propositum erat, spretis periculis, ac deniq; vita ipsa, vt Domini vitam seruaret, lecticam, vbi Menenius manere consueuerat, ingressus, ferri se ab alijs seruis iussit: Menenium eum esse milites arbitrati, ipsum illic occiderunt, & moriens cum milites fefellisset, Dominum seruauit, qui seruili veste amictus, alia via, cum multis, quos eadem fortuna vrgebat, in Siciliam ad Pompeium profugit. Fulgos. lib. 6. cap. 8.

Diogenes seruus fidelis.

Qualis fuerit Diogenis Cynici seruitus, Xeniadis Corinthij, qui tam nobile mancipiũ emit, publice vox testata est, qui rogatus, vt fertur, quẽ hominem domi emptum haberet? non hominem, inquit, habeo, sed bonum genium, qui domum meam ingressus, sancte & iuste seruit apud me seruitutem. Sabell. lib. 3. cap. 8. Referri huc possunt plura exempla infra in quinto Præcepto posita, sub titulo de amicitia.

Fabricij & Pyrrhi mutuus candor & gratitudo.

Fabricio iam consuli misit Epistolam Pyrrhi Medicus, qui promittebat se Regem veneno necaturum si iuberet. At eam Epistolam, auctore non prodito, ad Pyrrhum remisit, iubens illum sibi cauere, qui pessimus esset iudex tum amicorum tum hostium. Cæterum vbi compertis insidijs Pyrrhus, Medicum egisset in crucem, Fabricio captiuos gratis remisit. At Fabricius noluit eos gratis recipere, sed parẽ captiuorum numerum remisit. Plutar. in Roman, Apoph. Eras. lib. 5. Apoph.

Vespasiani vafrum & plenum humanitatis consilium.

Flauius Vespasianus quum admoneretur ab amicis, vt caueret a Metio Pomposiano, quod de hoc rumor increbuerat fore, vt aliquando regnaret, non solũ sibi non metuit ab illo, sed & Consulem fecit. Id admirantibus amicis: Erit, inquit, olim memor tanti beneficij. Eras. lib. 8. Apoph.

Beneficijs certare pulchrum.

Philippus Macedo cum Thebis obsessus esset, Philonis Thebani hospitio vsus est, multisque insuper ab eo beneficijs affectus. Is cum vicissim a Philippo nihil muneris vellet accipere, Ne me, inquit Philippus, beneficẽtia superatũ hac laude spolies, quod hactenus a nemine beneficijs superatus fuerim. O animum imperio dignum. Pulchrius existimauit benefaciendo quam potentia vincere. Plutarch.

Posteaquam Carthaginenses vi adacti legatos de fœdere ac pace ad Scipionem misissent, iussit eos, qui venerant, protinus abire tanquam nō auditurus eos priusquam L. Terentium ad se perduxissent. Erat autem Terentius Romanus, vir probus ac humanus, qui in bello captus à Pœnis detinebatur. Quem vt adduxerant, Scipio pro tribunali sedens hominem apud se collocauit, moxq; auditis legatis bellum dissoluit. Porro Teren. tius tanti beneficij memor triumphantem Scipionem sequebatur pileatus, velut illius liberrus: quin & Scipione mortuo ad exequias mulsum exhibuit, aliaque ad funeris celebritatem pertinentia studiose procurauit. Hic in Scipione quidem habes exemplum beneficij candide simul & honorifice collati: in Terentio vero memoris animi specimen. *L. Terentij erga Scipionem gratitudo.*

Chilo Lacedæmonius dicere solebat: Beneficij dati obliuisci decet, accepti meminisse. Cū quo dicto congruit Christi Seruatoris doctrina, cum ait Matth. 6. Cum præstabis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua, vt sit tua eleemosyna in occulto.

Diogenes cum ab amico Diotimo Carystio nōnihil argenti dono accepisset, nec haberet quo munus illud compensaret, Dij, inquit, beneficium large re: nunerent, omniaq; animi tui vota impleant. Ælian.

Democritus re ipsa, vel muneribus, dicere solebat, animi gratitudinem præstandam, non manibus pollicitationibus. Exile siquidem munus egēti vtilius quam plaustra promissionum, quarum nullus fructus est. Stobæ. *Gratitudo in reb. consistit. Benefacere virtus diuina.*

Pythagoras percontanti cuidam, quanam ratione homines Dijs redderentur similes: Si veritatem, inquit, amplectantur, & cunctis benefaciant. Ælian. lib. 12. Nos qui Christi doctrinam amplectimur, rectius dicturi sumus: Si Deum toto corde diligant, & proximum sicut seipsum.

Theophrastus interrogatus, quid vitam humanā recte conseruet: Amorem, inquit, erga proximum omnibus modis declarare. Stobæ.

Martium Coriolanum (de quo supra in titulo de liberorum pietate) patriam oppugnare conantem, admotoq; portis vrbis ingenti Volscorum exercitu, funus ac tenebras Romano Imperio minitantem, Veturia mater ac Volumnia vxor, nefarium opus exequi precibus suis passæ non sunt. In quarum honorem senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit: sanxit namq; , vt fœminis semita viri cederent, confessus plus salutis reipub. in stola, quam in armis fuisse: vetustisq; aurium insignibus, nouum vitæ discrimen adiecit, permisit quoq; his purpurea veste, & aureis vti segmentis: super hoc ædem & aram Fortunę muliebri eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendū curauit, memorem beneficij animum suum exquisitæ religionis cultu testando. Val. lib. 5. cap. 2. *Senatus Romani erga Coriolāi matrem & vxorem gratitudo.*

Secundo bello Punico, cum à Fuluio Capua obsideretur, ac duæ Campanæ mulieres beneuolētiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Veftia Opidia materfamilias, & Cluuia Facula meretrix, quarum altera quotidie pro salute Romani exercitus sacrificauit, altera captis militibus alimenta subministrare non destitit: vrbe illa oppressa, Senatus ijs & libertatem & bona restituit, & si quid amplius præmij petijssent, libēter se daturum asseuerauit. Vacasse in tanto gaudio Patres C. duabus humilibus fœminis referre gratiam, nedum præ se tulisse mirandum. ibid.

Darius priuatæ adhuc fortunæ amiculo Silosontis Samij delectatus, cu rioſa cōtemplatione fecit, vt vltro sibi & quidem à cupido daretur. Cuius muneris, quam grata æstimatio animo eius esset allapsa, regno potitus ostendit: totam namq; vrbem & insulam Samiorum Silosonti fruendam tradidit. Non enim precium rei æstimatum, sed occasio liberalitatis est honorata. Ibid. *Darius erga Silosontem gratus.*

DE GRATITVDINE BELVARVM.

MVltarum virtutum in brutis animalibus exhibētur nobis simulachra. Inprimis autem Gratitudo in ipsis animaduertitur illustris, de qua exempla aliquot subiiciemus, vt non solum per facta Virorum illustrium, sed etiam immanissimarum bestiarum, ad virtutem omnium laudatissimam amplectendum incitemur.

Leonis erga seruum Androdū gratitudo.

Romæ in circo maximo, cum amplissimę venationis pugna populo daretur, introductus est ad pugnam bestiarum, inter cōplures cęteros Dacus seruus viri Consularis. Ei seruo Androdus nomen fuit. Quem vbi conspexit leo inter omnes & corporis impetu, & terrifico fremitu, comisq; ceruicum fluctuantibus immanissimus, repente quasi admirans sterit, ac deinde sensim atque placide, tanquam noscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blande mouet, cruraq; eius & manus prope iam exanimati metu, lingua leniter demulcet, eumque aduersus reliquarum bestiarum sæuitiam tuetur. Omnibus non sine maximo applausu illud admirantibus, Cæsar Androdum accersit, causam quærit, cur ille atrocissimus leonum vni pepercisset. Ibi Androdus narrat, se heri sui, qui Africam proconsulari imperio obtinuisset, in quis verberibus ad fugam coactum, in camporum & arenarum solitudines concessisse, eumque in specum quandam remotam, latebrosamque se recondidisset, paulo post ad eandem specum veniisse, hunc leonem debili vno & cruento pede gemitus edentem, & murmura. Atque illic primo quidem conspectu aduenientis leonis territum sibi & pauefactum animum, dixit, verum leonem introgressum, vbi se procul delitescentem vidisset, mitem & mansuetum accessisse, sublatumq; pedem petędę opis gratia sibi porrexisse, ibi stirpe ingente vestigio pedis eius hærętē se reuulsisse, lanieq;, quā vulnus conceperat, expressa, penitus siccasse pedem, atque cruorem omnem detersisse. Atque ex eo die se triennium totum in eadem specu, eodemq; victu cū leone vixisse, illum enim membra opimiora ex feris, quas venabatur, ad specum sibi suggessisse, seque ea Sole meridiano, cum ignis copia non esset, tosta comedisse. Tandem vitæ illius ferinæ pertæsum, leone in venatum profecto, reliquisse specum, viamque ferme tridui permensum, à militibus apprehensum, & ad Dominū ex Africa Romam deductum, protinusque ab eo rei capitalis damnatum, & bestiis obiectum esse. Verum leonem hunc, quem se tunc separato captum quoque intelligat, gratiam nunc sibi beneficij & medicinæ referre. Hæc Appion dixisse Androdum tradit. Atq; ideo, cunctis petentibus, dimissum Androdum, & pœna solutum, leonemq; ei suffragiis populi donatum. Leonem itaq; Androdus loro tenui reuinctum, vrbe tota circumduxit, passimq; ab obuiis ære donabatur, cum læta acclamatione populi dicentis: Hic est leo hospes hominis: hic est homo Medicus leonis. Vide Gellium lib. 5. cap. 14.

Fertur apud Saxones historia de duce quodam Brunsuicensium, qui cum in solitudine ignarus vię & locorum circumuagaretur, in Draconē & Leonem magna concitatione & sæuitia acerrime dimicantes incidérit, cumque dubitaret vtri succurreret, tandem eo mens inclinarit, vt leoni se adiungens aduersus Draconem pugnaret. Quæ res ipsi fœliciter cessit. Leoni siquidem se agglomerans, magnoque robore gladium vibrans, Draconem interfecit. Leo gratum se erga Ducem hunc exhibens, ei individuum se adiunxit comitem, & aduersus aliarum bestiarum impetum eum defendit, quin etiam cibum ipsi ex feris venatu captis subministrauit, donec tandem vna cum leone Dux ille in patriam suam deferretur, vbi per omne vitæ reliquæ spacium leonem lateri suo affixum

habuit.

habuit. Alber. Crantz. in Saxonum Chron. hæc fabulosa esse recte affirmat.

Thoantē in Achaia seruatū à Dracone narrat Democritus. Eū nutrierat puer dilectū admodū, pauensq; serpētis naturā & magnitudinē metuēs in solitudines tulerat. In quibus circūuento latronū insidijs agnitoq; voce subuenit. Ælian. lib. 4. Plin. lib. 8. cap. 17.

Pantheræ gratitudo.

Feritate insigni inter bruta omnes pantheram putant, & tamen à Demetrio Physico traditum est, cum in fossam pātheræ catuli decidissent, matrem in celebrem viam profectam, cum hominem conspicata esset, qui Philinis Philosophi parens fuit, leniter vt poterat, mordicus apprehensa eius veste, ad locum, in quem catuli conciderant, deduxisse. Et quāquam vt ille haud leui timore tenebatur, tamē quia aliter nō poterat, ad locum perueniisse, vbi statim causam agnouit, quæ feram, vt eum illuc deduceret, impulerat. Itaq; ei catulos ab fossa eduxit, cuius meriti vt gratiā referret, per totum illud iter hominem prosecuta, ab alijs eum feris hostibusq; defendit. Auctor Plinius lib. 8. cap. 17.

Mira canis erga dominum gratitudo.

Cum ex causa Neronis Germanici filij animaduerteretur in T. Sabinū & seruitia eius, canis eius à carcere abigi nunquam potuit, eoq; postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem latrando semper Domino astitit, mirantibusq; hominibus, panem qui oblatus erat, non manducans ori Domini admouebat, qui posteaquam in Tyberim proiectus fuit, in amnem secutus Dominum, vt poterat ex aqua caput eius eleuabat. quē viuere adhuc arbitrabatur. Quibus enim potuit modis gratias referre cnixus est, quod ab eo enutritus & dilectus esset. Auct. Plin. lib. 8. cap. 40.

Canis Iasone Lycio interfecto cibum capere noluit, inediaque consumptus est.

Non minus etiam se gratos ostendere canes in Regem Lysimachum, & Hieronem. Nam cum Dominis perchari fuissent, vt eorum amori respon derent, in ipsos Dominorum rogos se iniecerunt. Ibid.

Canis latronem prodit.

Scribit Ambrosius in Hexamero, canem Domini corpus noctu à milite in Antiochia occisi, semper custodiuisse, iuxta vt poterat gementem. Ad quem spectādum quia res mira videbatur, cum postridie multi conuenissent, atque in eis is esset, qui eam cædem patrarat, quia ignotum se cæde noctu peracta arbitrabatur, à cane dentibus comprehensus, cum insuper latratu vrgeretur, & ipse præ animi conscientia plurimum perturbaretur, suspicionem perpetratæ cædis fecit, itaq; captus a Magistratu, confessione criminis extorta, mulctatus est.

Equus domini sui mortē vltus.

In omni animantium genere homini exempla gratitudinis occurrunt, quibus & ipse quoque ad eam virtutem amplectendam ardentius accendi debebat. In equum Antiochi Regis, Centaretrius Galata, cum Regem in prælio occidisset, conscendit, quo facto, visus est equus sentire tergo suo Domini hostem insidere, itaq; dentibus apprehēso fræno, ita vt nulla iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contendit, atq; ab eo, se, insidentemque simul hostem, præcipitauit, sua Domini sui mortem vltus. Plin. lib. 8. cap. 42.

Aquila gratitudo.

In vrbe Sesto, nutrita à virgine aquila, vt educationis gratiam referret, aues quas captabat, ad virginem deferebat, & cum virgo decessisset, eodē rogo quo illa ardebat, vitro in eum deuolans, cum virgine combusta est. Plin. lib. 10. cap. 5.

Elephantis erga dominum amor.

Porus Rex in acerrimo aduersus Alexandrum prælio, cum telis vndique in eum volantibus grauatus de Elephanto lapsus esset, & vndiq; milites Regem interemptum esse credentes, ad corpus spoliandum concurrerent, belua Dominum tueri, & spoliantes cœpit appetere, leuatumque corpus Regis sui dorso suo rursus imposuit. Seruato sic Rege ele-

phas

phas telis obrutus, tandem exanimis concidit. Vide Cosmograph. Munsteri, lib. 5.

Aquilæ gratitudo.

Sex aliquando mercenarij cum vna in horreo triturandis frugibus insudarẽt, vnum è numero suo ablegarũt allatum aquam è fonte proximo, qui vbi ad fontem accessit, acerrimo ibi duello cõgressos offendit serpentem & aquilam, cumque aquilæ exitium imminere, circumuoluto ei serpente animaduerteret, occiso eo aquilam liberat, hinc aqua hausta ad suos reuertitur. Qui vbi auide biberunt, & ipse iam postremus hydriam ori admoueret, aquila aduolans alarum impetu hydriam à manibus ipsi excutit. Quam rem cum ęgre ferret, & aquilam beneficij accepti immemorem execraretur, vidit conseruos suos trepidantes collabi, & efflare animam. Aquas siquidem serpens veneno infecerat: Sic ille beneficium aquilæ præsitum peropportune compensatum esse expertus est.

Ciconiæ gratitudo.

In oppido obet Wesel/ quod ripæ Rheni adiacet, ciconia in ciuis cuiusdam tecto nidificarat, cum omnem humanitatem ciuis iste exhiberet ciconiæ, nec vlli ex familia eam lædendi potestatem faceret, istam hospitis sui humanitatem qua poterat gratitudine illa prosequebatur, & quotiescunq; vel aduentaret vel recederet, rostri cõcussione & strepitu hospitem saluere quasi iubebat. Cumque aliquando vernali tempore ad nidum remearet, more solito ante ædium fores gratulabundam se hospiti offerens, ei virentem zingiberis radicem è gutture depromptam ante pedes proiicit.

Tarenti ciconia in tecto Heracleidis viduæ nidificarat, cumque vnus è pullis eius volandi nondum satis potens delapsus esset, & crus fregisset, vidua obligato vulnere eum sanauit, liberoq; inde volatu dimisit. Sequenti statim anno hæc eadem ciconia reuersa, ad hospitam ante fores ædium ledentem se demisit, preciosamq; Margaritam e gutture in sinum eius proiecit, hinc ei crus attrectandum præbuit, vt agnosceret ex beneficij memoria piaq; gratitudine munus illud prouenire.

Leonum erga benefactores gratitudo.

Leonum erga benefactores gratitudo magna est, id quod & superiꝰ exemplum ex Gellio desumptum testatur, quorum similia apud Plinium & alios reperiuntur.

1. Mentori Syracusano in Syria leo obuius imploranti similis pedem vulneratum porrexit, cumq; ille pauore attonitus fugam moliretur, refugieti vndiq; fera adulati similis se opposuit, donec animaduerso in pede leonis vulnere Mentor ei succurreret, extractoq; furculo, eum cruciatu liberaret. Pictura testatur casum hunc Syracusis.

2. Sanctum Hieronymum ferunt ad onera ferenda parentem habuisse leonem, quem pede debilitatum ipse curauerat.

3. Machario Ægyptio eremitæ leænam, cuius catulos oculis captos cæcitatis damno liberarat, pecudum ferarumq; aliarum, vt inde indumenta conficeret, pelles detulisse, auctor est Ruffinus.

4. Elpis Samius natione in Africam delatus naue, iuxta littus conspecto leone hiatu minaci arborem fuga petit. Sed neque fugienti, cum posset, fera institerat, & procumbens ad arborem hiatu, quo terruerat, miserationem quærebat. Auide enim cadauer deuoranti os dentibus adhæserat, & inedia cruciabat, itaque mutis quasi precibus arborem suspiciens, Elpim commouet, vt metu depositio descenderet, infixumq; ex validiore morsu dentibus os euelleret. Traduntq; quandiu nauis ea in littore steterit, leonem retulisse gratiam venatus aggerendo. Plin. lib. 8. cap. 16.

5. Circa Thraciæ montem Pangæum, leo comitante leæna vna venatũ, relictis catulis exiuere. Interim vrsus lustrum subiens catulos interemit, & citato inde cursu fugam capessens, arborem conscendit. Leo leænaque reuersi, perpetratam cædam vbi cognouere, graui concepta animis iracũ-

dia

dia vestigia vrsi lustrarunt, donec ad arborem, quam vrsus conscenderat, deferrentur, ibi leæna ad radices arboris se reclinans excubabat, leo interim & nemora & campos peruagatur, donec in rusticum ligniseeam incideret. Qui ex subito leonis aspectu tanto pauore cohorruit, vt è manibus ei securis excideret. Cæterum leo placide accedens, caudaque abblandiens, morsu securim apprehendit, & ligniseeam, vt se sequeretur, gestu, quo potuit, monet, eumq; vsque ad arborem, in qua vrsum reliquerat, secum abducit, innuens, vt securi arrepta arborem euerteret, qua deiecta leo leenaque vrsum arreptum in minutissimas partes discerpserunt. Hinc leo in eundem locum, vnde abduxerat, ligniseeam reducit.

6. In regione Elimæa in templo Adonidis mansueti adeo nutriuntur leones, vt hominibus templum ingressis vltro abblandiantur, inuitatique mensam accedant, & cibum vna cum eis capiant.

7. Sancta Martina, cum nullis tormentis nec comminationibus ab orthodoxæ fidei cultu auerti posset, immanissimo leoni ex iussu Imperatoris Alexandri obiecta est, leo ad pedes virginis procumbens ei abblanditur.

8. Eleutherius & virgo Priscia leones, quibus obiiciebantur, manu tractarunt, eosq; mansuefactos ostendere.

9. Virgo Doria cum ex Imperatoris Numeriani decreto immanib. obiecta esset bestiis, leæna corporis impetu & virib. immanissima prosiliens, non solum a reliquarum bestiarum sæuitia virginem defendit, sed ipsos quoq; lictores in fugam egit.

Plinius lib. 8. cap. 40. canum qui hominibus exhibent ministeria gratitudinem & fidem commendat.

Canum gratitudo erga benefactores.

1. Meminit primum canis, qui aduersus latrones pro Domino pugnarit, confectusq; plagis a corpore non receserit, sed volucres & feras abegerit.

2. Hinc alterius, qui in Epiro agnitum in conuentu percussorem Domini, laniatu & latratu adegit, vt cogeretur fateri scelus.

3. Garamantum regem canes ducti ab exilio reduxere, præliantes contra resistentes.

4. Canum Iasonis Lycij regis Lysimachi, & Gelonis, paulo ante mentio facta est.

5. Volcatium Romanum nobilē, qui Cesellium ius ciuile docuit, asturconē e suburbano redeuntem cum aduesperauisset, canis a grassatore defendit.

6. Armatis Cælium Senatorem Placentiæ opprimentibus canis tanta ferocia se opposuit, vt nisi eo interempto vulnerari Cælius non posset.

7. Darius vltimus Persarum rex, cum à Besso multis vulneribus confossus esset, omnibus ab eo diffugientibus solus remansit canis, nec Dominum vel in morte deserere sustinuit.

8. Silonion Centurio Romanus cum in prælio occubuisset, detractisq; armis & vestib. nudus in campis iaceret, canis corpori eius incumbens pudenda texit, & tandiu exanimis heri curam suscepit, donec aduenientes Romani corpus sepulturæ mandarent. Tzetze. Chil. 3.

9. In Gallia cum ad mercatum tenderent duo mercatores, alter qui comitem habebat canem, ab altero circumuentus in itinere occiditur. Latronem canis in diuersorium vsq; insectabatur, indesinentiq; latratu eum infestans homicidij indicium fecit. Comprehensus latro flagitiumq; confessus laquei supplicio affectus est.

10. Adultera compertum habes quā nocte maritus, qui peregre aberat, domum reuersurus esset; clam domi in conclaui adulterum abscondit, vt is nocte maritum trucidaret, quin etiam seruis pecunia corruptis persuasit, ne isti homicidio impedimento essent. Erat autem in ædibus catellus,

ex eorum genere, quos Melitæos vocant, is domum reuerso Domino tanto latratu & strepitu ante ianuam conclauis istius, in quo facinorosus adulter latebat, sæuiebat, vt Dominus mali nonnihil subesse suspicatus, ianuam reseraret, deprehensoq; adultero paratam sibi cædem effugeret.

11. Syracusanus opilio cũ fatis concessisset, quinq; eius canes, quos gregis custodes habuerat, post editos aliquos latratus, simul etiã sunt mortui.

12. Theodorus Choragus cum terræ mandaretur, catellus eius, quem in delicijs habuerat, vltro in sepulchrum insiliens cum eo sepultus est.

Delphinorum erga homines amor.

Admirandus quoq; Delphinorum erga hominem amor est, de quibus Plinius libro nono, capite octauo: Delphinus, inquit, non tantum hominis amicum animal, verum & Musica arte mulcetur, symphoniæ cantu, & præcipue hydrauli sono.

1. Sub diuo Augusto Principe Delphinus Lucrinum lacum inuectus pauperis cuiusdam puerum ex Baiano Puteolos in ludum literarium itantem, cum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine sæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. Quocunque diei tempore inclamatus à puero, quamuis occultus atque abditus, ex imo aduolabat, pastusq; e manu, præbebat ascensuro dorsum, pinnæ aculeos velut vagina condens, receptumque Puteolos per magnum equor in ludum ferebat. Simili modo reuchens pluribus annis, donec morbo extincto puero subinde ad consuetum locum ventitans, tristis & mœrenti similis ipse quoque desiderio expirauit.

2. Similia de puero in vrbe Iasso memorantur, cuius amore spectatus longo tempore Delphinus, dum abeuntem in littus auide sequitur, in harenam inuectus expirauit. Puerum istum Alexander Magnus Babyloniæ sacerdotio Neptuni præfecit, amorem illum numinis propitij fuisse interpretatus.

3. In eadem vrbe Egesidemus scribit, & alium puerum Hermiam nomine similiter maria perequitantem, cum repentinæ procellæ fluctibus examinatus esset, relatum, Delphinumque causam lethi fatentem non reuersum in maria, atque in sicco expirasse.

Hoc idem & Naupacti accidisse Theophrastus tradit.

Eadem de Delphinis pueris; Amphilochii & Tarentini narrant.

4. Quæ faciunt vt credatur, Arionem quoq; citharœdicæ artis interficere nautis in mari parantibus ad intercipiendos eius quæstus, eblanditum, vt caneret prius cithara, congregatis cantu Delphinis, cum se iecisset in mare, exceptum ab vno Tænarum in littus peruectum. Quam historiam plene recensent Herodotus, & ex Herodoto Gellius.

5. Delphinis quoque inter se publica est societas. Capto à Rege Cariæ, alligatoque in portu Delphino, ingens reliquorum conuenit multitudo, mœstitia quadam, quæ posset intelligi, miserationem petens, donec dimitti eum Rex iussit.

6. Quin & paruos semper aliquis grãdior comitatur vt custos. Cõspectique sunt iam defunctũ portãtes, ne laceretur à beluis. Plinius loco citato.

7. Phyleroselenis, puerum nutriebat anus vna cum Delphino tenera adhuc ætatis. Quæ cõsuetudo quotidiana effecit, vt tanto amore & anum & puerum Delphinus prosequeretur, vt cum iam adauctis viribus in mari spatium diuerteret, & prædæ suæ portionem tum anui tum puero offerret. Morte tandem extincto puero Delphinus quoque disparuit, mœrore, vt credibile est, extinctus.

8. Nemeum quendam, cum fluctibus exanimis iactaretur, Delphini excepere, mox alter alteri alacritate mira tradentes exposuere Rhium, vt iugulatum ostenderent.

9. Coarenus genere Parius Constantinopoli iactum piscium in eoque Delphinos captiuos plurimos iam iam mactãdos emit, & pecunia redeptos sua donatosq; vita mari reddidit. Paulo post quinqueremi, qua & ipse & piratæ quidam vehebantur inter Naxum Parumq; freto medio euersa, pereuntibus cæteris omnibus ipse subeunte subleuanteque Delphino solus, iuxta Zacynthi specum applicans, saluus euasit. Deinde cum suprecircamum Coarenus diem obiret, ac corpus in littus elatum esset, Delphinos littus innumeros comparuisse, ac sese palam ostentauisse narrant, quasi interesse funeri significarent, quippe qui nõ ante discederent, quam iustis plane peractis.

10. Puerulus adhuc Telemachus, quemadmodum Critheo teste Zacynthij memorant, cum forte in mare, quod iuxta vorticosum erat, per lubrica decidisset, excipientibus Delphinis, ab imoque reuehentibus euasit. Hinc sculpturam annulo & vmboni signum pater Delphinum inscripsit, gratia sic animali relata. Vide plura apud Plutarchum in Dialogo, de industria animalium.

11. Delphini tantus erga sobolem amor esse fertur, vt eam hamo captã, & ad littus raptatam anxie sequatur, & potius tam captiuitatis, quam mortis eius se comitem præbeat, quam eam deserere sustineat.

DE INGRATITVDINE.

IAcob licet fidelem admodum socero suo Labani præstaret operam, attamen sæpius eum Laban, iam imminuta iam mutata mercede defrauda re conatus est. Genes. 29. 30. 31.

Neque Iacob ipse (quod fas sit dicere) multum in eo gratus dici potest, quod domo profugus miri hospitio, duplicique filiarum connubio ornatus à Labane auunculo, diuitijs præterea auctus, ad extremum occultam ab eo fugam meditatus est, magna stabulorum parte cum seruis compilata. Sabell.

Præpositus pincernarum apud Pharaonem oblitus est Iosephi interpretis sui. Genes. 40. *Pincerna Pharaonis.*

Quanta est Israelitarum in Ducem suum Mosen ingratitudo? populus seruitio exemptus, sæpius desideriis leuatus, manifestis rerum miraculis per deserta traductus, seditioni magis quam pietate indulgens, stulte impieque ducem ipsum maledictis incessiuit, minacirer occurrit, imperium detrectauit, communis exitij auctorem appellans, quem popul Seruatorem multo verius dixisset. Est ingratitudo illa sæpius cœlesti vltione expiata, sed non minus propterea immerito duci totius gentis vitio repræsentata. Sabell.

Ingratus magis an amens fuerit Saulus Rex, non facile dixerim, quem insidiantem toties Dauid recreauit, arcanisque eo carminibus rettraxit, vt mens & ratio homini constarent, cuius regnum Goliadis cæde stabiliuit, à cuius corpore violando bis abstinuit, cum bis iniuriæ obnoxium habuisset, & eum tot modis Saulum ille demeruisset, ingratus Rex quoad vixit Dauidem capitaliter odit, atque ita pertinaciter, vt in eum sæuire non nisi cum morte desierit.

Dauid missis legatis ad Regem filiorum Hammon, eum ob mortem patris eius Naas consolabatur. Verum ab ingrata gente legati turpiter excepti fœdaque notati ignominia dimissi sunt. Quam iniuriam & ingratitudinem vlturus rex Dauid, graui eos bello attriuit. *Hanonitæ.*

Rex Dauid filium Absolonem, qui fratrem suum Amnon interfecerat, condonata ei culpa in gratiam recipit. Ingratus autem & impius filius contra patrem insurgit, regno eum exturbat, eiusque vitę omnibus modis insidiatur. 2. Reg. 12.

Zachariam filium Ioiadæ interfecit Rex Ioas, eo quod impietatem & idololatriam, in quam delapsus fuerat, obiurgaret, minime recordatus misericordiæ & beneficiorum, quibus à patre eius Ioiada affectus fuerat, 2. Paral. 24.

Ioram Rex Israelit.

Quanta in Reges Israelis & vniuersum populum Helisæi extitere beneficia? Attamen in obsidione Samariæ, cum horrenda fames ciuitatem vrgeret, Propheta à Rege iubetur occidi. Qui diuina conseruatus prouidentia frumenti abundantiam prædicit. 4. Regum 6.

Ionathæ beneficio, eiusq; militum virtute, Rex Demetrius in extremo constitutus periculo, vniuersa ciuitate Antiochena aduersus eum insurgente, liberatur. Cuius beneficij immemor Demetrius, Ionatham hostili animo persequitur. 1. Machab. 11.

Nouem leprosi.

Saluator Christus cum decem mundasset leprosos, vnicus tantũ ex ijs, & quidem is Samaritanus, grata mente diuinum beneficium amplexus est, Christoq; egit gratias. Reliqui omnes ingrati fuere, qui maximam humani generis partem designant, ingratam prorsus erga immensa Christi beneficia, quæ generi humano sua incarnatione, passione, cruce, morte, læta; à mortuis resurrectione exhibuit. Lucæ 17.

Iudas ille Iscariotes, quem Magistrum & Regem sibi delegit, quem eundem è cœlo esse miraculorum magnitudine scire potuit, & debuit, à quo Apostolatu insignitus cœlo admouebatur, vilissimo vendidit precio, quin se ipsum potius homo infeliciter natus vendidit, vel verius perdidit, prius consilio, mox præcipiti desperatione, vt qui omnem Israelis progeniem sedens iudicaturus fuit, sit perfidia & impietate iudicatus.

Friscus Actium Ferrariæ Principem, patrem suum, in carcerem coniecit, atque ibidem fecit emori, cum ob inductam nouercam, tum libidine dominandi. Volater.

Alphonsus primus Rex Lusitaniæ, Tiresiam matrem coniecit in vincula, quod post mariti mortem secundas tentasset nuptias.

Lucius Ostius tempore bellorum ciuilium patrem suum Annulim proscriptum, quem Triumuiri ad supplicium perquirebant, latentem prodidit, vt eius bona acciperet. Rauis. Plutarchus in vita Romuli de quodam Lucio Ostio refert, quod primus Romæ post bellum Punicum Secundum patrem suum interfecerit.

Quanquam erga quosuis ingratitudo crimen infandum est, tamen ea, qua in parentes filij grassari audent, omnem omnium scelerum immanitatem superat. Hoc crimine Macharides laborauit Mithridatis Ponti Regis filius. Nam cum à parente omnia, quæ à parentibus liberi solent, beneficia accepisset, & insuper Bosfori regno ab eodem honestatus esset, bello quod Romani aduersus Mithridatem gesserunt, nõ modo patri auxilio non fuit, sed omnibus in rebus vt hostẽ prosecutus est. Verum cum postea Mithridates Macharidem vlcisci coactus esset, morte sibi ipsi procurata Machardes, ingratitudinem, qua in patrem peccarat, ipse vltus est. Fulgosius lib. 5. cap. 3.

Senatus Romanus.

Vrbis Romanæ parentem & conditorem Romulum Senatus in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus, in Curia lacerauit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Romano Imperio Spiritum ingenerauerat. Valer. lib. 5. cap. 3.

Romanus populus.

Nec minus ingrato lapsæ mentis errore Furius Camillus, virium Romanarum incrementum & latissimum, & tutela certissima, ab ingrata patria exagitatus, in vrbe incolumitatem suam tueri non valuit, cuius ipse salutem stabilierat, fœlicitatẽ auxerat. A Lucio enim Apuleio Trib. plebis tanquam peculator Veientanæ prædæ reus factus, duris, atque, vt ita dicã, ferreis sententijs in exilium missus est. Et quidem eo tempore, quo opti-

mo

mo iuuene filio spoliatus, solatijs magis alleuandus, quam cladibus onerandus erat. Sed immemor patria tanti viri, maximorum meritorum, exequijs filij damnationem patris iunxit. Vide Historiam Liuij.

Africanus superior, non solum contusam, & confractam belli Punici armis Rempub. sed pene iam exanguem atq; morientem, Carthaginis do minam reddidit: Cuius clarissima opera iniuriis pensando, ciuitatis ignobilis, ac desertæ paludis accolam fecerunt, eiusq; voluntarij exilij acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribi iubendo: Ingrata patria ne ossa quidem mea habebis. *Romana ciuitas.*

Superioris frater Scipio Asiaticus post speciosissimum triumphũ, quem deuicto Rege Antiocho, & Asia Imperio populi Romani adiecta, meruerat, ab ingrata patria peculatus est reus factus, & in carcerem duci iussus.

Africanus posterior duabus vrbibus, Numantia atque Carthagine, Imperio Rom. imminentibus, ex rerum natura depulsis, raptorem spiritus domi inuenit; mortis punitorem in foro non reperit.

Scipio Nasica tantum laudis toga, quãtum vterq; Africanus armis, meruerat; qui pestifera Tyberij Gracchi manu faucibus oppressam Rempub. strangulari passus non est: sed is quoque propter iniquissimam virtutum suarum apud ciues æstimationem, sub titulo legationis Pergamum secessit. Et quod vitæ superfuit, ibi sine vllo ingratæ patrię desiderio peregit.

Eadem fata P. Lentulum clarissimum, & patriæ amantissimum ciuem manserc. Qui cum in Auentino C. Gracchi nefarios conatus, & aciem, pia ac forti pugna, magnis vulneribꝰ acceptis, fugasset, prælij illius, quo leges, pacem, libertatemq; in suo statu retinuerat, hãc mercedem tulit, ne in sua quidem patria moreretur. Siquidem inuidia & obtrectatione compulsus, legatione à Senatu libera impetrata, habitaq; concione, qua à dijs immortalibus petijt, ne vnquam ad ingratum populum reuerteretur, in Siciliam profectus est, ibiq; perseueranter morando, compotem se voti fecit.

M. Cicero Cn. Popilium Lenatem Picenę regionis, rogatu Marci Cœlij, non minore cura quam eloquentia defendit: eumq; causa admodum dubia fluctuantem, saluum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea, nec re, nec verbo à Cicerone læsus, vltro M. Antonij rogauit, vt ad illum prolatum persequendum & iugulandum mitteretur. Impetratisque detestabilis ministerij partibus, gaudio exultãs, Caietam cucurrit, ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clarissimam dexteram, per summum & securum ocium amputauit. Inualidæ ad hoc monstrum fugillandum literæ, quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat. *Cn. Popilius Lenas.*

Cn. Carbo Pompeium illum magnum admodum adolescentem de paternis bonis in foro dimicantem protexerat. Cuius beneficij patrum memor Pompeius, plus L. Sullę viribus, quam propriæ indulgens verecundię Carbonem postea interfici iussit.

Neminem Lycurgo aut maiorem aut vtiliorem virum Lacedæmon genuit: vtpote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur, nescire se vtrũ illum hominum an Deorum numero aggregaret: huic tamẽ neq; vitæ summa synceritas, neq; constantissimus erga patriam amor, neque leges salubriter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quo minus infestos ciues experiretur: sæpe enim lapidibus petitus, aliquãdo eiectus publico furore, etiam priuatus oculo: ad vltimum ipsa patria pulsus est. *Lacedæmõ.*

Theseus Athenienſium Reipublicæ fundator, decus & præsidium fuit, sæua potentissimi Regis Minois imperia vix dum ætate pubescente repulit: Idem effrænatam Thebarum insolentiam domuit: Idem opem liberis Herculis tulit, & quicquid vbique monstri aut sceleris fuit, virtute a-

nimi ac robore dextræ comminuit: Huius tamen summoti ab Atheniensibus, Scyros, exule minor, insula, ossa mortui cepit.

2. Solon, qui saluberrimis legibus Athenienſ. Rempubl. confirmauit, suisq; consilijs aduersus hostes & tyrannos roborauit, senectutem Cypri pfugus exegit: neq; ei in patria, de qua optime meruerat, humari cõtigit.

Athenæ. 3. Ingratæ & in Socratem Athenæ, virum Apollinis iudicio omnium sapientissimum iudicatum, cui pro Attica iuuentute sancte & sapienter instituta, venenum rependerunt.

4. Ingrarę & in Miltiadem, quem pro Marathonijs trophæis, vinculis, & carcere macerarunt, cui non plus profuit, quod assertor Græciæ fuisset, quam quod desertor. Imo ne corpus quidem eius in vinculis mortui sepulturæ prius mandari passæ sunt, quam filius eius Cimen eisdem vinculis se constringendum traderet.

5. Aristides etiam, quo totius Græciæ iustitia censetur, cõtinentiæ quoque eximium specimen, patria iussus est excedere.

6. Themistocles eorum, qui ingratam patriam experti sunt, celeberrimũ exemplum, cum illam incolumem, claram, opulentam, principem Græcię reddidisset, eo vsq; sensit inimicam, vt ad Xerxis, quem paulo ante destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet.

7. Phocion his dotibus, quæ ad pariendum honorem potentissime iudicantur, clementia & liberalitate instructissimus, non tantum eculeo ab Athenienſibus impositus est, sed certe post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus eius inijceretur, glebulam inuenit. Val. lib. 5. cap. 3.

Magna etiam inhumanitas, fœdaq; beneficiorum obliuio in Xerxe fuit, qui cum immensas copias in Græciam traduceret, Pythius Atys filius Lydus omnem Regis exercitum, atque ipsum Xerxem magnificentissimo hospitio excepit, spoponditque se pecuniam ei in bellum suppeditaturũ, & donaturum, argenti quidem duo millia talentorum, auri vero quadragies centena millia nummum Daricorum, septem millibus minus. Quam Pythij liberalitatem & magnificentiam miratus Xerxes, vicissim ei suam offert gratiam & studium. Sumpta itaq; fiducia Pythius his verbis regem aggreditur: Domine, inquit, quinque mihi sunt filij, quos omnes contigit in militiam tecum ire aduersus Græciam. Horum vni tu quæso Rex misertus mei, qui huc processi ętatis, indulge militię vacationem, ei qui natu est maximus, vt & mei ipsius & census curam gerat: quatuor tecum vna ducas. Ita confectis, quæ in animo habes, rursus reuertaris. Qua petitione Pythij exasperatus Xerxes, subito imperauit his, quibus delegatum erat hæc exequi, vt maximum natu filiorum Pythij inuentum discinderet medium, eiusq; discissi dimidium ad dexteram viæ, dimidium ad sinistram disponerent, & illac transiret exercitus. Hoc illi vbi sunt exequuti, illac exercitus pertransiuit. Herod. lib. 7.

Theodatus Gothus, qui Ethruriæ regebat populos, regni particeps, & successor ab Amalasuntha, quæ in Italia Gothorum Regina erat, Theoderico patre ortã, cum Athalaricus eius filius decessisset, cooptatus, vt pro tanto beneficio insignem bonitate Reginam promereretur, in Insula, in Vulsiniorum lacu, in carcere eam condidit, ac deinde strangulauit, vt eam morte afficeret, per quam ipse regnum acceperat. Fulgosius lib. 5. cap. 3.

Pari ingratitudine erga fratrem Isaac, Imperatorem Constantinopolitanum, à quo vnice diligebatur, Alexius est vsus. Nam quanquam à Turcis culpa sua captus, ab Isaac fratre statim magno auri põdere redemptus, dominum suum, nedum fratrem, tanti muneris auctorem, vir perfidus ingratusq;, oculis ac Imperio simul priuauit.

Syracusani Dionem, cuius opera libertatem receperant, eiecerunt: ac deinde reuocatum interfecerunt.

Vt

Vt contentiones, quibus Lacedæmoniorum ciuitas laborabat, componerentur, vtile putauerunt ciues, vt Leonidas vnus Lacedæmoniorum Regum (duo enim semper regnabant) in exilium mitteretur. Cum autem Agesilaus in regno suffectus, vt Leonidas occideretur, operam daret, Agis alter Rex obstitit, nec minus quam pro salute sua totis animi ac corporis viribus in eo contendit. Verum postea, vt nonnunquam fortuna fert, quæ loco stare nescit, Leonidas in pristinam fortunam restitutus, omnium ab Agide acceptorum meritorum ita se immemorem præstitit, vt non prima solum suffragia de Agide regni honore deijciẽdo tulerit, verum crudelem quoque in modum vna cum matre in carcere eum strangulari iusserit. Vir prorsus ingratissimus, nefandusque, cum ei vitam ademit, per quam ipse suam seruauerat. Fulgos. lib. 5. cap. 3.

Linus Herculem in Musica instituit, & ab eodem interemptus est. Indignabundus enim Hercules ipsi plectrum lethiferum impegit, cum cithara inconcinnius & rusticius ludens ab ipso obiurgaretur.

Æsopus ille Phrygius peragratis Græcis vrbibus, & sua doctrina patefacta profectus est & Delphos, vbi perfide sacrilegij insimulatus est, & insons à ciuibus ingratis & impijs de rupe præcipitatus. Cuius mortem ex diuina vltione grauis insequuta est pestilentia.

Sic cum ingratis hominibus comparatum est, vt eiectis è Repub. amissisq; viris istis, quibus totius Reipub. salus innititur, tum demum quid amiserint intelligere incipiant, cum eius recuperandi nulla datur copia. Sic Plautus:

Tum demum nos homines nostra intelligimus bona,
Quum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

Horatius:

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Athenienses erga Aristidem & Phocionem ingrati.

Quum Aristides duceretur ad supplicium, quidam inimicus expuit illi in faciem, ille nihil aliud quam abstersit faciem, & subridens ait Magistratui comitanti: Admone istum, ne postea tam improbe oscitet. Huic similimum est, quod ascribitur Phocioni, cui ab ingrata patria capitis damnato ex inimicis quispiam factus obuiam, post conuitia in faciem expuit. Tum Phocion magistratus respiciens, Non hunc, inquit, compescet aliquis indecore se gerentem?

Diomedes direpta Troia rediens in patriam, ventis delatus est in Libyam, vbi Lycus Rex Marti hospites immolabat. Callirrhoe vero Lyci filia, Diomedem, cuius amore flagrabat, liberauit ab insidijs paternis. At ille spreto salutis auctore enauigauit, vnde puella dolore animi se suspendit. Auctor Plutarchus.

Ingratus discipulus.

Iohannes Damascenus Persicum quendam discipulum diligenter erudierat. Is parum decentem Præceptori gratiam referens cum eius manum exacte imitari posset, Epistolam sub Damasceni nomine scripsit, qua Persarum Regem monet, vt arrepta occasione, quæ modo se offerret, Imperatorem Romanum Theodosium armis de improuiso obrueret, facilem ei pollicitus victoriam. Hanc deinde Epistolam sparsit in aula Regis Persici, quæ cum Regi offerretur, misit eam Rex Imperatori Romano. Imperator accersitum ad se Damascenum, literisque ipsius manum exacte repræsentantibus, proditionis conuictum, licet sancte ille iuraret, tale quid nunquam sibi in mentem venisse, abscissa manu mulctauit. Talem præceptori suo mercedem ingratus iste discipulus reddidit. Ferunt autem miraculose manum, licet multis diebus valuis templi affixa esset, illi restitutam esse. Meminit Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Alexander

Tam parum sobrie quam etiam ingrate fecisse videri potest Magnus A-

erga Clitum ingratus.

lexander, qui Clytum nutricis suæ filium in conuiuio interfecit, quod aliquanto liberius Philippi patris gesta extolleret. Sed quam Macedo in patrem, cuius laudi inuidebat; tam, nec minus in Clytum ingratus, per quē prælio ad Granicum amnē commisso à morte seruatus, ingens nomen & imperium sibi comparauit. Sabell. lib. 7. cap. 2.

Alexāder erga Callisthenem ingratus.

Idem Alexander nimiam exercuit fœuitiam erga Callisthenem Philosophum, suum condiscipulum sibique familiarissimum. Nam cum is ex Persico more Deorū vice cuperet adorari, fuit inter recusantes acerrimus Callisthenes. Alexander vero statim Callisthenem coniurationis conscium fuisse criminatus est, eumque truncatis membris abscissisq; auribus, labiis ac naso deformatum, post varia tormentorum genera, de medio sustulit. Quæ sane Callisthenis mors Alexandro crimen erit æternū, quod nulla virtus, nulla belli fœlicitas vnquam redimet.

Ingratus hospes.

Philippus Macedo quendam ex ministris aulicis ad explorandum negotium aliquod amandarat, qui orta tempestate naufragium fecit, seruatus autem est à quodam maris accola, qui scapha exceptum in prædium suum transportat, omniaque humanitatis officia ei exhibet, elapsisq; triginta diebus viatico instructum dimittit. Miles domum reuersus, narrat singula Regi de naufragio, & suis periculis: verum tacet beneficium hospitis. Rex pro exhaustis laboribus gratum se fore pollicetur. Miles arrepta occasione, se vidisse, ait, prædium in littore, id se rogare, vt per Regiā munificentiam sibi assignetur in monumentum præstiti officij. Rex facile assentitur, Pausaniæque præfecto mādat, vt prædium istud militi possidendum attribuat. Colonus ergo pro hospitalitatis munere, quod militi exhibuerat, è prædio suo exturbatus, ad Regem se recipit, narrans quæ in militem beneficia contulerit, & qua vicissim ipse afficiatur ab ingrato milite iniuria. Rex audita causa ingenti ira exarsit, statimque militem iussit prehendi, & inuri fronti eius stigmata, his literis: Hospes ingratus. Meminit Cœlius Rhodiginus lib. 7. cap. 28.

Quam pauci beneficiorum acceptorum memores esse soleant, prouerbiali sententia Germani innuunt, quæ his versiculis exponitur:

Sunt homines humeris, quos si quis portet ad vrbem,
Ausoniam, domiti quæ caput orbis erat:
Nec tamen ad portam placide deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Vere dictum est: Nihil citius senescit quam gratia. Quod & Diogenes innuit, cum interrogatus, Quidnam inter homines facillime senescceret? Beneficium, respondit. Stobæus.

Ingratum hominem, vas perforatum, doliumque pertusum appellat Lucianus.

Muneribus captare fauorem populi, haud genero si est animi. Iustinianus Primus.

Philippus Alexandrum filium obiurgans, quod largitionibus Macedonum beneuolentiā consectaretur, Quæ te malum, inquit, ratio in istam spem induxit, vt eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis? An tu id agis, vt Macedones te non Regem suum, sed præbitorem putent?

Quæ verba, cuiusue eloquium satis vnquam, pro rei indignitate Iustiniani Primi Imperatoris, erga Belisarium narrare ingratitudinem, atq; pro merito scelus dānare possit? nullius profecto magis, quā Belisarij ipsius. Nam cum à Iustiniano per inuidiam falsaque crimina erutis oculis, omnibusq; opibus spoliatus, in publica via victū mendicaret, aiebat: Nummū pusillum Belisario date, quem virtus extulit, atque in imum inuidia conicecit. His verbis prætergredientes omnes acerbe Iustiniani crudelitatis atque ingratitudinis commonebat. Tecū nunc Lector considera, & diligenter animo pensa: hinc Belisarij virtutē, victos ab eo Persas, Gothos ac Vandalos, horum populorum Reges bello captos, atque ad Iustinianum mu-

sos,

ſos, præterea recuperatas Siciliam, Africam, atque Italiæ maiorem partē, paruo militum numero, minoreque impenſa. Item militarem diſciplinam longo poſtliminto legibus ſuis reſtitutam, demumque animi ipſius integritatem, cum oblato Italico regno abſtinuit, atque ad hæc addas affinitatem, qua Iuſtiniano iunctus erat: Illinc autem ipſum luminibus captum, atque ad mendicitatem redactum, his malis ab eo affectum, cui ipſe tam multa, quibus in humanis rebus maius nihil eſt, contulerat. Ira profecto moleſtiaque nimia (neque hoc dubium) moueberis, & longe magis quā Beliſarius patientia, vt alijs virtutib. inſignis, dentib. in Iuſtinianū fremes, & ijs, quæ meritus eſt, malis, ſi in manu tua foret, afficeres. Fulg. lib. 5. ca. 3.

Pindarus παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνήμονες δὲ βροτοὶ. Antiqua gratia dormit, homines autem ſunt immemores.

Ariſtoteles mulus.

Plato nominare ſolebat Ariſtotelem mulum. Quid autem hoc nomen ſibi voluerit, ex eo liquet, quod mulus, cum ſaturatus eſt lacte materno, calcibus petit matrem. Ælianus lib. 4.

Populus ingratus.

Demoſthenes inter fugiendum fertur ſubinde reſpiciens ad arcem Palladis, ſublatis manibus dixiſſe: O Pallas, vrbium domina, cur tribus infauſtiſſimis beſtijs delectaris, noctua, dracone, & populo? Noctua cum ſit auium inauſpicatiſſima, tamen Palladi ſacra eſt: quemadmodum & draconem habet pro geſtamine: populus autem bellua multorum capitum peſſimam gratiam referre ſolita optime de ſe meritis, velut Socrati, Phocioni, Scipioni, & alijs compluribus.

Marellani ingratitudo

Quum iam detecta eſſet Pompeij cum Cæſare ſimultas, ac Marcellinus, vt Plutarchus, aliorū iudicio Marcellus, vnus ex eorum numero, quos Pompeius euexiſſe putabatur, à Pompeio ad Cæſarē tranſtuliſſet animū, adeo vt nō veritus ſit in ſenatu multa in Pompeium dicere: hunc ita compeſcuit Pompeius, Non te pudet, inquit, Marcelline maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facūdus, ex famelico eo productus, vt vomitum non teneas? Grauiter obiecit ingratitudinē homini, qui hoc ipſum, quod habebat dignitatis, auctoritatis, & eloquentiæ, abutebatur in eum, cui debebat acceptum ferre. Nam hoc turpiſſimum ingratitudinis genus eſt, ſed tamen heu nimium vulgare.

Aluarus.

Cum plurima beneficia in quendam Aluarum nomine contuliſſet Rex Alphonſus, nec ille vel minimum gratitudinis ſpecimen exhiberet: amicis beneficentiam in ingratum collatam reprehendentibus, An ignoratis, inquit, ingenti beneficio, nō niſi ingenti ingratitudine ſatis ſemper fieri?

Omnia ſunt ingrata, &c. Catul.

Fridericus Imperator ſæpenumero dicebat, ex ijs quos extuliſſet, quā pauciſſimos gratos fuiſſe, idq; muneribus ſuis datum eſſe, vt ex fidelibus infideles fierent. Æneas Syl. lib. 2. de dict. & fact. Alphonſi.

Diuiſio Imperij inter tres Conſtantini filios.

Conſtantino Magno tres ſucceſſere filij, diuiſione Imperij hoc modo facta. Conſtantinus natu maximus tenuit Hiſpaniam, Galliam, Alpes & Britanniam: Conſtans Italiam, Africam, Græciam, & Illyricum: Conſtantius minimus natu Orientem tenuit. Conſtantinus natu maximus cum ſuperbior & inquietior eſſet cęteris, poſthabita pietate erga patrem mortuum & fratres, Conſtanti bellum infert, vt Italiam occuparet, ſed prælio victus, à Conſtantis exercitu multis ictibus, cum equus vulneratus eum excuſſiſſet, confoſſus eſt. Conſtans itaque ſolus Imperium tenuit Occidentis.

Magnentij ingratitudo turpis.

Cæterum Magnentius, quem antea in Illyrico ipſe ſeruauerat, tectum ſua purpura, cum milites eum interfecturi eſſent, in Auguſta Vindelicorum contra eum factus Imperator, interfecit Conſtantem quieſcentem in cubiculo, talem gratiam Seruatori reddens, qualem Caſſius & Brutus Iulio reddidere. Conſtantinus itaque necem fratris ſui vindicaturus, & ſeditioſi ducis conatus repreſſurus, ſeptuaginta millia ho

minum aduersus eum duxit. Victus prælio Magnētius, Lugdunum fugit, vbi cum necassēt amicos, quorū ei fides suspecta fuit, postea sibi ipsi mortem consciuit.

Maximus Galliæ præses.

Gratianus Imperator magnis virtutibus ornatus, perfide à Maximo Galliæ præside interfectus est.

Ingratitudo & perfidia Eugenij & Arbogasti.

Gratiani fratrem Valentinianum Secundum, Eugenius & Arbogastus per corruptos cubicularios in vrbe Gallię Vienna laqueo strangulant: Dederunt autem perfidiæ suæ & parricidij pœnas seditiosi isti Duces. Maximus à Theodosio prælio victus & captus est, iussuque Imperatoris interfectus. Ambragatius Dux eius sese in mare præcipitauit.

Eugenius qui interfecto Valentiniano se Imperatorem nominauerat, prælio victus & ad Theodosium adductus est, cumq; prostratus ad pedes eius veniam peteret, a militibus astantibus capite truncatus est. Arbogastus in fuga, ne retractus in conspectu victoris pœnas daret, ipse sibi manu sua mortem consciuit.

Augustus.

Non fuit ingratitudinis expers Augustus. Triumuir enim Toranium proscripsit, qui patri eius in ædilitate collega, & ipsi pupillo optimus tutor fuerat. Fulgos. lib. 5. cap. 3.

Basilius Macedo.

Basilius Macedo Imperator cum venatum exisset, in ceruum incidit insuetata magnitudine, elata in altum cornua gestantem, quem persequendo assecutus, cum stricto gladio eum percussurus esset, bellua se defendit, & ramo vno cornuum zonæ Imperatoris infixo, illum sublimem fert cornibus suspensum. Ac forsitan ita periisset, nisi a quodam ense dissecta zona fuisset ereptus. Cui mercedem salutis suæ præclaram reddidit ille capitis truncationem: speciosa causa quæsita, quod ensem contra Imperatorem strinxisset, neq; reputauit, pro Imperatore potius strinxisse, ac remuneratione magnisq; præmijs esse dignū. Is igitur sui erga Imperatore studij hunc fructum cepit. Imperator vero cornu percussus, conuersisq; intestinis superuixit ille quidem, sed non diu, mortemq; obijt. Zonaras lib. 3.

Ingrati discipuli.

Iohannem Scotum, Ludouici Pij seculo, enarrantem libellum Dionysij de hierarchia, & taxantem opinionem tunc receptam in Ecclesia de oblatione cœnæ Dominicæ pro viuis & mortuis, discipuli graphijs confoderunt. Eandem gratiam retulerunt discipuli Beato Cassiano Martyri apud Prudentium.

Hominum erga Deum ingratitudo.

Cum ad Alphonsum referretur, quendam, in quem multa ipse cōtulisset beneficia, in bello ab eo defecisse: primum nonnihil turbatus ob pessimi hominis ingratitudinem, mox ad se reuocatus? Quid, inquit, de illius querar ingratitudine, cum ego erga Deum meum, à quo plurimis ijsque maximis sum affectus beneficijs, multo sim ingratior?

Vulgo dicitur: Post donationem celeriter senescit gratia. Ideo & Poëta hominum execratus malitiam exclamat:

Catullus:

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare tuum.
Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne,
Imo etiam tædet, tædet, obesta magis.

Alphonsus Rex Arragonum, cum ingratum quorundam animum inquisari animaduerteret, Ingrati, inquit, sua inhumanitate nunquam efficiēt, vt liberalis & beneficus à sua beneficentia desistat, vel animum liberalem propter illorum improbitatem immutet.

Seneca: Officium liberalitatis est, omni petenti dare, Deos imitari: Si Deos imitaris, da etiam ingratis. Nam & sceleratis Sol oritur, & piratis maria patent.

Sic fere cum beneficis & officiosis hominibus comparatum est, quēad

modum cum generosis equis. Hi quandiu eis vires bellicis laboribus, fe-
rendisque sarcinis sufficiunt, acceptissimi sunt, & in magno habentur pre-
cio, sed vt primum vires eos destituerint, abijciuntur: Sic & illi, quãdiu ad
præstanda officia promptos se exhibent, sunt charissimi, & satis amplæ i-
pſis aguntur gratiæ. Verum vbi deficientibus viribus ad præstanda officia
minus idonei fuerint, aliorum vicissim officio iam indigentes, omnibus
inuisi negliguntur.

Fridericus à Dón/ vir & generis & virtutis nobilitate conspicuus, cum
D. Pontanum, Cancellarium Principis Saxoniæ Electoris, strenue officio
suo inuigilantem cerneret: Idem, dicebat, precium datur maculanti hypo-
caustum & purganti.

Anno supra sesquimillesimum, sexagesimo quinto, Februarij quinto
die, nefarius quidam homo, Paulus Sutor, e pago Breßweil/ in vicinam vr-
bem Basileam ingressus, virum honestum, & iam annis grauatũ, Andream
Hager/ compactorem librorum, à quo & e Baptismatis fonte susceptus fu-
erat, omnibusque à parente expectandis beneficijs affectus, accedit, simu-
lans se cum, vt patrem, inuisere, & si quid officij ei iam ægro præstare pos-
sit, promptum & paratum esse, abominandum interim flagitium animo
versans. Nam vt primum è conclaui digressa fuerat puella, quæ senis cu-
ram agebat, ille furiali œstro concitus, arrepto propere malleo ictibus ali-
quot senem illum, à quo, vt à patre, enutritus fuerat, petitum crudeliter
prosternit, & cultro trãsfixum interimit, ingressam deinde puellam simili
furore interficit, hinc otiose clauibus apprehensis prædam, cui inhiarat,
disquirit, inuentosq; octo cyathos argenteos secum aufert, quos pecuniæ
indigens, sacrificulo ad sanctum Blasium oppignorauit. Qui suspectum
habens hominem, cyathos Senatui Basilienſi offert. Vnde immanissimæ
cædis auctor agnitus in pago Hagenstall captus, & Basileam adductus est,
meritoq; mortis supplicio damnatus, à carnifice extra vrbem raptatus est,
vbi cum rotis tormentalibus crura & brachia ei contrita essent, viuus ad-
huc rotæ innexus est, caput autem patibulo rotæ infixo alligatum, ar-
dentibus deinde facibus combustus est, donec inter summos
cruciatus animam efflaret.

Tragicum ingratitudinis exemplum.

Finis exemplorum & historiarum quarti Præcepti.

QVINTVM PRÆCEPTVM.



IN quinto Præcepto vetat æternus Deus omnem innocentis sanguinis effusionem, prohibet tyrannidem, seditiones, iracundiam, odium, inuidentiam. Contra præcipit, vt vitam agamus pacificam, proximum nostrum diligamus, & omnibus modis in vitæ huius necessitatibus iuuemus, & promoueamus, commendat nobis virtutes in omni vita colendas, Fortitudinem, Mansuetudinem, Epieiceian, Misericordiam, Amicitiam, Humanitatem, Dilectionem, Clementiam, Zelum, seu Nemesin aduersus atrocia delicta, Studiũ concordiæ. Cæterum quam atrocibus pœnis huius mãdati violatores, qui sane omnes humanæ societatis sunt dissipatores, cœlestis Pater afficiat, id exemplo mox subiicienda ostendent.

Virtutes quinti Præcepti.

Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Genes. 9. Exodi 21. Numer. 35.

Cainus primus homicida in extremam ruit desperationem, & à facie, conspectuq; parentum fugiens, incerta sede vagatur, incertoque opinionum turbine, à parentum fratrisque Ecclesia discedens, agitatur, Deum non vt conditorem suum reueritus, sed vt tyrannum auersatus. Tandem à suo trinepote Lamecho, per imprudentiam perhibetur interfectus. Genes. quarto. Dixitque Dominus ad Cainum: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quę aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Vide & Iosephum lib. 1. cap. 4.

Abimelechus septuaginta fratres suos in vno lapide obtruncat, tyrannidem exercuit annos tres, dedecus gentis & generis, homicida ciuium, parricida fratrum, euersor libertatis, patriæ incendiarius, post atrocissima facinora cum oppidulum Theben obsideret, ad mœnia eius accedens, à muliere quadam fragmentum molaris desuper iaciente lethaliter feritur,

& ne

& ne fœminæ dextra interijsse dici posset, seruo armigero iugulum porrigit. Iudicum 9.

Saulus primus rex Israelitarum, Achimelechum Sacerdotem nefarie trucidat, & cum eo omnem domum patris eius, & Sacerdotes octuaginta quatuor. Nobæ autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes. Cuius tyrannidis pœnas luit, cum victus a Philistinis, sibi ipsi manum infert, ipseque cum omni sua familia intra breue tempus deletur, atque interit.

Amalecites de Sauli regis cæde gloriatur.

Amalecites quidam regi Dauidi nunciat, quod Saulum occidisset, præmium pro eo nuncio sperans se accepturum, quem Dauid interfici iubet, Sanguis tuus, inquiens, super caput tuum: Os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.

Dauid indulgens libidini, Vriam insidiose circumuentum hostibus obijcit, a quibus trucidatur. Quam cædem tristissimis pœnis expiare coactus est, cum a filio Absolone regno fuit eiectus, eiusq; concubinæ omnes publice stuprantur.

Absolon filios regios ad conuiuium inuitat, fratremque Amnonem incautũ inter vina obtruncat, hinc maiora ausus patrem & regno & vita spoliare conatur. Prælio autem cum paternis ducibus commisso, terga dare compellitur, ramisq; quercus cæsarie inuolutus, & capite adhærens, trib. hastilibus a Ioabo percutitur. Corpus eius in foueam proiectum, lapidib. superiniectis tegitur, carensq; liberis nullã sui relinquit memoriã, præter colossum a suo nomine dictum, quem sibi viuens in agro ipse erexerat.

Ioabus Dauidis auunculus, & summus copiarum Dux, Abnerem & Amasam viros præstantes, & belli duces, per insidias interficit, sed & ipse tandẽ mãdato Salomonis, in ipso sacrario, ad quod cõfugerat, interficitur.

Iezabel, Regina facinorosa Nabothũ læsæ Maiestatis falso accusat, conductisq; testibus damnatum lapidibus obrui iubet. Cuius perfidiæ acerbas pœnas sustinet, cum de fenestra præcipitata perijt, & equorum vngulis conculcata, & a canibus laniata fuit.

Ioas rex Iudæ Zachariam sacerdotem excellentem lapidibus obrui sinit: nec vlla post id facinus est fœlicitate domi aut foris vsus, alteroq; post cædem Zachariæ anno deuastata a Syris Iudæa, & capta vrbe, ipse a ministris suis in lectulo suo occiditur.

Hamanus Mardochæi odio flagrans, totam eius gentem cogitat e medio tollere, tanquam abominabilem. Verum quam aliis struebat cladẽ, in ipsius redundabat caput. Nam postquam improbitatem eius comperit Imperator, cum in crucem, quam Mardochæo pararat, tolli mãdat, & eadem pœna filios eius decem afficit.

Ioannem filium Matthatiæ Iambri ex vrbe Medaba erumpentes, vinctum abducunt, & cruciatum interimunt. Quam cædem frater eius Ionathas vlciscitur. 1. Machab. 9.

Psal. 55. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Deuteron. 32. Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.

Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. 1. Ioan. 3.

Homicidæ regnum Dei non consequentur. Galat. 5.

DE HOMICIDIIS MAGNORUM principum.

Cambyses.

CAmbyses Cyri filius motus falsa suspicione, iussit interfici fratrẽ suum Smerdim. Duxit vxorem sororem suam, & lachrymantem propter fra-

tris necem excandescens grauidam interfecit. Hanc domesticam crudelitatem alij furores secuti sunt. Cum Prexaspes reprehendisset eius temulentiam, dixit se ostensurum esse, sibi mentem etiã inter pocula integram esse, ac iussit in conuiuium adduci filium Prexaspis, quem collocatum ad limen iussit sinistram manum capiti imponere, & arcum intendit, ac ad cor adolescentis sagittam direxit. Quod cum vulnerasset, icto pectore, hærens in corde spiculum patri monstrat, eumque ridens interrogat, satisne certam manum haberet? Pater sibi metuens artem laudat. Sed talis cum esset Cambyses, aliquanto post diuinitus punitus est. Cum enim in equum ascenderet, decidens e vagina gladius ferit ei femur. Ex eo vulnere post paucos dies mortuus est. Vide Herodot. libro 3. Chronica Philipp. Melanch. lib. 2.

Artaxerxes Ochus.

Artaxerxes Ochus octauus Persarum rex, a parricidio regnum auspicatus est, duobus necatis fratribus illud occupans, magnam etiam aduersus Ecclesiam exercuit sæuitiam. Initio gubernationis Sidonem proditione cepit, vbi cum supplices interfecisset, irati Sidonij ipsi vrbẽ incenderunt. Ac perijsse ibi quadraginta millia hominum scribitur. Euagoram Cypri regem, cum fuisset eius socius, interfecit. Quam Ochi crudelitatem & pœnæ ipsius, & regni interitus sequuntur. Interfectus siquidem est Ochus a Principe Bagoa, qui cum regnum in sese transferre non posset, Regem fecit Arsamen, Ochi filium. Qui cum annos quatuor regnasset, etiam ab hoc ipso Bagoa interfectus est, metuente filium propter necem paternam. Patre itaq; & filio per Bagoam veneno sublatis, regnum transfertur ad Principem Armeniæ Darium, vltimum Persarum regem, quem itidem homicida Bagoas veneno tollere conatus est. Sed re indicata Darius Bagoam venenum, quod in eo conuiuio regi daturus erat, bibere coegit. Ita Bagoas extinctus, tandem scelerum suorum pœnas dedit.

Bagoas.

Darius vltimus Persarum rex.

Astyages, vt Herodotus auctor est libro primo, rex Medorum vltimus, vnicam cum haberet filiam Mandanen, quam Cambysi Persarum Principi desponderat, territusque somnio, quo viderat e genitalibus filiæ vitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbraretur, metueret regni amissionem, eiusque ad Persas translationem, filiam partui vicinam ex Persis accersit, natumque ex ea infantem tradit Harpago regis omnium consiliorum participi occidendum. Harpagus infantem bubulco regis, Mitradatæ dat exponendum. Forte eodem die pastoris vxor filium peperit, sed mortuum. Fit itaque infantulorum permutatio, pastoris filius pro Mandanes filio exponitur: Filius Mandanes vt bubulci filius educatur, eiq; inter pastores nomen Cyri imponitur. Bubulcus exposito filio suo mortuo in vrbem ad domum Harpagi reuersus ait, sese paratum illi ostendere pueri cadauer. Harpagus missis suorum satellitum fidelissimis, rem per eos inspexit, & bubulci filium, ratus infantem esse regium, sepeliuit. In puero autem Cyro, inter pastores degenti, protinus generosa eluxit indoles. Decennis cum esset, in pago, vbi bouilia erant, inter æquales ludentes rex sorte delectus est, cumq; per lasciuiam cõtumaces flagellis cecidisset, a parentibus puerorum Regi querela est delata, indignantibus a seruo Regio ingenuos homines seruilibus verberibus affectos. Ille accersito puero, & interrogato, cum nihil mutato vultu fecisse se vt Regem respondisset: admiratus constantiam, in memoriam somnij responsiq; reuocatur. Atq; ita cum vultus, & similitudo, & expositionis tempus, & pastoris confessio cõueniret, nepotem agnouit. Et quoniam defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores regno animũ minacem duntaxat in illo fregit. Cæterum Harpago amico suo infestus, in vltionẽ seruati neporis filium eius interficit, epulandumq; patri ad conuiuium vocato tradidit, qui cum filij sui carnes ignarus depastus esset, hi quibus negotium datum erat, afferũt

caput

caput filij cum extremis manuum pedumq; velatum, assistentesq; iubent detegere, ac sumere quod vellet ex eis. Harpagus obtemperãs vbi detexit, vidit reliquias filij. Non tamen ex spectaculo consternatus, sibi placere, inquit, quicquid Rex ageret. Sed dissimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit. Cyrus enim cum in Persiam ad parentes ablegatus, ad virilem ætatem adoleuisset, Harpagus clam apud Medorum primores Astyagem in odium vocat, iam antea tyrannidi eius infestos, Cyro etiam persuadet, vt Persas ad defectionem pelliceret, Medorũ transitionem pollicitus. Quæ res cum & Harpago & Cyro fœliciter succederet, Astyages a Cyro victus, regnoq; exutus, homicidij pœnas expendit. Vide Herodotum in Clio, & Trogum lib. 1.

Artabanus spe adipiscendi Regni, Regem Xerxem, ad quem iure amicitiæ illi semper patebat aditus, interficit. Hinc obstantes voto suo filios Regis Darium & Artaxerxen, dolo aggreditur. Fingit Regẽ a Dario, quo maturius regno potiretur, occisum, impellitq; Artaxerxen parricidium parricidio vindicare. Sublato Dario, Artabanus in societatem consilij Baccabassum assumit, fraude & vi regnum ad se pertracturus. Is præsenti statu cõtentus, rem prodit Artaxerxi, vt pater eius occisus sit: vt frater falsa parricidij suspicione oppressus: vt denique ipsi pararentur insidiæ. Quibus cognitis Artaxerxes Artabanum parricidam obtruncat. Trogus lib. 3.

Alexãder Magnus victo Dario, captisq; eius matre, vxore, & duabus filiabus, tanta erga eas pietate & continentia vsus est, vt non in castris hostium, sed in castris virginum domicilijs viderentur degere. Quam generosi animi magnitudinem miratus Darius manibus ad cœlum extensis ita precatus fertur. Dij natales, atq; Regij, id primum vos precor, quam mihi Persarum fortunam dedistis, eam restitutam ego vti posteris relinquam: vti victor Alexandro rependã, quæ in mei calamitate icti, charissimos consulit beneficia. Sin fatale adest tẽpus, itaq; visum est Nemesi & rerũ vicissitudini, vti Persicum regnum cesset: at nemo hominum præter vnum Alexandrum in Cyri sedeat solio. Hic Darius cum & altero prælio ab Alexandro victus esset, in fuga a Besso Bactrianorum præfecto captus & interfectus est. Quam Bessi erga regem suum perfidiam Alexander ipse grauiter vltus est. Alligatum enim duabus arboribus inflexis discerpi iussit.

Bessi erga Darium perfidia.

In ciuili bello inter C. Iulium & Pompeiũ, quo totius ferme orbis terrarum vires concutiebantur, victus Pompeius in Ægyptum profugit, sibi futurum esse fidum ibi hospitium, & posse nouos ibi exercitus colligi, persuasum habens. Vbi, quia Ptolemæus adolescens regebatur alienis cõsilijs, deliberarunt Photinus eunuchus, & Præceptor adolescentis Regis Theodotus Chius, & Achillas, qui præerat exercitui, an recipiendus esset Pompeius, quia videbant molẽ belli attrahi in Ægyptum, si reciperetur. Ac re diu disputata, suasit Theodotus, vt interficeretur Pompeius, addens dictum, νεκρὸς δὲ δάκνει Et apud Lucanum Photinus inquit: Exeat aula, qui vult esse pius. Nulla fides vnquam miseros elegit amicos. Et Pompeiũ accusat, qui, cum Senatus Romanus velit Ægyptum quietam esse, ipse, eo bellum transferat. Missi sunt igitur ad interficiendum Pompeiũ Achillas, & Septimius Tribunus militum, qui olim fuerat Centurio in exercitu Pompeij. Hic Romana lingua primũ alloquitur Pompeium, deinde Græca Achillas, iubent eum ex sua naue, in qua cum coniuge & filijs vehebatur, egredi in Regiam nauem cum liberto Philippo. Sed exiens recitat Sophoclis versus:

Bellum ciuile inter Iulium & Pompeium.

Pompeij cædes.

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
Κεἰνοῦ ἐστὶ δοῦλος κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Agnoscit deinde Septimium, & alloquitur. Cumq; legeret orationem

Græcam

Græcam, qua Ptolemæum, allocuturus erat, Septimius a tergo eum gladio transfodere cœpit, deinde labentem fodiunt Achillas & alij. Ipse in tam trisi exitu nullam deformitatem ostendit, sed gemitum edens caput inuoluit vesti, qua indutus erat. Postea transfosso & necato præcidit Septimius caput. Hic fuit exitus Pompeij, qui res magnas patriæ vtiles ante bellum ciuile gessit, & vsq; ad id tẽpus fœlix, & valde charus omnibus gentibus fuerat, in hoc extremo actu perfidiose necatus est, a filio eius Regis, quem ipse in regnum restituerat. Statim autem Deus & interfectores puniuit. Cum Cæsar mense Octobri venisset in Ægyptũ, & ipsi quoq; insidias struerent Achillas & Photinus, qui, vt videtur, hanc gloriam auferre voluerunt, quod duos summos Duces Romanos sustulissent, iussit eos interfici. Ptolemæus ipse fugiens obrutus fluctibus in mari perijt, cum Cæsar exercitum Ægyptium ad Alexandriam profligasset, Theodotum post aliquot annos Brutus, cum post interfectum Cæsarem Sardes occupasset, cruci affixit. Plutarch. in vita Pompeij & Iulij. Paulus Oros. & Chron. Philip. lib. 2.

Mithridatis mandato octuaginta Romanorũ millia trucidantur.

Mithridates rex Ponti, qui annis quinquaginta sex bellum cum Romanis varia gessit victoria, post occupatam Asiam, Aquileium & Quintum Oppiũ in vincula cõiectos, crudeli prorsus animo, clam Satrapis Primoribusq; vrbium perscripsit, vt trigesimam diem obseruantes, omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Italos eorumq; vxores, cum pueris & liberis, qui Romani sanguinis essent, interficerent, abiicerentq; insepultos, bona cum rege diuiderent, supplicio proposito ijs, qui vel sepelissent, vel aliter occuluissent. Cum itaq; destinata cædi dies adesset, per vniuersam Asiam calamitatũ multiformes visebantur aspectus, perhibeturque ex vnius Epistolæ mandato octuaginta Romanorum millia per vniuersam Asiam in vno die trucidata esse. Cuius suæ crudelitatis pœnas dedit, cum a Pharnace filio adolescente ingratissimo bello petitus & obsessus, venenum hausit. Quo nihil ad mortem propter sumptũ antidotũ proficiens, auxilio Galli cuiusdã militis, Vitigis nomine, se interfecit.

Caligulæ sæuitia.

Caius Caligula sæuitiã in omnes propinquos exercuit. Tyberium fratrem veneno interfecit, tres sorores suas constuprauit, Senatores multos occidit, conclusis nonnunquam horreis populo famem induxit. Optabat sæpe exercituum cædem, famem, pestilentiã, incendia, hiatum aliquem terræ, vt sua tempora redderentur insigniora. Libidinis erat inexplebilis, ac luxuriæ portentosæ in mares & fœminas. In crudelem adeo bestiam conspirationes multæ factæ sunt, & tandem vna fœlicem sortita exitum. Nam triginta vulneribus confectus interijt, anno ætatis 29. cum imperasset triennio, & decem mensibus.

Tyberius lutum sanguine maceratum.

Tyberius, qui Augusto successit, tantæ fuit sæuitiæ, vt non iniuria Seneca eum lutum sanguine maceratum appellarit, crudelis fuit in filios, nepotes atque amicos, tantam passim tyrannidem in Romanos exercens, vt nulla dies a pœna hominum vacaret. Mortuus est in Campania non sine suspicione veneni Caligulæ insidiis extinctus. Morte eius lætatus est populus, vt pars clamaret Tyberium in Tyberim proijciendũ, pars oraret superos, ne vlla sedes mortuo nec inter impios diceretur.

Aulus Vitellius vitam omnibus probris contaminatum degens, Imperator ab exercitu salutatus nobiliores condiscipulos & æquales suos ad Imperij societatẽ pellectos blãditijs occidit, delequit in plebeios, in equestrem ordinem, & in alios quosuis, dictitans se oculos pascere, si quis coram se interficeretur. Helluantem destituerunt milites octauo Imperij mense, atq; in Vespasiani iurarũt verba. Vitellius victus, & e palatio, quo se abdiderat, productus, vinctis post tergum manibus, iniectoq; ceruicib. laqueo circumducitur ad spectaculum vulgi seminudus, multis cœno, fi-

mo,

mo,& cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius incessentibus, tandem ad scalas raptus Gemonias numerosis ictibus confossius interijt, & inde vnco tractus est in Tyberim.

Romani Imperatores,qui post Augustum imperarunt,pleriq; ob sęui tiam & tyrannidē violenta morte perierunt,iuxta versus Satyrici Poëtæ:

Adgenerum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Antoninus Bassianus Caracalla crudelissimus fuit & incestus. Initio Imperij fratrē Getam, natum ex Iulia, interfecit pendentē de collo matris, & clamantem, Mater opem fer mihi,interficior. Ac mater non tantum sanguine filij respersa est,sed etiam vulnus in manu accepit. Hæc tamen postea priuigno Bassiano nupsit. Quare & postea Alexandrini eam locastam,& ipsum nominarunt Oedipum. Sed graues huius ioci pœnas dederunt. Trucidauit enim in vrbe Alexandria Bassianus multa millia ciuium. Romæ iniuste plurimos Senatores interfecit,& inter hos Papiniamum Iurisconsultum, præfectum vrbis,quod excusare necē Getę noluit. Cum enim iussus esset eam excusare,recusans respondit: Non tam facile est excusare parricidium quam facere. Anno Imperij septimo consilio Macrini præfecti prætorio, a satellite Martiale, cuius fratrem interfecerat,occisus est. *Antoninus Bassianus Caracalla.* *Papinianus Iurisconsultus.*

Varius Heliogabalus superauit turpitudine omnes, qui in historijs infames sunt propter libidines. Fecit Cæsarem consobrinum Alexandrum, quem postea missis militibus trucidauit. Hoc cum prætoriani milites resciuissent,qui Alexandri mores probabant,ipsum Heliogabalum in cloacā,in quam fugerat,interfecerunt. Postea tractum per circum Carnifices in Tyberim abiecerunt. Sacrilegus,& omnis religionis contemptor fuit, virgines Vestales stuprauit. Eo vesaniæ progressus est, vt libras araneorum decies mille colligeret,mures totidem,mustelas mille,sorices mille,dictitans,inde magnitudinem vrbis Romanæ cognosci posse.

Maximinus cum pastor in Thracia fuisset,propter robur corporis,cum cursu pedes æquaret currētem Seueri equum, receptus est inter custodes corporis Seueri,deinde Tribunus factus,ad Imperij fastigium tandem euectus est. Imperator factus maximam & in castris & Romæ sęuitiam in primis erga nobiles exercuit,omnes conscios generis sui,ignobilitatis tegendę causa interficiens. Quare alij eum Cyclopē,alij Busiridē,alij Anteū propter sæuitiā nominarunt. Cum itaque a Senatu hostis iudicatus esset, tratusque Senatui Romam exercitum ducturus esset, in via ad Aquileiā retinetur, quæ eum recipere noluerat. Hanc cum obsideret cum filio, & fames in castris esset,milites cognita voluntate Senatus,medio die quiescentem in tentorio Maximinum patrem,& deinde filium interfecerunt.

Iustinianus Minor ob sæuitiam omnibus inuisus,facta conspiratione a Leontio & Tiberio,ex aula deturbatus est, truncatisque naribus Cherſonam est relegatus,atque Leontius Imperator denunciatus. Verū auxilio Bulgarorum Regis Iustiniani Constantinopolim reuersus,& Leōtium & Tiberium interfici iubet,& quoscunque eorum fauisse partibus sciret, eos in vincula coniecit,nimiumque dolori suo indulgens, quoties truncatas emungeret nares, vnum ex istis ad suppliciū rapi mandauit. Cumque flagitiosior indies redderetur,tandem a Philippico vna cum filio occisus est.

Alboinus Rex Longobardorum,cum graui prælio Cunimundum Regem Gepidarum victum occidisset,eius filiam Rosimundam sibi copulauit. Cui cum aliquādo inter pocula e patris caluaria per iocum propinasset,irata puella plus paterna charitate, quam coniugalis thalami facibus mota,patrem vlcisci,& eius rei gratia virum, regnumque simul amittere *Rosimunda mariti suū occidit.*

decreuit.

decreuit. Cum autem e puellarum numero, quas in obsequio habebat, vnam ab equite Longobardo Himichildo vel Helmichildo nomine diligi sensit, egit, vt vocatus in obscurum cubiculum tanquam cum amata puella cubiturus, secum is, re minime detecta, cõmisceretur. Et vt postea quid perpetrasset, cum non lateret, aperiri cubiculi fenestras iussit, interminataq; nisi Alboinum virum suum occideret, se perpetrati flagitij eum accusaturum, atque adeo enixe institit, vt is verbis minisq; victus, noctu in lectu iacentem Alboinum occideret. Facinore autem perpetrato Rauennã ambo profugerunt, vbi Himichildum veneno præsentaneo perdere conata est. Cuius partem cum hausisset, vbi sensit contagium per venas serpere, euaginato gladio eam coegit reliquam poculi partem bibere. Quo facto ambo suffocati sunt.

Veneficæ mulieres.

Fabio Maximo, Quinto Decio Coss. apud Romanos complures matronæ viros suos clandestinis insidijs veneno peremerunt, quæ vnius ancillæ indicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centum septuaginta numerum compleuere. Valerius lib. 2. cap. 1.

Cassandri sæuitia in Alexandri matrem.

Cassander vnus ex successoribus Alexandri Magni, occupauit Macedoniam, & tenuit eam annis octodecim. Duxit vxorem Thessalonicam, Philippi filiam. Cumque Olympias, mater Alexandri, conaretur regnum pariuis filijs Alexandri tradere: vrbem Pydnam, in qua erat Olympias, Cassander obsidione cinxit, tamdiu, donec multi homines fame morerentur, & milites hominum cadaueribus pascerentur. Coacta igitur fame Olympias deditionem fecit, postea eam Cassander occidi iussit, cumque milites primi ad eam occidendam missi, reuerentia eius deterriti non fecissent mandata, missi sunt alij, qui eam trucidauerunt. Deinde coniuges, & filias Alexandri veneno sustulit: Roxanen quæ peperit Alexandrum, & Barsenen quæ peperit Herculem. Etsi autem initio Cassander socius fuit Antigoni, tamẽ cum in Asia Lyciam peteret, Antigonus ei hostis factus est, & vt honesta specie bellum ei inferre posset, accusauit eum apud exercitum, quod interfecisset Olympiadem, coniuges & filias Alexandri. Expulsi sunt igitur Cassandri exercitus ex Asia, & ipse non multo post phthiriasi mortuus est. Hæserunt & in posteritate maiores pœnæ. Filius Antipater occidit matrem. Alexander alter filius occidit fratrem Antipatrum, & Demetrium filium Antigoni in Macedoniam accersiuit. Demetrius hunc Alexandrum interfecit. Hæc omnia congruunt ad Regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hæc tristitia exempla in historia Cassandri commonefaciant nos de ira Dei, & hortentur ad timorem & inuocationem Dei, Chronica Philip. lib. 2.

Constans cum in gubernatione negligens esset, multaque faceret crudeliter, contra eum factus est Imperator Magnentius, qui tunc præerat Rhœticæ. Hic interfecit Constantem quiescentem in cubiculo. Estque mors eius eo insignior, quod Magnentium antea in Illyrico ipse seruauerat, tectum sua purpura, cum milites eum interfecturi essent. Nunc talem gratiam seruatori reddidit, qualem Cassius & Brutus Iulio reddiderunt. Sed seipsum quoq; aliquanto post interfecit. Vide supra sub finem quarti Præcepti.

Ariberto, nono Longobardorum regi, duo successerunt filij, Godebertus, regnans Ticini, & Bertarius, Mediolani regnãs: Orta autem inter adolescentes fratres discordia, Godebertus accersit Grimoaldum, ducem Beneuentanum, vt haberet auxilia contra fratrem. Grimoaldus veniens Ticinum, interfecit Godebertum, & eius filium, & sese regem Longobardorum fecit. Bertarius fugit primum ad Caganum, regem Hunnorum, postea ad regem Francicum Dagobertum, & abfuit exul, donec regnauit Grimoaldus decimus rex, annos nouem, qui cum rupta vena sanguinis fluxu

mortuus esset, redijt Bertarius, cuius iustitia & pietas in regni administratione laudatur. Chron. Philip. lib. 3.

Defertum a Michaele Imperium, cum Leo Armenius inuasisset, & cõsecutus esset, Theophylactum Michaelis filium, quem Pater Imperatorem appellarat, mutilatum ea parte, qua vir erat, vna cum matre in exiliũ egit. Fuit vir acer & industrius, sed crudelis & malus. Ante Imperium Saracenos, in imperio Bulgaros magnis cladibus affecit. A coniuratis in suo conclaui obtruncatus est, cum imperasset annos septẽ, menses quinque. Chron. Philip. lib. 4.

Pompilius rex Polonorum a muribus deuoratus.

Pompilius Secundus, nonus Polonorum Rex, sceleste vxoris acquiescens consilio, morbum simulabat, accersitisque Proceribus regni, & hæredibus, patruis suis, quorum erant viginti, flebili voce morbi vehemẽtiam exaggerabat, mortemq; iamiam instantem deplorans, petebat ab ijs, vt se mortuo fidelem regno operam locarent, filijsque duobus, quos reliquat, illud saluum & integrum tradant. Quæ postquam falso scelerato quæ animo protulit, poculum auratum mortifera potione impletum circumferri iussit, ex quo cum singuli nihil mali suspicantes bibissent, ne coram lecto collapsi extinguerentur, simulauit languore se confectum, solumque auidum esse, ideoque vt secederent, perijt. Qui cum e regis conclaui digressi essent, protinus mente capti concidere & extincti sunt. Tã nefarium impij regis parricidium æternus Deus atrociter punijt. Regem enim conuiuia celebrantem, mero madentem, sertis coronatum, vnguentis delibutum, crapula & luxu resolutum, innadunt mures de corporibus patruorum, quos ipse & vxor eius Regina veneno interfecerant, ingenti magnitudine egressi, & in conuiuantem tyrannum, consortem eius, & filios rabidis morsibus insiliunt, militum caterua nequicquam abigente, quoniam humano suffragio fatigato mures infatigati persecuebant, die, noctuque. Extruuntur ardentes foci, & in medio eorum locatus Pompilius, coniunx & filij: illuc autem & mures per flammas transeuntes, parricidam rodere non cessabant. Ad aliud tandem elementum ventum est. In nauibus abducitur occisor patruorum Pompilius cum suis in stagni altitudinem, mures tamen incessãter secuti abductos, & naues rodebant, in tantum, vt aqua perforatis rimis ingressa submersionem minaretur: ideo nautæ timentes præfocationem ab aquis, deduxerunt nauem in littus, vnde alia caterua murium occurrens, iuncta prioribus acrius infestabat. His visis defensores, diuinam vltionem cognoscentes, omnes fugerunt. Pompilius autem protectoribus nudatus, recepit se in turrim altiorem Crusuicza, vbi mures rapido cursu asceudentes consumpserunt, & deuorauerunt duos filios, vxorem, & facinorosum Pompilium. Ecce non est potestas aut consilium contra Dominum: Minuta animalia, imbelles mures Pompilium miserabiliter consumpserunt, quẽ admodum pediculi vermes minores muribus, Arnolfum Imperatorem; pulpa, carnibus ac visceribus exesis, Medicis nequicquam prohibentibus, ad internecionem vsque perduxerunt, solis cartilaginibus & ossibus relictis. Caronica Polonorum libro primo, capite vndecimo. De eodem Pompilio, eiusque successore Piasto, in tertio Præcepto, de Angelis, mentio facta.

Hatto Episcopus Moguntinus a muribus deuoratus.

Annõ Christi 914. Ottone Magno rerum potiẽte, cum dira fames Germaniam infestaret, Episcopus Moguntinensis, Hatto plurimos pauperes in horreo congregatos, ea spe, quod escæ vel panis nonnihil ex Episcopi liberalitate accepturi essent, concremauit, dicens, nihil differre eos muribus, frugibus tantum consumendis natos. Quam tyrannidem Deus protinus vltus est. Præcepit namque muribus, vt cateruatim illum inuaderent, ac diu noctuque affligerent, viuumque deuorare festinarent.

Itaq;

Itaque ille in turrim in medio Rheni iuxta oppidum Bingium extructam, & ab hoc casu murium turrim vocatam, aufugit, sed nec ibi a morsibus murium tutus esse potuit. Nam mures facto agmine per Rhenum natantes in turrim conscendere iustum Dei iudicium executuri. Quod agnoscens miser horrenda morte inter mures perijt. Ferunt quod mures nomen quoque eius delentes a parietibus & tapetibus abraserint. Cosmographia Munsteri. lib. 3.

Symmachi & Boetij cædes.

Cum magna autoritas Romæ duorum Senatorum esset, Symmachi & Boetij, qui gener Symmachi fuit, Theodoricus Gothorum Rex, enocauit eos Ticinum, & diu captiuos tenuit, quia aliquibus eius decretis aduersati fuerant, & bona eorum publicauit, & tandem ipsos interfici iussit. Hanc iniustam crudelitatem hæc pœna secuta est: Non multo post eorum necem, cum ecœnanti propositum fuisset in mensa grande caput piscis, visus est sibi cernere caput Symmachi, horribili rictu, & flammeis oculis minantis ipsi. Subito igitur consternatus & tremens iussit se in lectum collocari, & accersito Medico Elpidio narrauit amicis terribilem illam Symmachi specem conspectam, & in deploratione sceleris sui paulo post extinctus est. Platina. 3. Chron. Philippi.

Carocus vastator Germaniæ.

Carocus, Rex Vandalorum, cum magna multitudine Germaniam peruagatus, assensu Germanorum traiecto Rheno Gallias inuasit, obuia quæque depopulatus, nec vlli parcens mortalium. Ei mater deteſtabilis mulier tale dedit consilium: Fili si cupis nomen tuum consecrare æternitati, omnia magnifica ædificia ab alijs Regibus & Principibus extructa tu demolire, & quibus illi pepercere, eos interfice. Consilio maleficæ matris filius pessimus acquieuit, passim solo æquat, & in fauillas redigit insignes ciuitates, Moguntiam, VVormatiam, Spiram, Treuerim, nec vlli vel ætati vel sexui parcit. Quam tyrannidem cum exercuisset anno Christi 410. anno sequenti in Gallia, cum ciuitatem Arelatensium oppugnaret, captus est, vinctusq; magno cum ludibrio & cruciatu, per ciuitates, quas destruxerat, ductus est, & crudeliter tandem interfectus. Casp. Hed. lib. 1. cap. 18. Munst. in Cosmogr. lib. 3.

Phocas ignobilis, Centurio Thracius per seditionem creatus Imperator. Occiso perfide & crudeliter Imperatore Mauritio tenuit Imperium annos septem. Qui cum ob tyrannidem in odio esset non solum populi, sed etiam Principũ, coniungunt se Priscus, qui Mauritij tempore inter præcipuos duces fuerat, & tunc Phocæ gener factus erat, & Heraclianus Africę præses, & Photius, cuius vxorem Phocas rapuerat. Hi societate inita, Thracioque exercitu, & Africano simul ad Constantinopolim adducto, prætorianos milites temulentos facile dissiparunt. Photius occupata regia cepit Phocam, & ad Heraclium filium Heracliani ducem Africani exercitus adducit. Ibi milites adducto Phocæ brachia & pedes mutilarunt, deinde exectis ei pudendis, caput quoque amputarunt. Corpus in bouem æneum, qui Pergamo allatus fuerat, coniectum, atque in cineres redactum est, genere eius reliquo vna cum illo extincto. Nicephorus libro 18. capite 55. & 56.

Albertus Austriacus perfide necatus.

Albertus Austriacus occiso Adolpho Imperatore, cum iam in decimum annum Imperio præesset, non procul a Rheno, inter Risum Arulamque amnes, consilio & opera Baronum quorundam, interficitur a fratris filio Iohanne, cui tanquam prodigo administrationem Sueuiæ ademerat. Initium cædis fecit Iohannes Dux, fica in iugulum Imperatoris adacta, secuuti cæteri caput dissecuerunt medium, & confoderunt pectus. Sed & parricidæ profugi sua tulerunt præmia, diuinitus retracti ad pœnas. Vide Cosmogr. Munsteri, & Chron. Philip. lib. 5.

Henricus Septimus nefarie necatus est veneno per infectum panem sacrum Beneconuenti a Bernhardino Monacho e familia fratrum Prædicatorum, qui ad hoc a Florentinis erat conductus.

Henricus VII. extoxicata hostia perit.

Friderico eius nominis Secũdus, cum duobus & triginta annis Imperij gubernaculatenuisset, a filio suo spurio Manfredo, iniecto in os puluino, suffocatus est. Fuerat autem Friderico filius primogenitus Henricus, qui cum Pontificum incitatione aduersus patrem seditiosa agitaret consilia, pater eum ad se in Apuliam inuitatum comprehendit, atq; in carcerem condidit, in eo miserabiliter mortuus est, superstitibus gemellis, quorum alterum Conradus Friderici filius, alterum Manfredus nothus veneno sustulit, tanquam æmulos regnorum Siculi & Neapolitani. Conradum deinde Manfredus itidem veneno perimit. Supererat Conradi filius Conradinus, legitimus Neapolitani & Siculi Regni hęres, quẽ in Germania degentem Manfredus itidem veneno tollere aggressus est. Quæ eius insidiæ licet irritæ essent, literis tamen commentitijs morte illius divulgata, regna iure successionis sibi vendicauit. Pontifex tandem edito in Manfredum anathemate, attraxit Carolum Andegauensem, Ludouici Galliarum Regis fratrem, qui cum Manfredo acie congressus, victoriam illo cæso cum regno vtroque obtinuit. Conradinus cum adoleuisset, adducens insignem exercitum ex Germanis regna auita a Carolo repetit. Cui victor Carolus, nouo ac Regio nomine indigno crudelitatis in orbe Christiano exemplo, securi vitam eripit, immani & flagitiosę equitiæ Pontificis Clementis Quarti ministrum se præbens.

Manfredus patrem interficit.

Conradinus nouo crudelitatis exemplo securi feritur.

Aduersus Adolphum Imperatorem electus erat Albertus Austriacus, qui duo Imperatores diuersis suffragijs electi, graui prælio ad Spiram, anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo octauo, dimicarunt, in quo Imperator Adolphus interficitur. Porro omnes, qui aduersus Imperatorem Adolphum coniurarant, mala morte quasi fato perierunt. Comes Albertus de Hatterloch occisus, Otto de Ochsenstein suffocatus, Episcopus Moguntinus subito in sella apoplexia tactus, Episcopus Argentinẽsis a lanio ante Friburgũ ense traiectus, Comes de Leiningen/ phrenitide correptus, Albertus a Duce Iohanne ense transfossus, de quo superius.

Adolphus Imperator.

Imperator Philippus, Princeps natura bonus, sapiens, moderatus, acer, & magnanimus, rebus per Italiam & Germaniam dextre compositis, Bãbergam curandi corporis causa secesserat. Ibi cum die quodam phlebotomia medicationis causa vsus, semotis cæteris, cum Henrico Truchesio VValburgensi hilarioribus colloquijs se inuitaret: Otto VVitelbachius, cognomento Minor, frater illius, qui a Friderico Bauariam consecutus erat, in conclaue dolo dissimulato ingressus, occasione captata ex improuiso pugionem, quem sub veste occuluerat, in jugulũ Imperatoris adegit, ex quo vulnere mortuus est. Parricida auxilio Ecberti Episcopi Bambergensis, & fratris eius Henrici Andechsiani Histrię Marchionis, filiorũ Bertholdi, Ducis Meraniæ, elapsus, tandem ab Henrico Calatino, Marescallo trucidatus est. Causa cædis hæc fuit: Imperator Ottoni spem fecerat de nuptijs filiæ Cunigundæ, hanc postea mutata voluntate dedit in vxorem VVenceslao Ottocari Boëmici Regis filio, quod Otto propter iniustã cædem in magnam incurrisset infamiam, & Imperator duceret indignum filiæ nuptijs, eum qui iniusta cæde pollutus, & humano sanguine conspersus esset. Dissimulauit dolorem Otto, donec vlciscendæ contumeliæ occasiones opportunas consilio & ope Episcopi Bambergensis arripuit. Ita Philippus insidiose obtruncatus interijt, decimo Calen. Iulij, an. Christi millesimo, ducentesimo octauo.

Philippus Imperator.

Anno Christi millesimo, trecentesimo septimo, post cladẽ Alberti Austriaci acceptam in Thuringia ad Lucam oppidum prope Pegas, Ticemã

nus Marchio Thuringiæ, Myſiæ, & Luſatiæ, fraude vulneratus Lipſiæ in templo, cum nocturnis ſacris feriarum natalitiarum intereſſet, biduo poſt expirauit. Ac fuit opinio Sicarium ſummiſſum eſſe a Philippo Naſſaenſi. Ita exiſtimaſſe Fridericum Ticemanni fratrem, non multo poſt intellectū eſt, qui cum in acie conſpexiſſet Philippum, ingenti percitus ira, milites incitauit, ac dixit, ſe Deo iuuante pœnas ſumpturum de perfido ductore Naſſaenſi, a quo frater ipſius interfectus eſſet. Et adiuuit Deus iuſtos conatus. Nam in eo prælio, manu Friderici, Naſſaenſis trucidatus eſt.

Gerhardus Holſatiæ Comes, cum ſecundo Marte gratia inter Danos gereret prælia, noctu in ciuitate Randershuſen / a Barone quodam prædiuite Nicolao Iacobo perfide trucidatur, protinusque parricida ithe fugam arripiens euaſit. Mane detecto tanto ſcelere, ingens luctus in toto exercitu oritur. In primis autem filij Comitis Henricus, Nicolaus, & Iohannes de vlciſcenda paterna cæde ſoliciti ſunt. Qui poſtquam reſciuere, Sicarium magna manu coacta in arce Schaldenburgk delitescere, arcem eā magnis viribus expugnarunt, cæſis ferme Danorum duobus millibus, Sicariumq; in quatuor partes diſſectum, rotis quatuor impoſuere, digno eum homicidij & perfidiæ præmio afficientes.

Cades Regis Neapolitani Caroli Secundi.

Mortuo Vngarorum Rege Ludouico, anno 1382. Regni habenas ſuſcipit filia eius Maria, conſilijs matris Eliſabethæ potiſſimum freta. Pertæſi autem muliebris imperij Carolum Secundum, Regem Neapolitanum, ad Imperium capeſſendum acceſſunt Vngari. Mulieres itaque cum victo animo imperium reſignaſſent, Vngari vero ex animi leuitate Carolum, quem vltro vocarant, mox auerſarentur, Regina mater Carolo Regi nunciat, ſe habere literas de magnis & occultandis rebus e Germania, rogat ſimul vt ad ſe veniat, literarum argumenta cognoſcat, & ſecū conſilia conferat, nam agi de maximis rebus totius regni. Carolus nullā ſubeſſe fraudem ratus, Reginę hoſpitium Italico ſtipatus ſatellitio accedit. Eadem hora & Palatinus Garenſis ſolus conſiliorum Reginæ conſcius, multā ſecum trahens cohortem intrauit. Regina igitur & Palatino ad Regis latera ſedētibus, Italici ſponte conſilio cedunt. Quibus digreſſis Blaſius Forbach / ad quoduis perpetrandum facinus audax, a Regina & Garenſe ſubornatus, de improuiſo in Regem incautum irruit, eoque lethaliter vulnerato aufugit. Quibus ſic ex ſententia mulierum perfectis, Palatinus eiectis Italicis, arces Vngaricis reparat armis. Regina mox Sigiſmundo, Caroli Quarti filio (cui adhuc puero Maria deſponſata fuerat) fata Regis nunciat, atq; regnum recuperatum. Cumq; iam omnia tuta viderentur, & Regina cū ſuis Regni Principibus de arce in arcem, de vrbe in vrbem circumueheretur, rerum in Regno diſponendarū gratia: Ecce ſummus Caroli amicus Croatiæ prefectus Iohannes de Horuath, cum valida equitum manu in Reginā, eiusq; comitatum irruit, trucidatisque primum Blaſio Forbach & Garenſe Palatino, deinde & ceteris ſtipatoribus atq; miniſtris, Reginas ſimul & earum puellas curribus extrahit, multisq; contumelijs afficit. Reginam matrem aquis ſubmerſam ſuffocat. Mariam in vincula cōijcit, quam tandem grauiſſimos tumultus ſequuturos metuens, liberam dimittit, obſtrictam prius Sacramento, ne iniuriam illatam vnquam vindicare cogitet. Paulo poſt Sigiſmundus toto regno Horuathum perſequitur, & tandem in fuga comprehenſum, & equi pedibus fune annexum & hinc inde raptatum, deinde ignitis forcipibus fatigatum, poſtremo in quatuor partes diſſectum, ad quatuor partes ciuitatis Pelenger ſuſpendit. Hūc ad modum pœnæ pœnis, contumeliæ contumelijs vindicatæ fuere.

Iohannes de Horuath Croatiæ præfectus.

Sigiſmundus Rex.

Suadopolci parricidia, & pœnæ.

Defuncto Ruthenorum Rege VVoldimiro, ſucceſſit ei in Regno filius Boriſus, Princeps pietatis ſtudioſus, quem frater eius Suadopolcus regno inhians, in cubiculo dormiētem de improuiſo in eum irruens, lancea con-

fodit

fodit,& vna armigerum eius Gregorium,mox parricidium parricidio addens,alterũ quoq; fratrem Hiobum pari impietate interfecit. Supererat e fratribus Iaroslaus,qui indignam fratrum necem vlturus,copias aduersus parricidam educit,cæsosq; eius exercitu,ex quo complures paludibus subinersi periere,eum in fugam compellit,qui difficulter fuga elapsus Polonorum Regi Craco salutem suam commendat. Sequeti anno denuo vterq; frater hostilibus concurrunt copijs & animis,& quidem eo in loco, vbi fratrem suum Borisum parricida interfecerat. Certatumq; est pari fortuna,qua priore prælio,cumq; fuga salutem quærens Suadopolcus,in Poloniam rursus tenderet,in ipsa fuga graui morbo oppressus & extinctus est in deserta ignotaq; Regione misere & ignominiose sepultus. Chron. Polon.lib.2.cap.10.

Lechi parricidium & pœna.

Cracus Polonorum Rex,cum plenus dierum fatis concessisset,filios reliquit Cracum & Lechũ. Cracus,vt qui maior natu esset,patri in regno succedit,quem Lechus regnandi impulsus libidine,in venatione interficit,totoq; fœdatum & laceratum corpore abijcit,a feris eum discerptum esse dictitans,adeoq; fictis lachrymis fratris sui mortem deplorans. Postquam autẽ cõsentientibus suffragijs regnũ ad eum delatum esset,paulo post parricidij veritas detecta est,propter quod omnibus inuisus esse cœpit regnoq; eiectus ex mœrore animi breui mortuus est. Chron. Polonorum lib.1.cap.6.

Ludouicus Bauariæ Dux.

Anno Christi millesimo,ducẽtesimo,trigesimo primo,Ludouicus dux Bauariæ a Saraceno quodam subito in ipsum irruente,in conspectu aulicorum ministrorum confossus est. Sunt qui asserant sicarium a Friderico secundo subornatum fuisse. Quamprimum autẽ & sicarius ab aulicis in minutulas partes membratim dissectus est. Chron. Hedion. 4. parte.

Iacobus Rex Scotiæ a patruo suo interficitur. Horrenda parricidarum pœna.

Anno quadragesimo septimo,supra millesimum quadringentesimum Iacobus Rex Scotiæ primus eius nominis,perfide ex machinatione patrui sui Comitis Atholiæ,qui ad regnũ aspirabat,plurimis ictus vulneribus affecti sunt. Comes Edinburgi damnatus per vibem nudus rapiatur,& interfectus est. Auctores mortis a Proceribus regni capti,atrocibusq; pœnis est,funibus iam in altum eum attrahẽtibus,iam graui lapsu denuo eũ deiicientibus,coronaq; ferrea candens capiti eius imposita est,postero deinde die vna cum socijs caudis equorum alligatus,& de vico in vicum tractus est. Tertio die Comes tabulæ impositus est,viuentiq; intestina execta & combusta sunt,post & cor exemptum & in flammas abiectum fuit. Post quæ supplicia caput ei Carnifices amputarunt,corpusque in quatuor partes dissecuere. Robertum vero Gramum præcipuum ex percussoribus currui impositum circumduxere,dextra eius,qua Regem percusserat,alligata patibulo currui annexo,candẽtibusque forcipibus corpus eius pugere,& demum in quatuor partes dissecuere. Alijs vero complicibus a-lias inflixere pœnas. Munst. Cosmographiæ lib.2.

Parthenius Theodoberti Regis Francorum Præfectus & Quæstor, homo iniquus.

Parthenius homicida noctu eum in strato suo quiescret,subito per somnium vocẽ magnam emittebat,dicẽs: Heu,heu,succurrite qui adestis,& auxilium ferte pereunti. A quo clamore expergefacti qui aderant,interrogant,quid hoc esset? Respondit illẽ: Ausanius amicus meus cum Pacianilla coniuge,quos olim interfeci,ad iudicium me accersebant,dicentes: Veni ad respondendum,quia causaturus es nobiscum coram Domino. Zelo enim ductus ante annos aliquot cõiugẽ innocentem amicumque peremerat. Paulo post a populo comprehensus,lapidibusq; obrutus est. Sic diuinitus homicidium detectum & punitum est,iuxta Regulam: Qui sanguinem effundet,eius sanguis rursus effundetur. Gregor. Turonensis.lib.3.cap.36.

Post Eliasibi Pontificis obitum,sacerdotium eius Iudas filius inire suf-

cepit hæreditario: & huic quoq; defuncto succeſſit Iohannes filius, qui in cauſa fuit, vt Bagoſes Artaxerxis copiarum Imperator templum pollueret, Iudæiſque tributum imponeret, vt priuſquam quotidianas hoſtias offerrent, pro ſingulis agnis ex publico quinquaginta drachmas penderent, idque ob hanc cauſam accidit: Erat Ioanni frater Ieſus, huic quod amicus eſſet Bagoſes, Pontificatum ſe daturum eſt pollicitus: Hac fiducia Ieſus cum liberius cum fratre in templo altercaretur, re viſq; ad rixas progreſſa, tantam bilem mouit fratri, vt ab eo per iram interficeretur: quæ quidem impietas fuit longe maxima præſertim in homine Sacerdote. Deus certe hãc iniuriam non diſſimulauit, ſed & populus hac de cauſa libertatem amiſit, & templum pollutum eſt a Perſis. Nam Bagoſes dux cognito quod Pontifex proprium fratrem in templo interemiſſet, ira percitus Iudæos increpabat, Auſi eſtis, inquiens, ſceleſti in templo veſtro cædem perpetrare: & cum conatus templum ingredi arceretur: Quid, inquit, an me putatis impuriorem, quam cadauer quod iacet in templo? Et his dictis ingreſſus eſt, atque hac occaſione per ſeptennium eius cædis pœnas a Iudæis exegit. Ioſeph. lib. 11. cap. 7. antiq. Iudaic.

Parricidiũ in templo Hieroſolymitano cõmiſſum.

IVDÆORVM HOMICIDIA.

ANnum circa milleſimum trecenteſimum quadrageſimum nonum, peſtis per totum orbem ſæuijt. Florentiæ LXM. Lubeci XC.M. Auinione innumerabilem multitudinem hominum, Argentorati XVI.M. abſumpſit. Cauſa in Iudæos collata eſt, qui fontes & puteos veneno paſſim infecerant. Vnde Argentorati, Baſileæ, Norinbergæ & alibi Iudæi caterua-tim ad ſupplicia rapti comburebantur. Eodem tempore Ruſtici mota ſeditione Regem ſibi crearunt Armleder, & Iudæorum circiter quinq; millia trucidarunt.

Armleder, Rex ruſticorum.

Anno 1322. Leproſi a Iudæis conducti fontes per Galliam intoxicarunt, ſed omnes & leproſi & Iudæi, qui ſceleris huius participes eſſent, ad ſupplicia magno numero rapti & combuſti ſunt.

Anno 1160. in Gallia octuaginta Iudæi ſimul cremati ſunt, & deinde reliqui omnes e regno eiecti, eo quod puerum Chriſtianum clam comprehenſum in die Paraſceues cruci affigere, grauiſſimiſq; tormentis affectum crudeliter in die Paraſceues quotannis necare deprehenſi eſſent.

In ſimili flagitio deprehenſi ſunt Iudæi Bernæ anno 1287. & Tridenti anno 1475. qui etiam dignis ſupplicijs affecti & exterminati ſuere.

In Fortalitio fidei multa recitantur exempla perfidiæ, furoris, ſæuitiæ in Chriſtianos, Iudæorum: mactationis infantum acubus, cultellis, clauiſq; transfixorum, quorum ſanguinem etiam miſcuiſſe refertur diuerſis fuctibus, pomis, piris, nucibus in partes minutiſſimas conciſis, ac deuoratis poſtea, pabulum horrendum ac triſte. Cor etiam exectum ac combuſtum, in cineresque redactum, vino temperatum, ſibi ipſis inuicem, quacunque de cauſa a diabolo ipſis monſtrata, propinaſſe, ibidem commemoratur. Recitantur etiam exempla derſorum Chriſtianorum, ac ſpinis coronatorum, puellarum mactatarum, hoſtiarum confoſſarum, transfigentium etiam imaginem Saluatoris, vnde ſanguis & aqua emanauit: idem latus quoque eius perforantium, vnde ſanguis & aqua profluxit. libro 3. conſideratione 7.

DE NEQVITIA TYRANNORVM.

NImrodus violentus & iniurius, primus a diluuio ad ſubiugandos alios arma capiens tyrannidem exercuit. Geneſ. 10.

Iſmael

Iſmael e ſerua filius Abrahami homo fuit ferus, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Geneſ. 16.

Eglonem Iſraelitarum hoſtem Ehud Beniamites ſica in conclaui transuerberat, ab eius tyrannide populum Iſraelis liberans. Iud. 3.

Siſara Chananæorum tyranni Iabini dux Iudæos grauiter affligẽs, cum exercitu ſuo, Domino ipſo de cœlo aduerſus eum pugnante, in fugam agitur. Fugiens ad Heberem hoſpitem antiquum diuertit, cuius vxor Iahel ſalutem populi pręferens neceſſitudini hoſpitij, dormienti viro fœmina clauum per frontem & cerebrum malleo tranſadigit, & caput impium diminuit, terræque affigit. Iudicum 4.

Adonibezec tyrannus, eadem quæ in alios patrarat, ipſe quoque paſſus eſt. Cæſis enim ſummitatibus manuum ac pedum eius Hieroſolyma adductus, ibiq; mortuus eſt, cum ipſe ſeptuaginta Reges eodem ſupplicij genere antea affeciſſet, qui omnes ciborum reliquias ſub menſa eius colligebant. Quare ipſemet fatetur: Sicuti feci, ita reddidit mihi Deus. Iud. 1.

De tyrannide Abimelechi erga fratres ſuos: Sauli erga Sacerdotes: Ieſabelis erga Nabothum ſub initium quinti Præcepti mentio facta.

Athalia mater Ochoziæ, filio defuncto arripit tyrannidem. Templum Dei demolitur, Baalis erigit atque ditat. Regiam ſtirpem Dauidis parricidio extinguit vno infante Ioa excepto, qui diuinitus conſeruatus, & clam educatus, cum a Ioiada Sacerdote primis pueritiæ annis in dignitatem patriam reſtitueretur, Athalia impedire id cupiens in templum aduolat, & electioni eius contradicit: mox e templo extrahitur, atque obtruncatur, anno tyrannidis ipſius ſeptimo. 4. Reg 11.

Manaſſes nefarie in miniſtros Dei ſæuiens Prophetaſq; interficiens, diuinos cultus abrogat, & gentiles inſtituit. Captus a Rege Merodacho, in triumpho Babylonem ducitur, tum carceri tetro, & vinculis duriſſimis annos decem includitur. Agens autem ſcelerum pœnitentiam, Deo placato, in regnum honorifice reſtituitur. 4. Reg. 21. 2. Paralip 33.

Libri Machabæorum illuſtria ſuppeditant exempla diuinæ vindictę aduerſus tyrannos, præſertim Antiochum Epiphanem, de cuius horrendo exitu vide 2. Machab. nono capite.

Holofernes dux Aſſyrius, qui & Deum & homines contempſerat, manu Iudithæ mulieris viduæ, nudus in lecto interfectus eſt, acinace proprio, ne tam ſuperbum prodigium vel hanc ſuæ mortis relinqueret famam, quod viri alicuius telo gladioue in armis aut prælio cecidiſſet. Iudith. 13.

Artaxerxes Ochus, octauus Perſarum Rex, tanta fuit immanitate, vt impia cognatorum cæde & Principum ſtrage Regiam funeſtam redderet. Sororem ſuam, eandem & ſoctum viuam capite defodit. Patruum cum centum liberis & nepotibus telis imperauit transfigi. Interfectus a Principe Bagoa, anno Imperij ſexti & vigeſimi crudelitatis & tyrannidis ſuæ pœnas luit.

Ingens fuit crudelitas in ſupplicio ſcapharum, quo Mithridatem Artaxerxes Mnemon affecit, autore Plutarcho. Supplicium id tale fuit: Viuentes homines duabus thecis, vel ſcaphis includebant, e quibus cum capite manus pedesque eminebant, adhibitis in hoc ſtatu cibis, eos vitam protrahere cogebant, quæ vt grauior eſſet, lacte ac melle ipſos paſcebant, atq; melle perunctos ora in Sole verſabant, vt calore, muſcarumq; morſu validius torquerentur: Cum autem in thecis ipſis ventrem leuarent, & non modo a ſordibus illis ſe purgare, ſed ne mouere quidem corpora poſſent, innaſcentibus paruo ſpacio vermibus, viuorum corpora abſumebantur. Hoc modo Mithridates, quod gloriaretur, ab ſe Cyrum in acie dimicantem proſtratũ eſſe, ſeptendecim diebus cruciatus lenta morte abſumptus eſt. Plutarchus in vita Artaxerxis.

Supplicium ſcapharum.

Hyrcano defuncto, principatum Hierosolymis susceпit Aristobulus, quem cum in regnum mutare placuisset, diadema sumpsit, ac cæteros fratres & matrem de principatu contendentem in vincula coniecit. Antigonum autem ætate sibi proximum dilexit, pari honore dignatus. Tandem matrem fame necauit, adiecit & Antigoni cædē calumnijs impulsus. Nam cum is, ægrotante Aristobulo, victor ab expeditione reuersus, in tabernaculorum festo magnifice ornatus cum suis satellitibus in templum ascendisset: id factum calumniatores ita interpretabantur, eum ad festum non more plebeio venisse, sed regio splēdore vsum esse, & quia cum tanta militum manu ascenderit, consilia contra Regem agitare. Aristobulus satellitibus suis in quodam obscuro subterraneo loco constitutis, mandat, vt fratri inermi parcant, armatum occidant. Mittit & ad Antigonum, eumq; inermem venire iubet. Sed vxor Aristobuli, & qui cum ea contra Antigonum conspirarant, nuncio persuaserunt, vt diceret, fratrem, quod audierit eum noua arma parasse, petere, vt armatus se spectandum ipse præbeat. At ille nihil mali suspicans, panopliam indutus abit. Et cum ad Stratonis turrim venisset, vbi obscurus ille locus erat, a Satellitibus occiditur. Eo ad hunc modum sublato, vindicta statim fraternæ cædis pœnas exegit ab Aristobulo. Nam cum ex intestinis corruptis sanguinem reiecisset, eum minister efferens, in eo loco, vbi Antigonus cæsus erat, cruore adhuc conspersō lapsus effudit, vt cum illo misereretur. Quo Aristobulus ex eorum, qui illud viderunt, clamore cognito, lachrymans præter alia illud quoq; effatus impia sua facta vtiq; Deum latere non posse, moritur, cum vnum regnasset annum. Ioseph. lib. 13. cap. 18. antiq. Iud.

Ianneas Pontifex, vel Iohannes Alexander.

Salome, quæ & Alexandra, post mortem mariti sui Aristobuli, fratres eius vinculis soluit, & Ianneam qui & Alexander, Regem constituit. Qui susceпto regno alterum ex fratribus rebus nouis studentem occidit. Cum in festo immolaturus aram conscendisset, populus eum thyrsis Cedrorum petijt & conuicijs incessit, quibus commotus, circiter VI. millia occidit. Cum populo deinde seditioso dimicans, per sex annos, non pauciores L. millibus occidit. Cum vrbem quandam expugnasset, in quam potentissimi Iudæorum confugerant, eos Hierosolyma perduxit, & eminus conuiuium cum mulieribus celebrans, per summam crudelitatem DCCC. in cruces sublatis, liberos vxoresque eorum in conspectu illorum adhuc viuentium mactat.

Tandem morbo ex ebrietate contracto, tribus annis cum febri quartana conflictatus est. Quem cum Regina iam deploratum videns, suam & liberorum sortem miseraretur, eam Alexāder iam morti vicinus monuit, vt celata morte sua potestatis aliquid Pharisæis impartiretur, qui ei populi studia reconciliare possent, ob quos ille contumelioſe tractatos gentis odia incurrisset. Deinde, inquit, accersitis eorum Principibus permittito, vt de meo cadauere qui multis illos iniurijs onerarim, suo arbitrio statuant, teque nihil præter eorum voluntatem acturam pollicetor. Quæ si dixeris, & ego honorifice sepeliar, & tu secura imperabis. Vbi hæc vxorem monuisset, decedit, anno regni XXVII. ætatis XLIX. Alexandra de mariti consilio omnia executa, tum regnum sibi stabiliuit, tum mariti funus luculentius, quam pro Regum superiorum consuetudine effecit.

Ptolemæus Lathurus, cum post victoriam partam de Iudæis & eorum Rege Iohanne Alexandro, longe lateque excurrisset, in quosdam Iudæorum vicos se recepit, quos vbi refertos vidit pueris & mulieribus, mandauit militi, vt promiscue iugulatos, & in frusta concisos, in lebetes feruentes membratim conijcerent, vt qui effugerant e prælio, hostem crederent humanis vesci visceribus, & eo maior terror incuteretur reliquis. Iosephus lib. 13. cap. 21.

Herodes non sæuus fuit solum, sed impius, qui tot millia puerorum obtruncauit, vt innocentem & sanctum interciperet partum, dirum facinus, atque eo omni sæuitia fœdius, quo longius ab eorum ætate, qui interfecti sunt, omnis abfuit culpa. Sed neq; Rex propositum tenuit, & sanguis qui temere effusus est, in Regię stirpis, totiusque gentis caput redundauit.

Tulit recentior ætas exemplum sæuitię non parum memorabile. Vitoldus Lituaniæ Dux, homo truci sæuoque ingenio, si quem morti destinasset, vrsinis inuolutum pellibus, canibus laniandum obijciebat. Nunquam bellicis expeditionibus non intentum habuit arcum, vt ordine aberrantem sagitta transfigeret. Hāc in Principe intemperiem adeo expauit gens, alioqui ferox, & mortis contemptrix, vt multi eius Imperium secuti, vltro sine carnifice vitam finierint, veneno aut laqueo.

Nec minor fuit Alexandri Pheræi sæuitia, qui viuos obuersis inter se facibus sepeliebat homines, vrsorum, cæterarumque terribilium ferarum pellibus contectos, & in quadrupedes feras transfiguratos, venatoribus confodiendos, laniandosque canibus obijciebat. Hastam, qua Polyphrasem auunculum peremit, sacrauit, festaq; præcinxit corona, ac tanquam Deo cuidam sacrificauit. Cicero 2. Officiorum. Chron. Philip. lib. 2.

Ecelinus, qui circa Taurisium, & in Euganeis exercuit tyrannidem, castrauit pueros, vitiauit virgines, matronis ademit mammas, prægnantium vteros exsecuit, partus exfectos in ignem coniecit, bis sena Patauinorum millia, qui secum militabant, audita Patauij defectione, ad vnum interfecit. Victus prælio, vulnus quod in pugna acceperat, rescidit, vt tam crudeliter, quam vixit, moreretur. Sabell. lib. 8. cap. 3.

Tyberius tyrannus immanissimus.

Quam sæuus, sanguinisque humani appetens Tyberius quoque fuit? Persæpe hominibus ob leue crimen morte mulctatis? Diu verum eius crudelitatis signum, scopulus prærupta in Caprearum Insula ostensus est, a quo præcipitari damnatos spectabat: quos nautæ ad id præparati, remis fustibusque exceptos occidebant. Semel quoque omnes humanitatis ac bonorum morum terminos transgressus, vno die viginti damnatorum liberos occidit, in quibus aliquot forma insignes fuerunt puellæ, quas ante a carnificibus incestari iussit. Nouum etiam tormenti excogitauit genus, cum arcte deuincto quibusdam genitali membro, ebrietatem superadderet, vt per eum modum impedita vrina, magno dolore discruciati tandem perirent: qua sæuitia feræ similior quam homini factus, cum ne suo quidem generi parceret, Tyberium, Drusumque Germanici, quem ipse adoptarat, filios in carcere fame confecit, adeo, vt Drusus inuentus fuerit, culcitram præ fame nimia momordisse. Campofulgosus lib. 9. capite secundo.

Commodi sæuitia erga quosuis, vel ob falsas criminationes, vel propter inanes suspiciones, vel propter magnas diuitias, vel generis splendorem, vel eruditionem excellentē, vel virtutis gloriam fuit immanissima. Sustulit Crispinam vxorem suam, in Senatores aliosque cognatos truculenter sæuijt. Quędam morte mulctauit, quia C. Caligulæ vitam a Suetonio scriptam legissēt: interdum quoq; si aliquem cerneret obeso ventre atq; adipe molli, medium vno ictu secari iubebat, vt viscera eius a ventre discurrētia videret, vtpote qui ex eo voluptatem ingentem acciperet, quod alijs permagnum incussisset horrorem. Tandem per præfectum prætorio Lætum, & concubinam Martiam strangulatus est. Ibid.

Horret animus ea meminisse quæ fœue & crudeliter Caligula Princeps egit, qui non solum sine causa Antoniam auiam & fratrem Tyberium occidit, sed etiam Syllanum socerum iugulauit, deniq; tres sorores suas stupro maculauit, multosq; Romanos nobiles ad bestias damnauit, quod ludos eius non probassent. In filiorum quoque conspectu, vt dolor augere-

tur,damnatus ipsorum patres occidi iubebat. Cum quendã a vetere exilio reuocatum sciscitaretur,quid in exilio agere consueuisset: Respondente eo per adulationem: Assidue se Deum rogasse,vt Tyberius moreretur, ipse imperaret: opinatus suos quoq; exules idem facere,misit circum Insulas,qui vniuersos trucidarent: Sed cum in singulos sæuitia vti satis esse non duceret,generatim in vniuersum populum crudelitatem exercuit. Nam sæpe cancellos,quibus a feris populus distinguebatur, in theatro ademit,clausisque publicis horreis Romæ, totum populum fame macerauit. Iratus etiam dicere solebat: Vtinam populus vnam ceruicem haberet. In Sacrificio,pro hostia,seruum,qui illam directam tenebat, malleo percussit,ne pars vlla in ipsius vita esset humano sanguine non respersa. Quare minime mirum videri debet,si Dei iudicio ipse simul cum vxore filiaq; eodem die in crudelissimam incidit mortem. Ibidem.

Maximinus,Vt humano sanguine feriatem suam expleret, contra salutem suam initas esse conspirationes multas finxit, atque ob id quatuor hominum millia occidit. Vt autem noua tormentorũ ac mortis genera inueniret, viuos homines exenteratis bobus includebat,ita vt caput extaret,atq; ita longa eos morte necabat.

Tanta fuit Neronis impietas & sæuitia,vt sæpius optaret Romanæ vrbis interitum spectare, beatumq; prædicaret Priamum, qui ipse superstes patriæ ruinam regnique interitum vidisset. Nec sane vel populo vel mœnibus patriæ pepercit. Vasto enim incendio vrbem deuastauit,& quidem per sex dies septemque noctes ea clade sæuitum est,ad monumentorum, bustorumque diuersoria plebe compulsa. Quod incendium e turri Mecœnatica prospectans,lætusque flammæ (vt aiebat) pulchritudine, halosin Ilii decantauit,scenico amictus habitu. Vt autẽ incensæ patriæ inuidiam declinaret,in nouam religionem Christianorum culpam reiecit: Itaque quosdam eorum ferarum pellibus tectos, feris canibus,vt dilaniarentur, obiecit. Alios autem pice corpus totum perfusos,ac palis alligatos, vt pro funalibus arderent,viuos combussit. Inter hos eius furores, Galba in Hispania procul,& C. Iulius imperium corripuere. Vbi aduentare Nero Galbam didicit,Senatusque sententia constitutum, vt more maiorum collo in furcam coniecto, virgis ad necem cæderetur, desertus vndique noctis medio egressus vrbem,semet ictu gladij transigit,adiuuante trepidantem manum impuro Sporo,quem quondam Nero exectũ formare in mulierem tentauerat. Perijt anno ætatis suæ trigesimo secundo, Imperii decimo quarto.

Augustus cum apud Vedium Pollionẽ cœnaret,seruus Pollionis,cum vas crystallinum confregisset,Domini iussu murenarum pabulo damnatus in viuarium perferebatur,qui cum ducentium manus effugisset,se Augusti pedibus prouoluit, id vnum petens, vt alio mortis genere periret. Augustus vt mortis causam,genusq; intellexit,solui seruum iussit,virgulaque omnia Pollionis cristallina perfiegit, viuariaque euertit. Se enim causam adimere dixit Pollioni velle,ne in animi perturbationem incideret, aut ob eiusmodi causam in posterum seruum aliquem tam crudeliter perderet, qui cuiuscunque esset generis,in hoc ipso quod homo erat, pluris quam omnia,quæ terrarum orbis haberet,vasa,faciendus erat. Cãpoful. lib. 5.

Parisatis Cyri minoris mater,qua vix vlla portentosior, vel in cruciandis humanis corporibus ingeniosior extitit fœmina, Carem gloriantẽ,a se Cyrum necatũ esse, carnificibus traditum per decem dies cruciatibus torquere,inde oculos effodere,inque aures æs liquefactum infũdere, atque ita necare iussit. Mesabatem eunuchum Artaxerxis carnificibus tradidit,mandauitq; vt viuo pellis detraheretur, corpus ob liquũ trib. cruci-

bus

bus, & seorsim cutis suffigeretur. Eadem Artaxerxi auctor fuit, vt Mithridatem supplicio scapharum afficeret, de quo paulo ante. Plutarchus in Artaxerxe.

Augustus cũ audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudęorum intra bimatum iussit interfici, filiũ quoq; eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium. Macrob. lib. 3.

Domitianus Neroni & Caligulæ similior quam patri, vacuam vrbẽ reddidit omni nobilitate absumpta, vt prius sæuienti materia defuerit, quam sanguinis satietas.

Macrinus, quem ob crudelitatis magnitudinem Macellinum nuncupauerũt, viuentes homines mortuis alligabat, donec vermibus fœtoreq; conficerentur, secutus in eo Hetruscorum tyranni Mezentij sæuitiam, de qua Poëta:

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis.
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora,
Tormenti genus, & sanie taboq; fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Tryzus quidam tyrannus volens omnes insidiarum & coniurationum contra se vias intercludere, legem suæ regionis incolis posuit, vt nemo cum altero neque priuatim, neque publice sermones misceret. Itaque dolo eludentes tyranni mandatum, nutu gestibusq; animi sensa inuicem significabant, & accipiebant. Quod cum itidem tyrannus prohibuisset, in forum progressi ciues profuse lachrimati sunt. Sed eam oculorum libertatem compressurus tyrannus, quanta potuit celeritate cum stipatoribus & satellitib. accurrit. At illi iusta moti indignatione cõspecto tyranno, arma satellitibus eripientes cum interfecerunt. Ælianus libro 14. de varia Historia.

Nouellus Carrarius Patauij Dominus, incensus cupiditate maioris potentiæ VVilhelmum Scaligerum, Veronæ & Vincentiæ Dominum, hominem familiarissimum veneno sustulit, vt concupito Veronæ imperio securę potiretur, filios eius etiam, Antonium ac Brunonẽ proditione in suam potestatem redactos necari curauit. Parricidio alia addidit flagitia, cum enim in vrbe Vincentia honesti ciuis filiam forma insignem deperiret, eam ad se transmitti à parentibus flagitauit. Sed nec filia pudicitiæ amans, nec parentes honestatis studiosi impiæ tyranni libidini acquiescere voluerũt. Tyrannus itaque accensus ira puellam ex paternis ædibus abstractam ad se rapit, eiusque pudicitiã turpiter violat, biduo deinde elapso eam in miserabiles partes immaniter dissectam sportæque impositam ad parentes remittit. Rei atrocitate obstupefactus pater, quid cum filia sua tyrannus patrarit, ad senatum refert, eiusque in vindicanda tanta iniuria auxilium implorat. Senatus re deliberata ad Venetos corpus puellæ crudeliter dissectum transmittit, seque in eorum fidem ac patrocinium confert. Qui susceptа Vincentinorum defensione, Carrarium aperto bello fatigatum, tandemque intra mœnia Patauij conclusum, obsidione ad deditionem adegerunt, comprehensumque vna cum filijs, Francisco & VVilhelmo, strangularunt.

Nouelli Carrarij crudelitas.

Otto Antonius, montis Feretri Comes, atq; Vrbi natiũ Princeps, puerum, quem in cubiculi ministerio habebat, resinato linteo, atq; sulphure perfuso inuolutum, viuum in candelæ more combussit, quod hora, quam ei præfixerat, ipsum non excitasset. Fulg. lib. 9. cap. 2.

Semiramis cum à matito Nino impetrasset, vt quinq; dies in Regio sederet tribunali, obiretq; Regium munus iure dicundo, sanciendoq; quæ viderentur, exploratis satellitum animis, Ninum ipsum apprehẽdi iussit, & in vincula conijci, ac postremo interimi. Hoc itaq; modo regnum con-

secuta, Assyrijs tantisper dominata est, dum à Nino rege iuniore filio interfecta sit, quod eius concubitum rogasset.

Phraates patrem suum Oroden, & triginta fratres occidit, vt solus Parthorum & regno potiretur. Guido.

Qualis tyrannorum fœlicitas.

Damocles assentator Dionysij tyranni Syracusanorum opes & Maiestatem prædicans negabat vnquam beatiorem quemquam fuisse. Cui tyrannus, Visne igitur, inquit, o Damocle, ipse eadem degustare, & experiri fortunam meam? Cum se ille cupere dixisset, iussit hominem collocari in aureo lecto, exquisitissimasque omnis generis delicias adhiberi, mensas etiam conquisitissimis epulis extrui. Cumque fortunatus sibi Damocles videretur, in medio apparatu iussit tyrannus fulgentem gladium, è lacunari setâ equina appensum demitti, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec manum in mensam porrigere ausus Damocles exoranit tyrannum, vt abire liceret. Sic declarare voluit Dionysius, tyrannos nequaquam beatos esse, quippe quibus semper aliquis terror impendeat. Cicer. 5. Tuscul.

Tamerlanes Scytha nihil habebat iucundius, quam animi feritatem humano cruore oblectare. Cuidam roganti cur in omnes adeo sæuiret, toruo aspectu retortisq; oculis fertur respondisse: An tu me hominum putas, & non Dei iram potius ad hominum perniciem in terris agentem? Quoties vrbem obsidione cingeret, prætorijs vsus est primo die candidis, altero rubentibus, tertio atris. Horum colorum candidus mox dedentibus se clementiam, ruber cunctabundis gladium, ater repugnantibus flammam & cineres denunciauit. Distulerat ciuitas quædam deditionem in alterum vsq; diem, mox ciues sæuitiam eius metuentes, hosti obuiam miserе pueros & puellas candido amictu vestitos omnes, ramosq; oleæ manibus prætendentes, spe concepta, eos sua innocentia tyranni iracundiam mitigaturos. Verum ille immissis in eos equitibus omnes immaniter concalcari, & ciuitatem incensam in cineres redigi præcepit.

Numulisintis, filia Diogridis Thraciæ regis, viuos homines dissecabat medios, & parentibus comedendos apponebat liberos. Val. lib. 9. cap. 2.

Scythæ exenteratis animalibus viuos homines includebant, eminentibus solis capitibus, vt cibo capto diutius languerent, viuerentque donec putrefactis animalibus excrescerent vermes, à quibus consumerentur. Eadem vsus est crudelitate Maximinus, de quo paulo ante.

Glaucus filius Sisyphi (qui apud Potniam regnauit) dum equas humana carne aleret, ab ijsdem postremo deuoratus est.

Diomedes rex Thraciæ equos suos humana carne alere solitus, equis ipsis datus est in pabulum.

L. Syllæ crudelitas.

Petrus Candianus Venetorum Dux legitimum Magistratum in tyrannidem vertens, sibi & liberis superba regiminis forma exitium peperit. Populus enim suæ libertatis memor, domum eius iniecta flamma incendit, tyrannum inde deturbat, deturbatum trucidat, filium iugulat in nutricis gremio, amborum corpora ad macellum proijcit canibus laniandа. Sabell. lib. 9. cap. 9.

L. Sylla Dictator Romam & vniuersas Italiæ partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit. Quatuor legiones contrariæ partis misericordiam implorantes in publica villa, quę in Martio campo erat, obtrucari iussit. Prænestinos, (qui iuniorem Marium receperant) post factam P. Cethego deditionem extra mœnia iussit occidi, & eorum corpora per agros spargi. Qua immanitate perierunt quinque millia hominum. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in publicas tabulas referri voluit, ne tanti facinoris deleretur memoria. Virorumque cædibus non satiatus, sæuijt in mulieres. Abscissa miserorum capita afferri sibi iussit,

sit, vt diro illo aspectu satiaretur feritas. M. Marium Prætorem non prius vita spoliauit, quam oculos eidem erueret, & singulas partes corporis cõfringeret. M. Pletorium (quod ad supplicium Marij exanimis cecidisset) mactauit protinus. C. Marij cineres erutos in Anienem sparsit. Phthiriasi tandem extinctus est.

Dionysius tyrannus matrem per venenum necauit. Leptinen vero fratrem, cum in nauali prælio seruare posset, interfici passus est. Ælian. lib. 13.

Eleorum tyrãnus Panthaleon iniuriosus & immanis, legatos, qui ad se venissent, castrans proprijs vesci testiculis coëgit. Heraclid. de politijs.

Archelaum Macedoniæ tyrannum (sic enim eum Plato nominat, non regem) Amasius ipsius Crateuas, qui non minus imperium deperibat, quam tyrannus Amasium, interfecit amatorem suum, ea spe, quod crederet, se tyrannum beatumq; in posterum fore. Atqui cum vix tres aut quatuor dies imperium tenuisset Amasius, ipse rursus ab alijs per insidias circumuentus & occisus est. Aptissime sane quadrat huic Macedonico Dramati versus ille:

Archelaus Macedoniæ tyrannus.

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τὶς ἐῷ κακὸν ἥπαλι πεύκῃ.

Nam perhibẽt Archelaum ei despondisse vnam ex filiabus: quam cum alij locasset, Crateuas indignatione commotus, Archelaum occidit. Ælianus lib. 9. Archelaus iste natus ex patre Perdicca, & Simiche, ancilla Alcetæ, nothus, interfecerat auunculum Alcetam, & eius filium Alexandrum, & germanum fratrem Perdiccæ filium. Cuius suæ crudelitatis pœnas luit ab adolescente nobili, quem per libidinem contumelia affecerat, occisus vt dictum est.

Extincto Archelao, tribusque eius filijs, Oreste, Archelao, & Pausania, qui ordine regnum annos octo tenuerunt, redijt regnum ad legitimos hęredes, videlicet ad Amyntam, filium Alcetæ, interfecti ab Archelao.

Amyntas.

Amyntas cum regnasset annos sex, reliquit filios tres, Alexãdrum, Perdiccam, & Philippum. Cumq; patri Amyntæ successissent Alexander natu maximus, interfectus est à Ptolemæo Alorite. Hunc non multo post interfecit Perdiccas, quem deinde in prælio ceperunt Illyrici. Sic diuina Nemesis inter tyrannos se exerit, iuxta regulam: Qui sanguinem fundit, eius sanguis rursus fundetur.

Tyrãnorum vita timoris plena.

Tyrãnorum vita quo timoris cruciatu angatur, & quam sit misera, Dionysius ille Syracusanus ostendit, qui duodequadragintã annorum dominationem in hunc modum peregit: Submotis amicis, quibusdam conuenis, & feris barbaris curam corporis & custodiam committebat. Tonsorum quoque metu tondere filias suas docuit, & tamen ab his ipsis, cum essent adultæ, ferrum remouit, instituitq;, vt candentibus iuglãdium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent. Cumq; duas vxores haberet Aristomachen ciuem suam, Doridem autem Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, vt omnia specularetur, & perscrutaretur ante. Et cum fossa lata cubiculares lectos circundedisset, eiusque fossæ transitum ponticulo ligneo coniunxisset, eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat. Idemq; cum communibus suggestis consistere nõ auderet, concionari ex turri alta solebat.

Idem cum pila ludere vellet, tunicamq; poneret, adolescentulo quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic cum quidam familiaris iocans dixisset: Huic quidem certe vitam tuã committis, arrisissetq; adolescens, vtrumque fuisse interfici, alterum quia viam demonstrauisset interimendi sui, alterum quia dictum id risu approbauisset. Cicer. 5. Tuscul. Valerius libro 9. capite 14. Tandem à Carthaginensibus prælio victus, suorum insidijs perijt.

Rex

Rex quidam, cuius nomen supprimitur, nominari alioqui dignissimus, quum ipsi porrigeretur diadema, tenuit aliquandiu manu; dixitq;: O nobilem magis quam fœlicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis periculis, solicitudinibus ac miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere dignetur. Erasm. in Apohth.

Callippus Dionem interfecit.

Callippus Athenienſis perfide Dionem, qui eo vtebatur familiarissime, interfecit apud Syracusanos, eiecto iam Dionysio tyrannidem affectans. Sed mox digna sese supplicia persoluit. Nam cum Syracusis eiectus esset, neq; vlla Siciliæ vrbe reciperetur, omnibus eum abominantibus & respuentibus, Rhegium se contulit. Ibi graui pressus penuria, à Leptine & Polysperchonte interemptus est, eodem quo feriebatur Dio cæsus pugione. In hoc Callippo verum esse apparuit quod fertur: Athenis homines eos nasci, qui si boni sint, virtute omnibus præstent: sin mali, omnium deterrimi dici mereantur. Plutarch. in Dione.

Nicolaus Fortibrarchius.

Nicolaus Fortibrarchius à latere suo vbiq; mutum quēdam hominem ducebat, oneratum funibus ac capistris. Itaque vt quem suspendio destinasset, siue meritum siue immeritum, pro odio & libidine, factum illum obuium nutu indicabat, conuersusque ipse post ad mutum proclinato in vncum digito nasum sibi contingebat. Quo signo accepto, confestim mutus iniecto in illum capistro, proximo cuiq; vel trunco eum, vel arbusculæ exanimandum suspendebat: indicabaturq; ignauus dies, qui sine suspendio perijsset.

Riccius Monteclarius crudelissimus, si quem decreuisset enecare, blande admodum salutatum inuitabat ad pocula: percontabatur, quot secum aut placentulæ buccellas aut sorbillationes absumpturus esset, repenteq; in illis nugis totidem vulneribus illum conficiebat.

Basilius Constantinopolitanus Imperator, Bulgaros Duce Nicephoro Vrano magno prælio debellauit, & nouo crudelitatis exemplo ad cæteros terrendos, quindecim captiuorum millibus oculos eruit, in singulis centurijs relicto vno Monoculo, qui Dux itineris esset socijs domum reuertentibus. Princeps fuit acer & bellicosus, sed tyrannide, auaritia, & fraudulenta ac subdola calliditate infamis. 4. Chron. Philip.

Secundus Rex Longobardorum Clephes, vnum tantum regnauit annum, & sex menses. Nam cum in subditos & domesticos crudelis esset, interfectus est a viro præcipuæ nobilitatis, qui in eius familia fuit. Chron. Philip. lib. 3.

Andronicus tyrannidem occupat.

Manuel Comnenus cum Imperio præfuisset annos triginta octo, eo sponte relicto, Alexium filium puerum prorsus Andronici patruelis tutelæ commendauit. Hic Andronicus statim, vt in imperium ingressus est, amouit omnes, quos impedituros suspicabatur, ne quod animo conceperat, de imperij raptu perficeret, moxque omni metu liberatus, vir fraudulenta calliditate, & lupina fœuitia nulli secundus, Alexium quoque pupillum, Imperij hæredem, cum vix annum attigisset 15. neruo arcu elisio immaniter strangulatum, incluſumq; arcæ plumbeæ demersit in mare. Iugulato Alexio, & suos & Alexij patruelis consanguineos amicosq;, quoscunque arripuit, vel crudelibus supplicijs tortos enecauit, vel oculis priuauit. Cum itaq; duos imperasset annos, ob immanē fœuitiam publico flagrans odio, populus, mota aduersus eum seditione, Isacium Angelum Imperatorem creat. Andronicus ab omnib. destitutus, & è fuga retractus, mutilatusq; altera manu, & oculo, & scabro camelo facie ad posticam conuersa, per vrbem circumductus, vulgiq; tumultu vncis & harpagonibus pene frustillatim concerptus, deinde pedib. suspensus, pœnas dedit parricidij, raptæ tyrannidis, & iniustæ fœuitiæ. Odium quo laborauit pater, & crudelitatis ab illo vsurpatæ pœnas expiarunt & filij, Ioannes & Manuel oculis

lis capti, nulla sua culpa, sed propter patris tyrannidem. Vide annales Niceræ Choniatæ, qui prolixe historiam describit, & Chron. Philip. lib. 4.

Damasippus homo nulla præditus virtute, nobilissimos ciues (qui Syllanis partibus adhæserant) inter victimas tanquam beluas crudeliter enecauit. Aruinæ Tribuni plebis truncum in sublime elatum per ora vulgi deferri iussit, tandem à victore Sylla obtruncatus. Valer. Max.

Munatius Flaccus, Pompeiani nominis defensor, cum ab Imperatore Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguesium obsideretur, omnes eius oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos muris præcipitauit: fœminas quoq; citatis nominibus virorum, qui in contrarijs castris erant, vt cædes coniugum suarum cernerent, & maternis gremijs superimpositos liberos trucidauit. Infantes alios in conspectu parentũ humo infigi, alios superiectos pilis excipi iussit. Quæ auditu etiam intolerabilia, Romano iussu Lusitanis manibus administrata sunt: Cuius gentis præsidio Flaccus vallatus, diuinis operibus, vecordi pertinacia resistebat.

Carthaginenses Attilium Regulum palpebris resectis, machinę, in qua vndique præacuti stimuli eminebant, inclusum vigilantia pariter & continuo tractu doloris necauerunt. *Carthaginẽses erga Attilium Regulum crudeles.*

Idem Romanos milites Martis certamine in suam potestatem redactos, nauibus substrauerunt, vt earum carinis ac pondere elisi inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent.

Hannibal in flumine Gelo corporibus Romanis põte facto, exercitum traduxit. Idem captiuos oneribus & itinere fessos, iam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria fratrum & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat: neq; ante sanguine explebatur, quam ad vnum victorem omnes redegisset. *Hannibalis sæuitia.*

Ptolemæus Phiscon, Rex Ægypti, filium suum Memphitem (quem ex Cleopatra vxore eadem & sorore sustulerat) occidi iussit. Intei fecti demũ præcisos pedes, caputque & manus cista conclusos pro munere natalitio matri misit. Idem cum animaduerteret se suis omnibus odiosum esse, vt periculo posset obsistere, frequẽs iuuentute gymnasium armis & igni circumdedit, inclusosq; omnes partim ferro, partim flamma necauit.

Darius Rex Persarum cõstitutus, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex cõiuratione, quæ septem Magos cum eo oppressérat, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi aut inopia alimẽtorum necaret: vt religione solutus videretur, septum altis parietibus locum cinere compleuit, suppositoq; tigno prominente, benigne cibo & potione exceptos, in eo colloca bat, e quo somno sopiti in illam insidiosam congeriem incidebant.

Athenienses Æginensium iuuentuti pollices præciderunt, vt classe potens populus in certamen maritimarum virium secũ descẽdere nequiret.

Etrusci viuorum corpora sanioſis & tabidis mortuorum cadaueribus alligabant, ora oribus, manibus manus, & pedes pedibus componentes. *Ethruscorũ crudelitas.*

Hyrcani, Caspij & Bactriani canes in id officij domi nutriunt, vt mortuos parentes illis deuorandos, laniandosq; præbeant. *Inhumana superstitio.*

Essedones & Danubij populi parentum propinquorumq; funera festo familiarium conuentu celebrant, & cadauera laniata pecudum viscеribus immixta obsonando epulandoq; consumunt. Capita vero auro argentoque circumfulta pro poculis habent.

Scianus canes humano pascebat sanguine, quo sæuiores aduersus hostes in bello forent.

Tetra prorsus & infanda fuit crudelitas Gerhardi Mãsfeldiæ Comitis, qua aduersus monasterium ordinis Cistercienſium Sittenbach sæuijt. Non solum enim funditus illud euertit, soloq; æquauit, sed ipsum quoq; *Gerhardus Mansfeldiæ Comes.*

Abbatem

Abbatem perticæ alligatum, candētibus vtrinq; prunis congestis assauit, & reliquos fratres atrocibus affectos supplicijs omnes interfecit, cam ſolam ob causam, quod Fridericum Misniæ Marchionem, aduersus quē hostili erat affectus animo, hospitio dignati essent. Nec miseris profuit vel præceptum, quo ordini hospitalitas iniungitur, vel necessitas, quod valida armataq; manu aduentantem Marchionem recto arcere nequaquam potuerint. Anno Christi 1364. Albertus Crantzius lib. 9. cap 23.

Gregorius VII. Hildebrandus antea vocatus, impostor, incantator, præstigiator Diabolicus, cuius flagitia nemo citra horrorem enumerauerit, inaudita tyrannide Papatum inuasit, octo ordine Pontificibus venenō extinctis. Vitæ Imperatoris Henrici varijs modis insidiatus est, quem eriam sine vlla causa exauctorauit. Tandem Imperator anno 1083. insidijs diuino auxilio euitatis, Pontificatu eum deijcit, & misere in exilio vitam finire cogit, qui innumeros gladio, fame, venenis, atq; alijs mortium generibus peremerat.

Innocentius Septimus, Papa 147. omnia turbis & seditionibus misces, vndecim Romanorum Legatos ciuium nomine petentes, vt patriæ libertatem restitueret, pernicioſum schisma tolleret, bella extingueret, ac seditiones sopiret, statim necabat, & e fenestris deijciebat, dicens, nō alio modo seditiones & schisma posse tolli. Qua atroci iniuria ciues moti, accersito Apuliæ Rege, arma aduersus Pontificem & Cardinales sumpsere. Fugiente Pontifice irā in aulicos conuertunt, quorum bona magna ex parte sunt direpta. Pontifex cum biennium sedi Romanæ præfuisset, in peccatis suis mortuus est.

Bonifacius octauus ambitione exæstuans, subornatores quosdam immisit, qui noctu, demissa voce, quasi cœlitus in cubiculum Cœlestini Pontificis, alioqui simplicis, ei persuaderent, vt Pontificatum deponeret, si saltuus fieri vellet. His artibus simplicem virum delusum Pontificatu non solum deiecit, sed illum tanquam facinorosum hominem perpetuo carceri mancipatum, ante tempus præ animi dolore mori coēgit. In Pontificatu suo maximam erga Gibellinos exercuit sæuitiam. Cumq; in Galliæ Regem Philippum anathematis fulmine sæuiret, regnumque ei abrogatum sedi Romanæ asserere conaretur: Fraudulentas eius machinationes Rex anteuertit, ac pessundedit, ipsumq; auctorem comprehensum in carcere necauit, exemplo vindictæ in Pontificem maximum nouo, sed iustissimo. Hic ille Pontifex fuit, de quo dictum est vulgo: Intrauit vt vulpes, vixit vt leo, mortuus est vt canis.

Alexander Sextus, quomodo fœdere cum diabolo inito ad Pontificatū euectus sit, in secundo Præcepto expositum. Sub hoc luxuriosissimo tyranno Roma gentium olim refugium, & arx populorum, nobilis carnificina facta est, cumque omnia grassatorum plena essent, nec noctu tutum per vrbem iter erat, nec interdiu extra vrbem. Filia eius Lucretia, ab eo prius cognita, tribus Principibus successione elocata fuit: primū Iohanni Sforciæ Pisaurensi Duci: deinde abdicata, Alfonso Arragoni. Quo demum interfecto Alphonso Estensi, Ferrariæ Duci, nupsit. Ex eius Epitaphio à Iohanne Iouiano Pontano eleganter edito, patet, qualis fuerit Alexandri in Papatu pudicitia, sanctitas, castitas, cœlibatus, & religio:

Hic iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais: Alexandri filia, sponsa, nurus.

Filius huius Pontificis, Cæsarius Valentinus, homo impurissimus, vel minimo offensus verbo, strictum gladium in quemuis torquebat. Scortationi, aleæ, helluationi addictus, atrocissimis indulgebat sceleribus. Cum aliquando iactu aleæ centum coronatorum millia perdidisset, id pro nihilo ducens, Germanorum, exclamabat, hæc sunt peccata, pecuniam intel-

ligens

ligens ex Indulgentiarum venditione corrasam. Germanus quidam iuuenis egregie ornatus, & facie insignis, e Basilea oriundus, ædes concubinæ eius forte transibat, quem illa præter Romanorum consuetudinem toto pectore per fenestram prominens, capta eius forma aspexit. Quod vbi resciuit nefarius ille latro, insontem iuuenem ante ædes concubinæ è vestigio suspendi iussit. Cuius facinoris atrocitas ita Germanorum militum animos irritauit, vt obseruata occasione, nocte quadam impetu in eum facto, luxuriosum hunc latronem, vna cum socijs trucidatum, in Tyberim abiecerint.

Clemens Octauus, pestilentissimam sedem Antichristi violenter inuasit, qui cum armatus inter Cæsarianos & Gallos fluctuaret, Roma à Cæsarianis vi capta est, Pontifex q; ipse multis probris affectus, à Cæsare pristinæ dignitati restitutus est. Hic cum potentissimis Regum populorum q; retibus instructus, Christi oues Lutheranismi prætextu ad necem venaturus esset, inaudito veneficio, nempe funalis fumo, in acerbæ necis retia incidit. Inter grauissimos enim cruciatus miserabilius vel Nerone, vel Antiocho, quorum vitam & mores repræsentarat, animam efflauit. Sunt qui morbo pediculari, qui morborum est turpissimus, & infamis, eum interijsse affirment. De eo sequentes à pasquillo decantati sunt versus:

Clementem eripuit nobis Clementia fati,
Humanum toto gaudeat orbe genus.
Hic est qui fuerat iam dedecus vrbis & orbis,
Et fuit ætatis magna ruina suæ.
Hic est, si nescis, qui tam tibi, Roma, parauit
Excidium, pestem, funera, bella, famem.
Hic est, per quem tot prostant & in vrbe puellæ,
Per quem pulsus honos virgineusq; decus.
Hic est qui molles euexit ad astra cinædos,
Formosum à tergo munere tuuit Hylam.
Hic est, qui fuerat viuens infamia mundi,
Impery labes, spurcitiesq; sui.
Contemptor diuûm, scelerum vir, publicus hostis,
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.
Exosus vitam, & morbo tenuatus amaro,
Stabat Pœonia non reuocandus ope.
Mortem implorabat, nec mortem fata sinebant,
Gaudebant longa sed cruciare mora.
Hic vidit mortis centum tormenta futuræ,
Pœna tamen mortis non fuit æqua suæ.
Ex ista tandem migrauit luce tyrannus.
Quo nullus toto peior in orbe fuit.

Anno supra sesquimillesimum quadragesimo septimo, Petrus Aloisius tyrannus flagitijs & probris cumulatissimus, Pauli Tertij filius, Placentiæ domi suæ à coniuratis viris nobilibus scelera eius exosis confoditur. Erat enim erga quosuis sæuitia eius lupina, & impietas nefanda. Factus Placentiæ Dux atq; Parmæ, Hieronymum Palauicinum virum illustrem spoliatum bonis eiecit, vxorem atq; liberos eius in carcerem compegit, & cõtra ius & æquum multa perpetrans asperitate sua nullum non ordinem offendit. Cosmum Cherium Episcopum Fanensem per vim stuprauit, vsus opera suorum, qui illum distinerent, quod quidem facinus misero illi sic doluisse ferũt, vt præ mœrore & indignitate rei postea sit extinctus. Neq; desunt qui venenum ei datum ab illo fuisse putant, ne flagitium illud ad Cæsarem deferret. Itaq; sceleribus eius irritati, quidam ex nobilitate con- *Cosmus Cherius.*

ductis

ductis aliquot sicarijs in ipsius caput atque vitam coniurant. Cumque decimo Septembris lectica deportatus arcem egressus esset, vt vibis muminem, quam instituerat, videret, eum in arcem redeuntem, coniurati tanquam officij causa comitantur, arcemq; vna ingressi, continuo strictis cronibus illum petunt, & acerbe tyrannum increpantes in lectica confodiunt, & vna sacrificum quendam, & stabuli prefectum, & satellites quosque Germanos trucidant. Corpus deinde Aloisij exanime catena ligatum, ex muro suspendunt, & agitatum aliquandiu præcipitant in fossam, quod populus accurrens pedibus atq; pugionibus petit. Tanta erat acerbitas odij. Pater eius Paulus Pontifex, non Astrologiæ modo, sed & Necromantiæ admodum studiosus monuerat eum, vt a decima Septembris sibi caueret, astra enim ei prænunciare cladem aliquam insignem. Verum fato impendentia mala, humani ingenij industria difficulter caueri possunt. Vide historiam Sleidani lib. 19.

Carnifices tyrannis præferendi.

Antisthenes non immerito multis partibus carnifices tyrannis præferebat. Nam illi iniustos & maleficos interficiunt, hi vero in innocentes sæuiunt.

Faceta audacia mulieris, quam tyrannus punire erubuit. Eras.

Syracusanis Dionysij tyranni mortem solicitis votis anxie petentibus, sola anus Hiemera à Dijs petebat, vt vitam ei prorogaret. Quod vbi resciuit tyrannus, causam voti istius ex anu percontatus est. Illa, cum essem iuuencula, inquit, acerbi tyranni asperitatem patria tolerabat, ibi frequenter à dijs petebam, vt è medio iste tolleretur. Cui sublato alius succedebat immanior, quem tu rursus immanior secutus es. Itaq; vereor, ne alius te etiam deterior patriam vexet. Ea de causa opto, vt diu nobis Dij te conseruent incolumem.

Mimus Claudij tyrannidem notans, In vno, inquit, annulo bonos Principes posse scribi atque depingi omnes.

Perillus & Phalaris.

Perillus excogitauit æneum taurum, quo incluſi subditis ignibus longo & abdito cruciatu mugitum bouis imitarentur, ne eiulatus similes humanæ voci Phalaridem tyrannum ad misericordiam reducerent. Quod reterrimum artis suæ opus primus artifex incluſus expertus est.

Phalaris quoq; tyrannus eodem postea tauro incluſus & crematus est, quo alios prius suffocauerat. Ouid. in Ibin.

Vtq; ferox Phalaris lingua prius ense resecta
More bouis Phario clausus in ære gemat.

Idem 4. de arte Thrasij vatis meminit, qui suo consilio perijt, & Perillū

Dicitur Ægyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atq; annos sicca fuisse nouem.
Cum Thrasius Busirin adit, monstratq; piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.
Ille Busiris, fies Iouis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infœlix imbuit auctor opus.
Iustus vterq; fuit: neq; enim lex iustior vlla est,
Quam necis artifices arte perire sua. Ouid. 1. de Arte.

Arantius Paterculus.

Sic etiam Arantij Paterculi fabri ferum atq; immane fuit ingenium. Æneum enim taurum tanta conflauit arte, vt damnati, qui in eo includerentur, adhibito igne, cum præ dolore gemerent, taurinos mugitus edere viderētur. Cum autem Censorino Ægestæ tyranno in Sicilia munus dedisset, iuste vt is primus inuenti sui periculum faceret, à Censorino coactus est, quemadmodum de persimili tauro fabrum ad experimentum simile Phalaris tyrannus coëgit. Campofulg. lib. 9. cap. 2.

Archi-

Archidamus cum vidisset iaculum catapulta mittendum, id temporis primum ex Sicilia aduectum, exclamans inquit: Hercules perijt viri virtus. Quoties enim instrumentis bellum geritur, quæ misso telo saxoue procul feriunt, minimũ interest inter fortem virum & ignauum. Quid putas dicturum eum, si hodie Satanicum illud bombardarum instrumentum conspicaretur? quo fretus & armatus homo nauci & ignauissimus complures sæpe heroica virtute præstantes viros vno impetu prostratos occidit.

Bellica instrumenta immania.

Anno supra millesimum, trecentesimum, octuagesimo ferunt instrumentum hoc atrocissimum à Monacho quodam Bertholdo Schwartz. Alchymicæ artis studioso, inuentum esse hac occasione: Nitrum forte imposuerat mensæ in conclaui suo monachus vsurus eo ad pharmaci cuiusdam confectionem. Cumque ferri ictu è silice ignem eliceret, incidit scintillula in puluerem, qui accensus magno cum fragore potinus lapidem impositum elidit, horrendoq; cum impetu sublimem tollit. Quam vim nitri altius animo versans Monachus, siphunculo ferreo puluerem nitri immisit, globulosq; ferreos siue lapideos intorsit, quos accẽso puluere vbi magna vi horrendoq; sonitu eijci animaduertit, artem nouum illud instrumentum bellicum conficiendi Venetis detexit.

Bombardarũ inuentio.

CRVDELITATIS TYRANNICÆ ERGA SVBditos pœna.

THemisto fuit Critonis Oeanthij filia. Hanc deperibat Phricodemi tyranni filius Philo. Tyrannus postulauit in matrimonium virginem, Pater contradicebat. Tyrannus filios Critonis abstractos in conspectu patris ac matris feris, esurientibus obiecit: virgineque abrepta nuptias perfecit. Themisto necessitate cõpulsa dissimulans ensem sub tunica importauit, & sponsum dormientem in thalamo, collum petens facile interemit, vt ne vox quidem occisi audiretur. His omnibus per noctẽ clam patratis ad mare progressa nauiculã inuenit: ventumq; nacta eam abs terra abstraxit, & sola soluens nauigauit in Græcam quandam Achaiæ ciuitatem, in qua sacrum erat Neptuni templum: In illud supplex confugit. Phricodemus alterum filium, occisi fratrem Heracontem misit, vt ab Elicensibus puellam reposceret. Qui eam tradiderunt. Cum autem soluissent, ingens coorta tempestas nauigium depulit ad Rhium Achaiæ, vbi appellentibus superuenerunt biremes duæ Acarnanorum, summas inimicitias cum tyranno exercentium: qui abreptam nauem deduxerunt in Acarnaniam. Vulgus Acarnanorum, re cognita, vinctum Heracontem puellæ potestati permiserunt. Tyrannus legationem ad eam pro filio mittit. Illa se, si parentes receperit, filium reddituram recepit. Phricodemus his promissis credens, trãsmisit ei parentes. At Acarnani Heracontem nihilominus acerbissimis verberibus confectum occiderunt. Phricodemo post non multos dies sui ciues mortem attulerunt. Qui vero Elicen incolebant, non longe post demersi sunt tum ipsi, tum eorum ciuitas, facto terræ motu, pelagoq; procellis exundante. Visumq; est hoc Neptuni indignatione accidisse, quod sibi supplicem virginem hostibus tradidissent.

Themisto puella heroica. Phricodemus tyrannus vna cũ filijs perit.

Elicenses puella supplicẽ hosti tradũt.

Elices intaritus.

Timocrates, Cyrenensium tyrannus, cum alijs multis magnisq; calamitatibus ciues afflixit, tum Sacerdote Apollinis Menalippo sua manu interfecto, vxorem eius Aretaphilam egregia facie præditam duxit. Illa pro patria maritoque suo pœnas à tyranno repetere conabatur. Primum igitur per venena insidias struxit. Tyrannus Aretaphilam comprehendere iussit, quæ longis acerbisq; tormentis examinata fortissime restitit, neque aliud quicquam nisi de philtro confessa est. Tyrannus quasi nullius

iniuriæ ream absoluit, eamque in matrimonio habuit, & maiori studio ac beneuolētia prosequebatur, quasi iniuste tortam & examinatam. Illa cum filiam haberet ætate & forma præstantissimam, eam summisit fratri tyranni adolescenti Leandro. Qui eius amore captus, rogat tyrannū, vt sibi eam ducere liceat. Quo impetrato duxit, & matri puellæ morem gerens inducitur ab ea ad vindicandam ciuitatis libertatem. Qui cubicularium tyranni muneribus corrupit, eiusque opera Timocratem de medio sustulit. Polyænus lib. 8.

Seuerus Imperator. Bassianus Imperatoris filius.

Plaucianus Afer ex tenui loco erectus ad summam potentiam & maximas opes à Seuero, adeo charus Imperatori fuit, vt filiam eius dederit Bassiano vxorem. Verum cum omnia concupiscēret, nec gentem, nec vrbem vllam relinqueret non spoliatam, sed omnia & vndecunq; raperet, nō potuit diuturna esse fœlicitas. Primum enim hoc furore punitus est, vt vitæ Seueri & Bassiani insidias instrueret, quibus deprehensis Placianus à Seuero in Palatium vocatus, ibi interfectus est. Hic fuit exitus hominis aulici, qui fiducia potentiæ suæ nimiam licentiam sibi sumpserat, oblitus huius præcepti:

Fortunam reuerenter habe, quicunq; repentæ
Diues ab exili progrediere loco.

Sanctius Rex Hispaniæ.

Sanctius eius nominis Quartus, Hispaniæ Rex, impietatis & crudelitatis nomine infamis, patrem suum Alphonsum decimum, è Germania redeuntem, occupato regno non admisit. Quatuor hominum millia trucidari iussit, quod in tumultu quodam Alphonsum fratris sui filium Regem appellassent.

Dionysius tyrannus Marsiam quendam interfecit, ea tantū causa, quod is per quietem iugulare se Dionysium existimauerat.

Childericus qui Theodorico, ob ignauiā in claustra collegij Monachorum cōpulso, in Regno Francorum succesſit, cum barbare sæuiret in suos, & quendam illustri loco natum palo religatum fustibus cædi iussisset, adeo omnium animos rei mouit atrocitas, vt is, in quem Childericus animaduerterat, haud parum multos inueniret, qui secum contra salutem tyranni cōiurarent. Itaq; redeuntem à venatione excipiunt insidijs, & simul cum Vlcide vxore grauida obtruncant. Anno 697. Michael Ritius lib. 1. de Regib. Francorum.

Iustinianus eius nominis Secūdus, cum multam crudelitatem ex nutu & consilio aulicorum sycophantarum, Theodosij Monachi, & Stephani Sacellarij, in Duces exerceret, Leontius eum euasisset ex carcere imperiū arripuit, Iustiniano nares præcidit, eumque Chersonam relegauit, Sycophantas duos aulicos funibus ad pedes alligatos per vrbem traxit, postea combussit. Rursus Leontium post triennium Tiberius Apsimarus imperio deiectum truncatis naribus in monasterium inclusit. Qui cum septem annis imperium tenuisset, Iustinianus auxilio Bulgarorum rediit, victorque & Leontium & Apsimarum ignominiosè per forum raptatos occidit. Imperiū restitutus Iustinianus de pristina crudelitate nihil remisit. Cumque aduersus Chersonios immaniter admodum sæuiret, minaretur que se regionem illorum ita vastaturum, vt quibus in locis vrbes fuissent atua colerentur: Exercitus Philippicum Bardanem Imperatorem fecit, Eliatris iugulauit, & ipsam seruo eius Indo coquo copulauit. Quam crudelitatem vltus Philippicus Iustinianum & filium eius Tiberium abstractos ab ara occidit. Zonaras. lib. 3.

DE

DE IRA ODIO ET INVIDIA.

O Dij & obliquæ inuidiæ stimulis agitatus Cainus, fratrem suum Abelum occidit. Genes. 4.

Esaus ob præreptam sibi benedictionem tanto erga fratrem Iacobum intumuit odio, vt de eo interficiendo consilia iniret. Genes. 27.

Ioſephum, quod patri reliquis esset charior, tam acerbo odio prosequebantur fratres, vt clam eum in puteum abijcerent, deinde extractum Ismaelitis venderent. *Filij Iacob.*

Ob Dinæ sororis suæ raptum & stuprum Simeon & Leui furiali exarſe re iracundia. Nam contra datam fidem vrbem ingressi, omnes masculos, ipsumque Principem Hemor vna cum filio suo Sichem peremerunt, vrbemque depopulati sunt. Genes. 34.

Dauid cum occiso Goliado tantum gloriæ mereretur, quantum decem millium millia, mulieribus in tympanis lætitiæ & sistris cantantibus, Percussit Saul mille, Dauid decem millia: tantum concepit odium aduersus eum Rex Saulus, vt eius vitæ & clam & aperte tendere insidias nunquam desisteret. Ipsum adhuc Musicum suum ludentem cithara, hasta petijt: tribunum, hostibus obiecit: generum, interficere in lecto voluit: fugientem, in omnibus agris & vrbibus quæsiuit. Achimelechum vna cum octuagin ta quinq; Sacerdotibus, ob Dauidem hospitio exceptum crudeliter obtruncauit, ira eum aduersus Deum ipsum, eiusque ministros stimulante. 1. Reg. 22.

Dauid exul cum per legatos a Nabale commeatum humiliter peteret, non solum benemerito eum Nabal vir iniustus & temulentus negat, verum etiam contumeliam verborum addit. Qua petulantia & feritate ita vir fortis exarsit, vt constitueret & ipsum & totam eius domum ferro euertere. Cui vxor Nabalis Abigail pia & modesta fœmina occurrens, suis precib. & liberalitate eum mitigat. Nabal ab vxore de Dauidis iracundia iusta & de suo periculo, quod vix euaserat, certior factus: terrore concidit, & manu Dei percussus, die decimo animam temulentam euomit.

Hamanus fastu & diritate intolerabilis, cum Mardochæus adorationis honorem ei negaret, tantum odij virus hausit, vt totam eius gentem cogi tatet è medio tollere.

Cum sapientes Chaldæi somnium Nebucadnezaris coniectare & interpretari non possent, Rex in ira & furore magno omnes præcepit interfici, & inter eos Danielem quoque. Cæterum Daniel diuinitus edoctus Regi somnium exponit & interpretatur, seq; cum cæteris Magis liberat.

Idem Nebucadnezar impletus furore & ira tres iuuenes, quod erectum colossum adorare nollent, sed magno animo Deum verum & vnum confiterentur, in ardentem eaminum iubet conijci, qui à filio Dei in æstu flammarum conseruantur.

Ex Theodosij Imperatoris decreto, quod præcipitis iracundiæ impetu promulgatum fuerat, magna & miserabili clade Thessalonicenses affecti sunt. Rapuerat Auriga gubernator Ludorum Circensium adolescentem ad stuprum. Hunc Aurigam præfectus Vdericus incluserat carceri. Instante autem solenni equestri certamine populus Thessalonicensis illum, vehementer ad eam concertationem necessarium, dimitti postulabat. Quod quo niam non impetrabat, in grauem seditionem efferbuit, ac tandem etiam præfectum ipsum interfecit. Qua re nunciata Imperator præter modum exarsit, & certum eorum numerum, qui adfuerant, interfici præcepit, ex quo ciuitas multis iniustis cædib. impleta fuit, cæsis hominum septem millibus. Siquidem peregrini, qui modo vel adnauigarant, vel deuia aduenerant, ex improuiso apprehendebantur, fiebantque miserabiles clades,

Paterna στοργή.

in quibus & hæc quoque: Mercator pro filijs duobus captis se ipsum offerēs, orabat vt filijs seruatis, ipse interficeretur, & in ei⁹ facti mercedē, auri quicquid habebat, militibus pollicebatur. Illi calamitatem hominis miserati, pro vno ex filijs, quocunque vellet, supplicationem admittunt: duos vero dimittere tutum sibi non esse dicunt, ob id quod numerus deficeret. Pater itaque vtrunque lamentabundus ac plorans intuitus, neutrius electionē facere sustinuit, sed in continua hæsitatione, donec interficerentur ambo, suspensus mansit, æquali vtriusq; amore victus. Quin etiam frugi quendam seruum pro domino suo, qui ad lanienam raptabatur, alacriter tunc oppetijsse mortem ferunt. Hac inter Thessalonicenses perpetrata cęde: Imperator cum Mediolani templum ingressurus esset, occurrit ei Ambrosius eius ciuitatis Episcopus, & apprehensa illius purpura, in præsentia populi, Siste gradum, inquit, Homini enim ob peccata prophano, & manus innoxio sanguine commaculatas habenti, fas non est, antequam pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi solium, vel ad diuinorum mysteriorum communionem admitti. Imperator libertatē Sacerdotis admiratus, cogitationibus conscientiam accusantibus regressus est, pœnitentia compunctus, lamentisq; ostendens pœnitentiam, octo mensibus ab Ecclesiæ mysterijs abstinuit, peccatum suum in palatio deplorans. Cum autem instaret festus dies Mense Decembri, quo publice celebratur recordatio Natiuitatis Christi, accessit ad templum, & reuerenter petiuit absolutionem, quam & pronunciauit ei Ambrosius. Addidit autem commonefactionē, vt ferret legem: Vt post rescripta Imperatoris differantur supplicia capitalia dies triginta, ne rei iniusta ira, rebus non satis inquisitis interficerētur. Theodoret. lib. 5. cap. 17. Sozomenus lib. 7. cap. 24.

Ambrosius.

Clades Iudæorum ex ira Cumani.

Miles pudēda palam ostendens, Iudæos offendit.

Ex ira Cumani Iudææ præsidis viginti Iudæorum millia periere. Cum enim is multitudine Paschatis in festo Hierosolymis congregata, ad res nouas cauendas, tumultumque sedandum, milites armatos in tēpli porticibus disposuisset: quarto Festi die, eorum militum quidam pudenda palam ostendit. Eam ob rem populi ira, quasi in Deum miles impius extitisset, atque audaciorum conuicijs Cumanus irritatus omnem exercitum in Antoniam Castellum, templo imminens, conuocauit. Quibus conspectis populus in fugam se dedit: in qua propter exitus angustias ad viginti millia oppressa & conculcata sunt, festiuitate in lamentationem conuersa.

Capitale Iudæorum semper fuit odium aduersus Christianos. Imperāte Theodosio, Alexandriæ ingens turba in die Sabbathi ad saltatorē quēdam spectandum confluxerat. Et quoniam Iudæi, qui illo die feriantur, non legi audiendæ, sed spectaculis & ludis scenicis contemplandis totos se dedebant, dies ille populi factionibus inter se mutuo dimicandi causa extitit.

Iudæi aduersus Christianos sæuiunt.

Orestis odiū aduersus Cyrillum.

Nam vt primum Iudæorum multitudo Hieracem humilioris literaturæ Magistrum Cyrilli Episcopi auditorem attentissimum in theatro conspicata est, extemplo vociferari cœpit, eum ob nullam aliam causam ad theatrum accessisse, quam vt populum ad seditionem concitaret. Proinde Orestes ex odio, quo erga Cyrillum Episcopū flagrabat, Hieracem palam in theatro comprehensum grauib. diuexauit supplicijs. Qua re intellecta, Cyrillus Iudæorum primarios accersit: illis, si non contra Christianos tumultus ciere desistant, debitas pœnas se irrogaturum, minatur. At multitudo Iudæorum cognitis Episcopi minis, multo maiore iracundiæ æstu exardescere, machinasque ad Christianis nocendum excogitare cœpit. Itaque nocte quadam per vniuersas vrbis regiones à quibusdā conclamandum curant, totam Ecclesiam, Alexandri nomine nuncupatam, igne conflagrare. Quo audito, Christiani alius aliunde concurrunt, vt Ecclesiam ab incendio liberent. Tum Iudæi protinus impetu in Christianos facto, eos

truci-

trucidant, atque vt à suis manus abstinerent, tesseram sibi ipsi dederant, nimirum, vt quisque annulum ex cortice palmæ confectum gestaret. Vbi autem illuxit dies, sceleris auctores minime obscuri & incogniti fuerunt. Iudæi Alexandria eiecti.

Qua de re Cyrillus grauiter commotus cum ingenti manu ad Iudæorum Synagogas recta pergit: & ex Iudeis nonnullos neci dat, alios expellit e ciuitate, eorumq; fortunas multitudini diripiendas permittit. Itaq; Iudæi, qui vsq; ab Alexandri Macedonis temporibus illam vrbem incoluerant, tum vniuersi inde eiecti, alij in alia loca dispersi discesserunt. Socrat. libro septimo.

Hypatia Alexandrina, filia Theonis Philosophi, tantos in literis fecerat progressus, vt omnes Philosophos sui temporis longe superaret, ac non modo in scholam Platonicam, à Plotino deductam, succederet, verum etiam omnes Philosophorum omnium præceptiones & disciplinas omnibus, qui eam audire volebant, explicaret. Quapropter quotquot Philosophiæ studio incendebantur, vndique ad illam confluebant. Quin etiam propter grauem animi fidē tiam, quam ex doctrinę fontibus hauserat, etiam in conspectum Principum, summa cum modestia venire non dubitauit. Neque illam pudebat in mediam hominum frequentiam prodire. Omnis enim eam ob singularem animi moderationem, cum reuerētia quadam & venerabantur & suspiciebant. Itaque inuidiæ flamma tum contra eam incensa est. Maleuolique homines exorti, qui erant natura paulo ferociores, quibus Petrus in Ecclesia se ducem præbuit, vno consensu mulierem, domum alicunde redeuntem obseruant, de curru quo vehebatur deturbant, ad Ecclesiam, quæ Cæsareum dicitur, rapiunt: exutamque vestibus, testis acutis ad necem vsque dilacerant, eiusq; membra discerpunt, discerptaque ad locum, qui Cinaron dicitur, comportant, atq; igni comburunt. Hoc facinus cum Cyrillo, tum Ecclesiæ Alexandrinæ non exiguā labem aspersit infamiæ. Nam qui religionem Christianam profitentur, à cæde, pugnis, & id genus alijs, omnino alieni esse debēt. Hæ res gestæ sunt quarto anno Episcopatus Cyrilli ad decimum consulatum Honorij, & Theodosij septimum, mense Martio. Socrates lib. 7. cap. 15. Histor. Ecclesiasticæ. Hypatiæ excellens doctrina. Petri maleuolentia aduersus Hypatiam.

Romulus, cum ad extruendos vrbis muros, vallū aratro duxisset, vetuissetq; ne quis illud transiliret, Remus in ludibrium fratris ausus est transilire. Quod iniquo ferens animo Romulus, eidem eripuit vitam, sublatoque Regni consorte solus imperauit. Tandem ipse quoq; Romulus cum insolentius regnaret, & ob Maiestatem Imperij inuisus populo redderetur, à patribus ad Capreæ paludem clam interfectus est.

Quanta vis sit iracundiæ in heroicis animis atrox facinus Horatij sororem occidētis declarat. Flagrante siquidem bello inter Albanos & Romanos, vtrinque terni fratres, à parte Romanorum, Horatij, Albanorum vero, Curiatij eliguntur, quibus, vt de imperio pugnam ineant, quiescente vtrinque exercitu, iniungitur. Qui cum intrepide manus consererent, ancepsque diu pugna esset, duo tandem Romani super alium alius, vulneratis tribus Albanis, expirantes corruere. De Romanis vnus qui adhuc superstes erat, cum adhuc esset integer, fortunam arte adiuuat, atque vt segregaret pugnam eorum, fugam capessit, ita ratus secuturos, vt quenque vulnere affectum corpus sineret. Cumq; respiciens magnis interuallis sequentes Curiatios videret, in proximum magno impetu redijt, eoque cæso & alterū Curiatium antequam tertius ei iungeretur conficit, hinc nullo labore tertium fessum vulnere & cursu prosternit. Victor Horatius eo maiore applausu & gaudio quo propius metum res fuerat, ab ouante exercitu accipitur ter gemina spolia præ se ferens. Domum deinde cum tripudio totius exercitus redeunti soror virgo, quę desponsa vni ex Curiatijs Horatius sororem suam occidit.

fuerat, obuia ante portã Capenam fuit: Cognitoq; super humeros fratris paludamẽto sponsi, quod ipsa cõfecerat, soluit crines, & flebiliter nomine iponsum mortuũ appellat. Mouet feroci iuueni animum cõploratio sororis in victoria sua, tantoq; gaudio publico. Stricto itaq; gladio simul verbis increpans, transfigit puellã. Quem damnatum capitis populus ad quẽ prouocarat, admiratione magis virtutis, quã iure causę absoluit. Liui. lib. 1.

Tarquinius callide circumuentis Anci Regis Romanorum filijs, regnũ ad se transtulit, cumque annis regnasset duodequadraginta, generum sibi asciuit Seruium Tullum, quem seruã natum perhibent. Ibi Anci filij duo pro indignissimo habentes, Anci Regis virili stirpe salua non modo aduenis, sed seruis etiam regnum Romæ patere, ferro eam arcere contumeliã statuunt, ipsum Tarquinium quouis modo e medio tollere animũ indũcentes. Ad q̃ facinus duos ex pastoribus ferocissimos deligunt, qui in vestibulo Regio q̃ potuere tumultuosissime specie rixæ in se oẽs apparitores regios conuertunt. Inde cum ambo Regẽ appellarent, vocati ad Regem pergũt, vbi causam suã exponere cum iussi essent, vnus rem ex composito orditur, dũ intẽtus in eum se Rex totus auerteret, alter elatam securim in caput eius deiecit, relictoq; in vulnere telo, ambo ẽ foras eijciũt. Liu. li. 1.

Ciuilium bellarum inter Romanos origo. Sylla & Marius.

Ciuilium bellorum, quibus Romanorum Imperium horribiliter concussum fuit, atroceſq; per orbem terrarum sunt factæ hominum lanienæ, vnica fere causa fuit odium & inuidia Ducum de principatu ambitiose dimicantium, quemadmodum Marius inuidens gloriæ Syllæ, sæuissimi belli ciuilis autor fuit. Cum enim Sylla Dux cõtra Mithridatem missus esset, impulit Marius Sulpitium Tribunum plebis, vt legem ferret de reuocando Sylla, & mittẽdo Mario ad gerendum bellum Mithridaticum. Huic legi cum Cõsul Q. Pompeius aduersaretur, filium Consulis, generum Syllæ occidit Sulpitius. Tanto vrbis tumultu cognito Sylla, priusquam in Græciam nauigaret, Romam cum exercitu redijt, & damnatis Mario & Sulpitio, Reipubl. tranquillitatem restituit. Sulpitium diuinum interfecit Marius clam fugit in Africam. Deinde Sylla profectus contra Mithridatem, recuperauit Græciam & alias prouincias a Mithridate occupatas. Interea Romam cum exercitu ex Africa Marius redit, cum Cinna se coniungens, multiplicemq; lanienam Romæ instituens, præcipuos viros Romanæ nobilitatis interfecit, proximoq; anno post reditum septuagenarius, & ẽrãs mente mortuus est. Cui in bello ciuili continuando succedit filius Marius Iunior. Sylla post tertium annum in Italiam rediens, Marium prælio vicit, vrbemque sanguinis fluminibus implcuit, nemini eorum qui Marium secuti fuissent, parcens, multosque infontes sine discrimine interficiens, vt merito gloriatus fuerit, se à nemine crudelitate superari. Nam occisi ferũtur e ciuibus supra nouem millia. Quare Q. Catulus palam Syllæ auisus est dicere: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus?

Catuli Luctatij mors. Marij Prætorij immanis interitus.

Catulus Luctatius, ne in Marianorum manus incideret, ignis hausto se interemerat, in eius vltionem Catulus frater à Sylla petijt Marium prætorem Marij maioris fratrem sibi iugulandum concedi, quem ille apud Catuli sepulchrum, oculis, cruribus, manibusque defossis seruatum aliquandiu, vt per singula membra moreretur, positis singulorum hominum penis immanissime mactauit. Lucanus lib. 2.

Sylla quoq; immensis accessit cladibus vltor,
Ille quod exiguum restabat cladibus vrbi
Hausit, dumq; nimis iam putrida membra recidit,
Excedit medicina modum, nimiumq; secuta est,
Quæ morbi duxere, manus, periere nocentes,
Sed cum iam soli possent superesse nocentes.

Nec

Iulius Cæsar & Pompeius.

Nec minus inuidiæ stimulis agitati Cæsar & Pompeius ciuilibus armis Rempubl. turbarunt. Metuebat enim Pompeius, ne claritas triumphorũ Cæsaris, qui Gallias, Germaniam, Britanniamque pacauerat, obscuraret eius præclara in Hispania & Africa gesta, & triumphos, Ponticum, Armenicum, Indicum, Ciliciumque. Rursus Cæsar in omni re se esse primum volebat. Itaque sæpe ex eo auditum ferunt, difficilius se Principem ciuitatis a primo ordine in secundum, quam e secundo in nouissimum detrudi. Et cum in Hispaniam se conferret, præteriens oppidulum, quod tum erat vacuum factione rusticorum, Mallem, inquit, inter hos primus esse quam inter Romanos secundus. His ambitionis & inuidiæ stimulis agitati huincipes illi furialia arma concussere. Quod & Poëta his verbis innuit.

Tu noua ne veteres obscurent facta triumphos,
Et victus cedat piratica laurea Gallis,
Magne times. te iam series, vsusq; laborum
Erigit, impatiensq; loci fortuna secundi;
Nec quenquam iam ferre potest, Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem.

Cæsar petierat se absentem fieri Consulem, antequam ex Gallia decederet, quia si priuatus in vrbem redijsset, inimici eũ accusaturi, & oppressuri erant. Populus igitur rogãtibus Tribunis, & Consule Pompeio assentiente, iubet Caij Iulij absentis haberi rationem. Postea inimici Pompeiũ sibi adiungentes, Senatum impellunt, vt Consulatum promissum Iulio eriperet, fieretq; Senatusconsultum, vt ante certum diem Cæsar exercitũ dimittat, si id non faciat, videri eum contra Rempublicam facere: Præterea, vt videant Consules cæterique Magistratus, ne quid Respub. detrimẽti caperet. Quæ forma verborum vim habebat similem proscriptioni, seu interdictioni aquæ & ignis: Tribuni itaque plebis Senatusconsulto aduersantes ex vrbe ad Cæsarem fugiunt. Statim & prouincia Gallia L. Domitio decernitur, & delectus tota Italia a Consulibus & Pompeio habentur. Cũ igitur intelligeret Cæsar & Senatusconsulti atrocitatem, & iam delectus haberi videret, cum exercitu procedit ad loca vicina vrbi. Cognito Cæsaris aduentu Pompeius & Consules ex Italia fugientes in Epirum traijciunt ad vrbem Dirrachium, vbi exercitus quantos possunt, ex Græcia, & Asia contrahunt. Hæc initia fuerunt Ciuilis belli, quo mutata veteri forma Reipub. deinde in Imperio Romano cœpit vnius esse summa potentia, vt in regno. Victo enim Pompeio ad Pharsalum, trucidatis quindecim millibus in exercitu eius, & captis viginti quatuor millibus, Iulius perpetuus Dictator factus est. Pompeius fugiens in Ægyptũ, ibi perfide a Rege adolescente, cuius ipse patrem in regnum restituerat, necatus est. Fuit bellum hoc ciuile grauissimum & Reipub. prorsus funestum. Quippe trecenta hominum millia in eo perijsse testantur historiæ.

Cæsar recepta Hispania, & pacatis omnibus prouincijs Romam mense Octobri redijt, vbi noui honores decreti sunt, vt dictator perpetuus, & Imperator nominaretur, & sacrosanctus esset. Semper autem etiam mediocres gubernatores in magnis periculis sunt. Cassius igitur cum non obtinuisset prætoram vrbanam, quam appetebat, & alioqui Cæsarem odisset, primus fuit autor consilij de interficiendo Cæsare, & arte Brutum ad societatem huius consilij pertraxit. Deinde Bruti auctoritas cæteros adiunxit. Facta igitur arcana conspiratione, idibus Martijs Iulius Cæsar in curia Pompeij a Cassio & Bruto, & cæteris huius consilij conscijs interfectus est, acceptis viginti tribus vulneribus. Sic qui victoria vsus fuerat moderatissime, summamq; erga victos exercuerat clementiam, ab ijs nefarie occisus est, quos ipse hostes suos venia dignatus fuerat, honoribusq; & opi-

bus ornarat amplissimis. Chron. Philip. lib. 2.

Perſei erga fratrem Demetrium machinationes.

Perseus infensus virtuti fratris sui Demetrij, quem verebatur se posthabito regni fore hæredem, confictis criminibus eum apud patrem Philippum Macedonum regem accusat parricidij, & affectati regni. Pater fidem habens mendacijs dolo insontem filium interfici curat. Apud Didamenim Pœoniæ Præfectum, qui a Perseo instructus amicum Demetrij sesimulabat, ad cœnam vocatus venenum in ea datum haurit. Poculo epoto extemplo sensit, & mox coortis doloribus, relicto conuiuio, cum in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conqueres, parricidium fratris, ac Didæ scelus inculans, torquebatur. Intromissi deinde Tyrsis quidam Stuberæus & Berreus Alexander, iniectis tapetibus in caput faucesq; spiritum intercluserunt. Ita innoxius adolescens, cum in eo ne simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur. Liuius lib. 40.

Philopœmenes Achæorũ Prætor.

Philopœmenes Achæorũ Prætor, & magnus Græciæ Imperator, à Messenijs captus, quod tamen non virtuti suæ, sed fortunę Messenii acceptum referre coguntur, cum magna omnium admiratione in vrbem vinctus deducitur, cumq; memores & pristinorum eius meritorum & virtutis perraræ, ei parcendum esse ciues censerent: Magistratus & Princeps eius viztuti & gloriæ inuidentes, cum vinctum in subterraneum domicilium neque auras neque lucem exterius excipiens demittunt. Nam obstupescentes ad magnitudinem pristinæ eius fortunæ virtutisque neque ipsa domum recipere custodiendum audebant, nec cuiquam vni custodiam eius satis credebant. Postero die in secreto consultantes ad necem eius consentiebant, statimque missus qui venenum ferret. Accepto poculo nihil aliud locutum ferunt, quam quæsisse, si incolumis Lycortas (is alter Imperator Achæorum erat) equitesque euasissent. Posteaquam dictum est, incolumes esse: Bene habet, inquit, & poculo impauide exhausto haud ita multo post expirauit. Nec diuturnũ mortis eius gaudium auctoribus crudelitatis fuit. Victa namque Messene bello exposcentibus Achæis noxios dedit, ossaque reddita Philopœmenis sunt, & sepultus ab vniuerso Achaico est concilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, vt ne diuinis quidem abstineretur. Liuius lib. 39. Plutar. in vita Philopœm.

Marcius Sabinus sibi ip si mortẽ infert.

Marcius Sabinus post Numæ Pompilij mortem (nam cum eo Romam habitatum venerat) cum præferri sibi Hostilium in regno videret, cui ipse aspirabat, adeo indignanter atque iracunde eam rem tulit, vt vitæ tædio sibi ipsi mortem consciscret. O furibundum profecto hominem, quæ enim incendia, quæ ruinæ, aut quæ populi Rom. strages, effususq; sanguis huius iracundiam explere potuissent? qui cum in populum Roman. non posset, tam acerbe in seipsum seuijt. Campofulg. lib. 9. cap. 3.

Cãbysis iracundia.

Persarum rex Cambyses, Cyri filius, cum amasis Ægyptij regis filiam in matrimonium petijsset, Amasis veritus ne ea potitus, non vxoris loco sed in concubinarum numero retineret, aliam pro filia ei similimam misit: quam rem Cambyses cum cognouisset, ira exarsit, atque cum ingenti exercitu in Ægyptum descendit, vbi cum defunctum Amasim inuenisset, filium eius Psamnitichum regno deiecit, ipsius quoque Amasis corpus sepulchro eruit, & tanquã viueret, verberibus cædi, acutisque ferramentis totũ pungi, ac deinde in foro cõburi fecit: neque enim animaduertit, plus in seipsum iracundiæ flammas telaq; quã in mortuũ Amasim sæuire: quod ea iracũdiæ vis, ac natura est, vt semper authorẽ torquere incipiat. Ibid.

Xerxis furiosa iracundia.

Xerxes quo furore in Pythium benefactorem sæuierit, superius indicatum est. Non autem satis ei fuit in homines iracundiam & rabiem suam exerere, sed idem aduersus mundi elementa facere contendit. Nam cum traiectum ex Abydo ad vlteriorem ripam, qui est septem stadiorum põtibus iunxisset, ingẽsq; exorta tempestas ea omnia dirupisset: indignatus,

tanquã

tanquam sensus aquis inesset, trecenta Hellesponto verbera infligi, & stigmata inuri, adeoq; par compedum in pelagus demitti iussit, atq; eis qui præpositi operi erant, capita præcidi. Deinde cum Athos longo tractu in mare procurrens, classem eius afflixisset, a continente eum abscindere, omnibus copijs sub verberibus in effodiendo occupatis, aggressus est. Herodot. lib. 7.

Caloiohannes Comnenus, Imperator Constantinopolitanus, cum occuparurus Antiochiam, quam a Reimundo Principe Antiocheno emerat, ab Episcopo Gabulensi prohiberetur, iratus Syriam depopulatus est, & suburbana Antiochiæ militibus populanda & auferenda omnia, quæ manibus corripi possent, concessit. Cuius iracundiæ, qua Antiochiam violarat, eum statim pœnas expendisse perhibent. Nam in reditu, vbi Cilicum fines attigisset, memorabili exitu vitam finijt, manu ad digitū minimum venenatæ sagittæ illapsu strictim læsa, quam vna cum alijs aper ab eo sauciatus subito insultu pharetra excusserat, ex læsa parte veneno celeriter in omnes corporis partes discurrente. Nicetas Choniata in Annalib.

Isaacus Caloiohannis filius Imperio excidit, prælato ei fratre minore natu, eo quod ad iracundiam esset procliuior. Sic enim pater iam moriturus ad Proceres Imperij inter cætera ait:

Filij mei, quamuis eodem patre nati, tamen diuersis præditi sunt ingenijs. Qui etsi ambo & viribus corporum, & dignitate vultuum, & animorum grauitate præcellunt, tamen natu minor Manuel ad Imperij administrationem mihi aptior videtur. Nam Isaacus sepius ira percitus mihi astitit, & quauis de causa bile efferuescente moderari animo non potest: quæ res inimicissima consilio, sapientes perdit. Alter vero præter aliarum virtutum chorum, a quibus nec Isaacus alienus est, nec a clementia quidem re præclarissima, abhorret: sed in loco cedere, & obsecundare nouit, & rationis imperium sequitur. Ibid.

Ad iracundiam procliues Imperio minus apti sunt.

Constantinus cum deuicto Licinio solus cum filijs suis Monarchiam obtineret, per insolentiam mutatus & crudelior factus primum sororis suæ filium egregiæ indolis iuuenem interfecit, mox Crispum filium suum ex Mineruia, suggerente, vt dicunt, coniuge Fausta, necari iussit: deinde ipsam Faustam in balneas ardentes coniectam interemit, innumeros interfecit amicos, & cum in multis flagitijs grassaretur, cum tamen in eo multæ virtutes animi haberentur, diuinitus lepra percussus, per sanctum Syluestrum Papam vna cum matre alijsque multis ad fidem conuersus est & baptizatus: moxque omne studium ad Ecclesiæ translatum profectum, legesque statuens Christianas, fecit basilicas multas, fecit & vrbem nominis sui Constantinopolim, quæ prius Byzantium dicebatur, quam sedem Romani Imperij, & caput totius Orientis esse voluit. Chron. Abb. Vrspergens.

Constantinus Magnus.

Quis immensi odij magnitudinem enarrare possit, qua Bonifacius octauus Pontifex Gibellinam factionem prosecutus est? facinus profecto non modo Sacerdote indignum, sed ne latroni quidem aut piratæ congruens: Nam qui pro pastorali officio extinguere odia debebat, ea ipse verbo atq; re inflammabat. Itaq; Cinerum die, cum mos esset, vt Pontifex Ecclesiasticorum antistitum capita cinere aspergeret, vt ad Porchetum Spinulam, Genuensem Archiepiscopum peruenit, quod Gibellinæ factionis esse putabatur: Cinerem non capiti insperfit, sed in oculos, peruerse enunciatis solennibus verbis, coniecit. dixit enim: Memento te Gibellinum esse, & quod cum Gibellinis in cinerem reuerteris: tanta enim odij vis scelerato pectori insedit, vt sacra verba ad euomendum factiosæ mentis virus perueteret. Fulgos. lib. 9. cap. 3.

VVenceslaus, Bohemiæ rex, cum totum se pietatis Christianę exercitijs

VVenceslaus ob pietatem odiosus redditur.

tradidisset, graue aduersus se matris suæ mulieris impiæ, & fratris Boleslai odium concitauit, quorum insidijs petitus cum vitro de Imperio deponendo cogitaret, illi scelere præuentum crudeliter occidunt. Conuiuium apud fratrem Boleslaum instituitur, matre iubente vocatur VVenceslaus, qui ingressus protinus fratris manu percussus interijt, trãslatus ad meliorem vitam, anno Christi 920. in fastis Ecclesiasticis, & apud Munst. lib. 3. Cosmograph.

Tado Longobardorum rex.

Leuis sæpe offensa maximorum malorum causa est. Id quod historia de Tadone Septimo, Longobardorum rege, ante Albeinum, & Rudolpho Herulorum ostendit. Rudolphi regis frater, cum post firmata pacis fœdera a Tadone ad fratrem reuerti constituisset, forte ædes, quas filia Tadonis

Rumetruda Tadonis filia.

Rumetruda incolebat, præterit, comitantibus ipsum multis nobilibus viris. Rumetruda vbi resciuit fratrẽ eum esse Rudolphi regis, protinus missa virgine blandis eum precibus in ædes inuitauit. Qui gratificaturus regis filiæ, ædes ingressus est. Cum autem exilis esset staturæ homo, Rumetruda eum despectui habens, verbis mordacibus irrisit, quam ille vicissim asperioribus dicterijs mœsit, quibus illa exacerbata, fœminea protinus ira exarsit, quam tamen vindictæ quærens opportunitatem, fraudulenta mulier callide dissimulat, verbisq; fucatis, vultu ad hilaritatem cõposito, iuuenem ad discumbendum inuitat, eique composito talem attribuit locum: vt tergum fenestræ obuerteret, & ne vlla fraus subolere posset, pectoris pannum ante fenestræ expandit, interim clam seruis mandat, vt a tergo per fenestram regium iuuenem potantem, vt primum ipsa profatura esset verbum MISCE, gladijs telisq; confoderent, qui verbum illud velut datam tesseram obseruantes, Regium iuuenem incautum inter pocula trucidarunt. Quam fratris sui nefariam adeo cædem vbi resciuit Rudolphus, vehementer rei atrocitate commotus, Tadoni bellum indixit. Vtrinque ad arma concurritur, copiæ ad inundum prælium e castris educuntur. Cum autem ex improuida, ne dicam stolida, temeritate nimium

Rudolphus ex nimia securitate se suosq; it perditum.

virtuti & robori militum suorum confideret Rudolphus, ipse, dum prælium conseritur, re summa ducibus commissa, in castris interim ad tabulam iocatur, certam sibi de hoste politus victoriam. Nihilominus autem quendam e ministris arbore conscensa prælij exitum speculari iubet, simulq; minatur se nuncianti aduersum prælium caput humeris aulsurum. Magno autem stetit ipsi ea temeritas. Fugientibus enim Herulis regem de fuga monere speculator ausus non est: qui cum effuse suos fugere, acriterq; fugientibus instare Longobardos videret, tandem exclamauit: Væ tibi misera Herulia, Dei cœlestis ira percussa. Quæ audiẽs Rudolphus, Num ergo, ait, Heruli mei fugiunt? Ad quæ speculator: Nõ ego, sed tu rex dixisti. Quibus dictis, Longobardi in castra irruunt, Regemq; cum omnibus, quos secum habebat, interficiunt. Tantus autem Herulis terror immissus est, vt frutices viridesq; conspicati, se flumina conspicari putarent, brachiaque ad natandum expedirent. In quo terrore omnes ab insequentibus hostibus sunt trucidati, viresq; Herulorum adeo debilitatæ, vt ab eo tempore regem proprium nunquam habuerint. Longobardi autem præda diuites, suam potentiam & gloriam magis magisq; dilatare cœperunt. Nec tamen diu victoria ea lætatus fuit Tado, a VVachone filio fratris sui Zuchilonis interfectus. Qui rursus prælio victus ab Hildege Tadonis filio ad Gepidas fugit, vbi mortuus est. Abbas Vrspergensis.

Seruli terrore effasciati.

Cum aduersus Hasdrubalem Liuius Salinator bellum gesturus vrbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciem, quam hostium vires animumq; cognosceret: primam occasionem pugnãdi non omissurum se respondit. Interrogatusq; ab eodem, quid ita tam festinanter manum cõferre vellet: vt quam celerrime (inquit) aut gloriam ex ho-

stibus victis, aut ex ciuibus prostratis gaudium capiam. Ira tunc atq; virtus sermonem eius inter se diuiserunt: illa iniustæ damnationis memor: hæc triumphi gloriæ intenta. Val. Max.

C. Figulus, Iurisconsultus, Consulatus repulsę dolore accensus, cum ad cum postero comitiorum die multi consulēdi causa venissent, omnes dimisit: præfatus, Omnes consulere scitis, Consulem facēre nescitis. Dictum grauiter & merito, sed tamen aliquanto melius non dictum.

Cum Cn. Flauius humilimę quondam sortis præturam adeptus esset: Patricij Romani offensi annulos aureos sibimetipsis, & phaleras equis suis detractas abiecerunt.

Manlio Torquato amplissimam & glorioſissimam ex Latinis & Campanis victoriam in vrbē referenti, cum seniores omnes lætitia ouātes occurrerent, iuniorum nemo obuiam processit: quod filium adolescentem fortissime aduersus Imperium suum præliatum securi percussum occidisset. Tanta erat vis iræ vt vnius ciuitatis & ætates & affectus diuidere valeret. *Iuuentus Romana irata Manlio*

Fabium Consulem hostium copias persecuturū vniuersus populus Romani Equitatus sequi detrectauit, iratus Consuli ob legem Agrariam impeditam.

Appius cum pro Senatus amplitudine certans commo da plebis acerrime impugnaret, sic offendit animos multitudinis, vt exercitus aduersus hostes ductus voluntaria fuga terga daret, ne filio eius Imperatori triumphum quæreret. *Exercitus Romanorū.*

L. Sylla Puteolis ardens indignatione, quod Granius Princeps eius Coloniæ pecuniam a decurionibus ad refectionē Capitolij promissam cunctantius daret, animi concitatione nimia, atq; immoderatæ vocis impetu, conuulso pectore spiritum cruore ac minis mistum euomuit.

Alexander Magnus iracundiæ indulgens, non parum diuinam rerum gestarum gloriam obscurauit, dum Lysimachum leoni obiecit, Clytum in conuiuio hasta traiecit, Callisthenemq; Philosophum crudelem in modum necidedit.

Amilcar quanto odio aduersus populum Romanū flagraret, satis euidenter ostendit, cum quatuor puerilis ætatis filios intuens, eiusdē numerī catulos leoninos in perniciem Imperij Romani alere se prædicaret. E quibus Hannibal mature patris vestigia subsecutus, cum octo esset annorum natus, patre sacrificante altaria tenens iurauit, se cum primum per ętatem potuisset, acerrimum hostem populi Romani futurū. Idem significare cupiens, quanto inter se odio Carthago & Roma dissiderent, inflicto in terram pede, suscitatoque puluere, tunc inter eas fore finem belli dixit, cum alterutra pars in hābitum pulueris esset redacta.

Semiramis Assyriorum Regina, cum ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum esset, Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorē capillorum in ordinem, quam tantam vrbem in potestatem suam redegit. Quocirca statua eius Babylone posita est illo habitu, quo ad vltionem exigendam in celeritate præcipiti tetendit. Val. Max. lib. 9. cap. 3.

DE ABSTINENTIA ET CONTINENTIA
ab ira, odio & insidia.

SAbacus Ægyptiorum Rex, genere Æthiops, adeo sanguinis animaduersionem exhorruit, vt capitis reos damnatosque, vinctos catenis operas vulgo per ciuitates præstare iuberet, ne scilicet interimerentur. Isq; postea sese regno abdicauit vltro, & in Æthiopiam priuatus redijt. Maluit *Sabaci Regis clementia.*

immansue

Somnium diabolicū.

immanſuetudinis ſcelere vacare, quam crudeliter diuturno regno potiri. Cum enim in ſomnis ſæpius offerretur Deus, qui Thebis colitur, moneretque regnum ipſius nequaquam fœlix ſiue diuturnum futurum, niſi Sacerdotib. Ægypti omnibus occiſis per media ipſorum cadauera cum ſuis tranſiret: omnes vndiq; Sacerdotes conuocauit, narratisq; quę per ſomnium acceperat, nolle ſe, inquit, in Ægypto manentem alicui pernicię ſtruere, ſed malle purum, omnique ſolutum ſcelere ab Ægypto abſcedere, fatiſq; vitam reddere, quam impia cęde inquinatum regno potiri. Ita Ægyptijs regno tradito, in Æthiopiam rediit. Diodorus Siculus lib. 2. de antiquorum geſtis.

Pythagoras adeo natura ab omni crudelitate abhorruit, vt doceret nullum animal necandum eſſe, nullam mitem plantam violandam. Verecūdiam autem & pietatem prædicabat eſſe colendam.

Xenocrates Philoſophus adeo miti fuit ingenio, vt cum paſſer futurus accipitri præda ſeſe recepiſſet in eius ſinum, eum beneuolenter operuerit & fouerit, dicens, Non oportere ſupplicem perdere.

Paulus Æmilius captiuum Perſeum, Macedonum Regem, cum ad genua ſua procumbere vellet, eum dextra manu ſubleuauit, ſuoq; lateri aſſidere iuſſit.

Eadem clementia vſus eſt Cn. Pompeius erga Tigranem hoſtem, Armeniæ Regem, cui diadema, quod ad miſericordiam mouendam abiecerat, reſumere præcepit.

Henricus Ottonis frater.

Præclarum manſuetudinis exemplum in Ottone Magno Imperatore nobis proponitur. Nam cum vndiq; bella domeſtica in eum commouerentur tanta, vt videretur Europa in perniciem Imperatoris conſpiraſſe: Henricus quoque frater ſpe regni accenſus, ſeditioſa aduerſus eum arma expedit. Verum cum alquot prælijs victus, omnibus rebus ſe deſtitutum videret, aſſumptis aliquot Epiſcopis, de improuiſo ad Imperatoris frattis ſui genua procidit, ſupplexq; veniam ab eo petit. Epiſcopi quoq; pro virili quiſq; ſua pro eo intercedunt. Imperator primū quaſi attonitus aliquātiſper tacuit. Tandem in hæc verba erupit: Qua in re, frater, a me offenſus animo adeo exaſperato funeſtum prorſus aduerſum me bellum concitaſti? Implacabilis fuit hactenus furor tuus, nec vllum veniæ, quam ſæpe vltro tibi obtuli, locum dedit. Propter quam contumaciā tuam licet nulla ſis venia dignus: attamen non quid tua mereantur facta, ſed quid fratrem & Regem deceat ſpectabo, depoſitisq; inimicitijs te vt fratrē amplectar. His dictis fratrem ſubleuatū oſculatur, eumq; in arcem Ingelheimenſem cuſtodiendum aliquandiu trāſmiſit. Mox ſopitis omnibus ſimultatibus aliquot Lotharingiæ ciuitatibus præficit, deinde poſt mortem Bertholdi Bauariæ ducis, ex matris interceſſione ei ducatū Bauariæ attribuit, omnia que fraterni amoris officia ſedulo cum ipſo coluit.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit. *Ouid.*

Iutha Ottonis filia, a Biſetiſlao rapitur.

Otto Secundus, quemadmodū patri ſucceſſit in Imperio, ſic etiam virtutis, inprimis autem manſuetudinis eius fuit imitator. Rapuerat filiam eius Iutham, quæ Ratisbonæ in monaſterio educabatur, Vdalrici Bohemorum ducis filius Biſetiſlaus. Nec pater facinus filij improbabat, ſed potius audaciā eius miratus, nuptias cum rapta in Morauia celebrari iuſſit, tanto pręſtantiorem filiū æſtimans, quanto nobilioribus nuptijs cohoneſtaretur. Pater autem puellæ iniquiſſimo ferens animo, tantam ſibi Romanorum Imperatori contumeliam & iniuriam a Principe, qui ſit Imperio ſubiectus, illatam eſſe, magno exercitu cōſcripto in Bohemiam tendit, obuia quæque ferro & igni depopulatus. Contra etiam Vdalricus & filius caſtra mouent. Iam duo exercitus intra i actum teli conuenerant,

cum

cum Iutha, causa caputq; belli huius, crinibus sparsis, scissa vnguibus facie, victo periculorum magnitudine pauore, ausa telis sese inferre volantibus, inter primas acies prosiliens, patris alloquium, priusquam furor ardeat amplior exposcit. Quo impetrato precibus suis & lachrymis patris iracundiam omnem mitigat, & ne paterna violentia matrimoniale vinculum dissolueretur efficit. Mox etiam corã Imperatore apparet ipse iuuenis Besitissaus, & prostratus in genua facinoris nõ tam ex malitia quã amoris incendio admissi veniam impetrat. Crantzius lib. 9. cap. 13. Cosmo graph. Munst. lib 3.

Commendat magnopere Theodosij Imperatoris Clementiam diuus Ambrosius, cum in oratione funebri ait: Si magnum est misericordem aut fidelem quemcunque hominem inuenire, quanto magis Imperatorem, quem potestas ad vlciscendũ impellat, sed reuocet tamen ab vltio ne miseratio? Quid præstantius fide Imperatoris, quem non extollat potentia, superbia non erigat, sed pietas inclinet? De quo Salomon præclare ait: Iniqui Regis irritatio similis rugitui leonis: Sicut autem ros in herba, sic & hilaritas eius. Quantũ igitur est deponere terrorẽ potentię, præferre suauitatem gratiæ? Beneficium putabat se accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere. Et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ.

Antigonus Rex, cum aliquando tempore hyberno compulisset castra transferri in locum, vbi non erat rerum necessariarum copia, atq; hac de causa milites quidam in Regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo, virga tentorij vela diduxit: Flebitis, inquit, ni longius semoti de me male loquamini. Quid hac facetia clementius? Aut quid hac clementia facetius? Simulabat se non indignari quod male de ipso loquerẽtur, sed quod tam vicini, vt exaudiri possent ab eo, cui maledicebant.

Idem cum nocte quadam quosdã e militibus suis audiuisset omnia mala imprecantes Regi, qui ipsos in illud iter & inextricabile lutum induxisset, accessit ad eos, qui maxime laborabant, eosq; cum ignorantes, a quo adiuuarẽtur, explicuisset, Nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: sed ei bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Hac vindicta contentus erat Regis vere excelsus animus.

Pyrrhus, Epirotarum Rex, cum audiuisset apud quosdam in conuiuio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum, accersitos, qui ei interfuerant, percontabatur, an ea, quæ ad aures eius peruenerant, dixissent? Tum ex his vnus inquit: Nisi nobis vinum defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ ijs, quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio iram Regis conuertit in risum. Qua quidem clementia & moderatione id assecutus est, vt sobrij Tarentini gratias ipsi agerent, & ebrij bene precarentur.

Augusti mansuetudo erga Cinnam.

Cum deprehendisset Augustus nobilem iuuenem, L. Cinnam, Põpeij nepotem, cui antea incolumitatem largitus fuerat hosti, struere sibi insidias, comperisset q; qua ratione, & quando ipsum statuerat aggredi: dum dictatur sententia proscriptionis ingressa vxor Liuia: Fac, inquit, quod & Medici solent, qui vbi vsitata remedia non prosunt, tentant contraria. Seueritate adhuc nihil profecisti, ignosce. Cinna deprehensus vitę tuæ nocere non potest, famæ prodesse potest. Itaq; protinus Cinnam iussit accersi ad colloquium, venienti etiam alteram cathedram poni. Egit verbis cum eo humanissimis, liberauitq; noxa, addens: Vitam tibi Cinna iterũ do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die incipiat inter nos amicitia: Contendamus deinceps, vtrum ego meliore fide vitã tibi dederim, an tu mihi debeas? Obtulit insuper ei Consulatũ. Quare id cõ-

secutus Augustus est, vt non modo habuerit posteà Cinnam fidelissimum, sed & hæres vnicus sit ab eo nuncupatus.

Plato iratus seruo, cum castigare pararet, & forte interueniret Xenocrates, Flagella inquit, huic puerum, nam ipse sum iratus. Sibi diffisus est homo Philosophus, sentiens animi commotionem. At vulgus hominum tum maxime punit cùm irascitur.

Socrates, cùm in via quidam illi per lasciuiam calcem impegisset, admirantibus quod id pateretur, Quid facerem, inquit? Illis hortantibus vt vocaret hominem in ius, Ridiculum, inquit, si quis asinus me calce percussisset, diceretis mihi, voca illum in ius?

M. Furius Camillus, cum optime de Republ. meritus, ab ingrata patria in exilium ageretur, magno animo hanc ferens iniuriam, hoc tantum ab Dijs immortalibus precatus est, si innoxio sibi ea iniuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui ingratæ patriæ facerent. Deinde Gallis vrbem depopulantibus omniũ iniuriarum immemor, patrię oppressę, cui succensendi iustas habebat causas, succurrit, eamque e manu hostium ereptam pristinæ dignitati & libertati restituit.

Scipio Africanus a tribunis Petilijs vexatus, causamq; pro Rostris dicere iussus animo a iurgijs & contentionibus auocato: Hoc, inquit, die Tribuni plebis vosque Quirites, cum Hannibale & Carthaginensibus signis collatis, in Africa hene & fœliciter pugnaui. Itaque cum hodie litibus & iurgijs supersedere æquum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouẽ Opt. Max. cæterosq; Deos salutandos ibo, hisque gratias agam, quod mihi & hoc ipso die, & sæpe alias egregie Reipub. gerente mentem facultatemque dederunt. Quibus dictis a Rostris ad Capitolium ascendit, simul se vniuersa concio auertit, & secuta Scipionem est, vt postremo scribæ viatoresque tribunos relinquerent. Et celebriatior is prope dies fauore hominum, & æstimatione, vere magnitudinis eius fuit, quam quo triumphans de Syphace Rege: & Carthaginensibus, vrbem est inuectus. Qua Scipionis gloria plus irritati Tribuni denuo ei diem dicunt, maioreq; cum asperitate crimina aduersus eum intendunt. Sed morbum causatus non comparuit Scipio. Verum illi ex contemptu sui causam illam prętendi existimantes, vt vi ex villa ad causam dicẽdam extraheretur, populo auctores fuere. Ibi Tib. Sempronius Gracchus, cuius inimicitiæ cum Pub. Scipione intercedebant, priuatis simultatibus posthabitis, magno animo Scipionem defendit, grauiterq; indignatus Tribunorum iniquitati, Sub pedibus vestris, inquit, stabit domitor ille Africæ Scipio? Ideo quatuor duces nobilissimos Pœnorum in Hispania quatuor exercitus fudit, fugauitque: ideo Syphacem cepit, Hannibalem deuicit, Carthaginem vectigalem nobis fecit, Antiochum vltra Tauri iuga emouit, vt duobus Petilijs succumberet? Quibus alijsque pluribus verbis ipsos accusatores ita repressit, vt pudefacti se deliberaturos quid sui iuris esset & officij, dicerent. Senatus deinde, concilio plebis dimisso, haberi est ceptus, ibi gratiæ ingentes ab vniuerso ordine, præcipue a Consularib. Senioribusq; Tiberio Graccho actæ sunt, quod Rempubl. priuatis simultatibus potiorem habuisset, & Petilij vexati sunt probris, quod splendere aliena inuidia voluissent, & spolia ex Africani triumpho peterent. Liu. lib. 38.

Tib. Sempronius Gracchus.

Qu. Fabius Maximus pecuniam pro captiuis Hannibali numerauerat, fraudatus ea publice tacuit. Dictatori ei Magistrum equitum Minutium iure Imperij Senatus æquarat, silentium egit: compluribus præterea iniurijs lacessitus, in eodem animi habitu permansit, nec vnquam sibi Reipub. permisit irasci. In bello etiam gerendo pluribus comminationibus Hannibalis irritatus, sæpe etiam spe bene gerendæ rei oblata, nunquam a con-

filij salubritate, ne parui quidem certaminis discrimine recessit: quodque est difficillimum, vbiq; ira ac spe superior apparuit.

Architas, cum in agro comperisset quosdam e famulis admisisse quiddam, sentiens se commotiorem in illos, nihil quidem tum fecit, tantum abiens dixit, Fortunati, inquit, estis, quod irascor vobis.

Aristoteles Alexandrum excandescentem ira placare volens, & sedare summam indignationē, hæc ad eum scripsit: Excandescentia & ira non in pares, sed in meliores existere solet. Tibi vero nemo par est. Ælian. lib. 12.

Tulit patienter per integrum diem in publico conuitiatorem temerarium, & insolentem Pericles Atheniensium alioqui Princeps. Nec cum vesperi se domum reciperet, a se repulit adhuc maledictis insectantem. Postremo vbi in primo domus limine constitit, ad seruum conuersus, Ito, inquit, & hunc ciuem domum reducito, sicq; homo improbus ab iniuria & contumelia gratiam reportauit. Sabel. lib. 9. cap. 1.

Athenodorus Philosophus, vir doctissimus, in postremo congressu, cum ab Augusto abeundi veniam peteret, monuit eum, vt quoties in iram incideret, ne quid prius vel ageret vel diceret, quam alphabetum secum recitasset: ea enim paruula mora, iræ impetum deferuere aiebat, fierique, vt quicquid postea vel loqui vel agere vellet, tranquilliori mente efficeret, vnde minus postea doleret. Campofulg. lib. 7. cap. 2.

Siciliæ Rex Alphonsus vt Architas furentem in medio cursu iram temperauit. Nam cum Pyrrhum pocillatorem suum iussisset Gaspari vni ex eius aula, quo cum graues inimicitias Pyrrhus gerebat, pateram, quam manu ferebat, propinare, Pyrrhusque imperium geminanti non paruisset, haud iniuria Alphonsus ira succensus Pyrrhum stricto gladio insecutus, vt in eum sæuiret, statim vt assecutus est, cum vulnus iam inferre pararet, iræ statim fræna contraxit, abiectoque gladio præ modestia in Pyrrhum sæuiendi sibi potestatem ademit. Vocant alii pocillatorem Piretum. Panormit. lib. 1. Campofulg. lib. 4. cap. 1.

Elegantissime in versu Ouidij dicitur:

Vince animos, iramq; tuam, qui cætera vincis.

Nazianz.

Οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται·
Τὰ γὰρ μετ' ὀργῆς οὐδέπω βουλὴν ἔχει. *Id est:*
Tuto per iram nemo consilium capit:
Namque ira consilijs relinquit haud locum.

Idem:

Νοῦς ἐμμέριμνος, σὴς βιβρώσκων ὀστέα,
Θάλλει δὲ σῶμα, φροντίδας παρατρέχων.
Mens anxia, est tinea ossa rodens: Viuidum
Sed corpus est, quod cura quæuis præterit.

Idem:

Εἰ μηδὲν ὄφλεις τῷ θεῷ τιμωρίας,
Μηδ' αὐτὸς ἴσθι τοῖς ὀφλοῦσι συμπαθής.
Εἰ δ' οἶδας ὄφλων, καὶ προχρῆσον τὸ πρᾶον.
Οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ Θεῷ σταθμίζεται. *Id est:*
Si nulla pœna facit Deo te obnoxium,
Nec mitis esto tu vicissim proximo.
Sin te reum fateris, esto misericors,
Se mitibus præbet Deus mitissimum.

Stige-

Stigelius:

Pascere liuor iners odio, saturare furore,
Mors tua, recta Deum facta colentis erunt.

Ennius: Eo ingenio natus sum, amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero.

Seneca postremo libro de ira inquit: Dum inter homines sumus, colamus humanitatem, non timori cuipiam, non periculo simus, detrimenta, iniurias, conuitia, vellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda.

DE SEDITIONIBVS ET PVGNIS.

DAthan, Abiron, & Core, contra Mosen & Aaronem conspirantes, Mosis tribules ducentos & quinquaginta, partim e Consiliarijs, partim & Magistris Synagogæ sibi adiungunt, pernicioſæ in populo seditionis authores. Cumque essent vnanimi consensu incensa oblaturi, Moses a Deo petit, ne ipsorum sacrificia respiciat, & populo deinceps præcipit, vt qui saluus esse velit, longe ab eorum tabernaculis discedat, quod contumacibus & sacrilegis pœna ingens & insolita immineret. Itaque omni populo ab ipsis segregato, perduntur impetu iræ Dei. Terra enim aperta, ipsos cum vxoribus, liberis, seruis, supellectile, tentorijs, in profundum absorbet. Nume. 16.

Filij Israel seditiosi.

Exploratores qui in terram Chananæam missi fuerant, diuinæ potentiæ & bonitatis parum memores, hostium vires & potentiam in tantum exaggerant, vt vniuersus populus, præter Iosuam & Calebum, seditione aduersus Moseu & Aaronem mota, grauiter Deum offenderet. Quapropter omnes qui ex Ægypto egressi fuerant, Dominiq; miracula viderant, morti in deserto addicuntur, exceptis duobus, Iosua & Calebo, qui gloriam dantes Domino furori insanientis populi fortiter se opponebant. Nume. 14.

Absolon impius Dauidis filius, factioſos cœtus agitans bellum suscitat, patrem fugat, concubinas publice stuprat, regnum occupat. Prælio cum paternis ducibus commisso, terga dare compellitur, ramisq; quercus Cæsarie inuolutus, & capite adhærens, tribus hastilibus a Ioabo percutitur. 2. Sumuel. 18.

Seba iuuenis audax & quietus, vix sedato Absolonis tumultu, nouos terrores ciet, tribusq; Israeliticas omnes a tribu Iuda auellit. Cui intra muros oppidi Abelæ obsesso a præfectis Regijs, ciues caput amputant, & extra vallum proijciunt. Hominis temerarij morte, & vrbs ab excidio manet incolumis, & cæteri factioſi subito redeunt ad officium.

Solomon in eos omnes, qui contumaces & seditioſos aduersus patrem Dauidem se gesserant, grauiter animaduertit. 3. Reg. 2.

Ephraemitæ nobilitate sua insolentes & importune molesti seditionem aduersus Iephtham Ducem mouent, eique bellum non necessarium indicunt, quos ille vi armorum coercens, duo & quadraginta ex ijs prostrauit hominum millia. Iudicum 11. & 12.

Pugna Israelitarum aduersus Amalecitas & Madianitas.

Mose ad Deum clamante, Amalecitas fundunt Israelitæ. Num. 21. Madianitas quoque funditus delent, cum ex illorum numero ne vnus quidem periret. Num. 31.

Pugna Iosuæ.

Iosua Iordane per miraculum traiecto, Hierichuntem expugnat, populum circumducit, & necatis vno & triginta Regibus, vrbes eorum sorte diuidit. Libri Iudicum, Samuelis, Regum & Prophetarum, varia tum seditionum tum cruentorum præliorum exempla nobis suppeditant, quæ fere omnia congruunt ad regulam: Quicunque gladium sumpserit, gladio peribit. Et, Qui Magistratui resistit, ordinationi diuinæ resistit. Cum autem

omnibus ijs, quibus pietas & sacræ literæ cordi sunt, incumbat, vt assidua lectione Bibliacas historias sibi reddant quam familiarissimas, hinc ad ipsa Biblia pium Lectorem remittimus, breuiter ex historijs tum prophanis tum Ecclesiasticis exempla quædam subiuncturi.

Seditio sub Claudio.

Cum Claudius Imperium administraret, talis Hierosolymis seditio & perturbatio in die festo Paschatis subito exorta est, vt in foribus templi ex constipatione populi, triginta millia Iudæorum interierint, & conuersus est dies festus eorum in luctum. Euseb. lib. 2. cap. 18.

Seditio sub Traiano.

Sub Traiano crudelissimæ Iudæorum seditiones Cyrenen, Cyprum & Ægyptum infestarunt, vbi quadraginta millia hominum tanta immanitate trucidarũt Iudæi, vt carnes interfectorum comederint, & cruore eorũ facies suas pinxerint. Quæ seditiones mortuo Traiano, Adrianum excepe-runt. Dux seditiosorum tribuit sibi titulum Messiæ. Et vt alluderet ad vaticiniũ: Orietur stella ex Iacob, nominatus est Ben Cochab, id est, filius stellæ. Hic annos aliquot in ipsa Iudæa tenuit quinquaginta castella, & nonce ea tum Romanis, tum vicinis gentibus incommodauit, donec ab Adriano post obsidionem trium annorum, & sex mensiũ, oppido vi capto, Dux seditionis interfectus est, quem nominarunt post ea Iudæi Bencozba, id est, filium mendacij. Numerus interfectorum scribitur fuisse quinquies C. millia hominum. Alij qui pestilentia & fame perierunt, non potuerunt numerari. Euseb. lib. 4. cap. 7. &c.

Quam grauiter Romana Respubl. seditionibus frequenter a seditiosis ciuibus moris concussa sit, multæ testantur historiæ, quarum in quarto Præcepto non paucæ expositæ sunt, passimq; plures in Liuij Romana historia reperiuntur.

Roma seditio orta propter nexus.

Mota seditione, propter nexus ob æs alienum, plebs in sacrum montem secesserat. Cumq; omnia seditionibus feruerent, placuit oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam facundum virũ, is intromissus in castra, prisco illo & horrido dicendi modo, nihil aliud quam hoc narrasse fertur: Tempore, quo in homine, nõ vt nunc, omnia in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuiq; consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferret, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem domare vellent, ipsa vna membra, totumq; corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, vẽtris quoque haud segne ministerium esse, nec magis alĩ, quam alere eum reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, vigemusque diuisum, pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum. Liuius lib. 2.

Catilinã seditiosorum Princeps.

Catilina seditiosorum apud Romanos Princeps, Senatum consulesq; trucidare, distinguere incendijs vrbem, diripere ærarium, totam denique Rempublicam funditus tollere aggressus est. Verum proditis eius conationis in carcere strangulantur. Ipse Catilina infestis ab Hetruria signis, patriam petens, obuio Antonij exercitu, opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit: quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadauera repertus est, pulcherrima morte si pro patria sic concidisset.

Seditio in Imperio Romano.

Post obitum Neronis, motis hinc inde seditionibus Imperatores a diuersis factionibus diuersi creati sunt: Galba, Otho, & Vitellius.

Galba cum omnes auaritia, sæuitia, segnitiaque offenderet vna cum Pisone, quem in filium atque in regnum adoptarat, septimo mense Imperij sui ab Othone iugulatus est. Otho a Vitellianis victus mense tertio imperij sui seipsum interfecit. Vitellius victor Romam venit: vbi cum multa crudeliter ac nequiter ageret, Vespasiani (quem ab exercitu in Syria imperatorem creatum esse audierat) fratrem Sabinum nihil mali tum suspicantem, cum cæteris Flauianis in Capitolium compulit, succensoque templo, & mixta simul flamma ruinaque omnes in vnum pariter interitum ac tumulum dedit. Post deficiente in Vespasiani nomen exercitu suo destitutus, appropinquantibus iam hostibus trepidus, cum se in quandam proximam palatio cellulam contrusisset, turpissime inde protractus, cum per viam sacram nudus duceretur, passim cunctis fimum in os eius coniectantibus in forum deductus, VIII. quam regnum præsumpserat mense, apud Gemonias scalas minutissimorum ictuum crebris compunctionibus excarnificatus, atque inde vnco tractus, & in Tyberim mersus, etiam communi caruit sepultura.

Sub Valeriano & Galieno funestis seditionibus imperium concussum est. Triginta eius temporis numerantur Duces, qui a suis exercitibus facti sunt Imperatores, qui partim inter sese dimicarunt, partim a suis militibus interfecti sunt. Hæc laniena ducum vires Imperij duriter afflixit, & gubernationem vbique turbauit.

SEDITIONES IN ECCLESIA.

VArijs etiam dissidijs & seditionibus Ecclesiam turbare Satanas nunquam non conatus est. Quantorum malorum in Ecclesia author extiterit Arrius, Nestorius, alijque innumerabiles, qui nouis & blasphemis in filium Dei dogmatibus vineam Christi deuastarunt, nemini non est notissimum. Arrij blasphemia multis concilijs damnata subinde repullulauit, grauissimaque seditionum & persecutionum mouit incendia. Ipse Arrius subita cōsternatione oppressus, intestina in latrina sedens effudit.

Nestorius Ephesino damnatus Concilio, in loca barbarica infra Thebas Ægyptias relegatus est, vbi in exilio scribitur mortuus esse lingua consumpta a vermibus. Existimo ipsum phthiriasi extinctum esse.

Ante Nestorij certamen accidit Constantinopoli in templo tragicum exemplum, quod tunc quoque multi dixerunt signum esse futuri dissidij. Confugerant in templum aliquot serui, quibus Dominus eorum atrocia minatus erat. Cumque iuberentur egredi, gladijs repellebant homines. Tandem & interfecto Sacerdote, & alio vulnerato, seipsos ibi interfecerunt. Ea de re citati sunt versus digni memoria:

Σημεῖα γὰρ τοιαῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ,
Ὅταν τὶς ναοῖς ἐγκατασκήψῃ μῖσος. Chron. Philip. lib 3.

Huc refer quæ supra de Hæreticis in primo Præcepto sunt exposita.

Seditio sub Conrado primo.

Conrado eius nominis primo, Imperatori opponebant se Lotharingiæ & Bauariæ Duces, cumque propterea funestis seditionibus & bellis Germania implicaretur, Imperator anno Christi noningētesimo, decimosexto, Imperij conuentu habito hostes suos proscripsit, mox Arnolphum Bauaria pepulit, qui postea Imperatore mortuo sua repetiuit. Fratres duos Giselberti Ducis Lotharingiæ, Eringerum, & Bertoldum bello captos securi percussit.

Rodolphus collocatus in Imperium, inauguratione solenni totus in

hanc

hanc curam incubuit, vt latrocinijs, seditionibus, tumultibus, bellis, quibus ardebat Germania, vbique locorum sublatis, patriæ pacem redderet, ac tranquillitatem. Quindecim Sueuici Comites facta conspiratione, Imperatori rebellabant, inter quos præcipui erant, Comes a Montfort, Helffenstein/ Wirtenbergk/ & Tockenspurgk. Quos omnes ille victos, Imperio Tributarios reddidit.

Rodolphus Imperator.

Sub Pontifice Martino eius nominis quarto, & Carolo Siciliæ Rege, Siculi Gallorum superbiam ac libidinem exosi, in eorum necem conspirant, data die ad rem conficiendam, vt cum primum vesperi campana audita fuerit, vbiq; Galli nullo sexus discrimine habito cęderentur. Qua in re adeo sæuitum est, vt etiam mulieres Gallico compressu prægnantes cæsæ dicantur. Anno 1282.

Anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo octauo, post mortem Rodolphi Imperij administrationem suscepit Adolphus Nassauiensis. multis autem aduersus eum tumultuantibus, tandem ab Alberto Austriaco ad Spiram acie dimicans interficitur. Verum omnes vicissim, qui aduersus Imperatorem coniurarant, tristi & cruenta morte perierunt.

Anno 1310. Venetorum Respub. graui seditione conflictata est. Verum auctoribus seditionis oppressis, ijsque partim eiectis, partim capitali affectis supplicio, tumultus sedati sunt.

Anno 1335. sub Iohanne Rege Gallorum, Philippi Valesij filio, Arelatenses propter tributa pendenda mouerunt seditionem, quam ob causam centum ex ciuibus capti, partim decollati sunt, partim ad perpetuos damnati carceres.

Seditio apud Venetos.

Anno millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo sexto, Austriaci quidam milites inita conspiratione, qua firmissimam sibi inuicem fidem pollicebantur, rapinis & latrocinijs multis passim magnam inferebant cladem, occupatisque oppidis aliquot omnium se hominum profitebantur hostes. Hęc ipsorum conspiratio decem annis durauit. Oppressi virtute Imperatoris Friderici, sero delictorum petebant veniam. Partim enim in acie trucidati sunt, partim in flumina præcipitati, partim etiam laqueo necati. Vocarunt latronum istorum exercitum Nigrum, cuius partem multo maximam Albertus frater Imperatoris antea sustulerat.

Austriaci milites seditiosi.

Plebs Viennensis mota seditione aduersus Senatum, eo quod Imperatoris partibus esset addictus, ipsum Imperatorem Fridericum, qui tum Viennæ morabatur, in arcē cum vxore & liberis fugere compulit, vbi cum per decē dies obsessus, nec panis nec vini haberet copiā, a Rege Bohemorum obsidione liberatus est, certæq; pacis conditiones initæ. Anno 1462.

Viennenses seditiosi aduersus Imperatorem.

Nicolaus V. ad Pontificatum Eugenio defuncto susceptus, Stephanum Porcarium, Equitem Romanū, pro vrbis libertate tumultuantem, ad muros ex Hadriani mole, seu arce S. Angeli, Papali charitate suspendit.

Anno millesimo, quadringentesimo, decimo sexto, post damnatum & combustum in Constantiensi Concilio Iohannem Huss, grauissimæ seditiones a Bohemis iniustam necem Martyris gladio vindicaturis excitatæ sunt, Iohanne Zisca Hussitarum Capitaneo vi armorum strenue aduersarios insectante, monasteria & templa passim diruente, Monachis, qui veluti sues in claustris saginarentur, eiectis. De victorijs multiplicibus Ziscæ eiusque morte, de interitu Hussitarum, vide Æneam Syluium in historia Bohemica.

Pindarus: Ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ φαυλοτέροις· ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἔσσαι, δυσσαλὲς δὴ γίνεται ἐξαπίνης· εἰ μὴ θεὸς ἡγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένηται. Pythiorum hymno 4. Id est:

Facile est vrbem mouere, etiam deterioribus: At pristino statui eā e ve-

stigio restituere, hoc opus hic labor est, nisi ipse Deus etiam ductoribus gubernator factus fuerit.

Seditio rusticorum.

Anno supra sesquimillesimum vicesimo quinto, magnam Europę partem horrenda seditio peruagata est, passim in pagis, oppidis, & ciuitatibus plebe & ciuibus aduersus Magistratu ciuilem & Ecclesiasticum insurgentibus. In quibus tumultibus multæ arces munitissimæ, monasteria complura, pagi, oppida, castella diruta, & in fauillas redacta sunt. Passim videre erat, sacri ordinis homines misere iugulari, viros nobiles ex ędibus præcipitari, alios laqueo străgulari, aut alio quouis modo crudeliter interfici. Hæc seditio immanis aliquandiu ex permissu Dei, Magistratui in officio minus strenuo interminantis, sæuijt, donec tandem mutata fortuna agminatim hinc inde trucidarentur rustici, comburerentur, vel ad prunas assarentur, alijsq; suppliciorum generibus e medio tollerentur. Nec dubium est, vel centum rusticorum millia per Germaniam in isto tumultu passim interijsse.

CLADES ALIQVOT MEMORABILES IN QVIBVS ingens sanguinis humani facta est profusio.

ABias, Iudęorum Rex, bellans in Hieroboă, Regem Israelitarum quinquaginta millia ex eius exercitu deleuit. Ioseph. lib. 8.

Phaceas Rex vno die deleuit ex copijs Achazi, Iudęorũ Regis, post Ioathamum CXX. millia bellatorum, & ducenta vtriusque sexus millia captiua duxit.

In bello Benadab, Syriæ Regis, contra Achabum, Israelitarum Regem perierunt ferme hominum centum millia.

Gedeon nocte vna apud Iordanem centum & viginti millia Madianitarum interfecit.

Cyrus, Persarum Rex, traiecto Araxe cum ducentis millibus in Scythas profectus, tam infœliciter bellauit, vt ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit.

Bellum inter Darium & Alexandrum Magnum.

Paulus Orosius de Alexandri & Darij cõflictu scribens, Tribus, inquit, prælijs, totidemq; annis, quinquies decies centena millia peditum equitumque consumpta sunt: & hęc quidem ex eo regno, illisq; populis, vnde iam ante annos non multo plures decies nouies centena millia profligata referuntur.

Carthaginis excidium.

Vrbs antiqua Carthago, cum grauissima & diuturna aduersus Romanos gessisset bella, tandem a Scipione expugnata est, & in fauillas redacta, interfectis viginti quinque millibus mulierum, & virorum viginti tribus millibus, captis vero quadraginta millibus virorum, qui se duce Hasdrubale dediderunt. Eius vero vxor dira marito imprecata, se cum paruis filijs in medium ignem præcipitauit. Postea & ipse Asdrubal sibi mortem consciuit.

Hasdrubalis vxor.

M. Curius Romanus Consul & Imperator, tertio aduersus Epirotas bello, Pyrrhum Regem vicit, trucidatis in exercitu eius triginta tribus millibus virorum, captis mille trecentis.

M. Attilius Regulus, Imperator Romanus, primi belli Punici gloria cladesq; maxima, Asdrubale & Amilcare acie victis trucidauit octodecim millia Pœnorum. Idem naues longas LXIII. oppida CC. ac totidem hominum millia cepit. Portentosæ quoque magnitudinis serpentem centum viginti pedum longitudine iuxta flumen Bagradam magno cum periculo & labore militum occidit, corium serpentis Romam deuectum aliquandiu cunctis miraculo fuit.

L. Metellus, victo in Sicilia Asdrubale, viginti Pœnorũ millia trucidauit.

Au no

Anno ab vrbe condita DCXXVIII. Fabius Consul Bituito Regi Aruernorum Galliæ ciuitatis bellum maximo instructu comparanti, adeo cum paruo exercitu occurrit, vt Bituitus paucitatē Romanorū vix ad escā cani bus, quos in agmine habebat, sufficere posse iactaret. Qui cū sibi ad trāsferendas copias, vnum pontem Rhodani fluminis parum esse intelligeret, alium compactis lintribus, catenisque connexum, superstratis confixisque tabulis instruxit. Conserta pugna, & diu grauitet agitata, victi Galli: Conuersique in fugam, dum quisque sibi timet, coaceruatis inconsultò agminibus & præpropero transitu potis vincula ruperunt, ac mox cum iplis lintribus mersi sunt. Centum octoginta millia armatorum in exercitu Bituiti fuisse traduntur, ex quibus centū quinquaginta millia vel cæsa vel mersa sunt. *Clades Gallorum.*

Anno ab vrbe condita DCXLII. Manlius Consul & Q. Cæpio procon sul infœliciter aduersus Gallos & Cimbros pugnant. Octoginta siquidē millia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta millia calonum atque lixarum interfecta. Cum igitur maximus tunc Romæ non solum luctus, verum etiam metus esset, ne confestim Cimbri Alpes transgrederentur: Marius quartum consul eos adortus magno prælio fudit. Ducenta millia hostium trucidata sunt. XC. M. capta, vix III. M. fugisse referūtur. Sublatis Teutonib. & Ambronibus in Cimbros Marius conuertitur, qui integris copijs Alpium niues emensi, Italiæ plana pernarant, quorum tunc centum quadraginta millia cæsa, LX. millia capta dicuntur. Quo in prælio immanis quoque fuit mulierum ferocia, quæ obiectis vndique plaustris & carpentis, altre desuper, quasi e turribus, lanceis contisque pugnabant, & ne in manus hostium peruenirent, suffocatis, eli sisque infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo e crinibus suis facto, ab arboribus ingisque plaustrorum pependerunt. Paul. Oros. lib. 5. Chron. Philip. lib. 2. *Romanorum clades.* *Gallorum Cimbrorumque clades.*

Anno ab vrbe condita DCLIX. sociale bellum totam commouit Italiam, sociali statim successit ciuile Sylianum. Hęc per annos decem tracta, plus quam centum quinquaginta millia Romanorum consumpserunt. Præterea viros consulares viginti quatuor, prætorios sex, ædilitios sexaginta, Senatores fere ducentos, absque innumeris totius Italiæ populis, qui passim sine consideratione deleti sunt. *Bellum sociale, & Sylanum.*

C. Cæsar Dictator prædicare solitus dicitur, vndecies centum, & nonaginta millia, præter eos, qui ciuilibus bellis perijssent, suo ductu & auspicijs cæsa. *Clades hominum sub Cæsare Iulio.*

In vrbis Hierosolymitanæ excidio vndecies centena millia cæsa esse autor est Iosephus.

Taurus Octauij præfectus, totam pene Siciliam ferro pertentatam in fidem receperat. Quadraginta quatuor legiones sub vnius tunc Imperio Cæsaris erant: vnde milites multitudine feroces, quosdam pro accipiendis agris tumultus excitauerant. Sed Cæsar animo ingens, viginti millia militum exauctorauit, triginta millia seruorū dominis restituit, sex millia, quorum Domini non extabant, in crucem egit. *Legiones Augusti Cæsaris.*

Attila Hunnorum Rex maximarum in cætera Europa rerum potitus, omnibus collectis copijs bellū in occidentem transfert, Germaniam cum Gallijs miserrime diripiens. Cumq; post vastatam fere omnem Galliam, Aurelianos obsideret: aduersus eum Aëtius patritius Romanus, & Theodoricus Vesegotorum Rex exercitum ducunt. Conuenere hostiles exercitus in Campis dictis Catalaunicis. Vbi conserta pugna ab vtraque parte C. & LXXX. M. hominum bellatorum cæsa referuntur. Vicere Romani, fugato Attila, qui reuersus in Pannoniam, nouis domi celebratis *Attila tyrannus.*

ruptijs, ex crapula sanguinem fundens, rebus humanis excessit, & humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus attulit.

Abdiramus Saracenorū Rex. Carolus Martellus.

Non minore vsi sæuitia Gothi & Vandali, Germaniam, Italiam, & Galliam deuastarunt. Post eos quoque Saraceni, quorum Rex Abdiramus, qui & Muca vocabatur, cum iam per decennium Hispaniam possedisset, superatis montibus, sæuissimam, per Vasconiam & Aquitaniam exercuit tyrannidem, nullo vel ætatis vel sexus habito discrimine. Occurrens illi apud Turonenses Carolus Martellus, auus Caroli Magni, tanta strage Saracenos protriuit, vt scribantur occubuisse trecenta septuaginta quinque millia, cum ex parte Christi fidelium mille duntaxat & quingenti occubuissent.

Saracenorū clades Hierosolymis.

Anno millesimo, trecentesimo, quadragesimo, Saracenorum CC. M. ab Hispanis in Granatæ regno sunt occisi. Rursus anno sequenti XXX. M. equitum, L. M. peditum Saracenorum ab ijsdem cæsa.

Sub Henrico Quarto, cum vno anno Hierusalem bis capta esset, primo a Saracenis, deinde a Francis, qui Saracenos eiecerunt: Tanta in posteriore bello Saracenorum strages facta est, vt victores in porticu, quæ dicitur Salomonis, & in templo eius in Sanguine Saracenorum vsq; ad equorum genua equitarent. Sigeber. in Chron.

Paganorum clades ingens.

Franci qui Hierosolyma occuparant, cum Babyloniorum Regem cum innumeris paganorum copijs exitium vrbi minari, ipsumq; omnes captiuos abducturum certo resciuissent, vltro hostibus, qui Ascalone erant, obuiam contenderunt, relictis sarcinis & infirmis Hierosolymis cum præsidio. Cumq; hostium exercitum conspexissent innumerabilem, flexis genibus Deum inuocarunt, vt is fractis hostium viribus Ecclesiam suam protegere & dilatare vellet. Nec mora Deus clamantibus adfuit, tantasque vires ijs subministrauit, vt licet quinque tantum millia equitum, peditum vero quindecim millia in eorum exercitu essent, non dubitarint innumeras hostium copias vltro ad prælium lacessere. Erant autem in hostili exercitu centum millia equitum, & CCCC. millia peditum. Cui tantæ multitudini tantum terrorem immisit Deus, vt abiectis armis vltro fugeret. Ceciderunt ibi plus quam centum millia Maurorum, gladio, in porta ciuitatis ad duo millia contriti sunt. Eorum qui in mari interierunt, non est numerus. Abb. Vrsperg.

Albigenses.

Anno supra millesimum ducentesimum duodecimo, Albiani vel Albigenses hæretici in comitatu Tolosano exorti, fœdere inito cum Afrorum Rege Memelio, vniuersam Europam vi armorum subiugare aggressi sunt. Verum primo conflictu Christiani sexaginta virorum millia in exercitu eorum trucidarunt, qua clade accepta abiectis & armis & animis, fuga sibi consulere coacti sunt, Rex Memelius trepide Siciliam petijt, ex Albigensibus qui reliqui erant, adeo non ausi sunt Christiano exercitui resistere, vt eorum centum millia ab octo millibus cæsa esse referantur.

Clades hominum sub Tamerlane.

Tamerlanes expugnata Sebastia in Cappadocia filium Baiazetis cepit, & paulo post interemit. In captiuos sæuitiam exercuit tantam, vt omnem promiscue multitudinem, quam affirmāt pene numerum duodecim myriadum æquasse, equis conculcandam obiecerit. Mox cum ipso Baiazete prope Stellam montem, vbi olim cum Mithridate Pompeius pugnauerat, conflixit, eumque victum & captum, cæsis in exercitu eius centū quadraginta millibus hominum, aureis catenis ligauit, atque in ferream caueam intrusum, per totam Asiam & Syriam circumduxit, donec tandem ipsi miseriarum finem mors attulit, Tamerlanem in exercitu suo duodecies centena millia hominum armatorum habuisse ferunt.

Anno sexto decimo supra millesimum quingentesimum, Selymus Turcarum tyrannus graui prælio Mamalucorum in Ægypto Soldanum Cam-

psonem vicit, anno sequenti Tomumbeium Campsonis successorem, finemq; Soldanorum regno imposuit: Cæsa feruntur in isto prælio ex vtraque parte centum viginti millia virorum.

Anno decimo supra millesimum quadringentesimum, dimicatū fuit cruento admodum prælio inter fratres Teutonicos, & Polonos, quibus iuncti erant Lithuani & Tartari. Ex parte Teutonicorum quadraginta & vnum millia virorum occubuere, ex Tartarorum vero centum quadraginta & vnum millia. Victoria fuit penes Polonos.

Clades Teutonicorum fratrum & Tartarorū. Moguntiæ clades.

Anno sexagesimo tertio supra millesimum quadringentesimum, Moguntia perpessa est cladem, eo quod Episcopo Diterico Isebergio deiecto in locum eius cooptassent Pontifex Adolphum Nassaensem. Ludouicus enim Bauarus cognomento Niger, noctu clam admotis scalis mœnia conscendit, deinde circiter mille milites qui stramine cooperti clam vrbem inuecti erant, subito erumpentes igne & ferro formidabiles, ciues vt traditis armis Sacramento se Duci obstringerent, compulerūt. Et in Iudæos & Sacrificulos grassati omnes, nisi qui fuga elapsi salutem quæsiuissent, trucidarunt.

Ludouicus Bauarus Moguntiam occupat.

Anno millesimo centesimo quadragesimo septimo, Conradus Imperator eius nominis III. expeditione in Asiam suscepta validissimū exercitum aduersus Saracenos in Orientē duxit. Sed magna in itinere perpessus clades, infœliciter tentata oppugnatione Damasci & Ascalonis, domum re infecta redijt, postquam amisisset omnem exercitum, partim alieni atque insueti cœli iniurijs, partim itinerum difficultatibus, & commeatus penuria absumptum.

Imperatoris Conradi infœlix expeditio aduersus Saracenos.

Quot & quantas clades Christiana Respub. sæpissime acceperit, infœliciter aduersus Turcas aliosque Christiani nominis hostes pugnans, ordine recensere immensi fuerit laboris. In arctum sane Christianorum coguntur copiæ, omnesq; Imperatorum & Ducum in opprimendis hostib. conatus infelices sunt & irriti. vtitur Deus Turcarum viribus vt flagello, quo ingratitudinē & contemptum verbi sui in impio & peruerso hoc mūdo punit. Verendum certe, ne eadem sæuitia tandem Germaniæ cæterisque Europæ regnis sua blasphemia verbum Christi contaminantibus, fidemque quam ore profitentur, vita & moribus negantibus, ingruant Turcæ, qua olim Assyrij Iudæis & Israelitis. Quandiu enim contemptus verbi diuini in hoc mundo non tollitur, non solum nulla pœnarum mitigatio expectanda, sed earundem maior indies axasperatio metuenda est.

TVRCARVM ADVERSVS CHRIstianos victoria.

Basazetes. Sigismundi Imperatoris calamitas.

Anno 1395. infœliciter aduersus Baiazetem Turcarum tyrannum Sigismundus Imperator pugnauit. Galli enim primi agminis decus deposcentes, cum inuitis & frustra retentantibus Ducibus in primos hostiū antecursores impetum facerent, antequam Germanorum phalanges, & Hungari, Boëmique equites appropinquarent, a Baiazete lunata acie circumuenti, partim cæsi, partim capti sunt. Hoc infœlici Gallorum casu territi cæteri maxima cū trepidatione diffugerunt. Sigismundus exutus castris, & omnibus spoliatus ornamentis vix euasit ex hostium manibus.

Anno deinde millesimo, quadringentesimo nono, non clementiore fortuna cum Celebino Baiazetis filio, quam antea cum patre dimicauit, ad Columbacium Seruianorum oppidum, Triballis vicinum, iuxta Seamandriam, non procul a Danubij ripis.

Amurathes.

Anno 1444. Amurathe Secundo eius nominis Vngariam vastante, magna clade ad Varnam Christiani affecti sunt. Certatum est totos dies noctesque tres, diu fortuna ancipiti, sed tanto animorum ardore vtrinque, tantoque impetu, vt cæsorum sanguine campi stagnarint, & licet victoria tandem ad Christianos inclinare videretur, ex Pontificiorum tamen antistitum temeritate, inconsulto ex statione sua hostem fugientem insequentium, & victoria, & vita Regis Vladislai Turcis proditur. Cæsa feruntur in prælio ex parte Christianorum triginta millia, Turcarum vero quadraginta millia. Pars copiarum, cui belli fortuna pepercerat, fuga quidem ex hostium manibus erepta est, sed partim paludibus ac lacubus absorpta, partim fame, frigore, vigilijs enecta, in syluis miserabiliter interijt. Pontificiorum & Genuensium perfidia in hoc bello ingens fuit. Iulianus Cardinalis ex Pontificis autoritate belli huius funesti suasor fuit. Amurathes autem Asiaticas copias transmiserat in Europam, qua fretum arctissimum est ad Calliopolim, classe Italica seu flagitiosa timiditate, seu scelerata perfidia spectante. Transportarũt autem copias Genuensium naues, quibus Franciscus Condelmarius, Christianorum hac in re proditor, præerat, quibus de singulis capitibus singulos aureos nummos solutos esse perhibent, scilicet, vt quadam quasi euentuum conspiratione, in hoc etiam tam acerbo ac funesto casu palam fieret, quæ sit & fuerit satellitij Pontificij in periculis Christianæ Reipub. & quidem Pontificum arte commotis atque accersitis constantia, magnanimitas, ac fortitudo, & quæ Ligurum fides. s. Chron. Philip.

Pontificiorũ perfidia.

Præfectus classis Genuensis Christianorum proditor.

Dimicatum fuit quarto Iduum Nouembris, anno supra posito. Antistites in turpi fuga, turpi interitu pœnas dederunt perfidiæ stolidæq; audaciæ, nimirum cœno in paludibus suffocati. Iulianus Cardinalis nudus repertus est in via, sed multis vulneribus saucius iudicatus est a suis fuisse iugulatus. Genuensis ille classis præfectus ditatus pecunia ea, quam pro transuectione Turcarum acceperat, ad mercaturam animum adiecit, sed cum omnibus suis mercibus, orta tempestate, in mari perijt.

CONSTANTINOPOLIS EXPVGNATA.

COnstantinopolis olim Imperij Orientis Caput a Mahomete secundo eius nominis Turcarum Imperatore post obsidionem dierũ quatuor, & quinquaginta, quarto Calend. Iunij, id est, die Maij vicesimonono, anno Christi millesimo, quadringentesimo quinquagesimo tertio expugnata est. Obsidionem tradunt inchoatam esse nonis Aprilis, & intra mœnia præter vrbanam multitudinem tantum fuisse sex millia Græcorum militum, & auxiliariorum Venetorum & Genuensium tria millia. Contra Mahometes adduxerat quadringenta millia hominum, qua multitudine fretus terra mariq; quassatis ac prostratis muris, cum cæsis & languore cõfectis noui semper viribus integris milites succederent, summa vi vrbem tandem occupauit, finemq; Romanorum Imperio in Oriente attulit. Imperator Constantinus Pelæologus cum multis alijs quibus spes vita in fuga erat, si ex vrbe effugissent, in ipsa porta vel trucidatus, vel collisione multitudinis cõculcatus est. Nã in porta octingẽta cadauera reperta sunt. Victores Turcæ grassati per vrbem, & obuios quosq; & abditos in ædibus senes, matronas, virgines, puberes & impuberes crudelissime trucidarunt. Raptæ sunt matronæ nobiles & virgines ad stupra: quæsita est præda in omnium ædibus, & templis, quam Mahometes, si vrbs caperetur, militib. tribuerat. In templis picturæ Christi contumelijs affectæ, & omnia in vrbe toto triduo scelera commissa sunt, quæ gens barbarica, impia, libidinosa, obscœna, auara, & crudelis in capta vrbe Regia, opulenta & ornatissima

audere

audere potuit. Post triduum Mahometes vrbem ingressus, tumultus seda uit, & inquisitos Proceres aliquot, qui adhuc reliqui erant, dissecari iussit. Narrant & in conuiuijs Turcicis honestas matronas & virgines etiam ex Regia familia, post alias contumelias, per ludum in frusta concisas esse. Talem cum vrbium omnium Regina in toto genere humano experta sit sæuitiam obscœnissimorum & crudelissimorum latronum exemplo moueamur, vt cogitemus de pœnis, quæ alijs gentibus & vrbibus impendent, ac metuentes iudicium Dei, excitemus nos ad veram Dei inuocationē, ac petamus assiduis gemitibus, vt Deus propter filium & seruet inter nos Ecclesiam, & mitiget pœnas, Chron. Philip. lib. 5.

Clades Hungarorum.

Anno supra millesimum, quadringentesimum, quadragesimo octauo, Hungari collecto exercitu sexaginta millium virorum Turcas adoriūtur, & primo quidem die secundo sunt vsi prælio, sed altero, mutata fortuna cæsi sunt, trucidatis in exercitu eorum quinquaginta millibus virorum, Turcarum vero octuaginta millibus. Sebast. Franc.

Mahometes Ottomānus. Hidruntis clades & eius seria.

Anno 1480. Mahometes Ottomannus frustra Rhodiorum tentata expugnatione, subito incursu Hidruntem in Apuliæ & Calabriæ finibus oppressit, extremamq; in ciuitate crudelitatem exercens, Episcopo immanibus tormentis confecto cutem detrahi, Sacerdotes equis alligatos discerpi, & quoslibet obuios trucidari iussit, qui integræ essent ætatis viros in crudelem captiuitatem arreptos abduxit, matronas virginesq; barbarica libidine ad stupra rapuit, nec vllum atrocissimæ crudelitatis genus intermisit. Chron. Hed. 4. parte.

Modonæ, quæ olim Methona, calamitas, ciuium & fortitudo insignis.

Anno sesquimillesimo, Turca obsidione arctissima Modonam Peloponnesi littoralem ciuitatem cinxit. Cumque sæuienti eius violentiæ ciues resistere non possent, seipsos Domino holocaustum offerre maluerūt, quam viui in hostium manus peruenire, ideoq; incensis ædibus tam viri quam fœminæ vna cum pueris se ipsos cremarunt. Quædam etiam mulieres, vna cum pueris in mare se dabant præcipites, vt hoc pacto hostilem effugerent captiuitatem. Munst. lib. 4. Cosmograph.

SOLYMANNVS.

Solymanni sæuitia & victoria.

ANno 1521. Solymannus Belgradum totius Hungariæ propugnaculū expugnat. Qua victoria elatus tyrannus quadringentis nauibus & duocentis Turcarum millibus instructus Rhodum insulam occupat cum maxima quidem sua gloria, sed summo omnium Christianorum vituperio.

Rex Ludouicus.

Tantis elatus successibus Solymannus anno supra sesquimillesimum, vicesimo sexto, cum formidabili exercitu, in quo ducenta virorum millia ducebat, Pannoniam aggreditur, consertoque prælio ad Mogacium, inter Budam ac Belgradum regem Ludouicum iuuenem, & auxilijs omnibus destitutum in fugam vertit, multis illustribus viris trucidatis (nec enim vltra viginti quatuor virorum millia in exercitu erant Hungarico) Rex in fuga cum in equo vasto, ipseq; grauibus armis onustus, ad non magnum amnē veniisset vno modo comitatus, qui ante eum, vt postea narrasse fertur in vlteriorem ripam euaserat, transiturus & ipse, præcipitato equo, in aqua & limo suffocatur. Corpus exanimum postea ibi repertum, cum magno ciuium luctu in Alba regali sepulturæ mandatum est, Solymannus victoria metuendus & ferox, derisa hostium temeritate & imprudentia, vsusque fortunæ prosperitate, Albam regalem octauo Septembris occupat, omnia ferro & igni deuastans, crudeliter ciuium corporibus dissectis. Hinc recta Budam contendit, vrbeq; & arce per deditionem occupata, contra datam fidem, in omnes cuiuscunque essent ætatis vel sexus, ferro crudeliter grassatur, nemineq; furori eius resistente per totam Hun-

gariam; barbaricam exercet sæuitiam. Matronas & virgines turpiter ad stupra rapiebant, quibus promiscua libidine lassatis capita tandem humeris auulserunt. Peucini (vulgo Quinqueecclesienses) per duo milliaria tyranno obuiam egressi, clementiam eius supplices implorarunt, veniamque rogãtes vltro ciuitatis claues obtulere. Tyrannus promissa venia & securitate vrbem ingreditur pacificus. Verum tertio die ciues omnes in forũ conuocatos immissis perfide militibus trucidauit, & citra omnem misericordiam in frusta minuta eorum corpora dissecuit.

Fünfkirchẽ

Immãu perfidia tyrani Turcici.

Anno 1529. cum Ferdinandus Rex ciuitates Hungariæ à Turcis occupatas plerasque recepisset, Turca cum validis exercitibus Hungariam rursus ingressus, omnia denuo expugnat, expugnataque arce Budensi, ciuibusq; trucidatis castra mouit in Austriam, & Viennam vrbem celebrem graui obsidione adortus est. Fama est cum ducenta quinquaginta armatorum millia sub signis habuisse. Vicies magno cũ impetu muros subijt, vicies a mœnibus magna virtute repulsus. Tandem spe abiecta potiundæ vrbis, sexaginta virorũ millibus, & amplius in oppugnatione amissis, cum magno dedecore, ad Idus Octobris exercitum abduxit.

Turca Viennã obsidet.

Hæc & similia de Turcarum sæuitia & impietate animo voluentes, nos ipsos ad inuocationem Dei suscitabimus, ardentibus votis petentes, vt nos Deus aduersus crudelissimi hostis immanitatem tueatur, & tutum inter nos Ecclesiæ suæ hospitium largiri dignetur, modestius etiam viuemus, communemq; concordiam fouebimus, ne diffidentia, ambitione, cupiditate vindictæ aut pleonexia turbemus tranquillitatẽ communẽ, diuulsisque nobis & laniena mutua vel præconsumptis vel attritis accidat, quod euenit genti Græcæ. Chrno. Philip. lib. 5.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo primo, Tartari magnam aduersus Christianos in Polonia & Hungaria tyrannidem exercentes, hoc nefando strategemate victores euasere. Vexillifer in Tartarorum exercitu hastæ infixum caput atro colore prominenteque barba formidabile portabat: qui cum hastam vna cum vexillo & capite concuteret, venenatus inde fœtor hostes infestabat, quo tum Poloni, tum reliqui Christiani nominis milites protinus ad languorem dati exanimes concidere, magnaque strage fusi Tartaris ingentem, sed parum honestam dedere victoriam. Hunc ad modũ parta victoria, Tartari strata per campos cadauera spoliarunt, & vt certum haberent cæsorum numerum, singulis aurem abscidere. Impleuerunt autem abscissis auribus nouem saccos vel modios. Sebastian. Franc. Vide plura de Tartaris, libro quinto, Chronic. Philippi.

Tartarorũ victoria parum honeste parta.

Magnitudo cladis ex auribus abscissis indicata.

Hannibal secundo bello Punico, post Cannense prælium, vt magnitudinem cladis, qua Romanorum vires attriuerat, Carthaginensibus ostẽderet, effundi in vestibulo curiæ iussit annulos aureos Romanis equitibus detractos, qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidiũ super tres modios explesse, sint quidã autores. Fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Liuius lib. 23.

Anno supra millesimum, quingentesimum, septimo decimo, in Marchia Vandalorum rustici mota seditione aduersus nobiles & Prælatos, à quibus intolerabilib. premebantur exactionibus, insurrexere. Ferunt circiter nonaginta rusticorum millia conuenisse, qui in arces & ædificia Nobilium impressione facta, omnia demoliebantur, & solo æquabant, ipsos Nobiles, quoscunq; apprehenderent, varijs tormentis affectos, capitibus tandem truncabant, capita hastis infixa, vt victoriæ & crudelitatis signa circumgestabant. Ad hanc rusticorum sæuitiam Imperator Maximilianus primum nonnihil conniuebat, eo quod Nobiles iniustis exactionibus Cæsareæ Maiestatis mandatum prætexuissent. Verum vbi plebs insana pro

Rusticorũ seditio in Marchia Vandalorum.

more

more suo nullum furori modum faceret, & passim etiã in insontes grassaretur, Imperator octingentos tantum milites, ex eorum grege, qui vitam & mortẽ iuxta æstimantes, & famam & vitam lucro venalem habent, additis aliquot equitum turmis, ad compescendam Rusticorum insaniam mittit. Milites isti cum oppidulum quoddam occupassent, Rustici protinus instar locustarum cateruatim aduolant, tantisque densantur agminibus, vt milites veriti, ne circum oppidum coaceruatis lignis & arboribus oppidum totum flammis consumerent, ex desperatione potius, quam aliqua spe victoriæ portis egressi in hostile agmen se coniecerunt: Ibi diuinitus seditiosos tantos incessit terror, vt sine ordine velut timidi lepores, aut trepidantium ouium greges hinc inde dispergerentur: Milites propere insequentes trucidando & confodiendo inermẽ turbam fatigabantur. Qui fuga euaserant, ij deinde comprehensi partim viui dissecabantur, partim verubus infixi, vel de arborib. turmatim suspensi, vel flãmis iniecti interficiebantur. Hic exitus fuit turbulentæ Rusticorũ seditionis, quæ tantã regioni cladem intulit, vt hodiernum adhuc in diem eius maneant vestigia.

SIGNVM CALAMITATVM & cladium.

QVoties ingentes sunt euenturæ calamitates (inquit Herodotus lib. 6.) vel ciuitati vel nationi, solent signis prænunciari.

Signis ingẽtes calamitates præmonstrari solent.

Ante bellum sociale, & ciuilia, quæ subsecuta sunt, apud Aretinos cum panes per conuiuia frangerentur, cruor e medijs panibus, quasi e vulneribus corporum fluxit. Præterea per septem continuos dies grãdo lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissime verberauit. In Samnitibus vastissimo hiatu terræ, flamma prorupit, & vsq; in cœlum extendi visa est.

In Italia omnium generum animalia, quæ manus hominũ blande petiti, atq; inter homines viuere solita erãt, relictis stabulis pascuisq;, cum balatu, hinnitu, mugituq; miserabili ad syluas montesq; fugerunt. Canes quoque, quorum natura est, extra homines esse non posse, lachrymosis vlulatibus vagi luporum ritu oberrarunt. Paul. Oros. lib. 5. cap. 18.

Inter initia motusq; bellorum bos in suburbano Romæ mugitu suo in sermonem humanum cõuerso, ad arantem locutus est, Fruſtra se vrgeri, non enim frumenta, sed homines breui defuturos. Carnis quoq; in modũ nimbi dissipatæ partes ceciderunt, quarum maiorem numerum prædetes diripuere aues, reliquum humi per aliquot dies neq; odore tetro, neque deformi aspectu mutatum, iacuit. Valer. Max. lib. 1. cap. 6.

Anno 568. lupi aliæq; ferę è syluis cum rabie egressi intra mœnia Viennæ in Gallia irruere, & complures ex hominibus sæuitiæ eorum resistere haud sufficientibus discerpsere.

Genuensium calamitas. Genuẽsium mercatorũ fortitudo.

Anno noningẽtesimo, triceſimo secũdo, Genuæ, quę ciuitas est maritimã, fons sanguinis prodigiose fluxit. Paulo post Saraceni ex Africa egressi, primum in Italia totam Hetruriam deuastarunt. Deinde Genuam post grauem diuturnamq; obsidionem expugnatam solo æquarunt, virisq; omnibus trucidatis, fœminas, pueros q; impuberes, nauibus præda onustis imposuere. Quod vbi resciuere negotiatores Genuenses, foris negotiationibus intenti, protinus valida manu latrones per mare insecuti sunt, iisq; omnibus partim gladio interfectis, partim submersis, coniuges suas, liberos, & bona recuperarunt. Sebast. Franc.

Sedente in Pontificatu Benedicto Octauo, fons limpida & salubri fluens aqua, totus in sanguinem mutatus est. Quod prodigium magnæ subsecutæ sunt calamitates. Chron. Plat.

Anno supra milleſimum, quadringenteſimum, octuageſimo quarto, corui, cornices, aliæq; volucres acerrimi prælij in aere ſimulachra ciere viſæ ſunt. Subſequutum deinde graue inter Anglos & Gallos bellum.

Anno ſupra teſquimilleſimum, viceſimo ſexto, in Thuringia pari ardore ciconiæ quaſi aduerſis ſignis concurrerunt. Quod portentum ſubſequutæ ſunt tumultuoſæ ruſticorum per totam ferme Europā ſeditiones.

Annus teſquimilleſimus, quadrageſimus primus, portentoſa canum agminatim Mediolanum verſus tendentium rabie infamis fuit. Huc refer titulum de cladibus, quæ ſomnijs alijsq; portentis præmonſtratæ ſunt.

BELLA A MVLIERIBVS GESTA.

Amazonum hiſtoria.

AMazones Scythicæ fuerunt mulieres, ad Tanaim & Thermodoonta fluuium habitantes. Hæ cum nuptias ſeruitutem eſſe, non matrimonium opinarentur, animum nubendi omiſerunt: Geſſerunt Rempubl. ſine viris. Solebant inire finitimos, ne gens interiret. Si qui mares naſcerentur, interficiebant. Virgines non ocio, neque lanificio, ſed armis, equis, venationibus & ſagittis exercebant. Infantibus dexteriores inurebant mammas, ne ſagittarum ictus impediretur. Duæ primum his Reginæ fuerunt, Marthesia, & Lampedo, quę maiore Europæ parte ſuis armis potenter ſub acta, Aſiæ quoq; ciuitates nonnullas occupauere. Marthesiæ ſucceſſit Orithyia, ſeruata in omne æuum virginitate commendabilis. Hac principante cum Antiopa ſorore, bello petitę ſunt ab Hercule, quas cū viciſſet, Antiopen & Menalippen rapuit Hercules, Theſeus Hippolytam. Orithyiæ ſucceſſit Penthesilæa, quæ dū Troianis ſuppetias ferret, ab Achille, iuxta multorum opinionem interfecta eſt. Qua mortua reliquæ iam ægre ſe tutantes, ad Alexandri ætatem durauerunt. Huius Minythea concubitum per dies quatuordecim obtinuit, vt filium haberet paternæ virtutis hæredem. Iſidorus refert ab Alexandro Amazonum poſteritatem prorſus deletam, ſed nemo hiſtoricorum ei ſuffragatur. Contra perhibent, cum Alexander eas ſibi tributarias reddere, armorumque vi debellare animum induxiſſet, Reginam Amazonum hunc in modum ei ſcripſiſſe: O Rex, quis non miretur tuam imprudentiam, qui aduerſus muliebre agmen bellum moliaris, in quo victus, æternam rebus tuis maculā inures, contra victor, egregium vero & nomen memorabile inde retuleris, ſi tot gentium domitor, muliebris agminis debellator dicaris. Quod reſponſum admiratum Regem, nihil gloriæ ex tali bello ſibi expectandum cogitaſſe, ideoque beneficijs & priuilegijs ornatas ſibi deuinxiſſe.

Valaſca Bohemorum Regina, facta cum cæteris mulieribus coniuratione de excutiendo virorum principatu, copiarum ductrix bellum mouit, interfectisq; viris fœminas omnes aſſeruit libertati, adeo, vt Amazonum inſtar multos annos principatæ ſint ſine viris. Vide Æneam Syluium cap. 6. & 7. de hiſtoria Bohemica

Delbora mulier bellatrix imperauit Iſraelitis, quos ab incurſionibus vicinorum plerunq; tutata eſt, quorumque Remp. & Imperiū varijs auxit honoribus.

Semiramis regnandi libidine tota pruriens petiiſſe fertur à marito Nino, vt quinque dies tantum imperaret, & ſceptro vteretur. Quod cum exoraſſet, ſatellitibus iuſſit, Ninum vt interficerent. Hoc itaque modo regnū conſecuta, Aſſyrijs tantiſper dominata eſt, dum à Nino Rege iuniore filio interfecta ſit, quod eius concubitum oraſſet. Eadem muros Babylonios condidit, bellisq; geſtis maximis imperium à marito acceptum plurimū dilatauit. Vide Diodorum Siculum.

Zenobia Palmireorum Regina, poſt mortem Odenati mariti ſui impe-

rium

rium arripuit in Syria, nec dubitauit arma capere in Aurelianum Imperatorem, à quo victa & in triumphum ducta est. Quum autem probro daretur ipsi Aureliano, quod de ea triumphasset: Nihil inquit, me pudet, de fœmina triumphasse, quæ virtute plus quam virili sit prædita.

Hipsicratea Mithridatis coniunx in omni bellorum discrimine adiutrix astitit. Quin etiam capillos sibi rasit, ne ferendæ galeæ essent impedimento.

Artemisia.

Artemisiam Reginam Cariæ & Mausoli coniugem mirantur Græci, quod irruentes Rhodios classe exuerit, Insulam quoque domuerit, erecta in vibe statua, quę ciuitati stigmata videretur inurere. Herodotus ad hūc modum de ea scribit: Verum, inquit, Artemisiæ præcipua me tenet admiratio, mulieris expeditionem aduersus Græciam secutæ, quæ defuncto viro nulla adacta necessitate, sed præstantia animi atque virilitate in militiam concessit. De eadem Trogus lib. 2. Arthemisia autem Regina Halicarnassi, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primores Duces bellum acerrime ciebat: quippe, vt in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres.

Cleopatra Ægypti Regina, Dionysij Auletis filia, quum mortuo iā Cæsare Antonium lasciuientibus momordisset oculis, & in amorem sui pelexisset, præter Syriæ & Arabię Regnum ausa est Romanum quoq; imperium sperare. Quum ergo magis ac magis indies creſceret libido principādi, imperium ipium ab Antonio petere non dubitauit. Quod cum exorasset, sumptis cum eo armis, in Augustum, & Agrippā copias duxit, mouitque bellum, cuius fortuna anceps aliquandiu pependit. Victis ad extremum Antonianis, effrænata mulier cecinit receptui, ac se in pedes dedit cum adultero. Quos secutus victor Augustus ita oppressit, vt neglecta paucis conditione Antonium ad inferendam sibi mortem compulerit. Quo extincto, vbi nullum rebus afflictis subsidium vidit Cleopatra, brachium aspidi mordendum præbuit, ne in triumphum captiua raperetur.

Germanorū mulieres.

Olim Germanorum mulieres inclinatam aciem, & iam ad triarios vergentem restituerunt. Tantum autem bellicarum rerum apud eas fuit studium, vt virginibus ad nuptias contrahendas aditus nō pateret, nisi prius in acie strato hoste fortitudinis suæ specimen edidissent.

Cimbrorum vxores.

C. Mario, & Q. Catulo Coss. Cimbris prælio victis, vxores eorum facta conspiratione arma ceperunt, tantaq; vi victorem exercitum adoriebantur, vt plus damni Romanis inferrēt, quam antea vniuersus Cimbrorum exercitus. Tandem cum nec impetum Romanorum diutius sustinere, nec pacem abijs impetrare possent, aciem ferri in se ipsas conuertere, interfectis primum & iugulatis pueris & infantibus, bonisq; omnibus flamma absumptis, ne prædæ essent hostibus.

Lesbia Puella murorum parte machinis Turcarum deiecta, oppidanis fugam aut deditionem meditantibus salutem peperit. Obtulit enim se primam impetui & iaculis inimicorum, pro tutandis ipsis muris.

DE VICTORIA.

PRimo Reg. 14. Non est Domino difficile saluare vel in multis vel in paucis.

Psal. 19. Hi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Abrahamus cum manu seruorū exigua Reges Babylonis, Assyriæ, Persiæ, & Ciliciæ ad alterum Iordanis fontem spoliat, populo Sodomæo libertatem, fortunas, patriam restituit: parta de hostibus victoria bonorum suorum decimas liberaliter offert, & lętitia gratulantis sibi Regis & sacerdotis triumphat.

Israëlitarum duodecim millia præclara de Madianitis parta victoria, omnes mares occiderunt, & quinq; Principes gentis. Numer. 31.

Iosua sine clade suorum ingentes hostium copias fundit, necatis vno & triginta Regibus vrbes eorum sorte diuidit.

Sub Iudicibus illustris sæpe Israëlitarum, quandiu legis diuinæ mandata obseruarunt, de hostibus fuit victoria, qui rursus, vt primum legem Dei reliquere, ab hostibus sunt oppressi, ijsq; facilimam dedere victoriam.

Iael illustris fœmina dormienti Sisaræ clauum per frontem & cerebrũ malleo transadigit, populoq; hunc ad modum parta victoria, libertatem, & Ecclesiæ lætitiam comparat. 4. Iud.

Gedeon dux populi Israelitici, habito copiarum delectu, viros tantum trecentos eligit, per quos tantum hostibus terrorem incutit, vt mutuis se conficerent vulneribus, eorumque centum & triginta quinque millia oppeterent. Iud. 9.

Ieptha Dux populi constitutus aduersus Ammonitas ciues armat, pugnam init, fide vincit, ciuitates viginti subigit. Iud. 12.

Samson robore giganteo præditus, asini maxilla mille viros interimit. Insidijs Dalilæ meretricis captus oculisq; priuatus, cum à Gazensibus in conuiuium, in quo cum vxoribus & liberis satrapæ accubuerant, spectaculi causa productus esset, fide Deum inuocat, prehensisq; columnis, quibus porticus innitebatur, eas euertit, morienſque plures secum occidit, quam viuens antea occiderat. Perierunt enim illa ruina nobilissimorum sexus vtriusque hominum tria millia. Iud. 13.

Saulus primus Israëlitarũ Rex, in prælijs admodum fœlix fuit, sed cum ijs ad gloriam Dei vti nollet, propter hypocrisin à Deo reiectus fuit.

Iasabeamus inter heroas Dauidis eminentissimus, Philistinos trecentos, vt in libro primo Chronicorum scribitur, octingentos, vt in altero Samuelis, vno prælio ipse solus prostrauit.

Eleazar aduersus Philistinos profectum exercitum, cum res in summo esset discrimine, liberauit, victoriaq; ingẽti potitus, hostes cæsos dat socijs spoliandos. Hic locum inter heroas Dauidis secundum obtinuit.

Samma inter Dauidis heroas tertius reputatus, solus aduersus Philistinos dimicans, hostibus terrori, suis in fugam versis saluti fuit, & victoriam amplam retulit.

Banaias leonem in cisternam lapsum sine armis aggressus strangulauit. Prouocatorem Ægyptium, altum cubitos quinq; pedo aggreditur, & extorta ei de manibus valida hasta suo ipsum telo superat. Inter heroas suorum temporum nominatissimos præcipuam fere laudem tulit.

Dauid prostrato Goliadó clarissimam Israelitis victoriam peperit. 1. Samuel. cap. 17.

Dauid assumptis quadringentis socijs, Amalecitas persequitur, eosque oppressos cunctos interimit, quadringentis tantummodo fuga elapsis, partaq; victoria ablata bona, coniuges & liberos recuperat. 1. Reg. 30.

Ionathas solus cum armigero suo Philistinorum fugat exercitum. 1. Regum decimo quarto.

Insignes Dauidis de Philistinis victoriæ, 2. Reg. 5. 8. 10. 12. 21. exponuntur.

Abia Rex Iudę à Ieroboami exercitu inclusus, & in angustias extremas compulsus, salutem à Deo expetit, idemq; facere militem suum iubet. Tãtus igitur pauor hostibus iniectus est, vt conspectum eorum, quos circumuallauerant, trepidarent, seseque effusi in fugam conijcerent. Abia eos insequens, quinquaginta millia gladio tollit. 2. Paralip. 13.

Asa Rex Iudæ cum Rege Æthiopum Zara prælio congrediens, decies centena millia militum, & currus trecentos internecione delet. 2. Par. 14.

Iosaphatus cum Moabitis, Ammonitis, alijsq; gentibus finitimis, non

tam

tam pugnauit armis & milite, quam precibus, laudibus, votis, gratiarum actione. Hostes enim vulneribus sese mutuis confecerunt, tanta præda, torque spolijs post se relictis, vt miles in colligendo totos dies tres consumeret. 2. Paral. 20.

Iudas Machabæus socijs suis, multitudine exercitus Seronis Principis Syriæ, territis, Facile est, inquit, concludi multos in manu paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis & in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. 1. Machab. 3.

Iudas Machabæus cum tribus tantum virorum millibus, qui tegumenta & gladios non habebant, validas gentium copias, & loricatos equitatus prostrauit, versoq; Gorgia, eiusq; copijs in fugam, suos amplissimis ditat spolijs. 1. Machab. 4.

Deum esse, qui regna transferat, & victoriam tribuat, testimonio est in terra cæteros Alexander Magnus, in cuius exercitu fuere peditum triginta duo millia, equitum quatuor millia, quingenti, naues centum octoginta duæ. Hæc tamen parua manu vniuersum terrarum orbem aggressus est, & debellauit, innumerasq; Darij copias, fauente victoria, aliquoties strauit. Habuit autem in armis Darius sexcenta hominum millia. Plutarchus scribit, Dario fuisse decies centena millia militum. Deus nimirum Opt. Max. brachij sui potentiam in Alexandro gentibus ostendere voluit, earumque fastum deprimere. Qui etiam Alexandrum ipsum rerum gestarum gloria & magnitudine insolentiorem factum de fede sua deiecit, & in medio victoriarum cursu iam orbis fere totius domitorem extinxit. Legerat autem Alexander, ad tam periculosum bellum, exercitum, nō iuuenes robustos, nec primo flore ætatis, sed veteranos, plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militauerant, vt non tam milites, quam magistros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit, vt si principia castrorum cerneres, Senatum te alicuius priscæ Reipublicæ videre diceres: itaque nemo in prælio fugam, sed victoriam cogitauit: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Tali instructus exercitu, propitium numen vbique in bello sensit, vt totius orbis terrarum fatis fit domitor. De ipsius erga Iudæos clementia alibi dictum, & memorie eius Iosephus lib. 11. cap. penultimo & vltimo.

Alexandri victoriæ.

Vere & eleganter apud Liuium dicitur: Sæpe etiam contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi, Regesq; leui momento victi sunt. Nequaquam ergo Reges & Principes suis freti viribus hostem viribus inferiorem contemnant, sed multo potius animo secum reputabunt, victoriam non ex magnitudine virium, sed ex fortunæ fauore, & propitij numinis gratia pendere.

Xerxes Rex Persarum in Græcos dimicaturus habuit de regno suo septingenta millia, de auxilijs trecenta. Rostratas naues mille & ducentas, Onerarias ad tria millia. Immanem adeo ducens multitudinem nihil quod laude aliqua sit dignum præstitit. Dementem siquidem eius fastum æternus Deus sic attriuit, vt magna clade accepta, multisque millibus à parua Græcorum manu fusis, ipse trepidus in piscatoria scapha aufugeret. Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerū humanæ sortis variete miranda, exiguo latentem videre nauigio, quē paulo ante vix æquor omne capiebat. Nec meliore fortuna vsus est Mardonius, quem cum trecentis virorum millibus in Græcia Xerxes reliquerat. Victoria enim apud Græcos stante omnes eius copiæ occidione occidere. Ferunt in exercitu Regis equę partu leporem editum esse, quo prodigio fuga eius admodum infamis præmonstrata fuit. Eidem, priusquam Athenas deleret, de inuadendis Lacedæmonijs cogitanti hoc accidit: Infusum paterę eius vinum

in san-

in sanguinem, nec semel, sed iterum & tertio conuersum est. Quae re consulti Magi monuerunt, vt se ab incepto proposito abstineret.

Miltiades Dux Athenienſibus, inſtructis decem millibus ciuium, & Plateēſibus auxiliarijs mille, aduersus sexcenta Persarum millia in campos Marathonios in prælium progreditur, memorabiliq; de hostibus parta victoria toti Græciæ salutem attulit.

Cyrus. Cyrus Persarum Rex traiecto Araxe cum ducentis millibus in Scythas profectus, tam infœliciter bellauit, vt ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit. Victrix Regina Tomyris caput Cyri amputatum in vtrem humano sanguine repletum cōijci iubet, cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te sanguine, inquit, quem sitisti.

Locrenſes aduersus Crotoniatas acri congressi prælio, ad Sagrā fluuium in Calabria, centum triginta millia in hostili exercitu trucidarūt, licet ipſi vltra quindecim virorum millia in exercitu suo non habuerint.

Alexander Magnus in primo congressu cum Dario, in cuius erant acie D C M. Persarum, ingentem hostium stragem edidit: cum in exercitu Alexandri C X X. equites, & nouem tantum pedites desiderati fuerint.

In secundo deinde conflictu Darius cum C C C. M. peditum, & C. M. equitum in aciem processit. In quo prælio ambo Reges, & Alexander & Darius vulnerantur, ac tandiu anceps certamen fuit, quoad vsque fugeret Darius. Exinde cædes Persarum secuta est. Ibi tunc peditum octoginta millia, equitum decem millia cęsa, capta autem quadraginta millia fuere. Ex Macedonibus vero cecidere pedites centum triginta, equites centum quinquaginta.

Alexandro deinde ab Ægypto reuertenti, Darius C C C C. millia peditum, & centum M. equitum bello opponit. Quo prælio Darius tertio victus est. Asiæque vires & regna ceciderunt, totusq; Oriens in potestatem Macedonici cessit Imperij. Paul. Oros. lib. 3.

Fabius Æmilianus parua manu (nec enim vltra triginta M. in exercitu suo habuit) ducenta Gallorum millia ad Rhodanum cecidit.

Cæsa fuere in exercitu Antiochi quinquaginta virorum millia, cum inter Romanos viginti quatuor equites, pedites trecenti desiderati fuerint.

Cęsa sunt à Pompeio in exercitu Mithridatis quinquaginta millia, cum tantum viginti ex Romanis occubuissent.

Lucullus parua manu aduersus ingentes Tigranis copias in aciem progressus centum millia peditum, equitum vero millia quinquaginta occidit. In Luculli vero exercitu vltra centū saucìati non fuere, nec vltra quinque occubuere. Quare Alexander Neapolitanus admirabundus, Tā paruo, inquit, impendio tam insolens stetit victoria. Quanquam & Romani grauissimas sæpe clades perpessi sunt. Cęsa enim ab Hannibale ad Cannas quinquaginta Romanorum millia. Tum L. Bebius cum vniuersis copijs, quas in Hispaniam ducebat, in syluis, in quibus regionis ignarus errabat, à Liguribus ad internecionem trucidatus est.

L. Bebius.

Munitiones & propugnacula. Quemadmodum multitudo copiarum minime certam polliceri potest victoriam, sic nec munitionum arcium, propugnaculorū firmitas certam afferre potest securitatem. Nec sane inscite dixit Philippus Rex Macedonum, Omnia castella expugnari posse, in quæ modo asellus onustus auro possit ascendere. Et Cicero: Nihil esse tam sanctum, quod nō violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Hierusalem vrbs munitissima nōne funditus deuastata perijt? Babylon nulla vi humana expugnari posse videbatur, nec tamē hostium vim & insidias, ppulsare potuit.

Babylon vrbs munitissima & maxima. Miraculis orbis annumerantur huius ciuitatis muri, quos Semiramis condidit, aut saltem ruinosas reparauit, coctilibus laterculis & bitumine ferruminatis, ducentūm pedum altitudine, latitudine vero quinquagenūm pedum,

dum, adeo, vt quadrigas inter se occurrentes reciperent, turresq; haberent trecentas, plures multo habituri, nisi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuissent. Huic autem operi portetoso adhibita sunt trecenta hominū millia. Per ambitum stabant cētum portæ æreæ, omnes cum cardinibus. Hanc portentosa munitam firmitate vrbem Cyrus perdomuit. Hanc Darius a Zopyro occupauit. Tantam eius magnitudinem fuisse perhibent, vt cū a Dario occupata esset, quidam ex ciuibus tertio primum die captam resciscerent.

ANTE VICTORIAM NON EST *triumphandum.*

Darius per contemptū Alexandro offert munera.

ANte victoriam non esse triumphandum, nec hostem temere contemnendum, documēto nobis erit Darius ille Persarū Rex vltimus, qui ab Alexandro adhuc iuuene bello se lacessi iracunde ferēs, munera ei misit, Virgam, pilam & massam auri. Innuēs virga, eum puerum esse ferociē tem, cuius temeritas virgis coercenda sit: pila vero, eius ætati conuenientius esse pila ludere, quam arma tractare: auro, opes ei nequaquam sufficere ad bellum contra potentissimum Persarum Regem gerendum. Alexander munera ea grato suscipiebat animo, Dario hunc ad modū respondens: Virgā accipio, a te mihi traditam, vt te & populum tuum puniam, mihiq; subiiciam. Pila vero globum Imperij tui denotat, pilam ergo dum transmittis, simul regnum mihi tuum tradis, quod vi armorum iub meam potestatem redigam. Massam quoque auri vt optimi ominis munus amplector. Nam dominum omnium tuarum diuitiarum me fore confido, quarum partem vltro mihi obtulisti. Nec spes hæc Alexandrum fefellit, qui deuicto Dario totius Asiæ & Orientis imperium obtinuit.

Quales sint eligendi milites.

Antisthenes dicere solitus est: Melius est pugnare cum bonis paucis, ad uersus multos malos, quam cum multis malis, aduersus paucos bonos. Indicare voluit vir sapiens, victoriam nequaquam ex magna impiorum militum colluuie expectandam esse, sed multo potius ex virtute talium virorum, qui numinis sint timētes, quamuis eorum sint perpauci. Cuius rei exempla plurima Bibliacæ suppeditant historiæ.

Agis Lacedæmoniorum Rex subinde dicebat: Non oportere percontari, quot sint hostes, sed vbi sint? Agnouit Rex ille solertissimus, parum referre quanta sit hostium copia, sed plurimum referre quo animo, & qua virtute arma capessant milites.

Idem percontanti cuidam quot essent Lacedæmoniorum milites? Quot satis sunt, respondit, ad propulsandos hostes: innuens, bellantium nō tam numerum, quam animum spectandum esse.

Alexander Magnus, cum ei nunciaretur Darij exercitum triginta hominum myriadibus instructum esse, Vnus coquus, inquit, nō metuit multas oues. Idem exploratoribus Darij copias, vt quæ Alexandri multo essent maiores, admirantibus: Oues, inquit, licet plures ab vno aut altero lupo capiuntur.

Tigranes Luculli copias irridet.

Tigranes Rex Armeniorū, aduersus Romanos maximo instructus exercitu dimicaturus, Luculli copias, eō quod exiles admodum & infirmæ viderentur, irrisit: Si vt milites aduenissent, inquiens, perpaucos quidem esse, si vero vt legati, permultos. Tendebat siquidem Lucullus cum decē millib. armatorum, & mille equitibus aduersus Tigranem, centum quinquaginta hominum millia habentem in exercitu. Verum mox conserto prælio didicit Tigranes, nō in virorum multitudine, sed virtute victoriam sperandam. Nam victus à Lucullo fugam trepide capessens, regale etiam diadema abiecit, ne eo agnitus ab hostibus caperetur, & ad Romanos duceretur.

Alphonsi virtus.

Aulus Posthumius milites suos, vt magno animo prælium inirent exhortaturus, dicebat: Bella omnia, non qui plures sunt numero, recte conficiunt, sed qui virtute sunt superiores.

Alphonsus Aragonum Rex, cum ei renunciatū esset à Ludouico Podio, quendam in Venetorum naualibus esse, qui illa vna cum armamentario, quod in his erat, exurere pollicitaretur, si sibi duo millia aureorum à rege promitterentur, conatusque illius facile cessuros affirmanti, respondit, Nequaquam insidijs, sed aut virtute vincendum esse, aut nunquam. Ex hac enim re non aliam sibi laudem sperandam esse, quam eius qui Dianæ Ephesiæ templum incendisset, cuius nomen totius Asiæ decreto è memoria hominum obliteratum traditur.

Eidem cum pollicerentur quidam, se Renatum Andagauensem Principem capitalem eius hostem dolis circumuentum interfecturos: Nequaquam eorum sententiæ acquiescens, Se virtute & armis, non fraude cum eo certaturum inquit. Cumque alij quidam de Francisco Sfortia clam interficiendo consilia agitarent: Nunquam, ait, sibi victoriam placuisse, cuius postea pigendum pudendumque esset. Quin etiam grauiter eis interminatus, nisi, inquit, talibus superiedeant consilijs, se curaturum, vt quod alijs machinentur, in ipsorum caput redundet, vt re ipsa experirentur, quã totus ab eius generis consilijs, quæ fraudem spectent, & insidias, non virtutem abhorreat.

Rogerius Comes Pallãtiæ, quæ Hispaniæ est ciuitas, vir illustri loco natus, & manu promptus, Alphonso Regi narrabat, quod animum induxisset Castellensem Regem confodere, & quod nec animus, nec robur ad tale committendum facinus sibi deesset. Quam narrationem cum Alphonso gratissimam fore speraret: ea plurimum Regem offendit, qui ei respondit: Non scelere, sed virtute gloriam quærendam esse. Nec vnquam se vel totius orbis imperium, nedum Castellense vel Hispanicum regnum tam nefando empturum patricidio.

Dicebat idem: Decere Regem inuictum habere animum, res si iusta sit: at vbi conatus iniustus est, præstare vinci, quam vincere.

Pittacus sapiens eam probabat victoriam, quæ nõ multo constaret sanguine. Nec enim victoriam dicendam esse iudicabat, quę regnum incolis, vel Rempubl. ciuibus exinaniret.

Pyrrhus Epirotarum Rex, bis cum Romanis prælio congressus vicerat, sed desiderat. compluribus amicis ac ducibus: Ibi, si vno, inquit, adhuc prælio Romanos vicerimus, actum fuerit de nobis. Quod victi solent dicere, hoc dicebat victor, declarãs victoriam magno emptam non esse victoriam, sed calamitatem.

Alphonsus Rex cum graui atque diutino bello confecto triumphans in regnum suum rediret, captiuos more triumphantium currum præire non passus est. Ob hostes seruatos rectius quam cæsos triumphandum esse dicens. Et quidem frequenter in ore habuit Rex hic multo laudatissimus: Tanto triumphum victoris illustriorem esse, quãto plures relicti sunt, de quibus triumphetur.

Sœbidas, cum essent Lacedæmonij in pugna Leuctrica Martis aleam experturi, cuidam dicenti, Hic dies declarabit virum bonum, Præclarus, inquit, dies, qui possit declarare virum incolumem: præsagiens in eo prælio plurimos egregios viros fortiter occubituros, quos ipse patriæ maluisset incolumes.

Fridericus Imperator, victis in Hungaria Gunzienſibus: Magnum, inquit, actum est opus, nunc autem maius restat, vt scilicet vincamus nosipsos, auaritiæ & vindictæ cupiditati fræno iniecto, ne indulgentes libidi-

ni ho-

ni honestatis terminos transiliamus. Vox tanto principe digna, nunquam in animis Principum & Regum obliteranda.

Sigismundus Imperator reprehensus, quod hostes in fugam versos strenue insectari, comprehensosque occidere supersederet: Satis, inquit, vicit, qui hostes fugauit. Vtinam omnibus bellatoribus & ducibus hæc moderatio cordi esset, tum certe haudquaquam eam victoriam ducerent, quam sibi multo sanguine & cæde etiam suorum pararent.

Darius aduersus Babylonios contractis omnibus copijs vrbem obsidione cingebat. Sed illi nihili pendere obsidionem. Nam conscensis propugnaculis, Tripudiare, probraque ingerere Dario, atque exercitui: quorum quidam ita inquit: Quid isthic desidetis Persæ, quin potius absceditis, tũc expugnaturi nos, cum pepererint mulæ. Verumpost aliquot menses, quædam mularum Zopyri, quæ frumentum subuectabant, peperit. Quod portentum vbi Zopyrus cognouit, fatale esse Babylonem capi iudicans, ad Babylonios vt transfuga contendit, & sua tandem arte ciuitatẽ in manus Darij tradidit.

Babylonij Dariũ contemnunt.

Clodouæus Gallorum Rex, cum mouere bellum aduersus Alaricum Gothorum Regem decreuisset, priusquam signa exercitumque moueret, nuncios cum muneribus in Turones ad sancti Martini fanum venerandi gratia misit, mandauitque vt templum ingressuri ea obseruarent, quæ futuri euentus ex eo bello coniecturam possent præbere. Fanum igitur ineuntes auditis Monachis vespertinas preces canentibus, in ea parte Dauidici Psalmi, quæ dicit: Tu Domine ad prælium virtute me accinxisti, captato omine ceu fœlicitatem portendente ad Regem redierunt, narratoque omine, plenus bonæ spei Rex bellum suscepit, victumque hostem e Vasconibus, Auxitanisque pepulit. Egnat. lib. 1. cap. 4. Fulg. lib. 1. cap. 3.

Eo prælio, quo Ramirus Hispaniarum Rex, aduersus Saracenos decertauit, iuxta Calagurium, ab omnibus, qui interfuere, conspectus est Iacobus Apostolus albo vexillo Christianorum aciem antecedere, atque in fugam Saracenos vertere. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Anno 382. Gratianus Imperator admodum iuuenis cum inæstimabilẽ multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potentia longe impari militum numero sese in hostem dedit: & continuo apud Argentoratum formidolosissimum bellum incredibili fœlicitate confecit. Nam plus quam triginta millia Alemannorum, minimo Romanorum detrimento in eo prælio interfecta, narrantur. Paulus Oros. libr. 7. cap. 23.

Circa annum quadragesimum, quinquagesimum quintum, Pelagiani hæretici fidem orthodoxam in Britannia peruertere conati sunt. Aduersus quos Britanni Episcopum Gallorum implorarunt, duos insignes pietate viros Germanum, & Lupum Episcopos sibi constituentes. Quib. Ecclesias gubernantibus, ingens Saxonum & Pictauorum multitudo in Galliam irruit, aduersus quos ipsemet Germanus Episcopus arma capessere, & in aciem progredi veritus non est. Hostibus itaque ingenti cum agmine instructa acie progredientibus, Episcopus omisso tubarum & tympanorum clangore, omnem in solum Deum fiduciam collocauit, & ipse præcinens Halleluia, totum exercitum, vt simili voce & cantu se sequerentur, exhortatus est. Quo militum Christianorum clamore, plus quam ferri acie consternatus hostilis exercitus, trepide terga dedit, speciosamque & memorabilem victoriam Britannis reliquit. Histor. Ecclesiast. Caspar. Hedion. lib. 1. cap. 7.

Episcopus in aciem progressus, hostes fundit.

Henricus Auceps, Imperator Germanus, Hungaris Germaniam depopulantibus præpropere occurrit ad Mersburgum, votumque Deo faciens, se parta victoria, omnem hæreticorum blasphemiam & simoniam radici-

Henrici Aucupis victoria.

tus è regno suo extirpaturum, magna clade immẽsas hostium copias affecit, amplius quadraginta millibus eorum internecione deletis, reliquis, qui fuga euaserant, tota Germania eiectis. In quo prælio insignis fuit Imperatoris & pietas & fortitudo. Hungari iam magna præda diuites, & vxores & liberos Germanorum rapuerant, magna virorum multitudine trucidata. Sed ecce Imperator licet corpore tum satis firmo non esset, attamẽ ipsemet in aciem progressus, suos vt fortiter dimicarent exhortatus est, horribilique & barbaro clamore Hungaris irruentibus, Imperator cũ suis copijs Kyrie eleeson cecinit, fretusque præsentis numinis auxilio gloriosam de hostibus victoriam reportauit, prædamque omnem recuperauit. Histo. Eccles. Cas. Hed. lib. 8. cap. 13. &c.

Victoria Græcorũ aduersus innumeras Artaxerxis copias.

Insignis fuit Græcorum victoria, qui duce Clearcho, Cyro aduersus fratrem Artaxerxen arma ferebant auxiliaria. Victoriæ autem fructum, cæso in acie Cyro consecuti nullum sunt. Grecorum fuere tredecim fere millia, quos ingentibus barbarorum copijs quasi firmissimum propugnaculum addidit Cyrus. Artaxerxes in suo exercitu nouies centena millia virorum habuit. Cum tantis sane copijs & victoria & regno priuatus fuisset, nisi nimia in pugnando alacritas & temeritas Cyro exitialis fuisset. Vide Xenoph. & Plutarchum in vita Artaxerxis.

Timoleon Corinthius tribus millibus militum fretus ad Crimissum amnem cum septuaginta millibus Carthaginensium non solum acie confixit, sed ita etiam prælio vno hostem afflixit, vt pars multo maxima Carthaginensis sit nobilitatis ibi loci desiderata.

Trecẽti Spartani.

Miretur iure aliquis quonam modo fieri potuerit, vt tam opulentus exercitus à tam paucis vinceretur, cui nec tota quidem Sicilia satis futura credebatur. Verum desinet hic idem mirari, qui fando audiuerit, aut legerit trecentos Spartani nominis ad Thermopylas totum Orientem prælio excepisse, exceptum ac fusum in castra cum multa cæde compulisse, vt magna opus sit fide, ad tam monstrificos bellorum euentus, fortunæqi volumina credenda, Sabell. lib. 6. cap. 7.

Spartanorum pugna ἀδαμεῦς.

Cum ab Epaminonda Thebanorum duce magnis cladib. affecti essent Spartani, ab Athenien sibus tandem auxilia petiuere, quibus impetratis, alijsque auxilijs ex Sicilia missis paulatim oppida sua recipiunt. Hos cum reprimere Arcades conarentur, missus est Archidamus Agesilai filius cum Spartanis copijs & auxilijs Celticis aduersus Arcades, quos ita vicit, vt magna hostium multitudine interfecta, & nullo Spartano amisso nominata sit illa pugna adacrys mache. Vide 2. Chron. Philip.

Epaminondæ victoria.

Epaminondas in exercitu suo virorũ quatuor millia habẽs, inter quos equites fuere quadringenti, Lacedæmoniorũ fudit exercitum, in quo erãt peditum viginti quatuor millia, equites mille sexcenti. Fron. lib. 4. cap. secundo.

Aurelianus Imperator Sarmatis valido agmine in Italiam irruentibus magna virtute occurrit, dissipatisque eorum copijs, sua manu ipsemet nouem & quadraginta viros in acie trucidauit. Volater. lib. 23.

M. Marcelli victoria.

Posthumus Romanus Consul cum milites vt fortiter in prælio dimicarent exhortaretur, illi ad ineundum prælium animis parati, quidnam imperaret quæsiuerunt: Quibus ille, vt se strenue sequerentur, simulque in primos impressionem fecit, quem milites magno cum animorum ardore secuti, fugatis cæsisque hostibus præclaram victoriam reportarunt. Front. lib. 4. cap. 4.

M. Marcellus Viridomarum Gallorum ducem singulari prælio fudit, spolia legit apud Nolam. Hannibalem primus, locorum angustia adiutus, vinci docuit. Syracusas per tres annos expugnauit. Quinquies Consul, in-

sidijs Hannibalis deceptus occubuit, & magnifice sepultus. Ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt. Plinius de viris illustr.

Anno 433. in Gallia cum Supthar Rex Hunnorum Burgundiones infestis armis opprimeret, illi in Deum Christianorum spem suam ponentes, se baptizari petierunt. Et statim cum Hunnis congressi, pauci multa millia eorum trucidarunt, rabiemque eorum compescuerunt. Sigebert.

Vide supra historiã hanc in tertio Præcepto, pag. 161. Balduini victoria.

Balduinus, cui Hierosolymorum obtigerat regnum cum illud defenderet, neque vltra ducentos sexaginta equites, peditesque nongentos Christianos haberet, Caliphæ exercitum in Iudæa prælio fudit, in quo equitũ nouem millia, & viginti millia peditum erant: quo in prælio quinq; equitum millia ex hostili exercitu desiderata fuerunt.

Rudolphus Dux Bernatium.

Anno supra millesimum, trecentesimum, trigesimo octauo, Bernates aduersus Comites vicinos & Austriacos graue gesserunt bellum. Dux eorum Rudolphus de Erbach/ vir magni animi, suos præclaris verbis, vt animo essent imperterrito, hortatur, monens sæpissime hactenus se expertũ esse, quod à paucioribus ingentes copiæ victæ sint. Contra hostes fieti viribus & multitudine militum contumeliose Bernatibus insultabant. Verum ante victoriam canere triumphum, hostemque contemnere, semper & stultum & periculosum esse tum didicere, cum in prælio à Bernatibus victi pacis conditiones susceperе. Sebast. Munst. in Chronogr. lib. 3.

Insignis Heuetiorũ pugna.

Anno millesimo, quadringentesimo, quadragesimoquarto, Delphinus Gallicus à Papa in Germaniam ad impediendam Synodum Basilien sem missus est cum exercitu, quem nominarunt Armeniacum à Comite Armeniacense, eorum ductore. Cum his quarto à Basilea lapide quatuor Heluetiorum millia acie congressa incredibili ausu tam fortiter pugnarunt, vt cum ex his mille sexcenti in cõfertum agmen Gallorum se intulissent, etsi ad vnum cæsi sunt omnes, victores Gallos tamen interitu suo tota mox Germania pepulerint. Persequentib. scilicet reliquis ope vicinorum multa cæde hostes, & clade suorum, & animositate ac ferocia eorum, qui cecid erunt, perculsos atque consternatos. Memorabile hoc est fortitudinis exemplum, simile illius Lacedæmoniorũ ad Thermopylas. Pugnatum est septimo Cal. Septemb. Cecidisse in eo conflictu traduntur sex millia Gallorum. Chron. Philip. lib. 5.

Actiaca Augusti victoria.

Actiaca Augusti victoria præ reliquis illustris est, qua deuictis Antonio & Cleopatra solus ipse rerum potitus est.

Antonius Artabanen Armeniæ Regem, proditione & dolo cepit: quem argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorum Regiorum cogit. Expugnatoque oppido, in quo conditos esse prodiderat, magnam vim auri argentique abstulit. Qua elatus pecunia, denuneiari bellum Cæsari, atque Octauiæ sorori Cæsaris, vxori suæ repudium indici iussit, & Cleopatram sibi ex Alexandria occurrere imperauit. Quæ imperium Romanum sibi ausa petere, Antonio belli ciuilis aduersus Augustum mouendi auctor fuit. Cæsar itaque relicto Brundusio in Epirum aduersus Antonium tendit, qui classe sua totum Achaiæ portum occuparat. Ducentæ triginta rostratæ fuere Cæsaris naues, & triginta sine rostris, triremes velocitate Liburnicis pares, & octo legiones classi superpositæ, absq; cohortibus quinque prætorijs. Classis Antonij centum septuaginta nauium fuit, quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens. Nam decem pedum altitudine à mari aberant. Famosum & magnum hoc bellum apud Actium fuit: Ab hora quinta vsque in horam septimam, incerta vincendi spe, grauissimæ vtrinque cædes actæ: Reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinauit. Prior Regina Cleopatra cum sexaginta velocissimis nauibus fugit. Antonius quoque detracto insigni prætoriæ nauis, fugientẽ secutus est vxorem. Illucescente iam die victoriam Cæsar cõsum

Antonij & Cleopatræ mors.

manuit, ex victis duodecim millia cecidisse feruntur, septem millia vulnerata sunt, è quibus mille inter curandum defecerunt. Antonius victus in Ægyptum fugiens, sese ferro transuerberauit, ac semianimis ad Cleopatram in monumentum, in quod se illa morti certa cõdiderat, perlatus est. Cleopatra postquam se ad triumphum seruari intellexit, voluntariã mortem petens, serpentis, vt puratur, morsu in sinistro tacta brachio, exanimis inuenta est, frustra Cæsare etiam psyllos admouente, qui venena serpentũ è vulneribus hominũ hausto reuocare, atque exugere solent. Paul. Oros.

Attilæ tyrannis & victoriæ.

Anno 430. Attila Hunnorum Rex trophæa per totum fere terrarũ orbem erexit. Erat ei acre & circumspectum ingenium, corpus validum & breue, item ingẽs animi magnitudo, indefatigabilis tolerantia laborum, exacta rei bellicæ disciplina, astus, & cõsilij altitudo summa. Præterea maxima dolorum ac insidiarum artificia, deperdita audacia, animus crudelis & elatus, perfidia plus quam Punica, egregia forma, toruus aspectus, caput grandiusculum, oculi imminuti, rara barba, simus nasus, cani fere crines, color subniger, & magna libidinis impatientia. Erat etiam in incessu superbus, circũferebat oculos huc & illuc, vt clari viri potestas motu quoque corporis appareret. Erat hæc eius inscriptio, qua in diplomatis vtebatur: Attila Mundizici filius, & magni Nimrod nepos, Engadiæ natus, diuina benignitate Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, & Danorum, metus orbis, Deiq; flagellum.

Insolens Ducis verbum.

Conradi Imperatoris frater Saxonas debellaturus, ex animi impotentia & fastu insolentibus admodum verbis vsus fertur. Nam cum iam Ereſburgum vsque copias duxisset, Nihil, inquit, grauius se vereri, quam ne Saxones prælio secum congredi non ausint, sibique desint, cum quib. manus conserat. Quæ verba vix effatus fuerat, cum Saxones vltro obuiam ei procedunt, tantaq; strage Francorum exercitum concidunt, vt per iocum irridẽtes hostium temeritatem Saxones dixerint, nec inferorum barathrum tot excipiendis hostibus sufficere. Sic re ipsa didicit insolens ille Francorum ductor, ante victoriam triumphum canendum non esse. Albertus Crantz. lib. 3.

Insolentia Hugonis.

Hugo Parisiorum Comes, cum in Gallia capto regi Ludouico regnum Franciæ conaretur eripere, & insolenter minaretur Germaniæ, Otto Primus eius nominis Imperator magno e Saxonia conscripto exercitu, ad liberandum affinem Ludouicum in Galliam tetendit. Quod vbi cognouit Hugo, Legatis ad Imperatorem missis Saxonum ei molliriem exprobrat, se vel terna eorum iacula, insolenter glorians, vnico haustu absorpturum. Quare satius esse ait, vt suis rebus consulens in suo Imperio quiescat, talibus enim tantisq; se instructum copiis ei occursurum, quantas ipse nunquam vidisset. Imperator risu excipiens Hugonis vanitatem, renunciari ei iubet, Tantam sibi stramineorum pileorum esse copiam, quantam Hugo nunquam vidisset, eaq; omnia in Galliam adducere decretum esse. Moris enim tum erat in Saxonia, vt pileis ex stramine contextis aduersus æstum Solis æstiuali tempore tecti incederẽt. Iussit itaq; omnibus suis militibus, vt eius generis pilea galeis imponerent, rectaque aduersus Hugonem pergerent. Quorum impetum ille minime expectans, protinus Ludouicum liberauit, insolentiam suam detestari coactus. Albert. Crantz.

Hũgarorum insolentia contra Ottonem Magnum.

Sub eodẽ Imperatore Ottone Hungari copijs quantis antea nunquam per Bauariam in Germaniam irruperunt populabundi, fretique immensa multitudine, insolenter admodum, aut cœlum, inquiunt, cadens nos obruet, aut terra dehiscens nos absorbebit, alioquin nemo hostium nos multitudine superabit. Contra hos Imperator Otto subito coẽgit exercitum ex Bauaris, Sueuis, Saxonibus, Francis, & Boiemis, cumq; illis congressus ad Lycum amnem, non procul ab Augusta, totum exercitum ad interne-

cionem

cionem cecidit, perpaucis captis, inter quos scribuntur fuisse tres Reguli, quos Henricus Bauarus suspendio necauit.

Darij insolentia aduersus Scythas. Generositas Scytharum. Pro paternis sepulchris pugnare.

Darius Histaspis filius armatis septingentis millibus hominũ Scythiam ingressus est, sed quam de Scythis sperabat victoriam, eam de illo Scythæ reportarunt. Cum enim terram & aquam à rege Scytharum offerri sibi peteret Darius, eiq; fugam, qua prælium subterfugeret, exprobraret: Respõdit ille: O Persa, quod non protinus tecum ineo prælium, huius rei te certiorem faciam: Nobis neq; oppida sunt, neq; agri culti, quorum vel amittendorum, vel vastandorum metu properemus vobiscum conferre pugnam, ad quã si opus est continuo deuenire, sunt paterna sepulchra, quæ age dum inueneritis, tentate labefactare: & tunc intelligetis, pugnaturi vobiscũ simus pro sepulchris, nec ne. Deinde munera per caduceatorem ad Persarum Regem misit, Auem, Murem, Ranam, & quinque sagittas.

Munera Dario offerũt Scythæ.

Quæ munera quid sibi vellent Persis dubitantibus, Gobryas, vnus è septem, qui Magos sustulerant, hoc dicere dona coniectabat: O Persæ, nisi effecti vt aues subuoletis in cœlum, aut mures subeatis terram, aut ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis vnde venistis, his sagittis confecti. Darius itaque generosam Persarum cunctationem metuens, amissis nonaginta millibus hominum trepide refugit. Hæc præclara Scytharum fuit victoria, qua sine prælio triumpharunt, suamque erga paterna sepulchra pietatem declararunt. Herodot. lib. 4.

Præclara Scytharum victoria.

DE SVSCEPTA IN ASIAM EXPEDITIONE, *Duce Godefrido Bilioneo, & de constituto regno Hierosolymitano.*

INcidit in Henrici Quarti Imperium memorabilis illa nostrorum Argonautarum expeditio in Asiam, suscepta non cupiditate opum Orientis, vt olim Principum Græciæ in Colchidem, ad rapiendum aureum vellus, quæ tot Poëtarum est celebrata monumentis, sed consilio sanctissimo, studioq; acerrimo, & ardentissimo, scilicet vt proferrent notitiam filij Dei, Ecclesiæ ampliationem, & Orientem ereptum tyrannidi blasphemi dogmatis, & crudelis iugi Mahometici vindicarent, ac lucrarentur Christo: denique vt pro conseruata, ac multis præclaris monumentis illustrata & communicata nobis doctrina primæ Ecclesiæ, vicissim dispersas tota Asia reliquias Christianorum, & sine certa sede, sineq; publica doctrinæ voce errantes prædicatione verbi, & Sacramentorum libera solenniq; administratione colligerent rursus, conditis templis, vel repurgatis, instituto ministerio, legibus & iudicijs descriptis. Hæc enim vera fuit causa susceptæ tam longæ, difficilis, & periculosæ expeditionis, ad quam accesserunt & aliæ causæ, quod huius sacræ militiæ duces dilacerationis & ruinæ patriæ ex conflictu inter sese mutuo ciuium collabentis, spectatores amplius & adiutores esse nollent, & quod se abrupturos intestina bella spectarent, Germania milite exhausta.

Dux militiæ præcipuus fuit Godefridus Bilioneus, Lotharingiæ Princeps, cuius industria, magnitudine animi, & virtute, Henricus Quartus hactenus in bellis ciuilibus fuerat superior, vir armis pariter & consilio, animoq; promptissimus, & acerrimus. Hic impetrata missione ab Imperatore, & consensu eiusdem, ducatu paterno vendito Episcopo Leodiensi, pecuniam omnem in belli apparatum insumpsit, adiunctis sibi fratrib. Balduino & Eustathio. Accesserunt ad eum ex Germania, & Gallia, & Italia, Robertus Flãdriæ comes, è vetustissima Francorũ stirpe, Hugo frater Philippi, regis Francorum, Robertus Dux Normannorum, Anglici regis fi-

lius: Boemundus Tarentinorum Princeps, Roberti Guiſgardi Normanni filius, & plures alij, quorum aliqui terra, aliqui claſſe ducem ſequuti, ſe ad Byzantium cæteris coniunxerunt.

Godefridus contractis terreſtribus copijs vniuerſis ex Lotharingis, Friſijs, Sueuis, Saxonibus, Francis & Bauaris, iter ingreſſus eſt decima quinta die menſis Auguſti, anno Chriſti 1096.

Cladis Chriſtianorum.

Præceſſerant Godefridum tres alij exercitus numeroſiſſimi, & inſtructiſſimi, quorum primus duce Petro Eremita peragratis finibus Hungariæ, Bulgariæ, & Thraciæ, ſuperatoq; Helleſponto, euaſerat in Aſiam, nullas niſi a ſolis Bulgaris paſſus iniurias. Hunc Solymannus Turca, Niceæ Sultanus, totum ad internecionem iam ceciderat. Reliquos duos deleuerant Hungari, quorum poſtremus circiter ducenta peditum millia, & tria equitum habuiſſe traditur. Sequutus ergo Godefridus quartũ exercitum Conſtantinopolim vſq; perduxit ante anni finem, imperante Græcis Alexio Comneno, quo primo vere & cæteri ſocij claſſe copias ſuas adduxerunt. Ibi cum Græcis auxilijs, traductas in Aſiam copias vniuerſas, & ad Chalcedonem, quæ hodie Scutarium eſt, congregatas, atq; ordine diſtributas luſtraſſent, ſexcenta peditum millia, equitum loricatorum centum millia numerata ſunt, quæ ſponte militatum profecti ſunt ſuis ſtipendijs, pietatis ſtudio.

Copiæ Chriſtianorum.

Imperabãt tum toti Aſiæ anteriori Turcæ, à Ponto ad mare Mediterraneum, vſq; ad Helleſpontum, eamque vix triginta aut quadraginta annis ante irruptiones noſtrorum hominum ſubegerant, excluſis Græcis & Saracenis, & acciſa potẽtia Calyphæ vtriuſq;, Babylonij & Ægyptij: promouerant enim imperij limites vſque in Palæſtinam, expugnata vrbe Hieroſolymorum, quam Ægyptius Calypha poſtea recepit. In Syria eos ab Ægyptijs dirimebat Laodicea. Turcis autem ſub id tempus imperabat Belchiaroc us, à primo Sodoco quintus.

Primus cõflictus Chriſtianorum cum Turcis. Victoria Chriſtianorum.

Prima igitur ſyrraxis in ipſo Aſiæ aditu, & quidem aſperrima ac difficillima fuit noſtris cum acerrimo Turcarum Sultano Solymãno, qui Niceã Bithyniæ vrbem Synodi Nicenæ memoria celebrem firmo præſidio tutabatur contra Græcos. Hac poſt viginti ſex dierum obſidionem vi effracta captaq; quinto Idus Iunij, anno 1097. fœliciterque repulſo exercitu Solymanni, qui digreſſis ab vrbe incubuerat, reliquas Aſiæ prouincias, Lycaoniam, Ciliciam, Syriam, Meſopotamiam, Comagenam, quatuor annorũ ſpacio pene omnes, partim cæſis, partim fugatis inde Turcis, perdomuerunt, qua celeritate tantum iniecerunt terrorem Saracenis vt Calypha Ægyptius deſperatione quadam obuiam miſſis Legatis amicitiam & fœdus petiuerit.

Antiochia capta.

Antiochiam ad Orontem fluuium nouem menſium difficili obſidione fatigatam, tandem proditione cœperunt, tertio Nonas Iunij, anno Chriſti 1098. Sed repentino & improuiſo aduentu auxiliorum Perſicorum, quę à Sultano Belchiaroco adduxit Charbagatus Perſa, rurſus intra vrbẽ nullo commeatu inſtructam concluſi, obſidionem ſuſtinuerunt, rerum neceſſariarum inopia multo difficiliorem, quam pertulerant hoſtes, cum natura ſcilicet luctati ſimul & hoſtibus. Tandem fame compulſi, ad dimicãdum magno auſu conatuq; eruptione facta, & copijs Perſicis fuſis fugatiſq; obſidionem ſoluerunt.

Chriſtiani Hieroſolymam occupant.

Hieroſolymam tum Saraceni tenuerunt, nam paulo ante eam Turcis pulſis receperant, cum Turci Saracenis ademptam, poſſediſſent annos octoginta octo. Noſtri viciſſim Saracenis excuſſis ceperunt eam Idibus Quintilibus anni ſequentis, triginta octo dierum cõtinua oppugnatione grauiter quaſſatam, cum pene deſperatis rebus eſſent reuocati ad nouam aggreſſionem, oſtento, quod ex monte Olieti pręfulgidi clypei agitatio-

ne fe-

ne fecerat spem victoriæ. Vbi regni sede constituta, consentientibus sententijs Regem Hierosolymorum declarauerunt Godefridum Ducē, qui solenni initiatus ritu, spinea, exemplo Christi Saluatoris, non aurea corona ornari voluit.

Occuparat iam ante Ciliciam, Comagenam, & Mesopotamiam, Balduinus frater regis, qui Edessani Comitis titulū vsurpauit. Est enim Edessa Comagenæ ciuitas, quæ Rages dicta in historia Tobiæ, hodie Orphe cognomine dignoscitur. Tyberiadem recens captā beneficio Regis obtinebat Tancredus, nepos Roberti Guiscardi, ex sorore. Syriā ex Antiochia administrabat Boëmundus. hæc in sacris literis Reblata est.

Cum ad hunc modum regni sedes & arx belli in Hierosolymorum vrbem collocata esset, deinceps inde reliquam Palæstinam, Syriam & Phœnicum regionem debellarunt circumcirca Godefridi successores. Ipse enim vno tantum anno rerum potitus, 15. Calend. Augusti, anno Christi 1100. fato functus est. 4. Chron. Philip.

Extant huius expeditionis acta apud omnes fere historiographos recētiores. Sed in primis totius regni illius res gestæ, a Gulielmo Tyrio Archiepiscopo, magna cum diligentia tum fide sunt conscriptæ, & non multis abhinc retro annis in publicum datæ, sub titulo Belli Sacri. Habetur quoque eiusdem regni compendiosa historia a Benedicto a Coltis scripta titulo. De bello contra Barbaros gesto.

Arnolphus Imperator viribus omnib. in Normannos conuersis internecione pene eos deleuit, diuino ipsum protegente numine. Trucidatis enim centum millibus Normannorum, ex Christianorum parte ne vnus quidem cæsus est. Duo quoque reges Normannorū Gotfridus & Sigefridus in prælio isto occubuere. Crantzius. *Arnolphi de Normānis victoria.*

PRÆCLARA OTTONIS MAGNI VICtoria de Hungaris.

Inter varias easque clarissimas victorias Ottonis, cui magni cognomentum rerum gestarū magnitudo peperit, in primis memorabilis est, qua Hungaros Germaniam infestantes repressit, & ad internecionem vsque deleuit, anno Christi supra millesimum quadringentesimum, quinquagesimo quinto. Quam historiam paulo altius repetemus. *Victoria Ottonis de Hungaris*

Grauissimis & continentibus bellis Hungari rati potentiam Ottonis attritam, & Germaniæ vires exhaustas esse, copijs denuo quantis antea nunquā per Bauariam in Germaniā irruperunt populabundi, cōtra quos dimicans Imperator victoriam reportauit, quantam nullus Imperatorū vel Regum intra ducentos annos pararat. Octo namque legiones ex Frācis, Bauaris & Boemis conscriptas in patentis campi planiciem prope Augustam Vindelicorum conuocauit, quas in prælium edu̇cens, vt hostibus pugnā (quam sagittis potissimū & arcubus freti, prēcipiti ardore ineunt, & deserunt, qui & Turcarum mos est) difficiliorem redderet, passim milites per montana inter nemora & arbusta abscondit. Primi agminis decus Bauaris tribuitur, eo quod prælijs Hungarorum assueti essent. Henricus Dux Bauariæ morbo detentus prælio aberat, eius autem vices præfectis commissæ erant. In castra aduenit Regis Francorum gener Dux Cōradus vir ad bella natus, hosti siue pedes siue eques obuius iret formidabilis, nec in prælijs solum audax manuq; promptus, sed consilijs etiam dandis solertissimus, vnde & paeis & belli tempore pariter charus erat. Is suo aduentu militum animos sic erexit, vt nullum trepidationi locum dantes, vnice in votis haberent, quam primum cum hoste congredi. Itaq; Imperator nō tam in copijs militū, quam numinis presentia spem victoriæ col- *Dux Conradus.*

locans, in castris ieiunium indicit, posteroque die, vt in armis hostem expectent, prælium que inire parati sint, imperat, verbisque grauissimis milites hortatur, ne barbarum hostem, idolisq; totum deditum expauescãt, alacrique animo se ad id prælium accingant, in quo victores, patriam, parentes, coniuges, liberos conseruaturi sint, sin occumbant, æternæ vitæ præmium sint accepturi. Quibus verbis cum pugnæ auidos reddidisset milites, postero die, sole vix dum orto, eos, cum se inuicem prius salutassent, Sacramentoque militari quisque suo duci denuo se obstrinxissent, castris educit. Prima, secunda, tertiaque legio Bauarorum erat, quibus pugnę initium, vt dictum, commissum fuerat. Quarta deinde sequebatur legio Francorum, qui duce Conrado gaudebant. Quintæ legioni, quæ & multitudine & robore militum reliquis præstabat, præerat Imperator ipse. Sexta legio Sueuorum erat, quorum dux erat Henricus, qui vxorem habebat Imperatoris ex fratre neptem, Octaua Boiemorum selectissimis quidem viris instructa, sed fortuna parũ propitia gaudens. Huic legioni, eo quod postremo loco posita, ab hostium impressione maxime tuta videretur, omnium impedimentorum, machinarum bellicarum, thesaurorum, custodia commendata erat. Verum plurimum eos fefellit opinio. Hostes enim transito celeriter Lyco, longo vsi circuitu, & a tergo hostem aggressi, in legionem Boiemorum primum faciunt impetum, hostibusque partim cæsis, partim captis, alijs fugatis, thesauris omnibus & impedimentis potiuntur. Qua prima victoria elati simili impetu septimam & sextam legionem aggrediuntur, quas retrocedere & fugam meditari compellunt. Quod vbi animaduertit Imperator, legionibus trepidantibus subsidio mittit Ducem Conradum, cum legione quarta, qui aduentu suo fugam sociorum inhibet, hostium impetum refrænat, territos in fugam vertit, & prædam omnem insigni victoria & gloria recuperat. Legioni huic reliquæ omnes gratulantur, tyronumque virtutem veterani admirantur. Deinde Imperator in hunc ferme modum milites alloquitur: Videtis socij hostem in conspectu nostro grassantem saluti nostræ inhiare. Quare animo præsente iam opus est. Coniugis suę & liberorum quisque memor esto. Viri estis, istoque hoste sæpius hactenus fugato, inclytã reportastis victoriam. Nullus vnquam hostis vos terga dantes conspexit, cuius virtutis vestræ & gloriæ conscij hostem barbarum intrepido animo excipite, & quidem talem hostẽ, qui fuga sola fretus prelium init. Quare sic armis nostris eos vrgeamus, vt vel cæsi a nobis pereant, vel turpi fuga terga dare compellantur. His dictis correpta sacra lancea primus in hostem ruit. Hungari Christianorum impetum aliquandiu quidẽ acriter pugnantes sustinent, mox tamen lassati fuga salutem quęrere satagũt, in qua plurimi trucidantur, multi capiuntur, reliqui turmatim in vicinos pagos & villas aufugiunt, quos Cæsariani acriter insequentes flammis in casas, quas occuparant, iniectis consumunt. Quidam amnem Lycum tranare conati, vlteriorem ripam cum superare non possent, aquis submerguntur. Cecidere in hoc prelio ex parte Christianorum multi præstantes viri, & inter cæteros Dux Conradus gener Imperatoris, sagitta traiectus, cum propter æstum galea aperta respirationis causa faciem nudasset, cuius cadauer VVormatiam delatum est, itemque Burkhardus Dux Sueuorum, gener Henrici Bauari, cum Henricus propter ægritudinẽ prælio interesse non posset, qui quidẽ eodem anno paulo post pugnam e viuis excessit, Calend. Nouemb. Porro eodem die castra recuperantur, captiui liberantur, hostes cędũtur & fugantur. Postero die agmina hostiũ, quę passim oppida occuparant, ad cędem rapiuntur, relictis pauciſſimis, qui fuga elapsi, tristissimæ cladis apud suos nuncij fuere. Capti sunt tres Hungarorum Reguli, qui suspendio necati sunt. His ita gestis supplicationibus per

omnia

omnia templa indictis Deo gratiæ pro parta victoria agebantur, triumphansq; Imperator in Saxoniam redijt.

DE ORIGINE SAXONVM.

SAxones hunc ad modum (vt refert Crantzius) in Thuringiam delati, regionem vi armorum occupatam sibi vendicarunt.

Theodericus rex Francorum. Irminfridus rex Thuringorum. Saxones a Gallia orti.

Theoderico Francorum rege, Irminfridum Thuringorum regem armis oppugnante, eiusq; regionem ferro & igni populante, Saxones e Britannia per Oceanum ad littus Germaniæ, in eam regionem, quam Thuringi incolebant, delati sunt, quos cum Thuringi eijcere conarentur, multa inter eos vltro citroq; gesta sunt leuia prælia, donec tandem eæ pacis conditiones inirentur, vt Saxonibus negociationes essent liberæ, sed ab agrorum possessione, homicidijs, prædationib. abstinerent. Quibus pactis aliquandiu firmiter stetere. Cum autem Saxones inopia pecuniæ & victus pressi amplius non haberent quod venderent, vel quo necessaria ad vitæ sustentationem coemerent, hanc pacem inutilem sibi esse iudicarũt. Accidit autem, vt quidã e iuuentute Saxonica aureis monilib. & armillis ornatus in littore famelicus circumuagaretur. Cui obuius Thuringus, quid quæso tantum auri circa collum gestas famelicum? Cui ille, Quæro, inquit, cui vendam: Nam cum acerba fame conflictor, quid quæso voluptatis ex auro possim capere? Ad quæ Thuringus: Quanti ergo aurea tua ista κειμηλια vendis? Precij, inquit ille, nulla apud me æstimatio, quicquid vltro dederis, grata id mente accepturus sum. Ad quæ subridens Thuringus, quid si gremium tibi terra hac impleam, num tali precio acquieueris? Saxo ijs auditis protinus traditis monilibus, & armillis aureis, gremium expandit, & e congesto sibi aggere quantum capere poterat, terræ sibi tradi petit. Thuringus tacite sibi ob illusum Saxonem gratulatus, ad suos auro onustus abit, quem omnes ob prædam adeo inperatam beatum prædicant, contra Saxonis stultitiam rident, qui interea ad classem reuersus, suorum partim risu, partim iurgijs excipitur, indignantium temere adeo tantum auri homini ingrato & hosti obiectum, eumq; ob dementiam istam insanum esse iudicatium. ad quos ille: Me, inquit, mei Saxones sequimini, meamq; hac insaniam plurimum vobis profuturam agnoscetis. Quibus dictis abiens vna cum socijs terram emptam in minutissimas conterit arenulas, & per agros disseminãs latam agrorum planiciem occupat. Hanc precio emptam sibi vendicare Saxones ibiq; tentoria figere iubet. Quod cum strenue illi exequerentur: Thuringi missis legatis, violari ab ipsis pacta & fœdera conqueruntur: Ad quę illi sese firmiter pactis stare, inquiunt, terramque suo auro emptam occupare, quam vel otiose possidere, vel armis tueri animum induxerint. His auditis Thuringi aurum Saxonicum execrantur, & quem paulo ante beatum prædicarunt, iam vt auctorem calamitatum & cruenti belli incusant. Interim tantas iras aduersus Saxones cõcipiunt, vt in eos sine ordine, cæco ruentes impetu, impressionem facerent, quos illi mature armis instructi exceptos partim cædũt, partim fugere compellunt, fortunaque primo eorum labori aspirante regionem occupatam ex sententia sua muniunt, & ab his principijs fuam deinde potentiam armis augere, & indies magis magisq; dilatare cœperunt. Plura de Saxonum virtute & rebus gestis, vide in Chron. Hed. lib. 3.

Francorum aduersus Thuringos bellum & victoria.

Varia fortuna Francorum Rex Theodericus aduersus Thuringorũ Regem Irminfridum dimicauit, donec tandem Saxonum armis eum debellaret, pacemque suppliciter petere cogeret, quem tamen ille supplicẽ perfide necauit. Magnis siquidem pollicitationibus Iringum virum nobilem,

ministrum

Iringus Sapo Dominũ suũ Regem Theodericũ occidit.

Theodericus Rex perfidus.

ministrum ipsius Irminfridi Regis, induxit, vt cum prostratus humi supplex veniam peteret Irminfridus, incautum a tergo confoderet. Cuius impietatis & parricidij ministrum cum se præbuisset Iringus, Rex Theodericus nihil pollicitationum recordatus his verbis eum affatur: Quoniã Iringe hominũ sceleratissime tua manu ipsemet Dominũ tuũ interemisti, merito omnibus inuisus es. Quare quo libuerit hinc discedito. Nec enim tui sceleris vllo modo participes esse volumus. Ad quę Iringus: Vere omnibus merito inuisus sum, quia tuæ perfidiæ obsecundaui. Veruntamen antequam hinc exeam, ipsemet scelus meum vindicabo, dominiq; mei cædem vlciscar. His dictis stricto protinus gladio ipsum quoq; Theodericum obtruncauit, eiusque corpori Domini sui corpus superimposuit, vt qui viuus fuerat victus, iam mortuus victor esse videretur. Deinde acie ferri iter sibi patefaciens euasit. Chron. Hed. 3 parte. Albertut Krantzius de morte Irminfridi hęc refert: Egerat cũ Iringo Theodericus, vt accedente Dominũ suum Irminfridum interficeret, ingentia ipsi munera pollicitus. Cũ itaq; Irminfridus ad Regem accederet, protinus supplicis ritu sese corã victore humiliaturus humi prosternitur, genua eius apprehensurus, quę inclinatũ humi Iringus gladio confodit. Perpetrata cædę protinus author successet Theodericus, eumque facessere iubet, Quis ei fidem seruet, inquit, qui sua manu Dominum suum interficit? Ibi quasi in furorem actus Iringus suæque salutis immemor gladium stringit, ipsumque Regem Theodericum ictu petit. Cumque manus aberraret, suo seipsum gladio iugulat, & super cadauer Domini sui corruens in eius amplexu moritur. Hic exitus fuit eius, qui suum ipse Dominum prodidit & interfecit.

Inter maxima & euidentissima miranda, quæ nostro æuo contigerunt, nullum maius ac nostræ fidei firmius testimonium videri potest, quam quod de Duarto Pacheco Lusitano refertur. Is circa annum Domini M. CCCC. XCIIII. in Orientali India (vt lex Christi inter barbaras gentes promulgaretur) sæpe cum duabus nauibus, ad summum cum quatuor, pugnauit cum infinita multitudine gentilium & Mahometanorum, aliquando etiam octoginta naues habentium: & quod maius est, aduersus infinitas machinas igneas semper victor: & quod maximum, nullo suorũ vnquam interempto. A sphærulis milites ipsi solũ prosternebantur in terram, signo in corpore relicto, cum tamen eædem tabulas nauis perforarent. Mirum & illud in tanta copia ictuum, nullum in capite ictum, cum omnes ictus in tam angustum spacium dirigerentur. Atq; eo magis, quod solum nonaginta quatuor homines, plerunque tantum septuaginta quatuor aduersus triginta millia ac plures pugnarẽt. Inter reliquos Innichum Piceatorem Cantabrum cum pila in terram prostrauisset, exusta barba, solum roboris signum in facie reliquit, eademque nauis parietem perforauit. Cardan. de rerum varietate. lib. 15. cap. 81.

NAVALE PRÆLIVM MEMORABILE INTER Christi fideles & infideles.

ANno 1506. Rex Calecuti Indorum classem ducentarum & decem nauium, inter quas octuaginta quatuor tritemes reliquis magnitudine præeminebant, validis copijs instructissimæ, aduersus Regem Lusitanorũ tanta mole ducebat, vt latum densumq; nemus per mare ferri videretur. Aduersus tantam barbaricæ classis molem Lusitanæ classis præfectus imparatus, vndecim tantummodo naues armis instructas in mare expansis velis subuexit, tali interim oratione milites Christianos aduersus infidelium turbam exhortans, vt illis moræ iam impatientibus non, quanta hostium esset multitudo, quãtæq; corũ vires, animo obuersaretur, sed quam

ingens

ingens decus sit pro Christianæ religionis defensione pugnare, vitamque profundere. Aderat simul Sacerdos, qui proram nauis occupans sacrę crucis simulachrũ erectum tenuit. Interea cum horribili vociferatione & immani strepitu innumera fideliũ turba ingruit, nec mora, vtrinq; ad arma concurritur, ingensq; strages infidelium oritur, qui ob multitudinem vel momento citius Christianorum naues absumpturi videbantur. Nam vigenti plerunq; naues gentilium vnam Christianorum oppugnabant. Verum illi Iesu Christi implorato auxilio medijs sese immiscebant hostibus, & in prima naui, quam expugnabant, circiter sexcentos armis instructissimos viros trucidarunt, in altera, quę vna quoque ex primatijs erat, circiter quingentos, & inter eos ducum præcipuos. Quęcunque deinde nauis ipsis occurreret, ea protinus pessundabatur. Istaque strages infidelium per totum continuata est diem, tanto cum feruore Christianorum, vt intra paucas horas naues circiter quinquaginta expugnatæ sint, multæ submersæ, nonnullæ captę, inter quas septem aromatibus fuere onustę. Nauis quoq; prægrandis, qua elephanti vehebantur, submersa est, elephanti tamen omnes fere incolumes ad littus delati fuere. Hunc ad modum infidelibus partim trucidatis, partim miserabili fuga per mare dissectis, insigni victoria Christiani potiti sunt, ex quibus ne vnum quidem occubuisse perhibent, quod nullam mereri fidem poterat, nisi ipsi potius Christo, quam hominum virtuti aut robori victoria assignanda videretur.

INSIGNIVM ALIQVOT HEROVM RES gestæ & victoriæ.

FOrtis & præferocis fuit Abraham ingenij, qui cum totus Oriens Assyrio pareret imperio, essentque eius gentis opes omnibus formidolosæ, is Chananęæ terrę incola, cum parua hominum manu, quam ex omni familia legerat, secutus Assyriorum copias, quæ Sodomæ vrbis Rege acie victo, & profligato grandem ex ea terra prædam, captiuorumque numerum ingentem ob tributum sibi denegatum abduxerant, circa alterum Iordanis fontem ex improuiso adortus magna ex parte cecidit, fœdeque disiecit, captiuis cum præda receptis, & in his Loth viro iustissimo fratris sui filio. Sabel. lib. 4 cap. 5.

Inter multa Dauidis Iudæorum Regis admiranda fortitudinis facinora, illud vnum narrasse contenti erimus, quod aduersus Ammonitas Syriosque edidit, quos longe inferior numero adortus, cum ipse inter primos fortiter dimicaret, Ammonitarum ducem Chadam, qui Sobachus dicebatur, virum fortissimum manu sua obtruncauit. Hoc M. Marcello haud dissimilis, cum Viridomaro Gallorum Rege interempto spolia opima retulit. Fulgos. lib. 3.

Tyrtæus Poeta Athenienſis pede claudus, tanta animi fuit magnitudine, vt belli dux a Lacedæmonijs constitutus Messenios fœliciter tandem repressérit, victo eorum duce Aristomene, cuius tantum robur fuisse perhibent, vt trecentos Lacedæmonios vno prælio sua manu interfecerit.

Spartanorum animos, cum de victoria desperarent, ita inflammauit suis carminibus, vt omnes periculi & mortis immemores in hostem furiosi se coniecerint, eoque modo victoriam sibi pepererint. De hoc Lycurgus in oratione aduersus Leocratem, Reliquit ipsis (Lacedęmonijs) elegos, quos audientes incitantur ad fortitudinem. Atque aliorum vatum nullam rationem habentes, hunc tanto sunt studio amoreque prosequuti, vt legem tulerint, vt si quando armati bellum facturi essent Lacedæmonij, ad tentorium Regis vocarentur, isthic Tyrtæi poemata audituri omnes.

Romuli fortitudo ingens in prælio ad Fidenas contra Veientes enituit.

Plutar-

Plutarchus in Romulo. In prælio ad Fidenas commisso præcipue Romuli virtute victoriam partam, omnem artem audacię coniunctam exercentis, roboreque & pedum celeritate, quanta in homine esse nō videretur vrentis, in confesso apud omnes est. Sed quod nonnulli aiunt, quatuordecim millibus Veientium cæsis, amplius dimidia parte eorum Romuli manibus interfectos fuisse, id plane fabulosum est: quando & Messenij inflatius Aristomenem suum prædicare videntur, qui trecentas ab eo victimas, de occisis totidem Lacedæmonijs mactatas iactarint.

Aristomenes iste a Lacedęmonijs captus, pœnam per cuniculos subterraneasq; cauernas effugit. Iterum captus custodibus somno sepultis, accessit ad ignem & lora combussit. Tertio captum cum Spartani dissecuissent, introspexissentque qualis esset, repertus est hirsuto corde.

L. Sicinius Dentatus propter ingentem fortitudinem Achilles Romanus vocatus est. Pugnauit in hostem CXX. prælijs. Cicatricem auersam nullam, aduersas XLV. tulit. Coronis donatus est aureis VIII. Obsidionali vna, Muralibus tribus, Ciuicis XIIII. Torquibus LXXXIII. Armillis plus centum & sexaginta, Hastis XVIII. Phaleris itidem quinquies viciesque. Triumphauit cum Imperatoribus suis triumphos nouem. Plinius, Gellius, Val. Max. Authores.

Scipio Africanus annum agens XVII. principio secundi belli Punici ductus in castra, circumuentum ab hostibus patrem liberauit. Post Cannensem cladem, cum iuuentus de relinquęda Italia cogitaret, ipse gladio supra capita erecto iurare singulos coegit, se non relicturos patriam. Mortuo in Hispania patre, quum omnes id bellum refugerent, sponte se obtulit, natus an. XXIIII. Vbi Carthaginem nouam vno die expugnauit, Asdrubalem superauit. Masinissæ nepotem in bello captum auo remisit. Syphacem regem vi cepit. Hannibalem ex Italia accersitum superauit, Carthaginemq; Romanis fecit tributariam. Reuersus Romam triumphauit. Cōsul in expeditionem Asiaticam profectus, omnia suis auspicijs rexit. Antiochum sub iugum misit. Accusatus demum, quod prædam Asiaticam nō totam in ærarium retulisset, Linternum secessit in villam suam, pertæsus ingratitudinem vrbis.

Carolus Martellus Pipini Primi filius, Aurelianos vno impetu fudit. Traiecto Rheno, Alemannos, Sueuos, Bauaros regno Francorum adiecit. Saracenos ab Eudone duce in Aquitaniam vocatos profligauit, cæsis ex eorundem exercitu CCC. LXXXV. millibus. Amorreum alterum eorum Regem, suppetias Athimo apud Narbonem obsesso ferentem, deleuit. Gothos (qui Hispaniam citeriorem Galliæ partem annos iam trecentos turbauerant) profligauit. Omnem postremo Galliam Francorum regno subiecit. Volater.

Carolus Magnus Pipini Secundi filius, cuidens virtutis Gallicę reliquit argumentum. In primis Aquitanorum Regem Himuldum in deditionem accepit. Accersitus ab Adriano Pontifice Longobardos cum duce Desiderio Italia expulit, quam annos iam CCIIII. possederant. Domum reuersus bellū Saxonum (quod annos prope triginta quatuor durauerat) quāuis interpolatum, prosecutus est. Quos sub iugum redactos ad Christianæ quoq; pietatis cultum induxit. Aigolandum Saracenum, Hispanosq; male de Christo sentientes, subiugauit. Beneuentanorum motus (qui Duce Araiso in Romanum Pontificē tumultum parabant) repressit. Taxilonem Bauarię ducem, res nouas molientem, sola pacauit legatione. Hunnos qui Pannoniam occupauerant: magnis affecit cladibus. Godefridum Normānorum Ducem Francorum socios vexantem, in potestatem suam redegit. Leonem III. Pont. a Romanis expulsum, suæ sedi restituit. Qui tantæ virtuti adiecit amorem literarum, quas vsque adeo & amabat, & mirabatur,

vt Pari-

vt Parisiensem Academiam primus instituerit. Erat corpore procero, vastis præter consuetudinem viribus.

Arturus Rex Britanniæ adeo bellica virtute excelluit, vt quadringentos & septuaginta viros gladio suo, quem Caliburnum vocabat, in prælio aduersus Saxones, Scotos, & Pictos, solus interfecerit, ac regna plurima suæ ditioni adiecerit. Vtebatur galea aurea, in qua sculptum draconem præferebat. Ferebat clypeum, in quo picta erat Christiparæ genitricis effigies. Vtebatur lancea ardua, & inusitati ponderis, quam Ron vocabat, secumque deferri semper volebat. Cantatissima est eius virtus, frequensq; fama in ore omnium. *Gladius Arturi. Galea. Clypeus. Lancea.*

Rolandus Caroli Magni ex sorore nepos Comes Blauiensis, in Gallia in bello aduersus Saracenos ipse solos totius instar agminis res gessit maximas, Ferracutum gigantem, quem Babylonis Admiraldus cum viginti millibus Turcarum aduersus Carolum Magnum miserat, victum interfecit, dissipato Saracenorum agmine Marsirium Regem occidit.

In honorem eius passim in Germaniæ ciuitatibus in foro erectæ & pictæ sunt Rolandinæ statuæ, eo quod libertatem iudiciorum eis concessisset, cum Christianorum religionem amplexæ Romanorum Imperio collum submitterent. Obijt anno Christi 796. in Runciaualle magna virtute cæsis fugatisque Saracenis siti confectus. Eius obitum Carolus Magnus his versibus deplorauit:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris, octo & binos super annos,
Ereptus terris iustus ad astra redi.

Annum circiter millesimum, ducentesimum, septuagesimum sextum, Henricus Comes de Spanheim / absque consensu fratris sui Iohannis, arcem Bickelheimensem Archiepiscopo Moguntino, VVernhero vendidetat. Vnde contentio inter Episcopum & Comitem Iohannem orta in funestum erupit bellum, in quo Iohannis Crucenacēsis, Michaelis Mordij virtus in primis enituit. Qui, sicut erat animo alacris, manuq; promptus, pro Comite, Domino suo, fortiter pugnans, in medias sese dat acies, magnaque bellantium turba solus ipse circundatus, amplius viginti gladio interimit, cumq; tandem multitudine hostium victus vulneratis pedibus corrueret, e vestigio se in genua erexit, gladiumque admiranda vibrans fortitudine, quinque adhuc ex hostibus prostrauit, glorioſamque mortem non tam victus, quam vincendo fatigatus oppetijt, dignus qui fortissimis heroibus annumeretur. Verum inuidiosa generis obscuritas multorum virtutem supprimit. Chron. Casp. Hedion 4. parte. *Michael Mordius Ianius (Crucenacensis.*

Anno Christi 1455. Georgius Stratiotus a patre Iohanne Stratioto Epiri Principe, Amurathi Turcarum Imperatori obses datus tāta virtute enituit, vt ob rerum gestarum, & bellicę virtutis magnitudinē, Scanderbeius, id est, Alexander Magnus, a Turcis cognominatus sit, omnesque & bellica laude & singulari Amurathis gratia cæteros vicerit. Qua fretus deinceps mortuo patre petiuit sibi ditionem paterni Imperij concedi. Petitioni etsi annueret Amurathes, tamen cum rem astute duceret, Georgius se ludificari sentiens, dedit operam, vt perfidum hostem falleret vicissim, cumq; insigni cālliditate solertiaque in Epirum euasisset, coactis copijs non magnis, sed summa voluntate militantibus, fines sui Imperij ita tutatus est, vt per multos annos Amurathis & Mahometis pene inuictos exercitus profligarit. Vir ingentis animi ac roboris, cui pugnā ingredienti e labris astantis animi vehemētia fissis sanguinem erupisse aiunt. Natrant etiam nunquam eum pugnam detrectasse, nūquam terga vertisse, nunquā vulneratum esse, nisi leui sagitta in pede, nec hostibus plus quam sena equi-

tum

tum, terna peditum millia oppoſuiſſe, & ſua manu ſupra duo hominum millia barbarorum præſertim iugulaſſe, tanto ictuum impetu, vt multos per medium diſſecuerit tranſuerſim ad vmbilicum vſque.

Vffonis Danorum Regis filij ſupra in quarto Præcepto facta eſt mẽtio. Is maiore erat corpore, quam vt armis vti poſſet alienis. Oblatis compluribus gladijs, manu capulum ſtringens fruſtillatim ſingulos agitando cominuit. Nec erat tanti rigoris gladius, quem non ad primæ concuſſionis motum, in varias partes confringeret ac diſſolueret. Saxo lib. 4.

Ætas bellatrix.

Sub Friderico III. vere bellatrix fuit ætas. Acerrimos enim & præſtantiſſimos in re bellica duces produxit non vno in loco aut regno, ſed pluribus ac diuerſis toto terrarum orbe.

Germania tres habuit origine nobiliſſimos, & induſtra militari ac bellica laude clariſſimos Principes, Albertũ Saxoniæ Ducem, Albertũ Marchionem Brandenburgenſem, & Fridericum victorioſum Comitem Palatinũ ad Rhenum.

Albertus Saxoniæ Dux.

Albertum Saxonem omine & aſpectu Hungaris, Gallisq; & Belgis ac Friſijs terribilem, ſagacitate atque in conſilij promptitudine ac celeritate admirabilem, fortitudine atq; vehementia in ipſo prælioꝝ feruore intolerabilem, moderatione poſt victoriam & clementia ſalutarẽ fuiſſe, ipſorum hoſtium confeſſio oſtendit. Contra hos enim populos pro Imperatore, vt Maieſtas Imperij maneret inconcuſſa, atq; illabefactata, fortiſſime pugnauit. Gallos Belgio exturbauit, idemq; cõtinuo octennij bello, eoq; aſpero admodum ac difficili vix tandem pacauit a factionibus & ſeditionibus inteſtinis. Matthiam Regem in Auſtria ad paciſcendum de pace, & amplectendas conditiones, quas tulit, adegit. Quibus rebus pro imperio geſtis meruit, vt decreto publico vocaretur dextra manus Imperij, & deſignaretur Dux copiarum publicarum.

Dextra manus Imperij.

Alberto Brandenburgico tributum eſt cognomentũ Achillis Germanici. Auctoritas eius ac celebritas tanta fuit, vt deliberaturum ſit de cõmittenda ei ſumma belli Turcici præ cæteris. Cum aduerſus eum omnes Superioris Germaniæ ciuitates iuuare ſtatuiſſent Noricos, quibus ille bellũ indixerat, & compararetur numeroſus exercitus, interroganti cuipiam, cur tanto apparatu adornaretur bellum aduerſus vnum Principem, & eũ quidem non ditiſſimum, reſpondit vnus ex Primoribus ciuitatum: Deſpis, inquit, in Alberti aſtutia, & fortitudine omnium Germaniæ Principũ vires opesq; continentur.

Hungaricam gentẽ hoc ſeculo nobilitarunt res geſtæ duorum Hunniadum Iohannis Patris, & Matthiæ filij.

Epirus Scanderbeium habuit. Chron. Philip. lib. 5.

QVI SVIS PERIERE VIRIBVS.

Polydamas athleta mirandi roboris.

GRæcorum monumentis proditum eſt Leonem inſolita magnitudine confectum in Olympo mõte a Polydamante athleta inermi. Eundem quoque ſcribunt in armenta boum intraſſe, vbi taurũ magnitudine inſigni, altero poſteriorum pedum arripuerit, ferocientemq; & prę rabido impetu proſilientem, non dimiſerit prius, quam in eius manu vngulam reliquerit: Narratur etiam quadrigas tota vi concitatas conſtãtiſſime retinuiſſe. Qua fortitudinis fama permotus Rex Darius Artaxerxis filius, virũ magnę mercedis pactione Suſa pellicuit. Eo quũ veniſſet Polydamas, tres omniũ Perſarum fortiſſimos, qui vnà ex prouocatione arma ſuſceperãt, in aduerſum ſolus contrucidauit. Qui inuſitato robori cõfidens, dum forte fortuna cum aliquot alijs in ſpelunca recumberet ad menſam, conuulſusq; ſuperne ſcopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugã impelleret,

ſolus

solus ibidem remãsit, fore sperans, vt saxũ decidens facile sustineret. Quo tamen oppressus est. Hic Polydamas alijq; suo freti robore aduersus quintum Præceptum in eo deliquerunt, quod ex nimia virium cõfidentia sibi ipsis nec is autores fuerint. Quemadmodum etiam Milo Crotoniata suis ipse viribus exitium sibi attulit.

Is tanti fuit roboris, vt dum constitisset, nemo eum vestigio educeret. Malum tenenti nemo digitis poterat extorquere. In Olympia bouem per stadium retento anhelitu portauit, quem ictu pugni interfecit, & vno die integrũ deuorauit. Quum autem nimia viriũ fiducia arborẽ vellet diducere brachijs hinc inde constrictis & deficiente conatu retentus, lupis fuit præda.

Cynegirus Athenienſis in bello Perſico magna pertinacia in consectãdis hostibus vsus est. Nam & nauem onustam dextra manu tenuit, ea amputata, sinistram iniecit: quam & ipsam cum amisisset, nauem mordicus arripuit, morsuque retinuit furenti similis. Tantam in eo virtutem fuisse, vt non totcædibus fatigatus, non ambabus amissis manibus victus, ad postremum truncus, & veluti rabida fera dentibus dimicauerit. Trog. 2.

Cleomedes Astypalæus Lachum Epidamnium pugilem vnico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. Ob quam feritatem, quum a iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, columnam (qua Ludi literarij domus fulciebatur) disiecit, eaque ruina pueros omnes adobruit. Alij dicunt fugientem in Mineruæ templo arcam in gressum operculo se obtexisse, vbi nusquam repertus sit.

MONOMACHIA VEL SINGVLARI certamine illustres.

ROmulus ab Acrone Ceninensium Rege ad dimicandum prouocatus, quanquam & numero & fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusque erat toto cum exercitu quam solum in aciem descendere, sua potissimum dextra omen victoriæ rapuit, nec incepto eius fortuna defuit. Occiso enim Acrone, fusisque hostibus opima de eo spolia Ioui Feretrio retulit.

Romulum imitatus Cossus Regem Veientium Tolumnum interemit, altera Ioui Feretrio opima spolia cum solenni dedicatione fixit.

Nec inferior virtute Marcellus de Viridomaro Gallorum Rege patri Quirino arma suspendit.

Quintus Cotius propter fortitudinẽ Achilles cognominatus, Quinto Metello Consuli in Hispanico aduersus Celtiberos bello legatus additus, postquam cognouit, a quodam gentis huius iuuene se ad dimicandũ prouocari (erat autem illi forte prandendi gratia posita mensa) relicta ea, arma sua extra vallum deferri, equumq; duci clam iussit, ne a Metello impediretur: Et illum Celtiberum insolentissime obequitantem cõsectatus interemit, detractaq; corpori eius exuuias, ouans lætitia in castra retulit.

Idem Piresum nobilitate ac virtute omnes Celtiberos præstantẽ, cũ ab eo in certamen pugnæ prouocatus esset, succumbere sibi coegit.

Anno ab vrbe condita, trecentesimo nonagesimo quarto, Galli ad tertium lapidẽ Salaria via trans põtem castra habuere. Dictator T. Quintius Pœnus in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. Prælia de occupando ponte crebra erant: nec qui potirentur, incertis viribus satis discerni poterat. Tum eximia corporis magnitudine in vacuum põtem Gallus processit: & quantum maxima voce potuit, Quem nunc, inquit, Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnã, vt noster duorũ euentus ostendat, v-

Titi Manlii Torquati & Galli certamen.

tra gens bello sit melior. Diu inter primores iuuenum Romanorum silentium fuit, cum & abnuere certamen vererentur, & præcipuam sortem periculi petere nollent. Tum T. Manlius, ex stratione ad Dictatorem perges, vltro sese dimicationi offert. Quem Dictator laude prosequens fœlici auspicio ad certamen progredi iubet. Itaque ab æqualibus armatus adornatusq; aduersus Gallum stolide lætum procedit. Vbi constitere ambo inter duas acies: Gallus velut moles superne imminēs, proiecto lęua scuto in aduenientis arma hostis, vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem deiecit. Romanus mucrone surrecto cum scutum scuto imum perculisset, totoq; corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque vno alterog; subinde ictu ventrem atq; inguina hausit, & in spatium ingens ruentem porrexit hostem. Ruentis inde corpus ab omni alia vexatione intactū, vno torque spoliauit, quem respersum cruore, collo circumdedit suo. Defixerat pauor cum admiratione Gallos. Romani alacres ab stratione ebuliam militi suo progressi laudantes gratulantesq; ad dictatorem perducunt, qui coronam auream ei donum addidit, mirisq; pro concione eam pugnam laudibus tulit. Cognomen inde Torquati posteris etiam familiæq; honori fuit, Liuius lib. 7.

M. Valerij & Galli certamen.

Singulari pugna Curiatiorum & Horatiorum, supra de Ira & Odio exposita est.

Anno ab Vrbe condita 406. Galli iterum Romanos infestarunt. Aduersus quos Camillus Consul cum in agrū Pomptinum descendisset: Gallus processit magnitudine atque armis insignis: quatiensq; scutum hasta, cum silentium fecisset, prouocat per interpretem vnum ex Romanis, qui secum ferro decernat. Marcus Valerius erat Tribunus militum, qui haud indigniorem eo decore se quam T. Manlium ratus, prius scisciatus Consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum, numine interposito Deorum factum: Namq; conferenti iam manum Romano coruus repente in galea consedit in hostem versus, is quotiescunque certamen initum est, leuans se alis, os oculosque hostis rostro & vnguibus appetijt: donec territum prodigij talis visu, oculisque simul ac mente turbatū, Valerius obtruncat, Coruus e conspectu elatus Orientem petit. Consul concione aduocata, laudatum Tribunum, decem bobus aureaque corona donat, eiq; deinde Coruini cognomen inditum, summoque fauore populi Consulatus tres & viginti annos nato tributus. Liuius lib. 7.

Vsonis congressus cum Saxonum Regis filio eiusque satellite, in quarto Præcepto de pietate liberorum expositus est.

Haddingo in Dania rerum potiente, in Saxonia vero Sigfrido, quidam in Iutia, Tosto nomine, supra vires audax multum & damni & terroris inferebat Danis, Saxonum vires & nomen falso iactitans. Parebat enim tum temporis Saxonibus Iutia: Eademque erga Saxones sub Danorum nomine vsus est audacia, ijs plurimum suis incursionibus & rapinis incommodans. Rex Saxonum alijs grauioribus bellis tum implicatus, eius iniurias pretio & muneribus compescit, mox fœdere cum eo inito, eius sibi copias aduersus Haddingum adiungit, eumque infestis armis ex Saxonia & Iutia oppressum fuga salutem quærere compellit. Fugientem Tosto insequitur. Nouis interea conscriptis copijs Haddingus secutum hostem aggreditur, eumque grauiter sauciatum fugat. Tosto ea accepta clade eum minime Regis opibus se parem esse animaduerteret, piraticam exercere animum inducit, quam viam recuperandi opes iudicabat esse proximam. Qua in re cum fortunam fauentem expertus esset, in patriam & opulentior & audacior reuertitur. Verum cum nec iam satis se munitum esse aduersus Regis potentiam agnosceret, ad singulare eum certamē prouocat. Rex Haddingus

dingus & si iure id detrectare potuisset, eo quod hostis abiectioris esset cõditionis, quam cui cum Rege contendere fas esset, ea tamen fuit animi magnitudine, vt nequaquam in tale certamen descendere dedignaretur, in quo victum hostem temeritatem & audaciam sero agnoscere & detestari coëgit. Crantzius lib 1. cap. 3.

Helgo Danus.

Aduersus Hundingum Saxonum Regem Sigfridi filium, Helgo frater Regis Danorum Roe, a quo Roschildia fertur condita, per Albim validas adducens copias, populabundus in Saxoniam impressionem fecit. Cui cum Hundingus, qui hostile nihil metuerat, copijs subito congregatis occurreret: Helgo & viribus corporis & animi magnitudine ferocior ad singulare certamen hostem prouocat: Sæpe, inquiens, accidit, vt toto pugnãte exercitu maximam aliquis virtutem exerat, cuius tamen in denio a-guine nulla habeatur ratio. Quocirca quiescentibus vtrinq; copijs, nos duo nostro sanguine litem huius belli dirimamus, vtri victoria cesserit, pe nes istius quoque exercitum victoria perstiterit. Talem certaminis conditionẽ detrectare extremum erat dedecus. Itaque ambo Reges armati in media campi planicie prælio huic designata infestis & animis & telis concurrunt. Stante autem victoria penes Danum Saxones lutiæ regno cedere coacti sunt. Crantzius lib. 1. cap. 4.

Duorum fratrum robur & monomachia.

Alarico Succorum & Gothorum Rege contra Rutenos bellũ gerente, Hildegernus Succus pugil, Rutenorũ aliquem ad singulare certamẽ prouocabat. Cunctantibus cæteris Haldanus præcipuę fortitudinis pugil, qui nuper ad Rutenorũ militiam ex Schoningia aduenerat, se ad duellum offert. Erat hic Haldanus Borchari Schoningiani satrapæ filius, ex Drotha Norwegiæ Regis filia susceptus, quam occiso nobilissimo marito Gunnone Suetico sibi in coniugem acceperat non inuitã. Nam idem Gunno ipso antea eius patre Rege Regnaldo, ipsam in suum coegerat coniugiũ, filiumque Hildigernum ex ea procreauerat. Quocirca cum Hildigernus natu maior, sciret hunc Haldanum esse suum vterinum fratrem, recusauit cum eo congredi prætexendo ipsius in re bellica tyrocinium, fraternã necessitudinem celans, ne metu id fecisse videretur. Tum Haldanus, roboris ostentandi causa, Gothos prouocat & primo vnum progressum ob truncat. Deinde duo sunt illi obiecti: quibus occisis, tres secum pariter congressuros postulat: quibus oppressis, numerum per vices adauxit, vsq; ad vndecim, quibus demum congressus victor euasit. Tum Hildegernus videns ipsum ad patrem militiæ gloriã secum peruenisse, cum eo cõgressus, sentiens se mortiferum vulnus accepisse, proiectis armis fratrem se ei us esse indicauit, & in ipsius amplexibus expirauit. Io. Magnus lib 7.

Germanorum consuetudo.

Germani olim in causis ambiguis, maxime criminibus, quæ nullo testimonio humano probari poterant, ad summam Dei Maiestatem, quæ falli non potest, tanquam ad iudicem omnium rectissimum confugiebãt. Senatus, populus atque Sacerdotes, ac alij huiusmodi probationem spectatum frequentes venerant, interim, vt est in lege Salica, diuinam opem implorabant: beneficia memoriter commemorabant, quæ in simili negotio Deus ipsis cõtulisset: cõprecabantur, vt ipse in re præsenti innocẽti adesset vi, victoriamque cœlitus concederet. Reo eligendi atque conducendi, quẽcunq; vellet, copia fiebat. Criminator ipse pugnare cogebatur: Auentinus lib. 4.

Caroli V. Imperatoris virtus.

Carolus V. Cæsar, anno 1536. Mense Aprili, grauissima habita Romæ in Senatu Pontificio oratione, clare testatus est, se inuitũ in id bellum, quod tum contra Galliæ Regem Franciscum de Mediolanẽsi imperio parabat, trahi, in quo multæ gentes nihil mali meritæ & insontes, ipsorum Principum ira cundia atque obstinatione, cladẽ essent subituræ. Propterea pietate Christiana tacto satius sibi videri, & Reipub. quidem vtilius, vt ipse

& Franciscus ad singulare certamen descenderent, ensēque & pugione dimicantes controuersiam finirent. Iouius lib. 35. Hist. Sed & per præconē Gallum prouocauit, septem conditionibus oblatis, vt in mari, vel terra, vel flumine, equo vel pedibus, colle vel planicie, de Galliæ Cisalpinæ & Burgundiæ iure inter se certarent, Deum iudicem futurum, sine publicæ salutis detrimento, quadraginta dierum ad deliberandum concessis indu-cijs, ter contestatus, se pacem, pacem, pacem Christianorum non bellum flagitare & expoſcere. Gulielmus Zonicarus in vita Caroli.

SOMNIIS ALIISQVE PORTENTIS VICTORIÆ ET clades diuinitus præmonstratæ.

GEdeon aduersus Madianitas pugnaturus, noctu comitante ipsum ar-migero Phara in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ, de-scendit, ibi ex militibus quidam narrabat proximo suo somnium hunc in modum: Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericeus panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere, cumque peruenisset ad ta-bernaculum, percussit illud atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit is cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israelitæ. Tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & o-mnia castra eius. Cumq; audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit, & reuersus est ad castra Israel, & ait: Surgite, Tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Iud. 7.

Eugenius relicto ludo Grammatico, cui præfuerat, Imperatoris Valen-tiniani satelles, mox quæstor factus est. Quam fortunam cum moderate ferre non posset, cum Arbogasto conspiratione facta, Imperatoris cubicu-larios amplissimis promissis inducunt, vt dormientem Imperatorem stra-gularent. Quo parricidio perpetrato Tyrannidem Eugenius & Arbogastus arripiunt, validissimisque Barbarorum copijs aduersus Theodosium Im-peratorem collectis, omnia extrema tum Imperatori, tū Ecclesiæ minan-tur. Theodosius, nefarijs eorū conatibus occurrens, cum in maximas dif-ficultates incidisset, eiusque copiæ exiles essent, animisque fractæ, ipse in vertice montis, vbi castra fecerat, sacra æde reperta, totam ibi noctem hu-ius vniuersitatis Gubernatorem precibus sollicitauit. Sub tempus autem noctis, quo galli cantare solent, somnus eum oppressit. Qui humi stratus videre sibi visus est duos viros cādido vestitu amictos, equis albis vehi, qui ipsum bono animo esse, timorem abijcere, prima luce arma capere, & ex-ercitum in aciem educere iubent: Nam se auxiliares, & velut antesignanos ad eum missos esse. Hac oblata visione Imperator preces fundere non de-sistit, sed attentiore cogitatione eas Deo adhibet. Eadem quoque visio mi-liti secundum quietem apparuit, qui præfecto suo eam narrauit: ille eum deducit ad Tribunum militum, Tribunus autem ad Ducem: Dux noui ali-quid inde portendi ratus, Imperatori significat. Tum Imperator, Nō mea, inquit, causa oblata est hæc visio militi, sed ne quispiam existimaret, me, vtpote prælij faciendi cupidum, eam confinxisse. De victoria Imperatoris, & clade interituq; Eugenij & Arbogasti in tertio Præcepto dictum.

Cum Tyro capta Alexāder in Iudæam venisset, placaturus eum Iaddus summus sacerdos, ornatus veste Sacerdotali, cum cœtu Sacerdotum & se-niorum processit ei obuiam, & pacem petiuit. Ibi Alexander de equo de-scendens, summū Sacerdotem reuerenter salutat, & pacem promittit. Du-ces admirantes interrogant, cur tanto honore hunc Sacerdotem excepe-rit? Quibus respondet, se in Macedonia ante bellum dormientem vidisse talem speciem numinis, ornatam simili veste, vocantem eum in Asiam, & iubentem, vt bellum contra Persas moueret, & dextram porrigentem tan-

quam

quam ductricem. Eius speciei cum viderit hunc Sacerdotem similem esse, existimare se, hunc populum Deo curæ esse, seq; ab huius populi Deo adiutum esse, quare ei parcere & benefacere decreuisse, 2. Chron. Philip.

Eadem Historia paulo aliter a Campofulgosio refertur:

Cum Alexãder Magnus, inquit, Hierosolymis cum exercitu appropinquaret, infesto multis de causis animo, in magnum metum illius vrbis populum coniecerat. Quam ob rem Iaddus Pontifex post longas ad Deum orationes, cum in somnum incidisset, Deum vidit dormienti sibi dicentem: Ne formidaret, sed Alexandro Pontificia amictus veste se offeret. Credidit Iaddus somnio, in eumque morem, qui prædictus erat, ornatus, ipse cum alijs Sacerdotibus stolatis, postero die Alexandro occurrit, vt venientem exciperet. Quem Alexander intuitus ex equo descendit, & humi genu innixus eum adorauit, petitaque omnia concessit. Quod cum Alexandri Duces alijque mirarentur, & illud Alexander animaduertisset, dixit, pridie eius diei, Deum in somnis vidisse eo habitu, quo Iaddũ viderat amictum, grauiter vitæ eius comminantem, si quid Iudæos offendisset.

Constãtinus cum Romam versus cum exercitu aduersus Maxentij Tyrannidem tenderet, nocte visus sibi in cœlo fulgentem videre crucem, & moneri, quod in eo signo hostes esset superaturus. Posita cruce in militaribus signis, quæ vsq; ad eum diem abominabilis fuerat, parta de Maxentio victoria, cum eius morte nocturnæ visioni fidem asseruit.

Missus ab Honorio Imperat. Maselcerus aduersus Gildonem ad recuperandam Africam, somniauit Episcopum Mediolanensem Ambrosium videre, qui iam diu mortuus erat, pedo pastorali ter humum percutere, terq; dicere: Hic atque in hoc loco. Itaque postera die in eo ipso loco, paruo labore Gildonem superauit. Fulgos. lib. 1. cap. 5.

Eo die, quo Iulianus in Perside interijt, Didymus Alexandrinus ob Imperatoris scelera contra Christianam religionem admissa supra modum dolens, totus ieiunijs & precibus vacabat, cumq; sequenti nocte forte in solio assidens somno oppressus esset, videbatur sibi videre equos albos in aere cursare, & qui in eis vehebãtur, eos ita prædicare: Nunciate Didymo, hodie Iulianum, hac ipsa hora interfectum esse, ipseque idem illud Athanasio Episcopo significet. Didymus igitur illico somno solutus surrexit, ciboumque cepit. Interituq; Iuliani paulo post ex Perside annunciatus est. Sozom. lib. 6. cap. 2.

Cum Britanni graui bello ab Aubone & Aguero Cimbrorũ Dacorumque Regibus premerentur, & eo tempore dormiret Alfredus Britannorum Rex, per quietem vidit Cuthbertum Britannum Episcopum iam mortuũ mira sanctitate insignem dicentem: ne animo terreretur, quoniam hostes superaturus esset. Victoriæ autem illud signum habiturus, quod quanquam astrictæ glacie essent aquæ, piscatores tamen ad paruum missi amnem, magnam piscium vim allaturi essent, vix experrectus pisces allatos vidit. Auditaque matre somnium eiusdem generis, quod ipsi quoq; contigerat, narrante, impetu in hostes facto, partem eorum occidit, partem secum retinuit, & Baptismo dignatus Christianos fecit, reliquos Insula pepulit, anno decimo septimo Ludouici secundi Imperatoris, qui Lotharij Pater fuit. Fulgo. lib. 1. cap. 5.

Alfredus Britannorũ Rex.

Sanacharibus Arabum, Assyriorumque Rex, cum magnis copijs inuasisset Ægyptum, Sethon Rex Ægyptius consilij inops & ab Ægyptijs destitutus templum ingressus apud simulachrum fortunam suã flebiliter deplorauit, ibi cum inter lamentationes somnus ei obrepsisset, visus est interquietem astare Deus, monens, nihil eum molesti passurum si copijs Arabum obuiam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His insomnijs fretus sacerdos, sumptis Ægyptiorum his qui sequi vellent, castra in Pelusio po-

Sethon Rex Ægypti.

fuit. Hac enim Ægyptus inuaditur: Nec quisquam bellatorum eum secutus fuit, sed institores, operarij & forenses homines: Eo cum peruenissent, noctu effusa agrestium murium multitudo, hostium tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas ambedere, ita vt postera die hostes armis ex uti fugam fecerint, multis amissis. In cuius rei memoriam Regis simulachrum lapideum templo Vulcani positum est, manu murem tenens, atq; hæc per literas dicens: In me quis intuens pius, esto. Herod. lib. 2.

Carthaginensium Dux Amilcar, cum obsideret Syracusas inter somnium vocem exaudisse credidit nunciantem, futurum, vt proximo die in ea vrbe cœnaret. Lætus igitur perinde, ac diuinitus promissa victoria, exercitum pugnæ comparabat, in quo inter Siculos & Pœnos orta dissensione, castris eius Syracusani subita irruptione oppressis, ipsum intra mœnia sua vinctum pertraxerunt. Itaque magis spe, quam somnio deceptus, cœnauit Syracusis captiuus: non, vt animo præsumpserat, victor.

Duo familiares Arcades iter vna facientes Megaram venerunt: quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit. Is qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suum orãtem: vt sibi caueret ponis insidijs circumuento subueniret, posse enim celeri eius accursu se imminenti periculo subtrahi: quo viso excitatus prosiluit: tabernamque, in qua is diuersabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato eius humanissimum propositum tanquam superuacuum damnauit, & lectum ac somnum repetijt. Tunc idem ei saucius oblatus obsecrauit, vt qui vitę suæ auxilium ferre neglexisset, necis vltione non negaret. Corpus enim suum a caupone trucidatum: tum maxime plaustro ferri ad portam stercore copertum. Tam constantis familiaris precibus confusus protinus ad portã concurrit, & plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemq; ad capitale supplicium perduxit.

Homicida per somnũ proditur.

Latino bello & graui & periculoso, vtrique consuli P. Decio, & T. Manlio Torquato quidam per quietis speciem prædixit, ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum dijs manibus, Matriq; terræ deberi. Vtrius autem Dux copias hostium aggrederetur, superq; eas sese ipsum deuouisset, victoriam habituram. Conuenit itaq; inter Coss. cuius cornu prius laborare cœpisset, vt is capite suo fata patriæ lueret, quæ neutro formidante Decium depoposcerunt.

Decius somnio monitus pro patria se deuouet.

Caio Graccho imminẽtis casus atrocitas palam atque aperte per quietem denunciata est: Somno enim pressus, Tyberij Gracchi fratris effigiem vidit, dicentis sibi, nulla ratione eum vitare posse, vt eo fato non periret, quo ipse occidisset.

Arterius Rufus eques Romanus, cum gladiatorum munus Syracusis ederetur, inter quietem retiarij se manu confodi vidit, idq; postero die in spectaculo confessoribus narrauit. Incidit deinde, vt proximo ab equite loco Retiarius cum Mirmillone introduceretur, cuius cum faciem vidisset, idem dixit ab illo se retiario trucidari putasse, protinusq; inde discedere voluit, illi sermone suo, metu eius discusso causam exitij misero attulerũt. Retiarius enim in eum locum compulso Mirmillone, & abiecto, dum iacentem ferire conatur, transiectum gladio Arterium interimit.

Crœsus de filij sui fato præmonitus.

Efficax & illa quietis imago, quæ Crœsi regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam e duobus filijs, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præstantiorem, imperijq; successioni destinatum Atym existimauit ferro sibi ereptum. Itaque quicquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte, patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti: domi detentus quoque amoueri iussit: gladio cinctis comitibus vtebatur: vetiti sunt pro-

pius

pius accedere, necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis culta, crebra cum agrestium strage vastaret: inusitatoq; malo regium imploratum esset auxilium: filius a patre extorsit, vt ad eũ opprimendum mitteretur, eo quidem facilius, quod non dentis, sed ferri sæuitia in metu reponebatur. Verum dum acri studio interficiendi apri omnes sunt intenti: pertinax casus imminentis violentiæ lanceam, potiendæ feræ gratia missam, in eum detorsit: & quidẽ eam potissimum dextram nefarię cędis crimine voluit aspergi, cui tutela filij a patre mandata erat, quamq; Crœsus imprudentis homicidij sanguine violatam, hospitales veritus Deos, supplicem sacrificio expiauerat.

Himeræ somnium.

Intra priuatum habitum Dionysio Syracusano adhuc se continente: Himera quædam, non obscuri generis fœmina, inter quietem opinione sua cœlum conscendit, atque ibidem Deorum omnium lustratis sedibus, animaduertit prævalentem virum flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis cathenis vinctum, Iouis solio pedibusque subiectum: interrogatoq; iuuere, quo gratia considerandi cœli duce fuerat vsa, quisnam esset, audiuit illum Siciliæ Italiæq; dirum esse fatum, solutumq; vinculis multis vbibus exitio futurum, quod somnium postero die sermone vulgauit. Post quam deinde Dionysium inimica Syracusarum libertati, capitibusque insontium infesta fortuna cœlesti custodia liberatum, velut fulmen aliquod otio ac tranquillitati iniecit, Himera eum mœnia inter effusam ad officium & ad spectaculum eius turbam intrantem, vt aspexit: hunc esse, quem inter quietem viderat, vociferata est. Id cognitum Tyranno, curam tollendæ mulieris dedit. Tutioris somnij mater eiusdem Dionysij: quæ cum eum conceptum vtero haberet, parere visa est Satyriscum, consultoque prodigiorum interprete clarissimum, ac potentissimum Graij sanguinis futurum, certo cum euentu cognouit.

Mater Dionysij.

Astyages Medorum rex, somniauit vrinam filiæ Mandanes toti inundari Asiæ.

Eidẽ visa est nasci ex muliebrib. filiæ vitis, quæ patulis diffusa ramis Asiã obumbraret. Significatum est his picturis, filiam edituram prolem, quę Asiæ regnum occuparet: paulo post natus ex ea Cyrus somnia compleuit.

Huic Cyro in Armenios eunti cum exercitu, cum difficultates quædam & tardarent progressum, & ancipitem fortunam ac dubiam minarentur, somnium nocturnum animum addidit, & spem fecit victoriæ. Visus enim sibimet ipsi secundum quietem compedibus distineri, & easdem paulo post sponte ruptas dissilire ac decidere, vt quacunq; vellet ingredi posset. Non fore diuturnas has difficultates, & expeditam victoriam secuturam inde ratiocinatus est.

Iulio Cæsari ingruente fatali die, nocte præcedente Calpurnia vxor eius visa sibi est mariti trucidati corpus vlnis tenere & deplorare. Cuius somnij atrocitate vehementer exterrita, rogare non destitit, vt proxima die a curia se abstineret. At ille ne muliebri somnio motus id feciſſe existimaretur, Senatum, in quo ei parricidarum manus allatæ sunt, adire contendit.

Antonius Musa Augusti medicus, Plutarchus M. Artorium vocat, ante prælium, quo in Philippis depugnatum est cum Cassio & Bruto, somniarat tabernaculũ Augusti in castris diripi: admonitus itaque Augustus inde decessit. Nec falsus est omine somnij, inter pugnandum enim fugato illo cornu, tabernaculum a Bruto direptum est.

Hannibal, cum Saguntum cepisset, visus est in somnijs a Ioue in Deorum conciliũ vocari, quo cum veniſſet, Iouem imperasse, vt Italiæ bellum inferret, ducemque ei vnum ex concilio datum: quo illum vtentem cum exercitu progredi cœpisse, tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret. Illũ autem id diutius facere non potuisse, elatumq; cupiditate respexisse, tũ

visam belluam vastam & immanē, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta peruertere, & eum admiratū quæsisse de Deo, quidnam illud esset, tale monstrum? & Deum respondisse, vastitatem esse Italiæ, præcepisseq; , vt pergeret protinus, quid retro atq; a tergo fieret, inquirere ne laboraret.

Alexander Magnus cum Tyrum Phœniciæ vrbem iam diu obsideret, vidit per quietem Herculem, quem diu aduocauerat, e mœnibus vrbis manum porrigentem atq; intra vrbem trahentem eum. Paucis post dieb. rursus vidit Satyrum prope applaudentem, & iocabundum: sed cum vellet capere, resiliebat, frustrabaturq; eum: tandem cum diu elusisset eum, exoratus in eius manus venit. Sequenti die cum vates consuluisset, respōderunt haud dubie obsessa vrbe potiturū. Nam Sa vult dicere tua, & Tyrus nomen vrbis: Quare Satyrus, tua Tyrus.

Plures etiam Tyriorum Principum per somnum viderunt Apollinem, quem summa in veneratione habebat vrbs, dicentem se velle ad Alexandrum ire, quod ciuitatis mores illi displicerent. Vnde eius statuā catenis, & clauis aureis basi vinxerunt, illum appellantes Apollinem Alexandrinum transfugam.

Iulij Cæsaris somnium.

Iulius Cæsar qui postmodum rerum potitus est, cum apud statuam Alexādri diu ingemuisset, quasi ea ætate nihil adhuc insigne edidisset, qua Alexander imperium orbis adeptus erat: somniauit sequēti nocte, stuprum matri intulisse. Ostento confusus rem detulit ad interpretes, qui responderunt, significari sibi mundi seu terræ imperium. Terra enim omnium est parens, quam sibi subiectam viderat.

A simuchro leonis quidā perimitur.

Somniarat quidam se lethali morsu a marmoreo leone in ingressu tēpli posito confectū esse, mane templum ingressurus, cum marmorei leonis simulachrum aspiceret, cum risu illud somnium sodalibus exposuit, manumq; in rictum simulachri immittens iocabundus, inquit, Iam morde hostis validissime, & me si potes perime. Vix ea effatus erat, cum a latente ibi Scorpione lethaliter ictus somnio suo fidem attulit. Plutarch.

Bruto ante prælium in Philippis, in quo perijt, tetra secundū quietem species visa est dicere: Tuus ego sum Brute cacodæmon, in Philippis me videbis. Simile de Cassio Parmensi narrat Valerius.

Alcibiades ea nocte, qua interfectus est, in somnis visus sibi erat vestē Timandræ induisse, eamq; caput ipsius in vlnis tenuisse. Quæ nequaquā fallax imago fuit, quo enim pallio amicæ suæ dormiens opertum se viderat, eo interfectus, & insepultus iacens contectus est.

Hēricus II. rex Gallorū de suo fato præmonitus somnio vxoris

Pridie quam Galliæ rex vulnere oculi sauciaretur, Margarita eius vxor, vt referunt, per somnuim vidit, marito oculū effossum. Quod ille fati necessitate vrgente, neglexit, monitū & recusantem concurrere equitem, non semel coëgit: itaque dum concurrit, lancea fracta, ligni frusto tenui, quod rudus quidam vocant, in oculo ictus grauiter est, paucisq; post diebus eo vulnere interijt.

Lucullus pridie quam occupata vrbe Synopi interemit octo millia præsidiariorū Mithridatis, in somnio a quodam his verbis cōpellari visus est: πρόελθε λούκουλλε μικρὸν, ἥκει γὰρ αὐτόλυκος ἐντυχεῖν σοι βουλόμενος. Progredere paululum o Luculle, aduenit enim Autolycus tibi occurrere volens. Vrbe potitus cum persequeretur fugientes, incidit in statuam Autolyci, quæ consternatis in fuga exciderat.

Sylla ante prælium, quo Marianas copias vltimas, quas Marius iunior ducebat, irruptione inopinata oppressas deleuit, in somnis visus est videre Marium seniorem dudum vita functum, qui moneret filium, vt diem in-

sequentem

sequentem diligentius caueret, huius somnij instinctu Mariana castra adortus expugnauit, deletis amplius viginti millibus hominum, paucis amissis.

Somnia, nisi sint theopneusta plerumq; fallunt, eaq; obseruare & vanũ & impium est. Gaudet Diabolus, qui & latro & mendax est hominum animos in terrores conijcere, & per somnia eis immissa seditiones, bella, homicidia, aliaque scelera inter mortales excitare, vanaque spe lactatos per somnia ambigua in magnas calamitates coniicere. Quemadmodum Amilcar somnio deceptus Syracusas expugnare aggressus est, sed infœlici euentu, vt supra dictum.

Cum de bello Græcis inferendo Xerxes agitaret consilia, Artabanus expeditionem illam summopere dissuasit, cui licet grauiter Rex succenseret, per noctem tamen rem altius animo perpendens, comperit sibi prorsus non opus esse inferre Græciæ bellum, immutataque rursus sententia cum obdormisset, visus est ei astare quidam corpore ingenti & specioso, qui ob reuocatam sententiam ipsum obiurgaret, & nisi bellum id susciperet, grauia interminaretur. Quod somnium cum & altera nocte regi oblatum esset, Artabano iussit, vt ipse regio insidens solio veste regia indueretur, & in lecto regis noctu cubaret, num eadem sibi imago apparitura esset probaturus. Qui cum iussa Xerxis exequeretur, & in eius lecto recubuisset, idem spectrum dormientem adiens grauiter reprehendit, quod Xerxem festinantem ire in Græciam suis consilijs detineret, simulq; ei visus est vir ille minitari, candentibusq; ferramentis conari oculos ipsi eruere. Qua de re vehementer exclamans Artabanus exilijt, bellumq; quod modo dissuaserat, iam omnibus modis maturari suadet. Hoc somnio Diabolus sangui nis sitiens Xerxem ad bellum impulit, in quo multæ Persarum myriades trucidatæ sunt. *Artabanus belli dissuasor.*

Xerxes deinde expeditionem iniens visus est sibi surculo oleagino coronatus esse, cuius Oleæ ramis vniuersa tellus occuparetur, & mox corona capiti circundata euanescere. Quo somnio Xerxi totius terræ dominiũ promitti coniecturarunt Magi. Fuisse autem & hanc cacodæmonis illusionem exitus ostendit.

Deuter. 18. Non inuenietur in te, qui obseruet somnia. Et Ierem. 37. Nolite audire somniatores. Quare non tribuenda est eis fides. Quanquam enim coniecturæ, quibus explicantur, sæpe ad veritatem dirigunt, tamen crebrius fallunt. Sæpe ingenia magis declarant interpretum, quam vim consensumq; naturæ. Multa sunt enim hoc genere magis scite cõiecta, de euentis, quam vere significata, qualis erat de somnio Alexandri coniectio ad Tyrum, quód supra positum est. Multa ancipitia sunt & incerta ac dubia, quæ in omnem torqueri sensum possunt. Multa falsa prorsus. Et coniectura ipsa, quæ interpretationes persequitur, nihil est incertius, quæ in varias duci partes potest, nonnunquam etiam contrarias. Ideo sæpe reges & Principes hoc somniorum genere decepti misere perierunt.

Pompeius, vt postremum cum Cæsare prælium committeret somnio est motus. Sedẽti enim sibi in theatro plausum dari a toto populo somniarat, quo victoriam annui putabat: sed errabat in interpretatione. Plausus enim non victoriam, sed incitationes significabat Lentuli, Domitij, Labieni, qui postridie ad pugnandum eum spe victoriæ incendebant. *Pompeius somnio deceptus.*

Darius, ante congressum cũ Alexandro postremum, somniarat videre se exercitum Macedonicum ardentem incedere per Asiam, & Babylonem venire, ibiq; Alexandrum indutũ veste Persica templum ingredi, & statim euanescere. Arbitrabatur ergo Darius Macedonum exercitui significari per flammas exitium, & Alexandrum Persice vestitum venturum in pote- *Darius somnio deceptus.*

ſtatem Perſicam. Sed flammæ arguebant celeritatem victoriæ Alexandri. Veſtitus potiturum ipſum regno Perſico portendebat.

Cambyſis ſõnium.

Cambyſi fratris Smerdis regio ſolio inſidentis & cœlum vertice contingentis: Iulio Cæſari ipſiuſmet ſupra nubes elati, & ad cœlum vſque tra ducti ſpecies viſa in ſomnis, vtriſq; cladem portendit tuliq; exitium.

Cambyſes enim cum in Ægypto moraretur, hanc vidit in ſomnis viſionem: Nuncius quidam è Perſia veniens ei nunciare eſt viſus, Smerdim in regio ſedentem ſolio cœlum contingere vertice. Ob id Cambyſes ſibi metuens, ne ſe necato à fratre occuparetur imperium, mittit ad illum interimendum, in Perſas Prexaſpen.

Iulius Cæſar.

Iulius vero nocte ea, quæ eçdem anteceſſit, viſus eſt ſibi inter nubes volitare, interdum cum Ioue manus iungere.

Signifer ſomnio monitus periculum euadit.

Signifer quidam per ſomnium vidit, ſe magnis cruciatibus cum ſocijs ac ducibus torqueri. Id cum narraſſet mane illis, ab eis irriſus eſt. Eodem mane inuitati omnes ſunt ad conuiuium à prefecto Petro quodam Hiſpano, adiere omnes, præter hunc, qui clam ducibus dilapſus eſt. A prandio omnes coniecti ſunt in carcerem, vbi diſquiſitione habita per tormenta, Duces ipſi latronum, vnuſq; è priuatis militibus, publice lacerati ſunt: reliqua turba ſpoliata ac dimiſſa eſt.

Victorię & clades nõ tantum ſomnijs, ſed alijs quoq; ominibus & prodigijs ſæpe adumbrantur.

Petilius Conſul Romanus in Liguria bellum gerens, cum montem, cui Lethum cognomen erat, oppugnaret: interq; adhortationem militum dixiſſet: Hodie ego Lethum vtique capiam, inconſideratius præliando fortuitum iactum vocis Letho ſuo confirmauit.

Portento inflãmati milites ad pugnam.

Ex L. Martij ducis duorum exercituum, quos interitus Publij & Cnei Scipionum debilitauerat, concionantis capite flamma cum eluceret, milites adhuc pauidi eo prodigio ſic inflammati ſunt, vt octo & triginta hoſtium millibus cęſis magnoq; numero in poteſtatem redacto, bina caſtra Punicis opibus referta cœperint.

C. Flaminius contemptor prodigiorum.

Caius Flaminius inauſpicato Conſul creatus: cũ apud lacũ Thraſimenum, cum Hannibale conflicturus, conuelli ſigna iuſſiſſet, lapſo equo ſuper caput eius, humi pſtratus eſt, nihilq; eo prodigio inhibitus, ſigniferis ſigna moueri ſua ſede poſſe negantibus: malũ, ni continuo ea effodiſſent, minatus eſt. Cuius temeritatis po. Rom. maximas pœnas pependit. In ea namq; acie quindecim millia Romanorum cęſa: ſex millia capta, viginti millia fugata ſunt.

Xerxis clades præmonſtrata.

In exercitu Xerxis, quem aduerſus Græciam contraxerat, equę partu leporem editum conſtat: Quo genere partus tanti apparatus ſignificatus eſt euentus. Nam qui mare claſſibus, terram pedeſtri operuit exercitu: vt fugax animal, pauido regreſſu regnum ſuum repetere eſt coactus.

Ætolia clades horrendo prodigio præ nunciata.

Eidem Lacedæmonis inuadendæ conſilium agitanti admirabile inter cœnam prodigium incidit: Infuſum namq; pateræ eius vinum, in ſanguinem nec ſemel, ſed iterum & tertio conuerſum eſt, ſupra.

Polycritus quidam Ætolus à populo Ætolarcha creatus per triennium, virtutis ergo, vxorem duxit Locridem: cum qua, vt tres dormiuit noctes, quarta extremum vitæ diem morte confecit. Mulier domi vidua manſit: & cum partus tempus appetijſſet, infantem peperit binis pudendis, maſculino ac fœminino, mirifice omnino monſtroſum. Perterriti hoc caſu propinqui, fœtum in forũ protulerunt: aduocataq; cõcione, & coactis ſacrificijs atq; monſtrorũ inſpectoribus, de eo deliberarunt. Horũ alij pronunciarunt, diſſidiũ aliquod Ætolorum & Locrenſium portendi, fœtum enim diuiſum eſſe, matris Locridis ac patris Ætoli. Alij cenſuerunt matrẽ cum fœtu extra fines Ætoliæ deportari, ac cremari debere. Dum hæc con-

sultantur, subito Polycritus pridem mortuus in concione exiſtit prope infantem, atra amictus veſte. Is perterritos ciues eo ſpectro affatuseſt, & ſibi infantem ſuum precibus primo, mox etiam minis intermixtis reſtitui petijt. Negantibus alijs, alijs conſultationem differentibus, ira exardens Polycritus, arripuit infantem, & pleroſq; ferocius abigens, diſcerpſit eum, ac vorauit. Clamorem multitudo ſuſtulit, lapidibuſq; in eũ coniectis arcere aggreſſa eſt: Verum ille nullis ſaxorum obnoxius ictibus, totum infantis corpus, dempto capite, abſumpſit, ſubitoq; euanuit. Quod factum cum Ætoli gre ęferrent, & in anxietatem haud mediocrem venirent, Delphoſque mittere vellent, caput infantis in ſolo iacens loqui cœpit, & longa oratione ingentem cladem ciuibus impendere prędixit. Audito Ætoli oraculo, vxores, infantes & ſenio prouectos expoſuerunt, quo quiſq; potuit: ipſi manſerunt domi, & quid futurum eſſet expectauerunt. Contigit autem, vt anno proximo inter Ætolos & Acarnanes bellũ exiſteret, & vtrinque magna fieret clades. Phlegon Trallianus de mirabilibus & longæuis ex Hierone.

AD VICTORIAM PLVRIMVM CONFERT præſentia Ducis.

Exercitus ſine Duce ſimilis Cyclopi.

DEmades orator vita defuncto Alexandro dixit, ſe videre exercitũ Macedonum Principe orbatum Cyclopi ſimilem. Sentiens turbam militum, niſi adſit Dux cordatus ac vigilans, nulli eſſe vſui. Quemadmodum Polyphemus adempto oculo fruſtra vaſtum corpus ac vires habebat immanes.

Epaminondas ingentem conſpicatus exercitum, cui Imperator ſtrenuus deeſſet: Quanta, inquit, bellua abſq; capite? Quaſi diceret: Ferox quidem eſt exercitus, ſed cuius induſtria, ſolertia & conſilijs regatur, Dux abeſt, ideoq; vires eius ſunt hebetes. In ſuprema itaq; pugna ad Mantineam ſauciatus, delatuſq; in tentorium vocauit ad ſe Daiphantum, poſt illum Iollidam: vbi audiuit eos viros interiſſe, iuſſit omitti bellum cum hoſtibus, quandoquidem iam exercitus Duces non habebat.

Dux cordatus multorum inſtar.

Antigonus Secundus commiſſurus cum Ptolemæi Ducibus prælium nauale, monente gubernatore, naues Ptolemęi longe numero ſuperare: Me vero, inquit, ipſum præſentem cum quot comparas? Innuens plurimum momenti adferre ad victoriam ipſam Imperatoris præſentiam, eoque minus formidabilem eſſe hoſtium claſſem, quippe quę non ab ipſo Principe gubernaretur. Plutarch. in Apoph.

Chabrias Dux Athenienſium dicere ſolebat: Formidabiliorem eſſe ceruorum exercitum Duce leone quam leonum Duce ceruo: Sentiens totam belli fortunam pendere à virtute prudentiaq; Ducis.

DE PACE ET CONCORDIA.

OMnium virtutum nobiliſſima eſt inprimiſq; vtilis vitæ humanæ Pax & Concordia, quam cum à nobis quintum Decalogi Præceptum exigat, eius etiam aliquot exempla adducemus.

Vere dicitur; Pax optima rerum: &, Nulla ſalus bello: & apud Heſiod. εἰρήνη κουροτρόφος: Pax iuuenum alumna. In pace, qua nihil eſt vel magnificentius vel admirabilius, artibus bonis imbuuntur pueri, virent vrbes, populi florent, magna annonæ ſuppetit vbertas: Tum omnium harũ rerum metu liberamur, quæ in bello magno cum periculo, & acerbiſſime ferre ſolemus.

Abimelech Rex Palæstinorum in Gerara pacem init fœdusq; percutit cum Isaaco. Genes. 26.

Iacob vt odium fratris sui Esaui declinaret, in Mesopotamiam, donec deferuescęret ira eius, discedit. Genes. 27. & 28.

Gabaonitæ simulatione longi itineris, imponentes Iosuæ & principibus populi, pacem ab Israelitis impetrant. Iosuæ 9.

Bacchides à Demetrio contra Iudam missus, cum post mortem Iudæ, nec dolo nec vi posset Ionatham perdere, iratus belli auctoribus, pacem cum eo perpetuam composuit. 1. Machab. 9.

Cum Alexandro Antiochi filio fœdus init, firmamque pacem colit. Ionathas. 1. Machab. 10.

Lysias cum Iuda Machabæo fœdus ferit. 2. Machab. 11.

Christus Seruator Petro scisciţanti quoties peccanti fratri ignoscẽdum sit: Non dico tibi, inquit, vsque sępties: sed vsque septuagies sępties, Docens nos ad ignoscendum paratos & pacificos esse debere. Matth. 18.

Psalmo centesimo trigesimo secundo: Ecce quam bonum & iucundum habitare fratres in vnum, &c.

Pacis & Concordiæ studium inter Abrahamum & Lothum commendatur. Genes. 13.

Iosephus. Iosephus oblitus iniuriarum, quibus à fratribus affectus erat, eos amplexatur, omnibusq; charitatis prosequitur officijs. Genes. 45.

Vniuersam Christi vitam contemplare, quid aliud est, quam cõcordiæ, mutuique amoris doctrina? Quid aliud inculcant eius præcepta, quid parabolæ nisi pacem, nisi charitatem mutuam? Egregius ille vates Esaias, cũ cœlesti affiatus Spiritu, Christum illum rerum omnium Conciliatorem venturum annunciaret, num sagittam pollicetur? num vrbium euersorem? num bellatorem? num triumphatorem? Nequaquam. Quid igitur? Principem pacis, siquidem cum omnium optimum Principem intelligi vellet, ab ea re denotauit, quam omnium optimam iudicasset. Neque mirum, ita visum Esaiæ, cum Sylius Ethnicus Poëta hunc in modum scripserit: Pax optima rerum, Quas homini natura dedit. Concinit huic mysticus ille citharœdus: Et factus est, inquiens, in pace locus eius. In pace dixit, non in tentorijs, non in castris. Princeps est pacis, pacem amat, offenditur dissidio. Rursus Esaias opus iustitiæ pacem appellat. Erasmus in Querimonia pacis. Et alibi in Chiliad.

Concordia res paruæ crescunt, discordia dilabuntur & magnæ. Pax omnium bonarum rerum & parens est & nutrix: Bellum repente semelq; quicquid est lætum, quicquid est pulchrum obruit, extinguit, abolet, animumq; malorum lernam quandam in vitam mortalium effundit. Pacis tempore non secus ac si nouum quoddam ver rebus humanis adfulserit, coluntur agri, vernant horti, pascuntur lętę pecudes, ædificantur villæ, extruuntur oppida, instaurantur collapsa, ornantur & augentur extructa, crescunt opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret Reipubl. disciplina, feruet religio, valet æquitas, pollet humanitas, calent artes opificum, vberior est quæstus paupertum, splendidior opulentia diuitum. Efflorescunt honestissimarum disciplinarum studia, eruditur iuuentus. tranquillo fruuntur ocio senes, bonis auspicijs nubunt virgines. Laudantur simili prole puerperæ, florent boni, minus peccant mali, &c.

Eadem pacis commoda recensęt Homerus in clypeo Achillis. Iliad. M.

----Hic geminas insculpsit Mulciber vrbes
Diuersis hominum linguis, quarum altera plena
Pomparum resonat plausu, genialia flammis
Atria colluent, Hymenęa festa parantum

Ducentumq; nouas ad splendida mœnia nuptas
Et thalamo taedis præsentibus, arcta canoros
Tibia dat sonitus, salit omnis ad incita pubes
Carmina, & audaces cœtu feruente choreas
Deducunt, iuuat è patulis spectare fenestris,
Vestibulis domuum pulchras astare puellas, &c.

Et post pauca:

Altera celato quæ mœnia doctus in auro
Fecerat ignipotens; arcta obsidione premebant
Bina vtrinq; acies, populorum castra duorum
Armis conspicua, armorum fulgentia cultu.
Hic ingens certamen erat, pars altera ferro
Excindendam vrbem, totaq; à stirpe ruendam:
Altera censebat, deductis obsidionem
Soluere militibus, ciues mulctare bonorum
Dimidia parte ------

Cicero: Dulce nomen pacis, Res vero ipsa, cum iucunda tum salutaris. Quocirca non est alia in Principibus virtus laudabilior, quam si pacis studiosi quibuscunq; modis possint bellorum motus amoliantur, nec nisi ex trema vrgente necessitate, viris prudentissimis in consiliũ adhibitis arma capessant. Quod & Poëtæ fabulis suis innuere voluerunt, cum Iouem tonitrua cladesq; exitiales terris immissurum conuocato Deorum concilio nihil nisi matura deliberatione præmissa agere fabulantur, lenes vero pluuias, salubresque irrigationes terris vltro, etiamsi nulla reliquorum Deorum accedat auctoritas, largiri. Ergone armis nihil experiendum? nec vnquam sceleratorum hominum improbitas ferro reprimenda? Quod si ob multorum improbitatem nullo pacto vitari possit bellum: vbi nihil intentatum reliqueris, posteaquam pacis studio omnem moueris lapidem, tum proximum erit, dare operam, vt quam minimo dispendio sanguinis humani seditiosorum improborumq; hominum nefarij conatus coerceantur, maiorique malo, per minus malum succurratur. Namq; immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars syncera trahatur. Ouid. Quod & Alciati distichon innuit:

Arma procul iaceant, non est fas sumere bellum,
Sin aliter pacis non licet arte frui.

Thrasybulus Athenienſium, Scipio Romanorum ingratitudinẽ & perfidiã ſua patientia & æquanimitate vicit, ciuiliaq; arma prudenter auertit. Ex Thraſybuli cõſilio & auctoritate decretum factum eſt de ἀμνηστία. id eſt, vt obliuio eſſet veterum iniuriarum. Et quia multi tenebant res alienas, quoquo modo tranſlatas, alij hæreditatibus, alij emptionibus, alij donationibus, alij aliter, & repetitio paritura erat noua bella, ſancitum eſt, ne lites mouerentur de præſentibus poſſeſſionibus, ſed vt in poſterum nihil contra leges fieret. Hæc ἀμνηστία reſtituit Athenarum tranquillitatem. Sic in diſſenſionibus ciuilibus ſæpe decurſum eſt ad ἀμνηστίαν, vt futurę paci cõſuleretur, vt cenſuit Romanus Senatus interfecto Iulio Cæſare. Et in alijs hiſtorijs ſæpe dicitur. Pacem faciant ſinguli, ἕκαστοι ἀλλήλοις. Hæc exempla meminiſſe vtile eſt. Chron. Philip. lib. 2.

ἀμνηστία. *Thraſybuli conſilio inſtituta.*

Scipio ingratos ciuiũ animos auerſatus, vltro vrbe relicta, ne ciuilibus diſcordijs patriam turbaret, Linternum conceſſit. Ingrata patria, inquiẽs, ne oſſa quidem mea habebis. De huius animi magnitudine, cum à Tribunis ei dies dictus eſſet, ſupra facta mentio. Meminit & Gellius lib. 4. c. 18.

Cicero & doctrina & vſu Pacis commoda perſpecta habens haudquaquam temere dixit: Pacem quidem hortari non deſino, quæ vel iniuſta v-

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

tilior est, quam iustissimum bellum in ciuibus. Grauiter etiam Martianus Imperator dicere solitus est: Donec in pace liceret viuere, non desere principem sumere arma. Omne siquidem bellum facile sumitur, cæterum æquissime definitur. Nec est in eiusdem potestate, initium & finis. Necminus grauiter Crœsus Lydorum Rex à Cyro captus, hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filij sepelirent patres, in bello contra, patres sepelirent liberos.

Titi Vespasiani clemẽtia & pacis studium.

Titus Vespasianus pacis studiosissimus clementia & mansuetudine insidiatores suos vicit, armaq; ciuilia præcauit. Pontificatũ maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit, nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius: quamuis interdum vlciscendi causa non deesset, sed periturum se potius quam perditurum adiutans.

Duos patritij generis conuictos in affectatione Imperij, nihil amplius quam vt desisterent, monuit, dicens principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum, & confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxię filiũ saluum nunciarent. Cæterum ipsos non solum familiari cœnæ adhibuit, sed & in sequẽti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pene ex professo solicitantem exercitus, meditantẽ fugam, nec occidere, neque seponere, ac nẽ in minore quide honore habere sustinuit, sed vt à primo Imperij die consortem successoremque testari perseuerauit, nonnunquam secreto lachrymis & precibus orans, vt tandem mutuo erga se vellet animo esse. Suetonius.

Cum Cyneas Philosophus Pyrrhum Epirotarum Regem, Italico bello imminere cerneret, eiq; vehementer inhærere, & vt prudens, periculis eẽ rem plenam putaret, fretus ingenij dexteritate, posse Pyrrhum de sententia deduci, oblata occasione solum alloquendi dixit.

Cyneas prudenter belli dissuadet.

Nosti Pyrrhe Romanos Imperio præpotentes, animo corporeq; pollere, multasq; feras gentes domuisse: Si dij nobis tam fauentes essent, vt victoria potiremur, quid tibi vltra agendum putares? Respondente Pyrrho, quod habita de Romanis victoria, totius Italiæ Imperium secum tractura esset: atq; ab Italia se postea in Siciliam traiecturum. Cyneas, his deuictis, ait, quid vltra agetur? in Africam traijciemus, inquit Pyrrhus, quo profectus olim Agathocles, pene in fugitiui formam, paruo exercitu magna gessit, atq; ab Africa, quantum ego conijcio, non habebimus, qui nobis resistere valeat: Ei Cyneas, his demum partis, quibus rebus tempora nostra transigemus? Tum Pyrrhus, læti vna inter festos dies ludosq; agemus. Cyneas autem, Quis prohibet sine tantis laboribus ac periculis, quin vel hac hora, cum tu satis magnus atq; opulentus Rex sis, læti simul viuamus? Argute enim sapienterq; hominũ inexplebilẽ cupiditatẽ ostendit, quæ incognita eos ad infinita pericula deducit: huic si Pyrrhus obtemperasset, neq; in Italia vulnꝰ accepisset, neq; Argis postea oppressus vitã amisisset. Si alij quoq;, quos orbis terrarũ habet Principes, in se ipsis ista quæ Cyneas sapienter Pyrrhũ monebat, metiri vellent, ambitiosas curas magis frænarent, atq; sibi terrarum q; orbi, ad quietioris vitæ cursum rectius consulerent, nunc prauos maiora habendi impulsus sequentes, non modo id assequũtur, vt anxij semper viuant, verum etiam vt in grauissimas calamitates, atque in ipsam mortem, sine remedij vllius spe, cum populorum perturbatione incurrant Plutarchus in vita Pyrrhi Fulgos. lib. 7. cap. 2.

Vulgo dicitur, Bellum gerendum vt pax quæratur. Qui autem regnandi tantum, Imperium q; dilatandi gratia bella gerunt, quid aliud agunt, quã quod paci fores præcludentes nouam semper belli quærant materiam, & nouis vsque periculis subditos inuoluant? Nam in bellis semper veriss-

mum est,

mum est, quod Horatius ait: Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui, & Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Quare si vllo pacto armis abiectis pax iniri queat, bello præferenda erit pax, quamuis dura & iniquiores sæpe conditiones pacis videantur. In bello siquidem rerum summa tota in discrimen vocatur, & vno simul impetu omnia collabuntur & pessum eunt. Verum eiusmodi ferme sunt stultorū Regum æstus, vt acceptis immanissimis cladibus bella primum detestari, & de pace solliciti esse incipiant. Qui sane non immerito morionis cuiusdam verbis redarguuntur. Cui scisciranti, quidnam apparatus armorum denotaret, cum responsum esset, expeditionem suscipi bellicam: quæsiuit ille denuo, quidnam in bellis ageretur? In bellis, respondebatur, igni ferro; vastantur pagi, oppida, vibes, hominum ædes & lanienæ exercētur, proteruntur segetes, vastantur vineæ. Quibus auditis percontabatur modo, ad quem finem istæ grassationes dirigerentur. Responsum est, vt certa pax confirmetur. Ad quæ morio, satius vtiq; foret, ante expeditionem pacem iniri & confirmari, vt tantorum malorum seges præcaueretur. Melius principibus iudico. Nam si mea res ageretur, recta pacis ineundæ rationem disquirerem, vt tanta incommoda prudenter euitarentur. Hæc quamuis a motione prolata, minime tamen a scopo aberrarunt.

Morionis de bello suscipiendo iudicium.

Charondas Tyrius ad vim & cruorem vsque seditiosas ciuium conciones pacaueiat, lege cauendo, vt si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur: interiecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus, domum repetens, subito indicta concione, sicut erat in eam processit, ab eoque qui proxime constiterat, solutæ à se legis suæ monitus. Idem ego illam, inquit, sa nciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit: cumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit. Val. lib. 6. cap. 5.

Charondas pacem lege & exemplo confirmat.

L. Domitius cum Siciliam prætor regeret, & ad eum oximię magnitudinis aper allatus esset, adduci ad se pastorem, cuius manu occisus erat, iussit. Interrogatusq; quomodo eam bestiam confecisset, postquam competentia venabulo, crucifixit: quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia vastabatur, ne quis telum haberet, edixerat. Valer. lib. 6. cap. 3.

L. Domitij seueritas.

Cum inter plebem Romanam & patres orta seditione plebs in mōtem Sacrum secessisset. Menenius Agrippa a patribus ad plebem missus, prudēti oratione ciuiles discordias, & seditiones sopiuit. Intromissus enim in castra prisco illo dicendi & horrido modo nihil aliud quā hoc narrasse fertur: Tempore, quo in homine non, vt nunc, omnia in vnū consentiebant, sed singulis membris suum, cuiq; consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datū, nec dētes conficerent. Hac ira dū vētrem domare vellent, ipsa vna membra, totūq; corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoq; haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eū, reddērem in omnes corporis partes, hunc, quo viuimus, vigemusq;, diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset iræ in patres, flexisse mentes hominum. Agi deinde de Concordia cœptum. Liuius lib. 2.

Otho Saluius cum videret aut deponendum Imperium, aut magna ciuium strage tuendū, statuerat sponte mori: ac amicis & militibus hortantibus, ne tam cito de belli euentu desperaret, negauit sibi suam vitam esse tanti, vt hac de causa bellum ciuile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in principe Ethnico, eoque 38. annos nato.

Theodosius Iunior tam admirabili fuit ingenij lenitate, vt cum ab amicis ro-

cis rogaretur, quamobrem neminem eorum à quibus lędebatur, supplicio capitis afficeret? Vtinam, inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatas iniurias oportet Principem esse facilem ad ignoscendum, in ijs quæ lædunt Rempub. decet esse seuerum.

Vbaldus Episcopus.

Vbaldus Eugubinæ vrbis Episcopus, cum ciues suos in seditionem verbis pacare non potuisset, & iam ad arma esset concursum, inermis inter tela strictosque mucrones irrumpens, humi prono corpore se prostrauit, nec exurrexit, donec illi sanctum iacere rati mutua odia in vnius miserationē conuertissent. Iacens diremit pugnam, quam stans nequierat inhibere. Audacem autem & periculi impauidum fecerat ipse pacis amor.

Idem Federicum Imperatorem Eugubinis infensum iratumq;, & ob id graue æris vectigal acceptis obsidibus imperantem, suppliciter adiens placauit, ita vt ille & pecuniā remitteret, & obsides restitueret, & ipsum vbi multo honore affecisset, discedente deduci iuberet. Sicque pastor bonus in tanta ouium suarum trepidatione nunquam conquieuit, donec securas redderet, factus eis vix speratæ pacis impetrator simul & nuncius. Mar. Spalatens. lib. 3. cap. 6.

Vere Alphonsi Regium fuit responsum, cum dicenti cuidam quod vel ducenta aureorum millia accepturus esset, si Venetis Florentinisque pacem concederet, pacem se dare, ait, non vendere solitum esse. Ab eodem Alphonso cum legatis Valentiam missis Carolus Gallorum Rex enixe peteret, ne aduersus se bello aduersus Britannos occupatum arma moliretur, prpoter Narbonensis Principatus titulum, quem sibi vendicaret: Respondit Alphonsus, Etiamsi in confesso sit, multas Narbonensis Gallię ciuitates ad Regnum Aragonum pertinere, quas armorum vi per iniuriam multis ab hinc annis Gallus occuparit, se tamen nequaquam ea vsurum commoditate, vt Regem Britannicis armis oppressum hostili inuadat agmine, nec vnquā eius fore animi, vt armis ea sibi vendicare cogitet, quæ maiores sui quiescentibus armis iuris & legum auctoritate sibi vendicare soliti fuerint.

Leo Byzantius Sophista.

Venit Athenas populo dissidijs tumultuante concordiam suasurus, Leo Byzantius Sophista, vbi prodisset in suggestū, ipsa statim specie risum mouit populo, quod obesus esset, & ventre prægrandi. At ille nihil turbatus risu multitudinis: Quid, inquit, ridetis viri Athenienses? Vxor mihi est me multo obesior, & tamen concordes vnus capit lectulus, discordes ne tota quidem domus.

Maximæ Rerumpub. pestes.

Cum ex Lycurgo missis ad eum literis quæreret Lacedæmonij, quānā ratione hostibus facilime resistere possint? Respondit ille, Si pauperes māseritis, & cōtentiones mutuas deposueritis. Paucissimis verbis vir sapiens, quæ maxima sit Rerumpub. pestis expressit. Opulentia nimia, quę inflatos ciuium animos ad res nouas inflammare solet, & discordiæ ciuiles.

Isæus Sophista Assyrius Lacedæmonijs periclitantibus, ac de ciuitate mœnibus cingenda consultantibus, Homericum carmen recitauit:

Ἀσπὶς μὲν ἀσπὶδ' ἔρεισε κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ : Scutum hæsit

scuto, galeæ galea, atque viro vir. Et adiecit, Sic mihi state Lacedæmonij, & muris cincti sumus.

Scilluri Scythæ Chria.

Scilurus Scytha octoginta liberos masculos habens, quum esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique manebitis, contra si dissidijs & seditionibus distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scy-

tha magis Scythice rem ob oculos ponere. Fratrum scilicet inter se concordia quouis muro firmius est munimentum.

Scipioni scisciranti quidnam Numantinos antehac inuictos perdidisset, respondit Tyresius Princeps Hispanicus: Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.

Memoratu digna sunt Micipsæ verba, quibus Iugurtham ad concordiã cum fratribus vel sanguine proximis colendum hortatur.

Iugurthæ præclara admonitio.

Nunc quoniam, inquit, mihi natura finem vitæ facit, per hanc dextrã, per regni fidem moneo, obtestorque te, vti hos, qui tibi genere propinqui sunt, beneficio meo fratres, charos habeas, neu malis alienos adiungere, quam sanguine coniũctos retinere. Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis: sin mali, imbecillum. Nam concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Macedonianis Iouinianum Imperatorem ad partes suas pertrahere nitentibus, Imperator libello supplici accepto, responsum eis non dedit, sed illud tantum dixit: Ego contentionis studium odi, concordiæ autem assertores vnice amplector. Niceph. li. 10. cap. 40.

Alphonsus pacis in primis studiosus.

Florentinis & Veneris pacem petentibus Alphonsus Rex concesserat. Id cum iniquo ferrent animo duces bellici, iactitantes, turpiter copias eas dimitti, per quas insignes maximique momenti victoriæ comparari potuissent, Alphonsus prudenti oratione querelas eorum compescuit. Bono, inquit, animo estote commilitones. Nam & virtuti vestræ & mihi credite. Neque locus enim, neque honos deerit, & mihi perquam speciosum fuit petentibus pacem dare. Ita enim arma capere consueuimus, vt sine cruore, si id modo fieri potest, victoriam adipiscamur. Et quid aliud pacem tam submisse petentes confitentur, quam se victos, nos autem victores esse? Panormit. lib. 1.

Æneas Syluius dicere solebat, longe maiorem seruati quam æsi hostis gloriam esse. Innuit autem, eam demum victoriã reuera claram esse, quæ aut nullorum aut paucorum sanguine parta esset.

Seditio Antiochiæ orta.

Imperator Theodosius crebritate bellorum coactus, nouum quoddam & peregrinũ tributi genus ciuitatibus imposuit, quod plebs Antiochena grauiter ferens in seditionẽ exarsit, & cum alia patrat maleficia, quæ multitudo imperita occasionem seditionis nacta patrare solet: tum statuam æneam, omni genere laudis exornandæ Placillæ (id enim nomen Imperatrici fuit) erectam deturbat, & per magnam vrbis partem trahit. Qua contumelia defunctæ suæ cõiugi illata grauiter commotus Imperator, omnia priuilegia vrbi illi adimit, postremo se vrbem incensurum, penitusque vastaturum minatur. Vbi vero nuncij, qui vrbi Imperatoris minas exponerent, eo aduenerunt: Macedonius Monachus diuina imbutus sapientia vltro tali oratione eos compellat: Dicite, viri charissimi, Imperatori hęc verba: Non solum Imperatorem eum esse, verum etiam hominem. Itaque ne oculos tantummodo ad imperium adiiciat, sed suam ipsius naturam mente complectatur. Nam cum homo sit, illis imperat, qui sunt eiusdem naturæ participes. Humanam autem naturam ad imaginem & similitudinem Dei fabricatam esse. Quare ne tam crudeliter & inhumane imaginem Dei è medio tolli iubeat: Nam bilem mouet Opifici, cum eius imaginem contumelioſe tractet. Consideret enim, quam iniquo animo tulerit ipse æneam coniugis imaginem contumelia affectam esse: se tamen in imaginem Dei contumelioſum esse non dubitare. Ac quantum interſit inter imaginem inanimam, & animatam, viuam, & rationis compotem, omni

Macedonius Monachus pacem Antiochenis impetrat.

bus qui sunt mente præditi, perspicuum est. Illud præterea secum cogitet, nobis perfacile esse, pro vna ænea imagine multas fabricari: sed eum non posse omnino facere vel pilum vnum illorum, qui interfecti sunt. Hac audita oratione, viri illi eam ad Imperatorem retulerunt, qui irarum æstus reprimens Antiochenis placabilem & amicum se præbuit. Theodoretus lib. 5. cap. 21.

DE AMICITIA.

Diliges proximum tuum perinde atque teipsum.

INgens amoris flamma erga Sodomitas vicinos in Abrahamo eluxit, cū pro eorum salute ardentissimis precibus intercedere, Deumque ipsum interpellare non cessauit, donec omnes eos à iustitia & pietate deflexisse, atque in reprobum sensum datos esse intelligeret. Genes. 18.

Nec Moses pro Israelitico populo ad Deum preces fundere destitit, licet eum experiretur multis in rebus, & aduersus sese & aduersus Deum ipsum, ingratissimum. Exod. 32. & alibi passim.

Illustre par amicorum celebratur in Sacris literis Ionathas & Dauid, de quibus 1. Samuel. 18.

Ruth socrum suam Naëmi compellans viuam amoris flammam in corde suo flagrare ostendit. Ne aduerseris mihi, ait, vt relinquam te & abeam: Quocunque enim perrexeris pergam, & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus. Quæ terra morientem susceperit, in ea moriar, & ibi locum accipiam sepulturæ: Hæc mihi faciat Deus & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit.

Armiger Saulis.

Cum in gladium irruens mortem oppetisset Saulus, armiger eius nec in morte Dominum deserere sustinuit, sed & ipse gladio suo protinus incubuit.

Abneris & Dauidis amicitia & fœdus illustre & gloriosum coram vniuerso populo Israëlis fuit, 2. Reg. 3.

Chusai Arachites dissipans Architophelis consilium Dauidē saluauit, suo docens exemplo nihil opportuno amico esse iucundius aut vtilius.

Iobum à Satana ex permissu Dei vexatum amici visitant eius condolentes calamitati. Iob 2. Pro amicis apud Deum Iobus intercedit, illi vero munera Iobo offerunt, Iob. 42.

Quis proximus noster sit, erga quem charitatis officia sint exercenda, Christus Seruator docet in parabola de Samaritano. Lucæ 10.

Amor Christi. Stephanus Protomartyr.

In solo Christo perfecta ardet dilectio, qui se in mortem pro inimicis suis tradidit, & in cruce etiam pro crucifigentibus se orauit.

Christi exemplum imitatur Protomartyr Stephanus pro persecutoribus suis, cum ab iis lapidibus obrueretur, orans.

Anastasia Romana mulier nobili loco orta, quia virum sortita est sui dissimilem, Christianæq; pietati infestum, occulte ægrotos circuire solebat, carceresque inuisens reorum catenas osculari, leuareque eorum desideria cibo, potu, & corporum tegumentis. Sabel lib. 5. cap. 2.

Placilla Theodosij uxor.

Placilla Augusta Imperatoris Theodosii coniunx, non solum Imperatorem ad pietatis studium & amorem erga subditos sedulo excitauit, sed & ipsa ad subleuandos eos, qui mutilata haberent corpora, nihil non diligentiæ & curæ adhibuit, nec ad eam rem seruorum opera vsa est, sed illa ipsa hoc fungi ministerio voluit. Simili quoque ratione Ecclesiarum hospitia visere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, iusculum gustare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula, omnia deniq; alia munera obire, quæ serui & ancillæ exequi solent. Atque illis, qui eam ab hoc genere ministerii auocare

studerent,

studerent, respondit: Aurum distribuere decere Imperatorem, se autē pro ipso imperio, ei qui id ipsum dederat, illam operam offerre debere. Theo. lib. 5. cap. 18.

Certamen charitatis inter virginē & militem.

Charitate inter se contenderunt apud Antiochiam Theodora virgo & quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulū traditur. Miles ignotus eam primus adiens, persuadet vt mutatis secū indumentis virili habitu euadens, virginitatem intactam conseruet. Cumq; ipse cum muliebri veste deprehensus pro virgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, vt cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret, palam proclamat se esse ei pœnæ addictam, non ipsum. E contra ille, imo se iudicis sententia damnatum, non illam. Diu certarunt, vterq; alterum sua morte redimere cupientes. At vero quoniam Christum confitentibus mori viuere erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione glorioſum Martyrium peregerūt, ne eos Tyranni gladius separaret, quos iunxerat amor Christi. Mar. Spalat. lib. 3. cap. 2.

Bona Virgo in finibus Ægypti, in sanctarum virginum cœnobio Deo seruiens, dum vnam inter illas, quam præcipue dilexerat, ex graui valetudine iam morti proximam miseratur, orauit Dominum, vt cum ea simul diem obiret, perpetuaque moriētis fieret comes. Vt orauerat impetrauit, ambæ eodem die vita defunctæ sunt, ambæ vno sepulchro conditæ. O inseparabile pij amoris vinculum, quod ne morti quidem soluere licuit. Simul cœlum petierunt, quæ simul in terra Christo seruierant, vt conuiuere, sic etiam commori exoptantes. Ibidem.

Sanctulus Nursuæ prouinciæ Abbas, cum sibi pecunia non suppetisset, qua Diaconum suum a Longobardis latronibus captum redimeret, aliam longe difficiliorem redimendi rationem inijt, & vt sibi cum illo colloqui, dieique aliquot vna esse liceret, rogauit. Qui rogabantur, hac lege concesserunt, vt si Diaconus effugisset, tunc Abbas, qui per ætatem effugere non poterat, capite puniretur. At ille pro Diacono mori paratus, fugam persuadet, eumque noctu emittit. Qua de causa ad necem petitus præbuit ceruicem. Cæterum ad feriendum elatam videns spiculatoris manum, preces ille suas ad Deum direxit, & manus immota protinus stetit, rigentibusque neruis inflecti nequiuit. Reliqui miraculo territi, Abbatem liberum fecere, qui mox rogatus, male affectam manum oratione curauit. Multiplicia deinde dona certatim offerebant, venerantes iam quem dudum occidere voluerant. Nihil illi accipere licuit præter captiuos, qui omnes libertati redditi cum ei gratias egissent, abiere. Itaque Sanctulus Abbas, dum se morti pro vnius salute opponere nō dubitat, vna cū multis meruit seruari.

Sabinus Exuperantius. Marcellus.

Venustianus Thusciæ præses, Sabinum Assisij Episcopum, cum duobus Diaconis, Exuperantio, & Marcello, ob Christianitatem comprehendi fecerat, & in carcerem trudi. Hos ambos diuersis pœnis excruciatos inter fecit, illi vtramque abscidit manum. Mox ipse graui oculorum dolore vexatus ab eodem remedium popoſcit, cuī iam tot intulerat mala. Atque ille veluti beneficijs obstrictus, & nulla affectus iniuria, libenter accessit, diligenter orauit, efficaciter sanauit, sanando insuper hominē ex infideli Christianum fecit. Maius bonum pro malo reddere non potuit, quam vt inimi cum suum diligendo, Deo amicum faceret, & eum pro Christo ad patientiam suppliciorum animaret, à quo ipse pertulerat supplicia. Quæ charitas maior esse poterit, quam si quis ita affectus sit, vt vltro seruire velit, ne a lius seruiat? Talis fuisse proditur Paulinus Nolanus antistes, qui vt viduæ filium redimeret, ipse in Africa diutissime seruiuit. Sabel. lib. 5. cap. 2.

Socrates omnium Græcorum sapientissimus dicere solitus est, nullam esse possessionem preciosiorem vero bonoque amico, nec aliunde plus fructus aut voluptatis capi. Itaq; præpostere facere multos, qui pecuniæ dis-

pendium grauius ferunt, quam amici iacturam: quique se beneficium perdidisse clamant gratis collocatum, cum eo sibi conciliarint amicum quouis lucro potiorem.

Cicero: Non aqua, non igni, non aëre (vt aiunt) pluribus locis vtimur, quam amicitia. Nam & secundas res splendidiores facit amicitia, & aduersas partiens communicansque leuiores.

Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyssæ Episcopum:

Φίλου πιστοῦ οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα τῶν ὄντων οὐδὲν, οὐδέ τις σταθμὸς τῆς καλλονῆς αὐτοῦ· φίλος πιστὸς, σκέπη κραταιὰ καὶ ὠχυρωμένον βασίλειον· φίλος πιστὸς θησαυρὸς ἔμψυχος· φίλος πιστὸς ὑπὲρ χρυσίον καὶ λίθον πολυτίμην.

Id est:

Nullæ facultates comparari possunt cum amico fideli. Nec est vlla æstimatio pulchritudinis eius. Amicus fidelis protectio fortis est & munita arx. Amicus fidelis thesaurus animatus est. Amicus fidelis præstat auro & argento, & gemmis preciosissimis.

Plautus:

Nihil homini amico est opportuno amicius.

Lucius Rheginus Cepionem in carcerem coniectum, quod illius culpa exercitus Romanus à Cimbris & Teutonibus videbatur deletus, veteris arctæque amicitiæ memor, publica custodia liberauit: nec eatenus amicũ egisse contentus etiam fugæ eius comes accessit. Valer. lib. 4. cap. 7.

Pomponius & Lectorius pro Graccho pugnantes.

C. Gracchũ aduersus insequentium vim, prostratis iam, & perditis consilijs eius rebusque, Pomponius & Lectorius ab infestis & vndique ruentibus telis, oppositu corporum suorum texerunt: Pomponius, quo is facilius euaderet, concitatum insequeutium agmen in porta Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit, nec viuus pelli potuit: sed multis confectus vulneribus transitum super cadauer suum eis dedit. Lectorius autem in ponte Sublicio constitit, & eum donec Gracchus transiret ardore spiritus sui sepsit: ac vi iam multitudinis obrutus, conuersus in se gladio, celeri saltu profundum Tiberis petijt.

Cum Marcus Antonius Marcum Lucullum interemisset, Volumnius in magna fugiendi licentia exanimi amico adhæsit, cumque propter perseuerantem lamẽtationem ad Antonium pertractus esset, Iube me, inquit, Imperator protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Nec difficiles Antonij aures habuit, ductusque quo voluerat, Luculli dextram auide osculatus, caput, quod abscissum iacebat, sublatum pectori suo applicauit, ac deinde demissam ceruicem victoris gladio præbuit.

Damon & Pythias Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati, tam fideles inter se amicitias iunxerunt, vt cum alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo prius quam periret, domum profecturus res suas ordinaret, impetrauisset: alter vadẽ se pro reditu eius Tyranno dare non dubitauit: solutus erat periculo mortis, qui modo gladio subiectas ceruices habuerat, idemque caput subiecerat, cui securo viuere licebat. Igitur omnes & inprimis Dionysius, nouæ atque ancipitis rei exitum speculabantur, appropinquante deinde finita die, nec illo redeunte, vnusquisq; stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat: at is nihil se de amici constantia metuere prædicabat, eodem autem momento, & hora à Dionysio cõstituta, qui eam acceperat superuenit: admiratus amborum animum Tyrannus, supplicium fidei remisit. Insuperque eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ, tertium sodalitij gradum vltima culturum beneuolentia reciperent. Valer.

Ingens

Ingens amicitiæ exemplum Augustus ostendit, cum deuicta Cleopatra, in Ægypto Alexandrinam vrbē cœpit, Alexandrino enim populo, qui in Theatro conuenerat, tribus de causis ignoscit à se dixit. Primam affirmans vrbis esse pulchritudinem: secundam autem Alexandri admirationem qui eius vrbis conditor fuerat: tertiam vero suum esse in Arrium Philosophū amorem, quem amicū habebat. Manu eum designans vt à populo cognosceretur. Neque enim in eum minus humane se gessit, quam erga Ephestionem Alexander, Fulgos. lib. 4. cap. 7.

Augusti erga Arriū Philosophū amor.

Res illa quoque, qua Demetrius erga Mithridatem amicum & comitē vsus est, non mediocris amicitiæ argumentum fuit. Nam cum à patre Antigono accepisset, se somnis monitum statuisse Mithridatem occidere, quanquam iureiurando eum pater astrinxisset, ne cui eam rem aperiret, pluris amicitiam, quam Sacramenti religionem, aut paternum imperium fecit. Spatiatum enim è more cum Mithridate profectus, aliquantisper; ab alijs secedens, hasta, quam manu tenebat, in terra descripsit: Fuge Mithridates. Quam rem is, vt prudens cum vidisset, nocte proxima profugit in Cappadociam, vbi ipse, posterique eius postea diu regnarunt. Ibid.

Demetrij erga Mithridatē amor.

Vltimo prælio, quod in Philippicis campis commissum fuit, Brutum fugientem barbari equites Antoniani grauiter insequebantur, quod conspicatus Lucilius, dum Brutum se fingit esse, insequentes tam diu remoratus est, vt Brutus ab eis longe abesset. Capto igitur Lucilio, Antonius ad quē is perducebatur, obuiam se lætitiæ plenus Brutum esse arbitratus præbebat, cum autem Antonio Lucilius iam ita propinquus esset, vt inuicem audiri possent, magna voce exclamauit: Antoni ne vnquā Brutum viuū vincxi, vt is fugiendi tempus haberet, & ita ad te perductus sum, eo animo, vt quæcunq; in me statueris perferam. Qua re attonitus Antonius tātæ amicitiæ reuerentia Lucilium seruauit, atq; in amicorum numero habuit.

Lucilij erga Brutū amor.

Et gratum & amicum Publius Catienus Philotimus erga patronū suum se ostendit, à quo bonorum omnium hæres relictus erat. Viuum enim se rogo iniecit, in quo patroni corpus iuxta priscorum morem ardebat, cum eoque ita emori voluit, vt quorum animos singulari amicitia vita coniunxerat, corpora in morte non disiungerentur. Fulgos.

Par amicitiæ fideique ardor in quibusdam Ottonis militibus extitit. Qui posteaquam Ottonem mortuum viderunt, facie eius item manibus pedibusque deosculatis, se ipsos supra illius corpus interemerunt. O inæstimabiles amicitiæ vires, quæ alios sine vlla commodi spe ad vitam relinquendam cogat, cuius seruandæ gratia tantis laborib. ac curis homines conficiuntur, quod eā viuentiū pars maior rebus omnib. anteponit. Ibid.

Milites Ottonis.

Quicunque diligenter veterum recentiumque Principum suspiciones atq; multorum in eo numero mortes inspexerit, quas aut propinqui, aut qui putabantur amici procurarunt, procul dubio neque sine admiratione iudicabit, quam alte, cum adhuc priuatam vterq; vitam ageret, inter Marcum Vipium Traianum Imperatorem, atque Surram amicitia radices iecerat. Nam cū mane Traiano significatum esset Surram in ipsum cōspirare, vesperi eius diei non inuitatus ad eum Traianus cum duobus solis comitibus cœnatum se contulit, radiq; ab eius tonsore voluit, atque oculos ab eius Medico inspici. Eidem cum postea denuo de conspiratione affirmaretur, tridens respondit, se nullo modo vt crederet, adduci posse, quod eo die periculum ipsius rei fecerat, ita vt Surra si voluisset, id de quo insimulabatur, agere posset, itaq; in amicitia firmus perstitit; nec multo post tribunatū Surræ detulit, & cum, vt mos erat, ei ensem traderet, cumq; nō vagina tectum, sed strictū porrigeret, Surre dixit, vt acciperet ensem, si bene impe-

Traiani generosus animus & abomni suspicione alienus.

rium regeret, tuendi eius gratia: occidendi autem, si male imperaret. Fulg.

Serui erga herum fides & amor.

M. Antonius suis temporibus Orator clarissimus, incesti reus agebatur, cuius in iudicio accusatores seruum perseuerantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prælatam contenderent. Erat autem is etiam tum imberbis, & stabat coram, videbatq; , rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille vero, vt domum vētum est, Antonium hoc nomine vehementius confusum, & solicitum, vltro est hortatus, vt se iudicibus torquendum traderet, affirmans nullum ore suo verbum exiturum, quo causa eius læderetur, ac promissi fidem mira patientia præstitit, plurimis etiam laceratus verberibus, eculeoque impositus, candentibus etiam laminis vstus, omnem vim accusatoris, custodita rei salute subuertit. Argui fortuna merito potest, quod tam pium, & tam fortem spiritum seruili nomine inclusit.

Anaxarchus Abderites, cum à Nicocreonte grauiter torqueretur, vt cōscios proderet, post multa in Tyrannum conuicia, linguam sibi ipsi dētib. abscidit, & commanducatam in Tyranni faciem expuit, his prius verbis emissis: Nō erit hæc corporis pars tuæ ditionis. Voluit vir cōstantissimus potius sibi ipsi amputare linguam, & perire penitus, quam non seruare silentij fidem.

Psammenitus Ægyti rex.

Amasi Ægyptiorum regi, cū annos quatuor & quadraginta regnasset, successit filius Psammenitus, quem cum sex omnino regnasset mensibus, Cambyses occupata Ægypto, captum regno exuit. Hoc facto filiam illius vestitu seruili circundatam cum hydria ad aquam emisit: & cum ea similiter indutas alias, quas delegerat, primorum virorū filias virgines. Quæ vbi ad patres peruenerunt cum eiulatu ploratuque, cæteri quidem patres cōspectis filiabus tam male acceptis, vicissim vociferati sunt atq; fleuerunt. Psammenitus autem cum id præuidisset ac cognouisset, humi vultum demisit Prætergressis puellis aquam ferentibus, secundo loco Cambyses ante oculos Psammeniti misit filium eius cum duobus millibus Ægyptiorū, æqualis ætatis, vinctas fune ceruices, & frænata ora habentibus. ducebantur autem ad mortem ob Mitylenæos à Memphitis interfectos. Ita enim censuerant regij iudices, pro singulis suorū interfectis, denos primorum Ægyptiorū interficiendos. Psammenitus prætereuntes intuens, & filium animaduertens duci ad mortem, aliis Ægyptiis, qui circumsedebant, comploratibus, atq; indigne ferentibus, ipse idem, quod erga filiam fecit. His quoq; prætergressis accidit, vt quidā compotorum eius iam natu grandior, pristinis bonis delapsus, ac nihil habens, nisi quæ inops mendicabat, obiret exercitum, nec non Psammenitum, aliosq; Ægyptios in suburbanis considentes. Quem vt conspexit Psammenitus, erumpente ingenti fletu compellans nomine amicum, caput suum cædebat. Quæ admiratus Cambyses misso nuncio Psammenitum sic percontatus est: Psammenite herus te Cambyses interrogat, quamobrem tu, qui visa filia indigne affecta, vilo filio ad mortem eunte, neque eiulasti, neque fleuisti, pauperem tanti feceris, tibi, vt ab aliis audiui, non propinquum? Cui Psammenitus his verbis respondit: Fili Cyri domestica mala erāt maiora, quam vt possem ea deflere. At amici lamentatio digna lachrymis fuit: qui è multis ac fortunatis opibus ad inopiam recidit in extremo limine senectutis. Cambysi his renunciatis, Crœsus dicitur illachrymasse, itemque qui aderant Persæ, ipsique Cambysi miserationem attulisse, vt protinus iusserit filium ex his qui morti addicti essent liberari. Sed filium, qui abierunt, non iam superstitem inuenerunt, sed primo loco truncatum. Ipsum vero Psammenitum ad Cambysem perduxerunt, vbi reliquum vitæ degit, nihil violentum passus. Verum cum ad defectionem Ægyptios indu-

xisset,

xisset, denuo captus est, ac deinde à Cambyse conuictus, epoto cruore tauri no expirauit.

Oresti & Pyladis celebratissima est amicitia. Oreste summe cupiens eum, quē ex matris obitu dolorem secum exceperat, funditus extirpare, consulit Oraculum, quo cōsulto, statim intellexit viam in Dianæ tēplum ad Tauricam regionem esse capessendam. Illuc autem amico Pylade comitatus profectus est. Eius vero regionis rex Thoas suo more decimum quenque solebat hospitem mactare, in eumq; numerum fortunanter incidit Orestes. Regi demum interroganti quis esset ex iis Orestes: Pylades cōtinuo sese Orestem esset affirmabat: Sic hæsitabundus rex hactenus dubitauit vtrum eorum occideret. Guido Bitur. *Oresti & Pyladis amicitia.*

DE IISDEM ORESTE ET Pylade, aliter.

Quum Orestes & Pylades venissent in regionem Tauricam ad deponēdas furias, quibus Orestes laborabat propter matrem occisam, essentque à rege comprehesi, quod simulachrum Palladis inde auferre voluissent, rex Orestem (quem audiuerat auctorem esse furti) damnauit capitis. Quum vero nesciret vter esset Orestes, Pylades eum se esse affirmabat, contendebatq; vt pro socio interficeretur. Orestes vero volebat sibi irrogari supplicium, nomen suum accusans & furtum. Rauis.

Quid. de Ponto:

Ire iubet Pylades charum periturus Orestem,
Hic negat, inq; vicem pugnat vterq; mori.
Extirit hoc vnum, quod non conuenerit illis,
Cætera pars concors & sine lite fuit.

Summa laude dignissima est Æmilii Pauli humanitas, qua erga Perseū Macedonum regem captum vsus est. Nam & accedenti dextram porrexit submittentemque ad pedes sustulit: nec attingere passus, introductum, in tabernaculum aduersus aduocatos in consilium considere, bonumque habere animum iussit. Moxq; ad suos conuersus: Exemplum insigne cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum: ideo in secundis rebus nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertum sit. Liuius.

Memnon, quo tempore bellum gerebat aduersus Alexandrum pro Dario rege, militem quendam mercenarium multa conuitia petulanter iacientem in Alexandrum, hasta percussit: Ego, inquiēs, te alo vt pugnes cum Alexandro, non vt illi maledicas. Nec aduersus hostem maledicentiæ locum dare sustinuit generosi Principis animus.

Contra ab omni humanitate alienissimus fuit Timon ille Athenienſis, ob id Misanthropos dictus. Cuius inter cætera apud Lucianum hæc verba sunt: Nullum nomen sit dulcius quam Misanthropi, id est, hominum osoris. Morum autem notæ, difficultas, asperitas, feritas, iracundia, inhumanitas: quod si quem conspexero incendio conflagrantem, obtestantē quo restinguam, pice oleoq; restinguere: rursus si quem flumen vndis absturerit, isq; manus porrigens, imploret vt retineatur, hunc quoq; demerso capite propellere sit animus, ne possit emicare. *Timon Misanthropos.*

Memorabilis est amicitia duorum hominum, quos Saxo Grammaticus Asmundum & Asuitum vocat, quorum cum Asuitus morbo consumptus esset, alter Asmūdus ob amicitiæ iusiurandū, viuus cū eo tumulari voluit.

Taberius Hiera suo hero emptus de Catasta, & propter literarum studium manumissus, docuit inter cæteros Brutum & Cassium. Is tanta humanitate erga discipulos fuisse perhibetur, vt temporibus Syllanis pro-

scriptorum liberos gratis & sine mercede vlla in disciplinam receperit. Suet. de illustr. Grammat.

Bogis Persa erga Xerxé fides.

Boges Persa ab Athenien sibus & Cimone Miltiadis filio obsessus, adeo firmus in amicitia & fide erga Xerxem perstitit, vt licet accepta fide posset egredi, abnuerit tamen & ad extremum perstiterit. Inde vbi in mœnibus nihil commeatus esset reliquum, accenso rogo, liberos, cõiugem, concubinas, familiam interemerit, eosq; omnes in pyram coniecerit. Deinde omne aurum vrbis in Strymonem dispersit, ac postremo se in rogũ coniecerit. Huic in amicitia colenda constantiæ barbara immixta est inhumanitas. Vide Herodot. lib. 7.

Maxima animorum fuit coniunctio inter Basilium Magnum & Gregorium Nazianzenum, quam non solum morum similitudo, sed etiam fidei & doctrinæ consensus reddidit arctissimam. Qui cum essent adolescentes, Athenis Hymerij & Procresij, Sophistarum eius ætatis perquam celebriũ auditores fuere: Postea Antiochiæ Syriæ à Libanio instituti, in dicendi facultate venere ad summum: Deinde relictis omnibus alijs studijs vitam solitariam elegere, totosq; se Sacrarum literarum studio tradentes, syncerioris doctrinæ aduersus Arrianorum blasphemiam propugnatores fuere acerrimi, vterq; ob singularem, quæ cœlesti coniuncta erat pietati, eruditionem Episcopus electus, Basilius quidem Cæsareæ Cappadociæ, Gregorius Nazianzi, quę item vrbs est Cappadociæ (in qua pater eius ante rexerat Ecclesiam) summo doctrinæ consensu animorumq; coniunctione, Ecclesiæ præfuerunt. Socrat. lib. 4. cap. 21.

Nec minus illustris diui Augustini, & Alipij amicitia, qui ex eadẽ patria oriundi in ijsdem quoq; inoleuere studijs, & per diuum Ambrosium Mediolanensem Episcopum informati hæreticorum blasphemiæ, cui addicti primum erant, renunciarũt, sacroq; Baptismatis fonte vna abluti pari studio & feruore Ecclesias rexerunt, Augustinus quidem ab Hipponensibus, Alipius vero à Tagatensibus creatus Episcopus, nec quicquã nisi sola mors eorum coniunctionem interrupit.

Nicocli petenti, vt sibi ante Phocionem venenum haurire liceret: Tam etsi durum hoc, inquit Phocion, tamen concedendum est ei, cui nihil vnquam in vita negaui. Phocion Nicoclẽ inter amicos fidissimum vnice adamarat, eique molestum erat videre illum morientem. Eam molestiam vt vitaret Nicocles, petebat vt ipse prior biberet. Et hac in re commodauit amico.

Eudamidæ amici & testamẽtum.

Eudamidas Corinthius Arethæo Corinthio, & Charixeno Sicyonio amicis vtebatur, & ijs quidẽ opulentis, quũ ipse pauperrimus esset. Hic vita decedens testamentum reliquit multis fortasse deridiculũ. Sic enim in eo scriptũ erat: Lego Aretæo quidẽ matrem meã alendã, atq; in senecta fouẽdam: Charixeno vero filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo dari maxima poterit. Erat autem illi mater anus, ac filiola iam matura nuptijs. Si quid autem interim acciderit alterutri, huius quoq; partẽ, inquit, alter habeto. Huiusmodi lecto testamento, ij qui tenuitatem quidem Eudamidæ nouerant: ac amicitiam, quæ illi cum his viris intercesserat, ignorabant, rem pro ludo iocoq; ducebant. Nemo certe aderat, qui non cum risu discederet, quod eiusmodi hæreditatem Aretæus & Charixenus essent accepturi. At hæredes, quibus ista erant legata, vt audierunt, venerũt illico, agnoscentes rataq; facientes ea, quæ erant testamento mandata. Itaque Charixenus quinque duntaxat dies superstes, diem obijt. Aretæus autem optimus successor factus, tum illius, tum suo suscepto onere, & matrem alit Eudamidæ, & filiam non ita pridem elocauit, ex quinq; talentis quæ possidebat, duobus in propriæ filiæ dotem, duob. in amici filiam erogatis. Ac nuptias earum eodem die fieri voluit. Lucian. in Toxari.

Apud

Apud Longobardos primam depositurí lanuginem, solenni ritu quos amicorum habebant optimos adhibebant, quod pro duraturæ amicitiæ monumento sanctissimo habebant. Greg. Rom.

Moris fuit apud Æthiopes, vt si quando membrum aliquod corporis quacunq; ex causa regi debilitaretur, domestici & amici regis omnes spōte sua idem membrum debilitarent. Turpe enim existimabant rege claudo, non & omnes claudos amicos esse. Et quidem absurdum videbatur. quum veræ sit amicitię, ex rebus aduersis amicorum dolere, lætari secundis, non corporis quoq; doloris amicos participes esse. Ferunt quoque apud eos consuetudine receptum, vt amici vltro in regis morte vita defungerentur, existimantes eum interitum glorioſum, veręq; amicitiæ testē. Ideo haud facile est Æthiopibus aduersus talem amicorum consensum, insidias regi parare, cum & rex & amici, vno animo communi suæ saluti consulant. Diod. Sicul. *Æthiopū amicitia cū rege.*

In Galliæ populis, qui Sontiates dicuntur, quædā societates erant, atq; amicitiæ vincula (eiusmodi homines illorum lingua Soldurij nominabātur) inter hos mutuus amor adeo arcte colebatur, vt quicquid amico vel in fortunis, vel in corpore contigisset, ipsi in eodem amicitiæ iure essent, ad eadem simul ferenda præsto essent, vel si vita, quia amicus eam amisisset, effundenda foret. Fulgos. lib. 2. cap. 1. *Soldurij Gallica societas.*

Cantabri tam sancta & arcta amicitię vincula esse voluerūt, vt in amici gratiam amicus se vltro immolaret.

Arcephilas Philosophus amico inopi, cum pauperiē suam confiteri erubesceret, clam sub culcitra pecuniam abscondit, vt ea reperta potius quā donata liberius frueretur, nec gratiarū actionis reus teneretur. Sebast. Fr.

Cn. Pompeius regem Armeniæ Tigranē, qui & per se magna cum populo Rom. bella gesserat, & infestissimum Romanis Mithridatem Ponto pulsum, viribus suis protexerat, in conspectu suo diutius iacere supplicem passus non est: sed benignis verbis recreatum diadema quod abiecerat, capiti reponere iussit: certisq; rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit: æque pulchrum esse iudicans, & vincere reges & facere. *Cn. Pōpeij erga Tigranem humanitas.*

Celebrantur apud veteres & Græcos & Latinos paria aliquot amicorum, vt sunt: Theseus & Pyrithous: Orestes & Pylades: Damō & Pythias: Nisus & Euryalus. Politianus:

Vt tibi collatus iuuenis Phocæus Orestem
Oderit, & spernat Thesea Pyrithous.
Sicanium Pyladem credatur fallere Damon,
Vixque bonum fraīs Castora frater amet.

Statius Dimanta & Hoppleum amicitia insignes fuisse memorat. Syllius Matium & Caspium, lib. 9.

---- Sacro iuuenes Prænestę creati,
Miscuerant studia, & iuncta tellure serebant,
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens æuo ac paruis diues concordia rebus,
Occubuere simul, votisque ex omnibus vnum
Id fortuna dedit iunctam inter prælia mortem.

Solebant Spartiatæ & Messenij virgines ad sese mutuo mittere, ad cōfouendas semper amicitias.

Darius vsq; adeo amauit Megabyzū Persam, vt diducto malo Punico opteuerit sibi tot Megabyzos, quot illic essent ac inorum.

Alexāder tanta fide coluit Ephestionem, vt eo mortuo propugnacula vrbium diripi, equos mulosq; tonderi, plerosq; gregarios homines interficiad mœroris argumentum iusserit, idq; vocauerit Ephestionis inferias. In eius quoq; exequijs decem millia talentūm profudit.

Socrates Crœso interrogato, quid esset maximũ & preciosissimũ ex regno cõsecutus? Cũ ille respondisset, vt hostes vlcisceretur, & amicos beneficio afficeret: Multo, inquit, melius fecisses, si illos tibi amicos asciuisses.

Amicis quatenus succurrẽdum.

Pericles Atheniensis amico roganti, vt pro se diceret falsum testimonium: Se quidem amicum esse dixit, sed vsque ad aras. Sensit vir prudentissimus, eatenus benefaciendum esse amicis, quatenus iustitia, æquitas, & in Deum pietas permittit.

Aristoteles Stagirites rogatus olim, quo pacto amici tractandi essent? Non aliter, inquit, quam nos ab illis tractari cuperemus.

Solon dicere solitus est: Φίλους μὴ ταχὺ κτῶ, οὓς δ' ἂν κτήσῃ μὴ ἀποδοκίμαζε.

Amicos ne cito pares, quos autem paraueris, ne reijce.

Titi Vespasiani humanitas.

Titus Vespasianus ob singularem qua præditus erat humanitatẽ, Amor & delicię humani generis dictus fuit. Princeps in pace disertissimus, in bello fortissimus, erga omnes facilis, adeo vt admoneretur ab amicis, quod plura polliceretur, quam præstare posset, quibus interpellantibus respondit: Non oportere quenquam a Cæsaris colloquio tristem discedere.

Idem super cœnam aliquando recordatus, quod eo die nemini quicquam præstitisset: memorandam illam vocem edidit: Amici, diem perdidi. Laudanda sane Principis beneficẽtia tam peculiaris, qui omne tempus se perdidisse putabat, quo amicis benemeritis suum nõ præstitisset officium.

Epaminondas dicere solebat, non prius interdiu discedendum e foro esse, quam nouum aliquem amicum ad veteres adieceris. Ælian. lib. 14.

Cum nobis illustria tam infidelitatis aulicæ, quã fidei & amoris seruorum erga Dominos exempla suppeditet historia Grimoaldi Longobardorum regis & Ariperthi, hoc loci eam paulo altius repetere visum est.

Guntbirga Rodoaldi vxor adulterij insimulatur.

Catellus Reginæ honorem tuetur.

Rodoaldus in adulterio deprehensus occiditur.

Inter fratres Pertharium & Gotebertum oritur dissidium.

Garibaldus perfidus erga dominum suum Gotebertum.

Ruthero Longobardorum regi successit in imperio Rodoaldus, qui vxorem Guntbirgam defuncti iam olim Longobardorum regis Egilolphi, & Theodelindæ Reginæ magnam pietatis laudem obtinentis filiam, cum ab aulico quodam falso adulterij insimulatã suspectam haberet: calumnijs aulici se opposuit Catellus aulicus itẽ minister, qui impetrata a rege venia, singulari prælio cum calumniatore cõgressus est, eoq; victo Reginę famã & honorem tutatus est. Non multo deinde post, Rodoaldus in adulterio deprehensus a ciue, cuius vxori clam cõsuescebat, interfectus est, cum regnasset annis quinq; & diebus septem. Post quem regnũ capessit Ariperthus Gundoaldi filius, Theodelindæ reginæ frater. Qui cum nouendecim annis regno præfuisset, mortuus Imperiũ reliquit duobus filijs, Perthario & Goteberto. Pertharius Ticini, Gotebertus Mediolani degebat, & primo quidẽ bene inter eos cõueniebat, sed paulatim malignorum hominũ cõsilijs & delationibus aures præbentes, vterq; alterum insidiarũ suspectum habuit. Gotebertus itaq; externis etiam viribus aduersus fratrem se muniturus, Grimoaldum Beneuentanũ Ducem sibi adiungere satagit, eique vxorem sororẽ suam pollicetur. Verum inter aulicos alastoras præcipuus erat Garibaldus. is a Goteberto ad Grimoaldum missus, perfide cũ eo aduersus Regem & Dominũ suum conspirat, auctor ipsi, vt fratres intestinis discordijs laborantes eijceret, regnumq; Longobardorum, cui infœliciter per discordantes iuuenes rerumq; adhuc imperitos prospiceretur, occuparet. Facile huic consilio acquieuit Grimoaldus, protinusq; totũ Longobardorũ Imperiũ animo concipiens, ducatum Beneuentanum filio Grimoaldo cõmisit, ipse cum selectissimis copijs Ticinum versus ad Gotebertum tetendit, clam interim Longobardorũ animos & ciuitates hinc inde sibi cõcilians. Gotebertus nihil mali suspicans, perhumaniter Grimoaldũ excipit, eiq; hospitium prope regiam assignat. Interim Garibaldus omniũ

malorum

malorum auctor, Gotebertū monet, vt sibi a Grimoaldi insidijs caueret: Cum, inquit, colloquium cum Grimoaldo instituet, non tam verbis quā manibus eius intentus esto, nā lorica eum munitū animaduertes, quippe qui consilium te incautum opprimendi & interficiēdi agitet. Quare & tu loricam indue, vt aduersus eius insidias tutus sis. Hunc ad modum exasperato Goteberto, Grimoaldum petit, ijsdēq; vsus technis, eum, vt Goteberti manus & insidias diligenter caueret, hortatur. Postero die cum in statuturi colloquium conuenirent, Grimoaldus Gotebertum lorica munitum conspicatus, protinus stricto gladio eum occidit, nullaq; interiecta mora Regnum Longobardicum arripuit. Pertharius cognita fratris sui morte, relicto Mediolano ad Regem Auarorum Cacanum aufugit.

Grimoaldus ad regnum Longobardorū aspirat.

Gotebertus a Grimoaldo occiditur.

Pertharius fugam e regno capessit.

Mox autem Garibaldus scelerum suorum pœnas luit, in solenni Resurrectionis Christi festo in ipso templo iuxta baptisterium trucidatus a quodam patruæ quidem statuæ, sed magni animi viro, qui sicam veste occultās templū ingressus, captata loci opportunitate, innitens baptisterio perfidum hominem, vt Regis sui mortem vlciscereturꝫ prætereuntē cōfodit, statim autem & ipse, sed vindicata prius morte Domini sui, a ministris Garibaldi ibidem interfectus est.

Garibaldi cades.

Grimoaldus itaque Ticini regno sibi hoc, quo diximus, modo confirmato, Chunibertum Goteberti filium e medio sustulit, sororemq; Gotebertī, Ariberti filiam vxorem duxit. Cumq; resciuisset, Pertharium ad Cacanum Auarorū Regem confugisse, missis eo legatis, Cacano, si Pertharium hospitio exceptū tueatur, Logobardorū arma minatur. Itaq; ne bellū cui impar esset, aduersus se concitaret, Cacanus Pertharij dimittit. Qui omnibus destitutus auxilijs ad Grimoaldum se conferre, eiusq; fidei & clementiæ salutem suam committere constituit, missoq; Vnulpho amico fidelissimo ad Grimoaldum, eique suum aduentum denunciat, indicans, se fretum eius pietate & humanitate, quam summis ferri laudibus audiuisset aduentare. Hac spontanea Pertharij deditione supra modum delectatus Grimoaldus, perpetuam cum eo pacem & amicitiam init, quam interposito iureiurando confirmat, domum ei splendidam assignat, suisque præcipit ministris, vt ei de omnibus rebus necessarijs plene prospicerent. Verum minime ea fœlicitas diuturna fuit. Nam cum ingens ciuiū gratulabundorum concursus ad eum fieret, exorti protinus homines maleuoli calumnijs Grimoaldi aures onerant, nisi, inquientes, Pertharium e medio sustuleris, non diu quieta regni possessione frueris. Omnes enim ad eum confluunt, & in eius forte gratiam aduersus te insurgent. Fidem istis calumnijs habens Grimoaldus consilia de interficiendo Perthario neglecta iurisiurandi fide agitare cœpit, eumque poculis obrutum opprimere placuit. Vesperi itaq; sub cœnā quasi honoris gratia lauta fercula vinūq; generosissimum ad eum deferri mandat, ministrisq; præcipit, vt eum nomine suo ad strenue bibendum inuitent. Verum ex ministris Regijs vnus, Perthario, cui olim inseruierat, bene cupiens, clam ei iam mensę assidenti Regis consilia reuelat. Qui cognitis insidijs, pocillatori suo itidem clam iniungit, vt pateram, ex qua soleret bibere, aqua repleret. Qua fraude Regis decepit ministros, cumque callide ebrietatem simularet, illos spei plenos a se dimisit, qui Regi renunciarunt eum magna vini copia exhausta fuga haudquaquam euasurum. Nihilominus autem præcepit Rex domū Pertharij a militibus custodiri. Interim Pertharius accersit amicum fidelissimū Vnulphum, eiq; insidias, quibus circumdatus esset, detegit, eiusq; opera & cubicularij, e manibus regis euadere cogitat. Vnulphus itaq; Pertharium sarcinis onustum vt barbarum seruum vel prequalidum fossorem asperis verbis verberibusq; insequitur, & plagis oneratū e domo exigit. Deceptis hac fraude satellitibus Regijs Pertharius euasit, quem ministri a

Pertharius Grimoaldi fidei se cōmittit.

Calumnijs in odium vocatur Pertharius.

Pertharius Vnulphi opera insidias euitat.

liquot

liquot mox insequuntur, per fenestrã Vnulphi opera fune demissi, qui incolumes celeri fuga cum hero suo in Galliam delati sunt. Mane in cubiculum Pertharij magno impetu & clamore irruẽtes Regij satellites, elapsum esse Pertharium, & se turpiter deceptos indignissime ferũt, cubiculariumque plagis onustum, manibusq; post tergum vinctis ad regem perrahũt, eum fugæ Pertharij consciũm esse, ideoq; diræ mortis supplicio dignũ clamitantes. Rex cognita cubicularij fide erga Dominum suum, hanc eius fidem & pietatem summopere cõmendauit, eumq; ingentibus ornatũ muneribus sibi ministrũ esse voluit. Deinde quorsum Vnulphus euasisset sciscitanti Regi, respondent, eum in templum sancti Michaelis fugisse, quem data fide ad se Rex accersit, eiusq; fide, quam erga Pertharium exercuisset, coram omnibus laudata, eum summis affectum honoribus Regijs thesauris omnib. præfecit. Exactis deinde aliquot diebus, interrogauit rex Vnlphum, malitne præsentibus vti commodis, an exilij domini sui particeps esse? Ad quæ Vnulphus, se malle, inquit, extrema pati cum Perthario, quã sine ipso in omnium rerum affluentia & inter summos honores vitam degere. Deinde eadem ex cubiculario sciscitatus, idem tulit responsum. Quo lætatus Rex illorum fidem laudauit, & conuersus ad eos, Liberum inquit, vobis est, Pertharium dominũ vestrum sequi, facio etiam potestatẽ vobis equos & alia quęuis, quibus opus habetis, ex animi vestri sententia hinc auferendi. Qui accepta hac conditione, Pertharij in Gallias sequuti sunt. De morte Grimoaldi, & quomodo Pertharius tandẽ regnum paternũ recuperarit, in tertio Præcepto de Angelis dictum. Chron. Casp. Hed. 2. parte.

Summa fides Vnulphi erga Pertharium.

Ingens ancillæ erga Dominam fides.

Cum pestifera seditione Syracusarum, tota Regis Gelonis stirps, euidentissimis exhausta cladibus, ad vnicam filiam Harmoniam virginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix eius, æqualem illi puellam regio cultu ornatam hostilibus gladijs obiecit: quæ ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset conditionis ederet, proclamauit admirata illius animum Harmenia, & tantæ fidei superesse non sustinuit: Reuocatosq; interfectores professa quænam esset, in cædem suam conuertit. Ita alteri tectum mẽdacium, alteri veritas aperta finis vitæ fuit. Valerius lib. 3. cap. 2.

Antalcidas cum interrogaretur, quo pacto quis amicos sibi facere posset? Respondit: si loquatur illis iucũdissima, præstet autem vtilissima. Quo dicto innuit, in parandis amicis adhibendum esse primo sermonis comitatem, in officijs autem præstandis vtilitatem. Plutar. in Laconicis.

Scipio minor negabat vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quam eius qui dixisset: Ita amare oportere, vt aliquando esses osurus: nec vero se adduci posse, vt hoc (quemadmodum putaretur) Biantis esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset vnus e septem: sed impuri cuiusdam, & ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam reuocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus ei esse poterit, cuius se putabit inimicum esse posse? Cicero in Lælio.

Idem dicere solebat, Nihil esse difficilius, quam amicitiam, vsque ad extremum diem permanere. Mutantur enim mores sæpe, alias aduersis rebus, alias ingraueſcente ætate: aut dirimuntur contentione, vel luxuriæ conditione, vel commodi alicuius, quod idem adipisci vterq; possit.

Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille. Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facile credas ei. Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Et est amicus qui conuertitur ad inimicitiam: & est amicus, qui odium & rixam, & conuitia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Ecclesiast. 6.

Publius Rutilius cum amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret, atq;

is per summam indignationem dixisset: Quid ergo, inquit, mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis? Respondit, imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Valer. lib. 6. cap. 1.

Expugnato Olyntho Rex Macedonum Philippus, in honorē Deorum, pro concessa victoria, splendidissima peregit sacrificia, conuocataque ingenti hominum multitudine, certamina instituit pulcherrima, multosq; hospites conuiuio excepit, quos omnes amplissimis prosecutus muneribus, suam benignitatem & munificentiam reddidit illustrissimā, vltroque ad petendum munera eos inuitauit. Cum autem Satyrus Comœdus solus nihil a Rege peteret, quæsiuit ex eo cur solus ipse aliquid suæ humanitatis experiri non dignaretur? Ibi Satyrus, Pydnę sibi amicum fuisse Apollophanem, quo defuncto filias eius duas, ambas iam nubiles a tutoribus Olynthum fuisse transmissas, eas modo inter captiuos teneri. Aliud se munus haud petere, quam vt sibi illæsæ tradantur istæ veteris sui amici, & hospitis filiæ, non vt ex eo munere lucri aliquid consequeretur, sed vt addita etiam de suo dote, eas elocaret, neve iniuriam tenera ætate indignam sustinere eas videret. Philippus petitionem hanc libentissimo animo accipiens, virgines duas statim Satyro condonauit, dotemq; addidit splendidam. Hæc Satyri erga veterem amicum, eumque iam defunctum pietas tanti Regis fauore & muneribus fuit dignissima. Diod. Siculus.

Satyri erga veterem amicum iam defunctum fides.

F. Petrarcha.

Verus amicitiæ cultor preciosior auro est,
Et gemmis, sed enim dic mihi vbi inuenias?

Ouidius:

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est experienda fides.

Ennius:

Amicus certus in re incerta cernitur.

Achilles interrogatus ab Aiace quos sustinuisset omnium maximos labores, Respondit, susceptos pro amicis. Cumq; amplius quæreret, quos iucundissimos sustinuisset. Rursus Achilles, Eosdem, inquit: significans heroicum virum flagrare immensa quadam amicos iuuandi cupiditate.

Labores pro amicis suscepti maximi & iucundissimi.

Elegans pictura a Philippo Melanchthone celebratur, quam vidit Francofordiæ, virginis coronam connectentis ex leucrio flore, qui Germanis dicitur, Je lenger je lieber / cui adiunctus est rhythmus, in quo ad appellationem Germanicam perquam scite alluditur.

Je lenger je lieber ich bin allein/
Denn Trew vnd Warheit ist worden klein.

Quorum verborum hic sensus est:

Fecerit haud quicquam, nisi quod fecisse necesse est,
Quamq; dedit norma est vna sequenda Deus.
Et fugito turbam, nisi cum Respublica poscit
Congressus modicos, futile turba malum est.
Nec tibi curabis multos adiungere amicos,
Rara hæc sunt, candor, gratia iusta, fides.
Ac si quos poteris req; officioq; iuuato,
Sic tamen adiutes, ne meminisse putes.
Præcipue vero remis velisq; potentum
Fucosa fugito cautus amicitias.

DE MISERICORDIA ERGA HOSTES exercenda.

CYrus Crœsum Lydorum Regem opulentissimum cremare constituerat, qui iam rogo impositus, doctrinæ Solonis, neminem ante obitum

beatum

beatum esse dicentis, recordatus est, claraque voce ter Solonem ingemiscens nominauit. Cyro deinde per interpretem sciscitanti, quid ijs sibi verbis vellet, Se iam agnoscere, ait, Solonis olim hospitis sui admonitionem & doctrinam, cum reprehenso fastu certam ante obitum felicitatem nemini in hac vita sperãdam esse monuisset: Quibus auditis Cyrus mortalis suæ conditionis recordatus Crœsum soluit iuitum, eumque in magno vsque honore apud se habuit.

Celebris est Philippi Regis Macedonum humanitas & moderatio, qua erga victores, & inprimis Athenienses vsus est.

Quibusdam Philippo consulentibus, vt cum Athenienfibus asperius ageret: Respondit illos absurde facere, qui homini cuncta ad gloriam agenti, tum patienti suaderent, vt glorię suæ theatrum abijceret: significans, se hoc agere, non vt Athenas euerteret, sed vt ciuitati celeberrimæ doctissimorum virorum copia florenti suas virtutes probaret.

Idem cum post victoriam de Athenienfibus partam, insolentiorem in conuiuio se gereret: Quidam ex captiuis Athenienfibus qui aderant, cum te post victoriam, inquit, o Rex Agamemnonis similem esse deceat, mauis tu Thersitæ esse similis. Qua admonitione tam libera nonnihil turbatus Rex, abiectis coronis conuiuio tacitus excessit, omnesque Athenienses liberos sine vllo precio dimisit.

Alexandri erga Porum humanitas.

Alexander Macedoniæ Rex, capto Poro Rege, cui & corporis ingentes inerant vires, & animi longe etiam maiores virtutes, hanc ipsam & corporis & animi excellentiam admiratus Alexander, sciscitabundus ipse quidem, magna tamen comitate adhibita, ab illo exigit, quanam se ab Alexandro ratione tractari, quemue erga ipsum sese gerere Alexandrum cupiat: Ad ea nihil Porus aliud, quam vt pro Regia secum dignitate ageretur petijt. Rursus Alexander, Numnam forte & aliud? Ad ea quoq; & ille subdidit: Regiam dignitatem, quę ipse cuperet, cuncta secum continere. Quæ dicta quum Alexander pro sua Regiaq; & Pori dignitate ac decore examinasset, non regnum illi modo restituit, belli iure vindicatum; verum imperio eius latiores etiam fines adiecit. De eiusdem erga Darij vxorem & filias humanitate & pietate supra.

Lucij Pauli humanitas, qua erga victum Persea vsus est, sub præcedenti titulo exposita est.

Agesilaus in concione solebat admonere milites suos, ne captiuos, vt facinorosos cruciarent, sed vt homines seruarent. Infantibus etiam in bello captis prouidit, vt in vnum locum comportarentur, ne mutatis castris perirent. Eandem curam impendit senibus captiuis, ne quoniam secum non possent, a canibus lupisue discerperentur. Hæc autem humanitas illi non solum aliorum, verum etiam captiuorum miram beneuolentiam conciliauit. Et nunc homines sibi videntur, qui trucidatis infantibus ac senibus, eam ætatem abducunt, quæ vel libidini apta est, vel labori, vel vtrique. Quo progressa est immanis illa feritas?

Laurentius Hungariæ Palatinus, cum diceret imprudenter agere Sigismundum Imperatorem, qui victis hostibus non solum vitam & opes relinqueret, sed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque: Tibi, inquit Sigismundus, videtur vtile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo. Ostendit autem pulchrius esse benefaciendo, quam potentia inimicos vincere.

Alphonsus Aragonum Rex cum expugnatis vibibus, humaniter hostes omnes dimittendos mandasset, reprehensus a suis ducibus, qui omnes interficiendos putabant, respondit: Nihil magis aduersariorum animos flectere atque conciliare, quam placabilitatis & mansuetudinis nomen.

Ingentem

Ingentem animi continentiam Totilas in Italia Ostrogothorum Rex ostendit, cum bello aduersus Romanos suscepto, etsi eorum rebellione grauiter exacerbatus erat, in Campania Cumas vrbem cœpisset. Nam cum in ea permultas nobili genere mulieres Romanas offendisset, seruata singulari diligentia earum pudicitia, parentibus proprijs queisque eas restituit. Fulgos.

Attila è Tungris Leucada versus tendente, Lupus Galliarum Episcopus cum magno Sacerdotum cœtu ei extra vrbem per mille passus obuiã processit, frænoque equi, quo Attila vehebatur, apprehenso, eum per ciuitatẽ cum vniuersis copijs recta eduxit. Ferunt autem Attilæ attoniti oculos ea fuisse caligine suffusos, vt nec vrbem, nec populum aspexerit, sed in denso nemore se vagari putarit. Attilæ deinde relicta vrbe vlterius progredienti passim obuiã facti sunt viri & fœminæ, qui metu hostis relicta vrbe in solitudines profugerant, inter quos mulier erat decem filiarum mater. Ea filiolam natu minimam biennem de collo suspensam gestabat, duas huic ætate proximas asello impositas vehebat, reliquæ septẽ matrem pone sequebantur. Qui comitatus eo erat illustrior, quod omnes istæ puellæ forma essent insigni, sibiq; inuicem similes: Conspectis militibus puellæ trepidæ circa matrem cõfluunt, plorabundæq; eius auxilium implorant. Mater pauore stupens subsistebat. Milites puellarum numerum formæq; similitudinem mirati eas illæsas ad Attilam adducut, ad cuius pedes omnes in terram prouolutæ lachrymis suam testatæ sunt miseriam, animumque Tyranni ferocissimum ita percellunt, vt eas & surgere, & bono animo esse iusserit, omnesque muneribus ornatas in patriam liberas & incolumes dimiserit. Casp. Hedion. lib. 2. cap. 11.

Samnitibus consultantibus quid de legionibus Romanis apud furcas Caudinas inclusis fieri deberet: Herennius Pontius suasit, vt inuiolatæ dimitterentur. Postero die eadem de re consultus, respondit ad vnum vsque delendas. Sentiens aut clementer magno beneficio demerendos hostes, aut irreparabili iactura illorum vires comminuendas. Neutrum secutus est exercitus, sed sub iugum missos contumelia magis illos in se prouocauit. Vide Liuium lib. 9.

Herennij Pontij prudens consilium.

Imperatoris Conradi quæ fuerit humanitas erga Guelffum Bauariæ Ducem, vide infra in sexto Præcepto, de amore coniugali.

Illustris etiam inprimis fuit humanitas & clementia Imperatoris Caroli Quinti, quam Gallorum Regi Francisco ad Ticinum capto & in Hispaniam abducto exhibuit. Nam non solum eum dimisit liberum, verum etiam noua affinitate pacem cum eo confirmauit, sororem suam Leonoram ei dans vxorem. Qua sane humanitate sua & clementia multo illustriorem sibi famam & gloriam comparauit, quam si totam Galliam ferro ignique vastasset. Non solum enim potentissimum hostem deuicit, verum etiam seipsum vicit, quæ longe illustrior est victoria.

Fridericus Imperator victis in Hungaria Gunziensibus: Magnũ, inquit, actum est opus. Nunc autem maius restat, vt scilicet vincamus nos ipsos, atq; auaritiæ, & vlciscendi cupiditati frænos imponamus. Discant nostri Principes victores exemplo Friderici imperare animi affectibus, neque insolescere ob res ad nutum voluntatemque cedentes, parcereque victis. Præclare Poeta:

Ipsa nisi certas habeat victoria leges,
Quam bona sæpe fuit, tam solet esse nocens.

Quod & Virgilius versu elegantissimo expressit:

Parcere deuictis, & debellare superbos.

Cum in obsidione Caietæ, susceptis impuberibus senibusq; omniq; sexu bellis haudquaquam vtili, quos Caietani ob annonæ penuriam ciuita-

te expu-

te expulerant: quidam Alphonso Regi dixisset: Si tu hos non admisisses, Caietani paucis post diebus sese dedissent. At ego, respondit Rex, pluris facio, eorum vitas, quam Caietas centum. Facinus profecto Regium & memorabile, ac dijs immortalibus inprimis gratū, acceptumq;. Quam enim vrbē per id tempus quadraginta ferme millium conatu capere nequisset, postea soluta ac diu iam desita obsidione, sine vi, sine armis ea gratitudine in ditionem redegit.

Renatus Lotharingiæ Dux a Carolo Burgūdię Duce pulsus, postea Heluetiorū fœderatorum ope adiutus, eum ipsū, a quo summis erat affectus iniurijs, prælio vicit & interemit. Is haud paruo labore Caroli corpus in conferta cæsorum multitudine inuentum, non vt fortasse aliquis ad explendam iram laniauit, aut aliquo ludibrio habuit, sed seu prudenti animo insigniq; virtute princeps, ad Nanceium oppidum, in sancti Georgij fanum detulit, cum omni aula sua eum honoris gratia atris vestibus prosecutus, tanto Sacerdotum facumq; numero adhibito, quantus tunc inueniri potuit. Signa enim doloris omnia edidit, dum hostem grauissimū efferret, qui in ipsum omnesque alios superbus atq; immanis fuerat, non aliter ac si verum parentem suum extulisset. Fulgos. lib. 5.

Admetus Rex Molossorum.

Themistocles, cum Lacedæmonij fugientem ex Græcia sequerētur, vt ipsum interficerent, fugit primum ad Admetum Regem Molossorū, qui cum ei inimicus esset, monitus ab vxore Admeti, factus est ei supplex, hoc singulari ritu, quem docuerat eum Regia coniunx. Cum domum venisset Admetus, in vestibulo ad aram Themistocles tenens manibus filiolū Admeti, & patri ostendens, propter eum orat se supplicem recipi, sibi parci, nec dedi sese hostibus. Hic ritus propter filium petendi iudicabatur sanctissimus. Dedit igitur ei Admetus aliquantisper tutum hospitium. Sed cum timeret Græcos, qui poscebant sibi eum dedi, curauit eum in Asiam transuehi. Thucyd. 1. Chron. Philip. lib. 2.

Agesilaus Spartanorū Rex in Bœotia ad vrbem Coroneam, cum Thebanis & eorū socijs dimicans, vulneratus est. Ac scribit Xenophon, tam acre prælium fuisse, vt nullum suo tempore fuerit acrius. Ex eo prælio cum multi in templum vicinum fugissent, iussit parci templo, & dimitti incolumes omnes, qui eo confugerant. Concessit & Thebanis petentibus cadauera interfectorum ad sepulturam. Adeo non indulsit iræ, quanquam vulneratus erat.

DE HOMICIDIIS ALIISQVE TRAGICIS CASIBVS.

1. *Cædes Iohannis Diazij.*

ANno quadragesimo sexto supra sesquimillesimum, Iohannes Diazius Hispanus, & pietate & eruditione eximia præditus, cum relicta Lutetia, vbi dederat, operam literis, & Theologiæ Sorbonicę, primo Geneuā, hinc Argentinam syncerioris doctrinæ amore flagrans se contulisset, Bucero ob magnam eruditionem & indefessum studium ad colloquiū Ratisbonense ituro, comes sociusque laboris a Senatu Argentinensi additus est. Inde cum Nuburgum profectus esset, quod est oppidum ad Danubiū duodecim supra Ratisbonam milliaribus, vt cuiusdam libri, quem typographo Nuburgensi miserat excudendum Bucerus, emēdationi præesset: Interim frater eius Alphonsus Diazius Iurisconsultus, in Iudicio Rotę assessor, de fratris sui religione certior factus, celeri cursu primum Augustā, deinde Ratisbonam venit, & vbi, quibus locis Diazius esset, cognouit, eo contendit, & admiranti causam aduentus tam subiti tamque insperati, commemorat, varijs deinde argumentis, & precibus eum hortatus est, vt Lutheranorum relicta hæresi ad Romanam reuerteretur Ecclesiam. Cum

autem

autem frustra eam sumeret operam, pollicetur annuos census e Sacerdotijs, modo secum eat Romam, cum ne id quidem succederet, interpositis aliquot d. ebus, victum se fatetur, & amare doctrinam Euangelij simulat, & illum, vt relicta Germania, quæ viris doctis abundet, & ipsius opera nō indigeat, secum in Italiam proficiscatur, vbi multis prodesse queat, horta tur. Diazius magna perfusus lætitia, tum sibi tum illi gratulatur, & missis Ratisbonam literis ad Bucerum & alios consilium illorum exquirit, ij re scribunt, & ne comitetur eum, monent. Alphonsus ergo deiectus ea spe, rogat, vt saltem Augustam vsque Vindelicorum secum eat. Dum hoc agi tur, venit Nuburgum Bucerus, & ne pedem illinc efferat hortatur, neque prius illinc ipse discedit, quam Alphonsus abijsset, quod fuit Martij die vi cesimo quinto. Sed pridie quam abiret Alphonsus, frater humanissime compellat, hortatur, ad constantiam, & se beatum esse prædicat, qui pau cis diebus, ex ipsius colloquio tantum profecerit in vera Dei cognitione: rogat vt subinde sibi scribat, beneuolentiam omnem promittit, & recu sanati quatuordecim aureos obtrudit, atq; ita profusis vtrinq; lachrymis discedit, & curru vectus, Augustā venit, sex a Nuburgo millianbus. Postri die deinde idem iter vnde venerat ingreditur, & in itinere comparata se curi, quam a fabro lignario forte emerat, vicesimo septimo Martii prima luce Nuburgum venit, & equis ante portam relictis apud nunciū Augustanum, quem secum abduxerat, in oppidum ingreditur, famulo sicario (quem publicum fuisse carnificem perhibent) comitatus, & ad diuersorium fratris accedit. diuersabatur autem apud concionatorem eius oppidi. Famulus ne statim agnosceretur, tabellarij vestem pileumq; sumpsit, & præcedens ostium pulsat, deque Diazio rogat, ad quem literas habeat: intromissus ascendit. Alphonsus autem ad infimos gradus manet, obseruans, ne quis conatum impediret. Diazius expergefactus, quum a fratre nuncius adesse diceretur, profilit e cubili, & pallio solo tectus, atq; pileo nocturno in proximum cœnaculum egreditur, literas sicarius reddit, vix dum illuxerat: literarum hæc erat sententia, Valde se solicitum esse de ipsius periculo: Caueat sibi diligenter a Maluenda, & id genus alijs hostibus Euangelij. Dum ista legit Diazius, carnifex a tergo stans, occultam sub veste securim totis viribus illi in capitis partem dextram infigit vsque ad manubrium, sic, vt ille subito, perruptis omnibus organis cerebri collapsus nullam vocem ederet. Percussor securim in vulnere defixam reliquit, & illico descendens cum hero parricida ex oppido properat. Huius tam horrendi sceleris & inauditi fama statim Nuburgi diuulgata fuit, & ex aulicis ministris nonnulli, qui Diazium amauerant, arreptis equis illos insequuntur. Ex quibus Michael Herfferus Oeneponti eos comprehensos cædis atque parricidij accusat. Verum in Pontificis gratiam parricidæ liberi dimissi sunt. En hi sunt fructus sanctimoniæ Papalis. Verum diuinum iudicium nequaquam parricida iste Alphonsus effugit. Anno siquidem millesimo, quingentesimo, quinquagesimo primo, seipsum desperabundus Tridenti de collo mulæ suæ suspendit. Vide Sleidan. lib. 17. & Lud. Rab. 2. partem de Martyribus.

Crocodili lachryma.

2. VVinshemii latro aliquot perpetratis cædibus, mulieribusque aliquot grauidis dissectis, cum imminente festo Paschatis tria vitulina capita in macello emisset, eaque sacco in morem retis nexo imposita domū deportaret, omnibus, quibus abeuntem eum aspicerent, humana capita portare visus est. Defertur res ad Senatum, statimque missi sunt Lictores, qui eum caperent. Adductus in curiā interrogatur vnde humana capita accepisset, in macello se emisse ea respondet. Accersitur & lanius, qui capita vitulina, non humana se ei vendidisse affirmat. Senatus animo perculsus haud temere tale ohlatum esse portentum iudicat, ideoque latronem i-

Latro diuino portento proditur.

ſtum in carcerem deduci & per tortutam examinari præcepit. Qui ſtatim perpetratas cædes confeſſus eſt, deinde e ſacculo depromta capita naturalem rurſus vitulinorum capitum figuram habuere.

3. Alexander Sextus anno Domini milleſimo, quingenteſimo tertio, veneno, quod alij parauerat, abſumptus eſt, hac occaſione: Conſpirarant pater & filius in necem Cardinalis cuiuſdam, cui ad cœnam vocato, cum poculator venenum appoſiturus eſſet: errans venenum ipſi Alexandro, & filio eius Valentino porrexit. Qui cum venenum ſe hauiſſe ſentirent, ambo mulis exenteratis inuoluti, vt recentis mulæ calor veneni vim exhauriret. Pater nihil adiutus hoc remedio extinctus eſt. Filius ad aliam pœnam ſeruatus.

4. Tubingæ viator quidam cum inter pocula de itinere ſibi conficiendo loqueretur, inter cætera ignotam, inquit, ſibi eſſe viã, quæ per proximam ducat ſyluam, ideoque ſe optare comitem, cui viarum perplexitas eſſet cognita: ibi aſſidens latro, Me, inquit, habebis comitem. Nam & mihi per ſyluam iter faciendum, & via eſt notiſſima. Ambo itaque cum ſyluam ingreſſi eſſent, latro prædæ inhians viatorem incautum opprimit & trucidat. Verum ſpe ſua fruſtratus pauciſſimos obolos reperit. Itaque inter crebros gemitus in diuerſorium redit. Interim rumor ſpargitur de interfecti hominis cadauere in ſylua reperti. Homicida cum perpetratum facinus ſuſpirijs ſuis proderet, capitur, & ſe auctorem homicidij confeſſus ad ſupplicium rapitur.

5. Ciuis quidam Cygnæus in vallem Ioachimicam profectus, cum propter conficienda negotia quædam metallica, tum vt pecuniam reciperet, quæ ex venis metallicis ei debebatur, domum inde reuerſurus a fratre petiit, vt ſe per ſyluam proximam comitaretur, eo quod ſolitudo moleſta eſſet. Qui facilem ſe fratri præbuit comitem, cumque in ſyluam ventum eſſet, petijt decem ſibi Ioachimicos a fratre mutuo dari. Verum ea in re ſe ipſi modo non poſſe gratificari, reſpondet alter, eo quod creditoribus certam de ea pecunia, quam accepiſſet, ſolutionis ſpem feciſſet. Quo ille accepto reſpoſo paululum retrogreſſus eſt, & mox incautum glande e bombarda emiſſa tranſuerberat, ſpoliatoque cadauere domum redit. Poſtridie trucidati hominis cadauer in ſylua iacere Magiſtratui annunciatur, qui motus coniecturis minime vanis, interfecti fratrem comprehendit, & ſtatim ille parricidium confeſſus eſt, petens quamprimum ſumi de ſe ſupplicium, vt a grauiſſimis conſcientiæ cruciatibus liberaretur. Et quidem in pia inuocatione mortuus eſt, turbamque aſtantem hortatus, vt ſecuritatem, Sacramentorumque contemptum ex animis eijcerent, ſe enim in tali ſecuritate, qua a communione Cœnæ Domini abſtinuerit, viuentem a Diabolo ad talia ſcelera perpetranda impulſum eſſe. Dicebat idem viſum ſibi eſſe in egreſſu ſyluæ, ſe a fratre interfecto vocari.

6. In celebri Germaniæ oppido, in nuptiali feſtiuitate virgo ad choreas eſſet, forte aberat iuuenis iſte, itaque ab alio Studioſo iuuene domum reducitur. Paulo poſt adueniens ſartor, vbi virginem ab alio domum deductam eſſe vidit, ſe contumelia affectum ratus, ad paternas puellæ ædes properat, & diſſimulata animi ſui commotione humaniter Studioſum euocat, qui nihil mali ſuſpicatus, inermis egreditur, protinuſque ſtricto gladio incautus a ſartore confoditur. Pater audita filij ſui, quem vnicum habebat, morte, triduo poſt ex animi mœrore extinctus eſt, & vna cum filio in idem ſepulchrum reconditus. Mater ſartoris parricidæ itidem præmœrore mortua eſt. Ipſe vero parricidij auctor in deſperationem incidés, in profluentem amnem ſe præcipitem dedit.

7. Iudex quidam Hiſpanicus, cum factum eſſet homicidium, & plures

vna

vna adfuissent, singuli vero sese excusaret, singulos iussit nudare pectora, & palpauit ipsorum corda. Cumque sensisset in vno maiorem cordis tremorem, inde coniecturâ sagaci mente faciens, Tu, inquit, perpetrati homicidij auctor es. Qui male sibi conscius, scelus statim confessus est, & ad supplicium ductus.

8. Antuerpiæ quidam diuitijs affluens, creditorem, cui magnam pecuniæ summâ debebat, in ædes suas accersitum, clam interficit, sumpta prius ab eo chirographi cautela, qua debitū omne dissolutum esse testaretur. Magistratus, cum nuspiam creditor iste appareret, in singulis ædibus de eo inquisitionem fieri curauit. Homicida conscientiæ angoribus agitatus, cum timeret ex sepulchro recens intra ædes suas facto homicidiū detectum iri, effossum cadauer in proximum puteū abiicit. Forte in vicinia vetula quædam id conspicata Magistratui, quæ vidisset, annunciauit. Magistratus abiectum cadauer inquiri per lictores iubet. Quo inuento, auctorem homicidij comprehensum in illa sella, in qua alterum occiderat, in medio foro supplicio affecerunt.

9. Simon Turcus Lucensis mercator a Iohanne Baptista Deodato popularis suo vulnus in facie acceperat. Simulata reconciliatione vindictam meditans, cathedrā confici curat, quæ sessorem arctissime cōstringeret. In uitatus in viridarium Deodatus, & sellæ affixus, multis vulneribus a Simone cōfossus est. Tandem deprehenso scelere miro casu, Simon publice in eadem cathedra totidem vulneribus confectus est, sub annum Christi 1555. Cardan. lib. 11. cap. 1. de var. rerum. *Tragicum homicidiū.*

10. Anno quinquagesimo sexto, supra millesimum quingentesimum vir nobilis magnis affluens opibus non procul ab Augusta Vindelicorū, puerum Æthiopem aluerat. Cumque aliquando abesset domo Nobilis, de nocte consurgens Æthiops coniugem, totamque familiam, excepta filiola Domini, interemit. Postridie reuersus Dominus ædes præter morem clausas offendit, cumque propius equo vectus accessisset, se illi obtulit in domus fastigio Æthiops aspectu truculentissimo, & his verbis eum alloquitur: Scis homo crudelissime, quomodo me quondam innocuum tractaueris, quod sane in hunc vsque diem memoria retinui. Iliam iniuriam de tuis nunc demum vindicaui. Ecce enim partem de cadauere tuæ coniugis, quam cum tota familia occidi, excepta filiola, quam viuam reliqui, tibique restituam, si mihi incolumitatem vitæ promiseris. Pater extreme perturbatus, homicidæ incolumitatem promittit. At ille per fenestram infantem ante pedes patris proijcit: Scio, inquiens, quod fidem mihi non es seruaturus, non satis in temetipso & tuis illam iniuriam vltus, moriar & ego, & sic de fastigio ædium præcipitem se dedit. Quo facto quid crudelius, magisque ex diaboli instigationibus depromptum cogitari potest? Rem ita gestam narrauit Philippo Comiti a Nassau Damianus Knebel Secretarius Comitis de Hana.

11. Viennæ Austriæ seruus pistoris, cum hero thesaurum & mediocres ei facultates sciret, discessum simulauit. Deinde paucis diebus elapsis, noctu clam in domum pistoris redit, excitatoque strepitu famulum progredientem ex insidijs oppressum interficit, simili modo ancillam interimit. Eodem deinde furore ingressus cubile, pistorē cum coniuge trucidat, nec. contentus tot cædibus filiolam etiam clamantem, o mi Paule parce mihi, omnia tibi dabo mea crepundia, occidit. Deinde ex effractis cistis pecuniam, cui inhiarat, rapit, celerique fuga ad Ratisbonam vsque euasit. Postridie cum vicini totum diem clausam esse domum mirarentur, ex consilio Senatus fores effringunt, & cum horrore & trepidatione tot strata cadauera aspiciunt. Cumq; Ratisbonam versus latronē profectū esse fama ferretur, Senatus qui eū inuestigarent aliquot emisit, qui comprehensum

latronem Vienam reduxerunt, ibi affixus veruto vel palo parricidij pœnas luit. Fertur autem inter tormenta dixisse, nullum se maiorem sustinere cruciatum, quam vocem puellæ animo obuersantem, per crepundia vitam deprecantis.

12. In pago Lipsiæ proximo Colgarten/quidam patrem & matrem familias cum liberis interfecit, raptaque pecunia aufugit. Cum vero comprehensus esset, & Lipsiæ de eo sumeretur supplicium, confessus est, se potus cibiq; expertem triduo sub scalis latitasse, cædemque nefariam agitasse animo, cumq; ab atroci adeo scelere abhorreret, sibi auditam esse, dixit, vocem susurrantē, fac, fac, eaq; voce afflatum & impulsum esse, ad perpetrandum quod animo conceperat facinus, perpetratoque scelere aufugere se non potuisse affirmauit. Hæc manifesta sunt opera diaboli.

Tragica facinora.

13. Anno quadragesimo tertio supra sesquimillesimum, Vitus Theodoricus Noriberga missis literis Vitebergā atrocissimū hoc facinus retulit: Straubingę vidua a quodā Scholastico impręgnata, cum baptizandum infantulum in templum misisset, parochus eius loci, vt infantem baptizaret, adduci non potuit, nisi pater indicaretur: is cum ignoraretur, infans Baptismo non initiatus e templo ad matrem relatus est, quę desperationi furorem addēs, infante trucidato, seipsam laqueo strangulauit. Scholasticus infantis pater, vbi tragicum matris facinus comperit, seipsum gladio confodit. Parochus his auditis, se causamq; caputq; horum malorum agnoscens, in desperationem incidit, & sibi quoque ceruices laqueo fregit. Flebilibus sæpe gemitibus casum hunc atrocissimum deplorauit Luthetus, O quam horrenda, inquiens, hæc sunt facinora. Quo non impellit hominem ignominia, quæ eum & animę & corporis facere iacturam cogit? Quare oremus & vigilemus, nec enim aduersarius noster diabolus dormitat.

14. Cygneæ infans cum manu teneret cultrum, lapsus ei incubuit, & ex casu isto mortuus est. Pater domum reuersus, subito incēsus furore coniugem occidit. Postremo in desperationem incidens, sibi ipsi manus intulit.

15. Mulier ætatis adhuc integræ, cum mortuo marito, sibi filijsque duobus victum suppetere posse dubitaret, nec manuum labore tantum acquireret, vnde se & liberos sustentaret, ottiatim victum emēdicare coacta est. Verum cum & ea ratio parum eius votis responderet, quin etiam contumeliosa a quibusdam verba in eam ingererentur, clamantibus iuuenculam eam esse, & robustam, eique laborando rectius quam mendicando, cibum quæri. Illa his irritata verbis in extremam tandem desperationem incidit, domumque reuersa cum acerbe ploraret, Eamus, inquit, ad liberos, & nos vna in amnem præcipites demus, cū vnde viuamus nobis haud suppetat. Cui liberi, te quocunque placuerit, comitabimur. Alterum itaq; filiorum humeris imponens mater, alterum manu ducēs vrbe egressa est, deiectosq; de ponte in Albim liberos, sequuta est. Res gesta anno supra sesquimillesimum quadragesimoseptimo.

16. Paucis ab hinc annis Rusticus pileo gestans cristas gallinaceas, Nobili factus est obuiam. Nobilis sibi dari petit cristas, cui Rusticus, cur mi frater hoc munus tibi negarem? Nobilis se a Rustico fratrem vocari inique ferens, e vestigio glande bombardica eum transuerberat.

17. Dux quidam fratrem suum fame necauit, in fastigio arcis caueę cancellatæ inclusum, vbi in nonum vsque diem inter horrendos miserabilesque clamores detentus dira morte extinctus est.

18. Anno 35. supra 1500. quidam in Ducatu Virtenbergēsi inuitatis hospitibus caput porci, qui a rabido cane læsus fuerat, appositit, de quo cum gustassent carnem, omnes protinus in rabiem acti, se inuicem vt rabidi canes morsibus petentes discerpserunt. Iob. Fincel.

19. Anno quinquagesimo sexto supra sesquimillesimum, non procul a

Monasterio VVestphaliæ hoc extremę atrocitatis facinus perpetratum est. Mulier partui vicina in pagum proximum egressa est, vt peccata sua confiteretur, & iuxta ritum Papisticum Sacramento altaris se muniret. In confessione Sacerdoti sacrilego significauit, se marsupium pecunia plenum reperisse, ideoq; petere, vt publice e suggestu id proclamaret, vt legitimo possessori restitueretur. Ad quæ Sacerdos, hoc illi diuinitus oblatum esse munus, quare illud sibi reseruaret, eoque frueretur, nec id vel proclamari, vel cuiquam significari necesse esse. Quibus auditis mulier inuentum retinet marsupium. Domum itaq; reuersura per syluulam transire coacta est. In quam cum ventum esset, dolores partus eam obruunt. Itaq; anxia humi residet, marsupiũ sibi substernens. Interim Nobilis qui marsupium perdiderat, equo vectus celeri cursu accedit, mulierem an marsupium inuenisset intertogat. Illa per Christianam pietatem Nobilem obtestatur, vt e proximo pago mulieres aliquot, quæ parturienti sibi adessent, propere accerseret, & marsupium ei certo restitutum iri. Nobilis quanta potest celeritate abit mulieres adducturus, interim impius iste sacrificus accedit, fœminamq; parturientem Satanica truculentia interficit, capiteq; ei resecto marsupium rapit. Nobilis cum mulieribus reuersus in miserãdum & atrocissimum hoc incidit spectaculum. Cum autem niue omnia essent tecta, Nobilis latronis insistit vestigijs, quem vbi cõprehendit, marsupiũ suum recuperat, eumq; equo suo alligatum in pagum raptat, & Magistratui puniendum tradit. Sententia itaq; per iudices lata, vt in oleum feruens coniectus morte tanto scelere digna afficeretur, sumptum est de eo supplicium Ianuarij die 20.

20. Anno quadragesimo supra sesquimillesimum homo nefarius in pago Frawenstein / qui est sub imperio Episcopi Moguntini, cum Dominica Vocem Iucunditatis ingens turba a meridie sub tilia conueniret, puellam quę quintum annum nondum compleuerat, verborum blanditijs vsus, in stabulum templo vicinum seducit, &, quod dictu horrendum est, per vim stuprare conatur. Cum autem libidini suæ in tenerrima puella satisfacere non posset, ei iugulum stricto cultro incidit, præterea quinque mortiferis ictibus corpus vulnerat. Exhaustum deinde sanguine corpus dispandit, pudendaq; cultro dissecta dilatat, eoq; modo inhumanam prorsus & diabolicam libidinem cum exanimi mixtus corpore adimplet, deinde gladio stricto in quindecim frusta mẽbratim corpus dissecat, vt nullum membrũ integrum agnosci posset. Cumque in colligendis membris occupatus esset, interuenit vnus ex pagi incolis, qui motus atrocitate rei sceleratum hominem verberibus affectum & comprehensum Magistratui tradit. Vinctus deinde Moguntiam perductus est, ibique forcipibus ignitis toto discerptus corpore, rotæ tormentali innexus est. Iob. Fincel. lib. 2.

21. Anno 40. supra milliesimum quingentesimum, VVitenbergæ seruus molitoris, herum suum vna cum coniuge grauida noctu in lecto occidit, & membratim dissecuit. Comprehensus deinde extra mœnia raptatus, & in quatuor partes a carnifice dissectus est. Casp. Goldtwurm.

22. Isenaci quidam dura pressus inopia cum puellam ambiret, hospitem suum viduum noctu clam interfecit, abiectoque in cellam cadauere pecuniam quanta adorat rapuit, fugam deinde cum moliretur, in ædiculam ponti adiũctam delatus est, animoq; perturbatus & attonitus pedẽ inde mouere non potuit, donec captus & parricidiũ perpetratum, & quod fuga euadere non potuisset, confessus est. Morabantur tum temporis Isenaci Lutherus, & Philip. Melancht. apud quos cum enixe instaret homicida, vt pro se apud illustr. Principẽ intercederẽt: Respondit Luth. facinus esse atrocius, quã pro quo salua cõscientia intercedere liceat, se tamen oraturos, vt pœna ipsi mitigetur. Fridericus Myconius eum consolatus est, cui

gratias egit quam maximas. Magno conatu, inquiens, Satanas me impellere voluit, vt mihi ipsi suspendio spiritum præcluderem. Verum ex verbo Dei me consolatus sum, eiusq; tentationibus restiti. Mortem nunc lubens sustinebo. Sic in vera pœnitentia & confessione Christi mortuus est.

23. Huic non dissimile est, quod alibi in ciuitate quadam accidit, vbi cũ rusticus vicinum occidisset, frustra fugam molitus est. Nam delatus ad pontem vsque, ibi quasi vinctus stetit, donec cõprehensus ad supplicium raperetur. Ex his apparet, quid sit dolor & vulnus conscientiæ.

24. Retulit aliquando Martinus Lutherus, ex copijs Caroli V. vltra viginti virorum millia veneno extincta fuisse, cum Itali arbores, fructus, fontes infecissent. Et nihilominus Imperator Pontifici summa & firmissima fide addictus est.

Alexandri VI. filius.

25. Supra facta est mentio Alexandri VI qui veneno, quo Cardinalium quorundam vitæ insidiabatur, extinctus est. Eius filius cum veneno seliberasset, a Castellensi Rege deinde captus est, cumq; mortis supplicio afficiendus esset, petijt Monachum ad se mitti, cui peccata confiteretur, vbi incautum protinus Monachum iugulauit, eiusq; indutus amictu e carcere, ac si Monachus esset, euasit. Hæc ita gesta esse Lutherus se pro certo Romæ audiuisse affirmauit.

Anno 1566. generosus Comes Nicolaus de Serin in ponte arcis Sigethi a Turcis trucidatus est, eiusque caput Imperatori Maximiliano transmissum. Interfecerat autem ante annos aliquot Comes ille Nicolaus contra datam fidem Catianum Ducem Turcicum ad se inuitatum, hospitioque exceptum, eiusque caput Imperatori Ferdinando transmiserat, cuius perfidiæ tum pœnas luit.

LATROCINIIS PER HERCVLEM terra repurgata.

Tmolus. Telegonus. Sarpedon. Cacus. Lacinus. Eurypylus. Albion. Borgion.

LAtrones prisco seculo extitere plurimi. Eorum Hercules complures, peragrato terrarum orbe, extinxit. Tmolum & Telegonum Protei filios, qui hospites lucta superatos necabant, lucta suffocauit. Sarpedonem Neptuni filium crudelissimum interfecit sagittis, & baltheum Eurystheo portauit. Cacum latronem in Auentino monte oppressit. Lacinum extremam oram Italiæ latrocinijs infestantem trucidauit. Eurypylum diripuit, regemque Eurypylum cum vniuersa familia trucidauit, quia exercerent cædes & latrocinia aduersus omnes. Albionem & Borgionem iter suum impedientes, cum ad Atlanticos montes properaret, de medio sustulit. Cum ad aprum Erymanthium proficisceretur, a Pholo hospitio perbenigne excipitur, Is vas optimi vini in honorem hospitis aperuit. At Centauri odore vini concitati in Pholum impetum faciunt, quos Hercules statim sagittis confecit. Dum seruiret Lydiæ reginæ Omphalæ, Cercopas Ephesi populos bello profligauit, qui aduenientes hospites suas vineas tanquam seruos fodere cogebant. Cum boues Geryonis in Libyam per Iberiam abigeret, Percylus & Alebion Neptuni filij, boum pulchritudine allecti, illos surripuere, & egere in Ethruriam. Cum taurus aufugisset, & tranasset in Siciliam, Italiam postea vocarunt. Tyrrhenorum enim lingua taurus Italus dicebatur. Cum Eryx Siciliæ rex taurũ illũ cepisset, neq; repetenti Herculi reddere vellet, ad certamen ventum est. Eryx cæstu percussus obijt. Multa sunt certamina, quæ in itinere ad Hesperidũ mala Hercules commisit. A Cygno ad fluuium Echedorum ad singulare certamen prouocatus est. At fulmine cœlesti fuerunt direpti. Cũ e Pyrenæis montibus per Illyricam regionẽ iter faceret, & in Libyam peruenisset, Antæum terræ filium obuium habuit, admirandæ proceritatis, qui ad 64. cubito-

Centauri. Cercopes.

Eryx.

Cygnus.

Antæus.

rum

rum longitudinem accederet, in omnes peregrinos inhumanum, quos secum luctari cogebat, & suffocabat. Hic cum Herculem ad luctam prouocasset, ab eo pene extinctus ter prosternitur. At erat ea virtute, vt quoties terram matrem attingeret, toties fortiter resurgeret. Quod sentiens Hercules, sublimem a terra tandiu sustinuit, donec expirauit. E Libya in Ægyptum profectus, Busirim Neptuni & Lysianassæ vel Libyes filium inuenit, qui aduenas Neptuno patri vel Ioui immolaret. Cum easdem insidias Herculi parasset, Busirim, Amphidamantem filium, & Chalben præconem aræ illius impuræ occidit. Per Arabiam iter faciens, Emathionem Tithoni filium violentum hominem in omnes peregrinos obtruncauit. Natalis Comes lib. 7. cap. 1. Mythologiæ.

ALEXII CONIVNX REGNI PROCERES immani consilio e medio tollit.

ALexij Græcorum Imp. defuncti viduam Principes & alij ad nouũ hortabãtur coniugium, vt ex omni Procerum nobilitate sibi quem vellet, in maritum legeret. Tenebatur hæc interim domestici cuiusdam consuetudine exoleti Grifonis nomine, qui post occupatum Imperium Emanuel dici voluit. Huic clam ad se vocato nefarium aperit consilium. Est, inquit, mihi in animo, ne nouo matrimonio locata fructu nostræ consuetudinis caream, te, si vir vere sis, ad Imperij fastigium promouere, sed intellige tu, qua id ratione confici possit. Audio te multos familiæ tuæ viros habere, in agris omnino agentes. Hos omnes tectis armis in vrbem diuersis itineribus, diuersoq; tempore inducas volo, inde quum tempus aderit, in parte ædium ad cædem paratos esse oportebit. Tum proceribus Imperij vocatis stipulari ab eis incipiam, velint iubeantq; me nubere cui velim: sintne cui nupsero, pro Græciæ Imperatore habituri? Si se id facturos (quod non dubito) dixerint, tum ergo te & meum coniugem, & Imperatorem salutabo, in tua verba cogam iurare omnes. Quod si facere recusabunt, tum hominibus tuæ factionis ad vnum trucidandos obijciam. Probat ferox & amás iuuenis mulieris consilium, atq; omnibus, vt inter eos conuenerat, comparatis, auersati Principes tam sordidas nuptias ad vnum ferro cæsi sunt. Atque ita eo die ab ijs, qui ex Constantino procreati erant, desitum est in Græcia imperitari. Sabel. lib. 7. Ennead. Decad. 1.

DE IIS QVI SIBI MORTEM consciuerunt.

SAulus, eiusq; armiger, suis ipsi gladijs incumbunt. 1. Reg. 31.

Achitophel cum videret consilia sua negligi, seipsum suspendit. 2. Regum 27.

Tyrannidem in Israele affectans impius Zambri, cum videret, quod expugnanda esset ciuitas, in quam confugerat, ingressus est palatium, & succendit se cum domo Regia, & mortuus est in peccatis suis. 3. Reg. 16.

Razias vnus de senioribus Iudæ, ne in manus Nicanoris deueniret, seipsum gladio petijt. Sed cum per festinationẽ non certo ictu plagã dedisset, recurrẽs audacter ad murum præcipitauit semetipsum in turbas. Cum autem adhuc spiraret, petram conscendit præruptam, complexus intestina sua, vtrisq; manib. proiecit supra turbas, inuocans Dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, atq; ita vita defunctus est. 2. Mac. 14.

Iudas sceleratus proditor, sibi ipsi laqueo spiritum præclusit, mediusq; crepuit. Actor. 1. *Iudas Ischarioth.*

Cum ciuitas Ierusalẽ ab Herode & Sosio expugnaretur, Iudæo cuidam

Iudæus cũ septẽ filijs & vxore mortẽ sibi infert.

cum septem filijs & vxore in antro latitanti Herodes gratiã suam porrecta placide manu vltro offerebat. Verum mori ille maluit, quam Romanorum captiuus esse. Itaq; primum septem suos filios, deinde vxorem de præcelsa rupe præcipites dedit, hinc seipsum quoq; super eorum cadauera deturbauit. Ioseph. 1. de bello Iudaico. 12. & 13. cap. & lib. 14. Antq. c. 25.

Theoxena Toridis vxor.

Philippus Macedonum rex pater Persei cum decreuisset liberos eorũ, quos interfecisset, occidere: Theoxena cum Poride coniuge & liberis fugiens, ne in insequentium Regiorum militum manus deueniret, prolatus in medium gladijs, & poculo, in quo erat venenum, suasit ijs, vt imminẽs ludibrium morte effugerent, & cum persuasisset, ipsa deinde virum comitem mortis complexa in mare sese deiecit. Liuius lib. 40.

Vibius & 27. Senatores venenũ hauriunt.

Cum post grauem diuturnamq; obsidionem Romanis deditionem facere cogerentur Campani, Vibius cum viginti septem Senatoribus, ne in victoris manus deuenirent, splendide epulati sunt, alienatisq; mentibus vino ab imminentis sensu mali, venenũ omnes sumpsere, inde missõ conuiuio, dextris inter se datis, vltimoque complexu, collachrimantes suum patriæq; casum, alij vt eodem rogo cremarentur, manserunt, alij domos digressi sunt. Impletæ cibis vinoq; venæ minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt. Itaq; noctem totam plerique eorum, & diei insequentis partem cum animã egissent, omnes tamen, priusquam aperirentur hostibus portæ, expirarunt. Liu. lib. 26.

Quadraginta Iudæi.

Iosephus cum post Iotapatæ captiuitatem se cum quadraginta Iudæis in speluncis abdidisset, ante se mutuis confodere vulneribus, quam hosti dedere omnes maluerunt, vnusq; Iosephus cum solo comite ex eo numero non sine magna industria euasit. Fulgos. lib. 3. cap. 2.

Iudacillius Asculanus, cum sciret a Pompeio Asculum vrbem patriam suam obsideri, vrbem ingressus, sed non tanto numero vt tueri eam posset, occisis aduersæ factionis ciuibus, pyraque ingenti lignorum in medio congesta templo, in ea cum amicis cœnauit. Atq; postea hausto veneno, succensaque pyra, sibi patriæque per hunc modum malorum finem inuenit. Ibidem.

Iudæorum mirandus in seipsos sæuientium furor.

Eleazarus Iudæus post captas Hierosolymas, in arcem Messadæ cum nongentis Iudeis se recepit. in ea obsessus a Sabino Flauio Romano Præfecto cum iam euersis muris parua sui tuendi spes restaret, confirmatis eorum animis oratione fortitudinis plena, eos demum in hanc sententiam secum traxit, vt sorte decem eligerent, a quibus omnem vna cum liberis atque vxoribus occiderentur. Itaq; re peracta illi ipsi decem succensa arce, ne quid prædæ ad hostem perueniret integrum ab incendio, ea tantum, quę victui parata erãt, seruauere, vt vera virtus, & nõ fames intel ligeretur, ea fuisse quæ ad tam efferatum consilium eos perduxerat. Post hæc igitur ipsi quoq; decem ad id facinus relicti, mutuis se vulnerib. trucidarunt, neq; ex tanto numero vllus superfuit, præter fœminam vnam, quæ audita illius deliberationis atrocitate, in subterraneos cuniculos cũ quinq; puerulis se recepit. Illicq; dum res perageretur latuit, a qua postea, vt res gesta erat, intellectum fuit. Ibid.

Buthes Persa Thraciæ præfectus, a Cimone Athenienſium duce, in vrbe Eione obsessus, cum vt idem facerent alij, qui vna secum obsidebãtur, persuasisset, incensa prius vrbe ne ad hostes ex ea victoria commodũ vllum perueniret, vna cum obsessis omnibus mortem sibi consciuit. Ibidem. Boges vocatur ab Herodoto, historia in præcedentibus posita. De amicitia.

Ariarathes Cappadociæ Rex, cum a Perdicca obsideretur, ne ex ea victoria aliquo commodo Perdiccas augeretur, se suosq; vrbe incensa interemit, cinere tantum ruinisq; hosti relictis. Ibid.

Cato

Cato Vticēsis dolēs & grauate ferens Pompeiū (cuius partes fouebat) à Cæsare, cui aduersabatur, superatū, suo quoq; gladio incubuit, lecto prius Platonis Phædone de animę immortalitate. Cuius audita morte Cæsarē dixisse ferunt, & se Catonis inuidere gloriæ, & suæ Catonem inuidisse.

Venda Polonorum Regina.

Mortuo Graco illustri Polonorum rege, qui circa annum Domini 700. regnare cœpit, Poloni ad Vendam filiam eius, quæ superstes erat vnica, principatum detulerunt. Sperabant enim habituros se esse præstantem aliquē de externis Principem, venustissimæ & prudentissimæ virginis Vendæ coniugio inuitatum. Nec sane fefellisset Polonos opinio, nisi per Vendam stetisset. Nam Ritigerus illustris & potens ea tempestate in Theutonibus finitimis Princeps, per Oratores suos coniugem eam sibi petiuit: verum illa excelsi & minime muliebris animi virago, negauit se alicui esse nupturam, Principem, quam Principis vxorem esse malle. Orare iterum atq; iterum Ritigerus, minasque adiicere. Sed postquam frustra se omnia tentare videt, coacto exercitu armis negatum cōiugium persequi statuit, nec segnius Venda cum expeditis suorum copiis aduenienti hosti ad fines regni sui occurrit. Miscere rursus cœpit Ritigerus preces atque minas, illa vero exprobrare importunam libidinē armato. Oratores deniq; reuersi, eximiam puellæ pulchritudinem & sapientiam, animumque ad bellum, quam ad nuptias paratiorem, renunciant suo Principi. Orant itaq;, ne se exercitumque suū, propter intempestiuum amorem & cupiditate suam, turpiter coniiciat in periculum: etiamsi exploratam haberet victoriam, in gloriū tamen esse viro cum fœmina certamen: ni desinat, relicturos se eum domumq; signis conuersis reuersuros. Ille omnibus tentatis, vbi obstinatos suorum animos, & à prælii dimicatione alienos esse videt, mortem sibi consciuit (cum propter amoris impatientiam, tum quod à muliere sine vllo prælio victus esse videretur) Theutones vero ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ decesserunt. Lætata hoc successu Venda ouans Crocouiam inuehitur, mactatisq; quam plurimis victimis, ad extremum ipsa diis patriis solenni ritu se deouet, ac de ponte in profluentem Vistulæ (ne quis aduersus casus eius fœlicitatem contaminaret) sese proiicit. Sic peccabatur ibi, vbi verus ignorabatur Deus. Inuentum est postea Vendæ ipsius cadauer, quod vno ab vrbe milliario, editiore loco e conspectu vrbis supra amnem Dlubniam, Proceres sepeliuerunt, aggesto itidem vt patri tumulo: indeq; subiacens pagus Mogilæ, hoc est, tumuli, nomen adhuc retinet. Ioannes Herbutus historiæ Polonicæ, libro primo, capite sexto.

Concupiuit Mithridates rex Ponti ardentissime Monymam Meleſiam, sed cum ne magno quidem auri pōdere mulierem corrumpere potuisset, iunxit sibi illam inuitam matrimonio, atq; adeo reluctantem, vt Reginæ nomen & decus pertæsa sibi mortem consciuerit. Sabell.

Antonius ab Augusto victus suo incubuit gladio, regioque Cleopatræ sepulchro impositus est, Cleopatra deinde exquisitissimo cultu ad Augustum venit, sperans eum vt cæteros sua specie ad libidinem illicere. At ille iuxta se coartans ad eius concupiscentiam minime inflexus, eam custodiri iussit. Tunc illa se ad triumphum seruari intelligens, è custodia elapsa, in precioso suo sepulchro iuxta Antonium se collocans, sibi aspidem in sinistro brachio admouit, & eius veneno quasi somno soluta est.

Sabinus eques Romanus.

Sabino equiti Romano cum Claudius Cæsar impunitatem pollicere-tur, quod cum Caligulæ percussoribus interfuisse eius cædi putaretur, posteaquam alios, qui cædi interfuerant, occisos esse cognouit, spreta impunitate quæ offerebatur, vt fortis vir, vereque Romanus eodem pugione, quo Caligulam occiderat, ne in Claudii potestatem veniret, seipsum interemit. Fulgos.

Otto Imperator mortem sibi ipsi consciuit, multis in ambiguo relictis vtrum carcerem, an principatus amissionem metuens, vel patriæ casum miseratus, quam ciuilia arma perdebant, cum adhuc aduersus hostem vires sufficerent, & præterea ingentia auxilia expectaret. Ibidem.

Decebalus Dacarum Rex.

Dacarum Rex Decebalus, ingentis animi vir, secundo prælio Marci Vlpij Traiani Augusti viribus ita attritus, vt amplius spes non superesset, ne hosti lætiorem faceret victoriam, si captus vinctusque in triumpho victorem antecederet, sibi ipsi vitam ademit. Fulgos. lib. 3. cap. 2.

Homerum Poetarum omnium facile Principem ferunt cum iam senio confectus ad quosdam nautas diuertisset, propositumq; ab eis ænigma ne iudico fabulosum. Alij dicunt pudore nimio eum in morbum incidisse, quo paulo post extinctus est. Sed quid opus est causam mortis comminisci, cum iam matura esset ætate? Iam enim vixerat annos centum & octo.

P. Terentius amissis centum & octo fabulis (quas è Græcis Latinas fecerat, & conuerterat ex Menandro) se submersit. Quod quamuis plerique falsum opinentur, credibile est tamen. Si enim multi amisso thesauro ad mortem properauerint, quanta mentis ægritudine videntur tibi laborare, qui momento perdunt, & in ictu oculi, quod improbo labore, diuturnis vigiliis, magna olei impensa, longo ante seculo fabricauerunt, demum accuratiore studio incudi reddiderunt, & ad vltimam reuocauerunt limam? Rauisius.

Adrastus Gorgij filius, dum Athim Crœsi filium suę fidei creditum, in venatione apri loco percussisset, se super eiusdem tumulum confodit. Herodotus supra.

Laij & Oedipi calamitas.

Laio, cum quo nupta erat Iocaste, filio Labdaci, qui nepos fuit Cadmi, ex filio Polydoro, non nascebantur liberi, quorum ille cupidus, Apollinę, quid facere se oporteret, consuluit. Qui respondit, vt Euripides expositit Senariis versibus:

Ne serito sulcos liberum, vi dæmonum,
Nam te satus quondam trucidabit tuus.

Huius ille Oraculi immemor, quadam nocte, cum se plusculũ in conuiuio inuitasset, concubuit cum vxore, & illam filio impleuit. Quo edito in lucem, reuersoq; in memoriam Oraculo, metuens suæ vitæ Laius dedit interficiendum pastori. Ille suspensum resti traiecta per vtrunq; pedem, reliquit in solis locis Cytheronis. Sed forte tum Melibœus, pastor Polybi, qui Corinthum teneret, seu inuentum seu acceptum à pastore Laij moto misericordia ad regem suum detulit, qui cum & ipse liberis careret, tanquam filium educi curauit, & à tumore pedum nominauit Oedipum. Cum autẽ adoleuisset, interq; æquales vnus per iram exprobrasset generis ignobilitatem, profectus Delphos Oedipus, de patre Apollinem consuluit. Qui quidem de genere nihil explanauit, sed respondit, eum parricidam futurum, & maritum matris suæ. Itaq; ille reuerti Corinthum noluit. Et ingressus viam in triuio, ducentem Thebas, obuium parentem, à quo, quia non cessisset, sceptro fuerat percussus, interemit. Eo tempore infesta erat Regio Thebana latrocinijs Sphingis, qua è medio sublata Oedipus, Reginam, q matrem suam esse ignorabat, ex pacto vxorẽ ducit, & ex ea vtriusq; sexus liberos suscipit. Tandem vbi resciuit se incestorem esse patris sui, & incestas celebrasse nuptias, seipsum vsu luminis priuat, acu effossis oculis. Iocasta laqueo vitam finit. Polynices & Eteocles filii moto intestino bello, mutuis concidere vulneribus. Vide Sophoclem, & Statium.

Iocasta mater Oedipi.

Didonem gladio suo occubuisse pro comperto est: sed non omnes eandem mortis causam asserunt. Scribit Ausonius (& ita se habet rei veritas) hoc ab ea factum, vt mortuo marito Sicheo castitatem seruaret vidualem,

& furias Iarbæ Regis Getulorum declinaret. Contra Virgilius hoc ipsum adscribit impatientiæ doloris, quem ex Æneæ fuga conceperat. Quod fabulosum est.

Hannibal Amilcaris filius post multas clades Romanis illatas tandem victus, cum de Prusiæ Regis Bithyniæ, ad quem confugerat, fide dubitaret, venenum hausit, quod in annulo gerebat.

In excidio inclytæ vrbis Carthaginis mulierum viginti quinque millia, virorum triginta millia occubuere. Asdrubal Dux Carthaginensium supplex ad Scipionem confugit. Eius vxor dira marito imprecata, se cum paruis filijs in medium ignem præcipitauit. Postea & ipse Asdrubal sibi mortem consciuit. Vrbs inflammata arsit dies sedecim, & ipsis quoque hostibus lachrymas excussit. *Asdrubalis vxor.*

Pyramus adolescens, & Thysbe puella, insano amore flagrantes, cum impediente parentum suspicione suis votis satisfacere nequirent, pepigerunt, vt certo die in remotum locũ se reciperent. Quo cum prior venisset Thysbe, metu leænæ ibidem repertæ profugit in latebras, relicto capitis tegumento. Quod arripiens leæna venienti post Pyramo coniecturam præbuit & argumentum deuoratæ amasiæ, morteinq; sibi propterea is cõscisciuit. Thysbe paulo post reuersa, vbi mortuum amantem conspicata est, lõgioris vitæ pertæsa, & ipsa Pyrami gladio incumbit. Ouidius historiam hanc quarto Metamorpholeos elegantissimo carmine describit.

Hæmon Thebanus inuenis cum Antigonen Oedipi & Iocastæ filiam deperiret, ad eius tumulum mortem sibi consciuit. Fuerat autem Antigone iussu Creontis (qui vetuerat Græcorum cadauera humari) iugulata, quod Polynicen fratrem mortuum noctu sepelire voluisset. Cognita deinde filij sui morte Eurydice Creontis vxor, doloris impatiens, & ipsa se interemit. Vide Sophoclis Antigonen.

Athamas Rex Thebanorum furijs agitatus Learchum filium dedit mortiti. Propterea Ino Cadmi & Hermiones filia, & eius vxor sibi timens, cum altero filio Melicerta se in mare præcipitem dedit. *Ino Cadmi filia.*

Iphis puer liberali facie, quum Anaxareten puellã ardenti amore prosequeretur, neque tamen redamaretur ab ea, laqueo se suffocauit, atque onus infœlix elisa fauce pependit. Ouid. 14. Metamor. Demum cum celebrarentur exequiæ, puella mortui misserta se quoq; interfecit.

Cambles Lydorum Rex eo voracitatis progressus esse fertur, vt nocte quadam vxorem quoque absumpserit, cumque summo mane illius manum in ore comperisset, semet iugulauit. Xanthus apud Cæliũ author est. Si vera hęc est historia, diaboli prestigię & effascinationes inde agnoscũtur.

Cum Cinna vrbem obsideret, duo fratres, alter ex Cinnæ exercitu, alter ex contrario, inter se dimicarunt. Posteaquam victor spolians interfectum, agnouit fratrem, & rogo extructo, seipsum impositum corpori fratris transfixit. Talia sunt spectacula bellorum ciuilium. 2. Chron. Philip. *Duorũ fratrum interitus.*

Mortuo Mario, Cinna & Carbo sese sine comitijs Consules crearunt in biennium. Cumq; Cinna metuens Syllæ reditum, ad quem plurimi Nobiles viri confugerant, aduersus eum ducturus esset exercitum, milites nolentes ingredi naues eum interfecerunt. Ita pœnas dedit suæ crudelitatis, cum initio collegam Consulem Octauiũ, & præcipuos viros Romanæ nobilitatis interfecisset. *Bellorũ ciuilium calamitates.*

Post tertium annum Sylla redit in Italiã, facta pace cum Mithridate, L. Scipione, & Norbano Consulibus ducens triginta millia contra duos Cõsulares exercitus, in quibus erant ducenta millia. Sed L. Scipionis exercitus vltro ad Syllam transijt. Norbani exercitum acie vicit, trucidatis septẽ millibus. Hic Norbanus postea in Rhodum fugiens, cum à Sylla deposceretur ad supplicium, in foro Rhodio sibi mortem consciuit.

Postea

Postea & Marius filius acie victus est, ac scripsit Sylla, se tantum viginti milites in eo prælio amisisse, hostium vero viginti millia cæsa esse, & octo millia capta. Marius filius cum in oppidum Prænestæ fugisset, & circumsessus non posset effugere, sibi mortem conscinit.

Magnentius in vrbe Augusta Rhetica per seditionem Imperator factus, Constantem Imperatorem quiescentem in cubiculo interfecit. A Cōstantino deinde fratre Constantis victus Magnentius Lugdunum fugit, vbi cum necasset amicos, quorum ei fides suspecta fuit, postea sibi ipse mortem consciuit. Qua eius morte cognita frater Decentius laqueo se ipsum suffocauit. De Constantino, Constante, & Constantio, fratribus, supra plura.

Percussores Caij Iulij Cæsaris pleriq; omnes sibi ipsis manus intulere. Et quidem Cassius eodem se pugione, quo Cæsarem percusserat, transfixit. Brutus cum noctu solus in conclaui moraretur, apparuit ei prægrandis viri horrenda imago. Cumq; interrogaret Brutus, quis esset, quidque sibi vellet? Respondit, Tuus sum, inquit, Brute malus genius, in Philippis me videbis. Ad quæ Brutus animo præsenti, Videbo ergo. & simul imago ista euanuit. In prælio deinde aduersus Augustum & Antonium ad Philippos gesto victis fugatisq; suis copijs, suo ipse gladio incubuit.

Cleomenes Dux Lacedæmoniorum ab Antigono victus, ad Ptolemæū se recepit, à quo benigne primum exceptus, post modum à Nicagora prodi tionis accusatus, in carcerem detrusus est. Vbi cum aliquot alijs voluntariam oppetijt mortem. Mortuum Rex pelle nudauit, & affixit cruci, auctore Plutarcho. Herodotus ait, Cleomenem à suis incipientem se detrun casse, carnesq; e tibijs ad femora, e femoribus ad coxarum vertebras pro scidisse, atque in rescindendo vtero expirasse.

Cleomenis filius.

Cleomenis huius filius, cum ex parentis suæ lachrymis patris mortem suspicaretur, nulla re dicta, à summo ædium culmine se præcipitem demisit, egitq; ea re, vt omnes Cleomenis filium fuisse intelligerent.

Bis Xanthij in Lycia parentes, liberos & vxores ira & desperatione interfecerunt, vrbemq; insuper cremarunt, primo bello Persico: inde post aliquot ætates ciuili bello, quod Bruto & Cassio ducibus est aduersus Triumuiros, Antonium & Octauianum, in Asia & Europa gestum.

Xanthia mulier.

Fuit in his Xanthiæ mulieris exitus omniū maxime memorabilis, quæ se in publico excidio laqueo suspendit, paruum filium à se enectum manu vna tenens, altera incensam facē, vt omnia secum perderet, absumererq; totam domum incendio.

Perditis & afflictis rebus Numantinorum, Theagenes cum omnes ciues nobilitate, pecunia, honoribusq; præstaret, vicū suum, qui in ea vrbe speciosissimus erat, contractis vndique nutrimentis ignis incendit, protinusque strictum gladium in medio posuit, ac binos inter se dimicare iussit, vt victus incisa ceruice ardentibus tectis superijceretur, qui cum tam forti lege mortis omnes absumpsisset, ad vltimum seipsum flammis immisit. Valer. lib. 3. cap. 2.

Scipio socer Pompeij.

Scipio infeliciter Cn. Pompeij generi sui defensis in Africa partibus, classe Hispaniam petens, cum animaduertisset nauem, qua vehebatur, ab hostibus captam, gladio præcordia sua transuerberauit, ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cæsarianis militibus, vbinam esset Imperator? Imperator bene habet, tantumq; eloqui valuit, quantum ad testandam animi magnitudinem æternæ laudi satis erat.

Cum Fuluius Flaccus in oppido Calibus, propter Campanam perfidiā Principes ciuitatis ante tribunal suum capitali supplicio afficiendos iudicaret, literisq; a Senatu acceptis finem pœne eorum statuere cogeretur, vltro se ei T. Iubelius Taurea, Campanus, obtulit, & quam potuit clara vo-

ce, Quoniam, inquit, Fului cupiditate tanta hauriendi sanguinis nostri te
neris, quid cessas in me cruentam securim distringere? vt gloriari possis, a-
liquanto virum fortiorem, quam ipse es, tuo iussu esse interemptum: eo
deinde libenter id se facturum, nisi Senatus voluntate impediretur, affir-
mante: At me, inquit, cui nihil Patres C. præceperunt, aspice: oculis tuis
quidem gratum, animo vero tuo maius opus edentem, protinusq; inter-
fecta coniuge, ac liberis, gladio incubuit.

Quintus Catulus Cimbrici triumphi cum Mario particeps à Senatu da-
tus, ab hoc eodem Mario propter ciuiles dissensiones mori iussus, recenti
calce illito, multoq; igni percalfacto cubiculo, se inclusum peremit.

Eadem tempestate Lucius Cornelius Merula Consularis, & flamen
Dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in Iouis sacrario, venis
incisis contumelioſæ mortis denunciationem effugit.

Herennius Siculus cum ob amicitiam Gracchi in carcerem duceretur,
in poste illiso capite in ipso ignominiæ aditu concidit, ac spiritum deposu-
it, vno gradu à publico supplicio, manuq; carnificis citerior.

C. Licinius Macer vir prætorius repetundarum reus in Mænianum cō-
scendit, misso ad Ciceronem, qui diceret se non damnatum, sed reum per-
isse, nec sua bona hastæ posse subijci, protinusq; sudario, quod forte in
manu habebat, ore & faucibus coartatis, incluso spiritu pœnam morte
præcurrit, qua cognita re Cicero, de eo nihil pronunciauit. Valer. Max.

Mithridates à Pompeio superatus, filiam nomine Diraptim Menophilo
Eunucho seruandam commisit in castello quodam Sinthorio. Quod cum
Manlius Priscus obsedisset, defensoresq; deditionem parantes Menophi-
lus sentiret, gladium in viscera sua compegit, veritus ne captiua puella ra-
peretur, & violaretur. *Menophilus Eunuchus Mithridatis.*

Mithridates à Lucullo primum, deinde a Pompeio superatus, postremo
à Pharnace filio adolescente ingratissimo (qui à patre ad Pompeium defe
cerat) bello petitus, & obsessus, venenum hausit. Quo nihil ad mortem
propter sumptum antidotum proficiens auxilio Galli cuiusdam militis
vitigis nomine se interfecit.

Monyma Milesia, & Veronica Chia, duæ Mithridatis vxores, audita e-
iusdem miserabili fortuna, per Bochidem Eunuchum, ambæ vitam spon-
te reliquerunt. Nam Monyma prima se suspendit. Sed cum corporis gra- *Mithridatis vxores.*
uitate confractus esset laqueus, O execrandum, inquit, diadema, quo ne-
que in tam tristi ministerio vti possum. Bochidi se postmodum dedit iugu
landam. Veronica vero calicem veneni hausit, quo per venas serpente,
quum durius torqueretur & langueret, Bochidis quoque auxilio accele-
rauit sibi mortem.

Dinocrates Messenius victo primum Philopœmene Achæorum duce,
ab ipsis postremo Achæis superatus, mortem sibi intulit, ne in eorum veni
rer potestatem. Auctor Plutarchus.

Sargapises Thomyris filius à Cyro Rege Persarū captus, dum manicas
& brachiorum vincula eximi sibi impetrasset, seipsum interfecit. Herod. *Sargapises Thomyris Scytharū Reginæ filius.*
Rursus autem Thomyris capti Regis Cyri caput amputatum in vtrem hu
mano sanguine repletum conijci iussit, cum hac exprobratione crudelita
tis: Satia te sanguine quem sitisti.

Iuba Rex Mauritaniæ à Cæsare superatus, sibi quoq; mortē conscinit.
Cuius filius puer Romam in triumphum ductus est.

Petreius Dux Pompeianus à Cæsare in Hispania superatus, se ferro & in
edia interemit.

Gordianus senior audita filij morte, qui pro patria in bello occubuerat,
laqueo se suspendit, iam octogenarius: partim dolore amissi filij, partim
ne traheretur captiuus.

Gale-

Galerius Imperator, cũ Christianos omnibus, quibus poterat, tormentis affecisset, tandem in morbum incidit, cuius impatientia gladio latus sibi aperuit.

Adrianus Imperator Mastorem quendam barbarum (quo propter robur & audaciam plerunque vsus fuerat in venationibus) impulit & coegit, vt cædem sibi inferret, circumscripsitque locum sub mamilla, quem Hermogenes Medicus demonstrauerat. Quo letbaliter percusso, sine dolore expirauit. Hoc autem fecit incredibili membrorum omnium cruciatu impulsus, qui etiam morbo subtercutaneo ardens, victus dolore plures è Senatu extinxerat.

Athenienses dum mortui Herculis tumantur liberos, quos insectabatur Eurystheus, ab Oraculo acceperunt, se ab Eurysthei liberatum iri incursatione, si quis è liberis Herculis semet inferis deuoueret. Quo audito Macaria eiusdem filia sese spontaneæ morti obtulit.

Macaria Herculis filia.

Britona Nympha Cretensis, cum esset formosa, perpetuoque virginitatis voto venationi vacaret, ad vim & stuprum Minois Regis declinãdum, se in aquas dedit præcipitem.

Lucretia puella rarum Romanæ castitatis lumen, ægre ferens, purissimum suæ pudicitiæ florem, ab infami & turpissimo tyranno Tarquinio iuniore fuisse corruptum, & stupratum, impatiens acceptæ iniuriæ palam se occidit, fecitque vt populus scelus vlcisceretur, & Regum principatum excuteret.

Portia filia Catonis, audita morte Bruti mariti apud Philippos interfecti ferrum poposcit ad inferendam mortem. Quod cum amici recusassent, carbones hausit, & inaudito mortis genere vitam finiit.

Sophronia Romana, Christiana Lucretia, quum vim Decij Principis sibi quotidie insidiãtis non posset declinare, arrepto gladio per consensum mariti se confodit. Eusebius.

Appius Claudius Regillianus Decemuir, stuprata Virginia Virginij Centurionis filia, in carcerem à populo crimen vlciscente, coniectus, sibi manus intulit.

Timantes Cleonæus Athleta, cum & viribus senio defectis, & desuetudine ingentem arcũ non posset intendere, quem iuuenis lunabat, & flectebat, furori adeo indulsit, vt eam tantum ob rem gladio se perforauerit.

Labienus Poëta videns libros suos ob nimiam carpendi libertatem publico decreto comburi, suis superuiuere non potuit monumentis; ac propterea spontaneam oppetiit mortem.

Lucretius Poëta Physicus sumpto amatorio poculo, eo furoris raptus est, vt manum sibi intulerit, natus annos plus paulo quadraginta.

Empedocles Siculus Poëta immortalitatem nouo mortis genere affectans, se in Ætnam coniecit. Deus immortalis haberi dum cupit Empedocles ardentem frigidus Ætnam insiluit. Horat.

Syluius Italicus Poëta incurabilis morbi tædio, voluntariam oppetiit mortem, annos natus LXXV.

Corn. Gallus Poëta elegiographus, ab Augusto præfectus Ægypti designatus, Thebarum ciuitatem spoliasse dicitur. Propterea cum repetundarum postularetur, sibi mortem intulit, anno ætatis suæ 43. Auctor Ammianus Marcellinus. Alia tamen causa ad inferendam sibi mortem motum volunt pleriq;, quod scilicet Augusti domo ei fuisset interdictum, vt scribit Tranquillus. Alij ob linguam nimis effrænem, quod & Ouidius videtur probasse, vbi ait:

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Plinius

Plinius lib. 7. Corn. Gallum & Q. Heterium equitem Romanum in Venere obiisse auctor est.

Vxor Stratonis.

Stratonis Sidoniæ Principis vxor, cum accepisset, Persas hostes vrbem ingressos, atque haud longe abesse, vt viro eius potirentur, adempto ei gladio, manu sua ipsum occidit, corpusq; eius, quantum pro tempore potuit, decenter exornauit. Cui postea superincumbens, ipsa gladio se traiecit, vt eadem in morte viro, qua viuens charitate comes esset. Fulgos.

Arria Pæti vxor.

Cum Pætus in Scribonia coniuratione nominatus, atque in Illyrico captus, Romam perduceretur, vxor eius Arria parua celoce nauem, qua Pætus vehebatur, ad vrbem vsq; secuta est, ibiq; gladio pectus transegit, eductumque gladium intrepida viro porrexit. Affirmans vulnus quod fecerat nihil dolere, vt exemplo ipse quoq; animaretur, atq; in hæc verba dum vitam hortatur, moribunda corruit. Mart. lib. 1.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies hoc mihi, Pæte, dolet.

Cyane puella à patre Cyanippo incognito per vim stuprata, vbi tãdem auctorem sceleris agnouit, illum prius, demum seipsam interfecit. Author Plutarchus.

Otho Imperator quãuis mollissime semper vixisset, adeo vt ad muliebres accederet mundicias, victus tamen à Vitellio, apud Bebriacum ausus est sibi mortẽ consciscere, quamuis multas haberet copias, posset q; victoriam sperare. Quod fecisse odio bellorum ciuilium dicitur. Martialis:

Quum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo,
Forsitan & posset vincere mollis Otho.
Damnauit multo saturum iam sanguine Martem,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato (dum viuit) sane vel Cæsare maior:
Dum moritur, nunquid maior Othone fuit?

Florianus Imperator, qui Tacito successit, dolens Probum militiæ peritum à magna exercitus parte fuisse electum, sibi ipsi venas incidit, effusoque sanguine consumptus est: Sext. Aurelius.

Arbogastus quum Valentinianum Iuniorem apud Viennam dolo strãgulasset, vt eidem in Imperio succederet, à Theodosio mortem vlciscente superatus, sua se manu percussit.

Starcharetus Rex Danorum pœnitẽtia ductus, quod Lennum quendã per nefas occidisset, eius filio Hathero se præbuit occidendum. Olaus lib. 5. cap. 9. ex Saxone hunc ad modum scribit:

Starcharetus Gigas Suecus iam fessus ætate (cum CCC. annos superaret) ne senij vitio pristinum gloriæ decus amitteret, egregiũ fore putauit, si voluntarium sibi conscisceret exitium. Aurum librarum C. X X. quod iam pridem pro Olonis tyranni interfectione meruerat, collo appensum gerebat, emendi in se percussoris gratia, vt quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ salutis impenderet. Itaque Hatherum splendido loco natum, cuius olim patrem occiderat, obuium nactus, hortabatur, ne à parẽtis sui interfectore pœnas exigere vereretur: hæc facientem auro, quod gerebat, remuneraturum se spopondit. Cui Starcharetus cupide ense oblato pronam postmodum ceruicem præbuit, hortatus, præfatusque, quod, si peracta cæde ante cadaueris lapsum eapse truncum medius insiliret, armis inuulnerabilis redderetur. Hathe-rus adacto gladio, senem capite demutilauit: quod corpori auulsum impactumque terræ, glebam morsu apprehendisse fertur. Percussor saltu abstinuit:

stinuit: quem si temere egisset, forte cadaueris ruina obrutus, occisi senis pœnas proprio funere persoluisset. Corpus eius in campo, qui vulgo Rosung dicitur, sepulturæ mandandum curauit.

Galeatius Mãtuanus, Papiæ cum hybernaret, puella (quam vnice amabat) per iocum imperante, se in fluuium deiecit, auctore Pontano.

Ecelinus tyrannus post infinita prope flagitia, & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turianum Mediolani Principẽ susceperat) vulneratus, more frendentis beluæ vulnus discerpsit, eoq; miseram euomuit vitam.

IVDICIVM MART. LVTHERI DE IIS QVI mortem sibi ipsis consciscunt.

HAudquaquàm omnes eos damnatos esse, inquit Lutherus, iudico, qui mortem sibi ipsis consciscunt. Nam Deo animas seruare perfacile est. Nec est dubium, eos qui vel laqueo vel alio modo se ipsos occidunt, ab ipso diabolo occidi. Quod patet ex multis euidentissimis exemplis. Quidam cum à Satana tentaretur, ex equi loro se suspendit, pedibus terræ insistens. Goltbergæ, quod oppidum est Episcopi Verdensis, Studiosus quidam in cubili suo terræ innitens de fragili admodum virgulto se suspendens suffocatus est. Alius quidam quoties in lapidem aut aliud quosuis obstaculum impingeret, vel in terram procideret, execratione per nomen diaboli vtebatur. Qui sæpius ab amicis correptus, tandem pessimam istam consuetudinem abiicere cogitauit. Verum aliquanto post cum ponticulum transiret, lapsusque imprudenter solita vteretur execratione, in palude ibi à Satana suffocatus est.

Malitiæ diabolicæ exempla.

1. 2. 3.

4. Plutarchus auctor est, Milesias virgines repente sine vlla euidẽti causa, voluntatem cepisse obeundæ mortis, ac deinde plurimas vitam suspendio amisisse. Cui malo vt mederentur Milesij, decreuerunt, vt quæ corporibus suspensis demortuæ forent, nudæ cum eodem laqueo efferrentur. Quo facto, ait, virgines pudore tam inhonesti facinoris deterritas voluntariam amplius non petiuisse mortem.

Quemadmodum ex permissu Dei latro hominem subito oppressum vita priuat: Sic ex eiusdem permissu diabolus in hominum corpora grassatur, & sępe sine iactura animarum. Veruntamen Magistratus terrorem incutiet hominibus pœnę asperitate, qui in cadauera eorum, qui manus sibi ipsis intulere, animaduertet, eaq; non vulgari modo efferri, sed subter suffossum limen per carnificem raptata ad Cynosarges deportari curabit, vt hoc modo à nefario scelere reliqui deterreantur, & ardentiore affectu preces ad Deum fundant. Profecto animos hominum sic dementat Satanas, vt dum manus sibi inferunt, rem egregiam sibi præstare videantur.

5. Quemadmodum fertur de milite quodam, qui cum magnam pecuniæ summam in promptu haberet, suos commilitones ad aleæ certamen prouocauit, qui cum lusum detrectarent, petijt vt se in pontem comitarẽtur. Quod vbi factum, pecuniam in medium proiecit, suasque & commilitonum partes ludendo simul tutatus est. Cum autem aduersam experiretur fortunam, omnisque pecuniæ iacturam faceret, vltro in Tyberim se deiecit. Ex colloquiis Lutheri.

6. Duo cum satis commodo fruerentur coniugio, diabolicis præstigiis ita dementabantur, vt constituerent ambo vitam sibi laqueo finire, sic à multis miseriis se liberaturi. Laqueum iam in manibus habebant, cum virum monet vxor, vt dulcioris vini haustu se exhilararẽt, & deinde lætiore animo mortem vterque oppeterent. Vir vxoris dicto audiens est, priorq;

ori po-

ori poculũ admouens, Bibemus, inquit, in nomine Iesu Christi. Qui cum bibisset, vxor eius itidem poculum apprehendens, in eiusdem Iesu Christi nomine bibit, protinusque ambo à diabolica tentatione liberati, insidias diaboli agnouere, & diuini numinis auxilium aduersus eas implorarunt. Discip. de temp. Serm. 19.

7. Iuuenis quidam literarum apprime peritus, seipsum cultello, cum solus in conclaui suo versaretur, interfecit. Tentationes hæc sunt diaboli, quibus firma fide, & orationis assiduitate resistendum est. Ideo docet nos in hunc modum orare Seruator Christus: Ne nos inducas in tentationem. Et alibi, Orate, inquit, ne incidatis in tentationẽ. Nec sane feriatur Diabolus, sed circumambulat quemadmodum leo rugiens, quærens quem deuoret. Quare aduersus eius insidias veris illis & cœlestibus vtendum est armis, de quibus diuus Paulus ad Ephesios 6. capite: Induite, inquit, vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis.

Finis exemplorum quinti Præcepti.

SEXTVM PRÆCEPTVM.



SEXTVM Præceptum, cuius duæ sunt virtutes insignes & conspicuæ, Castitas & Temperantia, requirit à nobis vt tam in coniugio quam in vita cœlibe omnis generis libidines & corporum contaminationes à Deo prohibitas vitemus, vt agnoscamus Deum mentem castam esse, & discernendam ab omnibus naturis immundis, & horribiliter irascentem confusioni libidinum. Primum itaque exempla aliquot eorum subijciemus, qui vitę castitatem amplexi sunt: Deinde eorum, qui polluti fœdis libidinibus Præceptum hoc violarunt, iuxta quib. affecti sint diuinitus pœnis huius mandati transgressores indicaturi.

Vir vxori suæ adhærebit, & in vnius amore acquiescet. Nam erunt duo in carne vna. Genes. 2.

Sara. Sara vxor Abrahami diuinitus pudicitiam tutata est, flagellante Domino Pharaonem & domum eius plagis maximis. Genes. 12.

Eadem Sara pudicitiam suam tutatur apud Regem Geraræ Abimelechum, Deo in somnis Regem corripiente, & mortem, si alienam coniugem attingeret, interminante.

Abrahamus filio suo Isaaco iniungit, ne impiorum connubio se contaminet, sed vt ex gente paterna vxorem sibi ducat, cui paternæ voluntatis morem gerenti casta Rebecca diuinitus vxor iungitur. Genes. 24.

Iosephi in Ægyptũ diuenditi castitas vere diuina fuit, qui nec illecebris nec minis adduci potuit, vt effrænatæ libidini heræ suæ acquiesceret. Ge. 39.

Quam requirat æternus Pater in homine castitatem & continentiam, vide Leuitici decimo octauo.

Insignis castitas fuit Saræ virginis Tobiæ iuueni desponsatæ, quę quam salutaribus informetur Præceptis à parente, vide Tobiæ 10.

Inter heroinas, quæ suam castitatem diuino zelo testatæ sunt, facile sibi primas vendicant Iudith & Susanna.

Nec

Nec minus illustris est gloria Hānæ, quæ vidua octuaginta quatuor annos cum summa castitatis & pietatis laude exegit. Lucæ 2.

POENÆ IMPUDICITIÆ.

PRomiscua & fœda libidinum cōfusio diluuio, quo vna cum genere humano omnes creaturæ in terris viuentes, exceptis iis, quas arca Nohæ incluserat, periere, causam præbuit. Genes. 6. & 7. *Diluuium.*

Eiusdem peccati fœtor cœlum vsque conscendit, & Sodomitis exitium attulit. *Sodomitarū exitium.*

Dina Iacobi filia à Sichem filio Hemor stupratur. Quod facinus omnes iuuni Sichemitæ à Simeone & Leui Dinæ fratribus interfecti. Genes. 34.

Ex Israelitis cum Moabitarum filiabus fornicantibus viginti quatuor millia periere. Auersa autem plaga est à populo, cum Phinees Aaronis nepos, Eleazari filius meretricem simul & fornicatorem pugione transfodisset. Num. 25. *Clades Israelitarum.*

Prælio victis & cæsis Madianitis omnes simul mulieres quæ virum cognouerant, interficiuntur, relictis solis virginibus, quarum fuere triginta duo millia. Et fuit pugna ista eo illustrior, quia Israelitarum aduersus numerosissimas Madianitarum copias numerus exilis fuit, cæsique Madianitis, ex Israelitis non vel vnus periit. Num. 31. *Madianitarum clades.*

Samson amore Delilæ insanus oculis & vita priuatur.

Gabaonitæ, cum Leuitæ vxorem prodigiosa libidine extinxissent, atrocES pœnæ vniuersum populum Israeliticum oppressere: ex vndecim enim tribubus reliquis ceciderunt quadraginta virorum millia, ipsaque tribus Beniamitica præter lexcētos, qui in solitudinem confugerant, penitus deleta est. Iud. 19. & 20.

Dauid rapta Vriæ cōiuge pœnis & calamitatibus se obruit atrocissimis. Filius eius Ammon cum sorori vim intulisset, à fratre Absolone interficitur: Deinde Absalon patris Dauidis è regno electi concubinas omnes publice stuprat. 2. Regum vndecimo & duodecimo.

Susanna in pomario domus suæ insidiis circumuenta, & de adulterio à duobus Primatibus appellata, pericli tari honeste quam turpiter agere maluit. Per calumniam damnata à puero Daniele liberali causa asseritur, testes improbi & fallaces sceleris & impudentiæ conuicti, saxis à populo plaudente cooperiuntur. *Duo testes falsi adulterij arguunt Susannam.*

Diabolus cum septem sponsos, quibus tradita fuerat Sara Raguelis filia, interfecisset, Tobiæ parentumque precibus ad Deum fusis abigitur. Vt libidini suæ vacarent sponsi isti cum Sara matrimonium contraxerant. Quare Angelus Raphael Tobiam salutatiter informat, Hi, inquiens, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & sua mente excludant, & suæ libidini vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. Tobiæ 6. *Septem Sponsi Saræ.*

Adulterium & fornicatio ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina, Iob. 31.

Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.

Qui adulter est propter cordis inopiam, perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam cōgregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Prouerbiorum Salomonis sexto.

Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. Eccles. 9.

Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Sapient. 3.

Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. Corinth. 6.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Hebr. 13.

DE CASTITATE PIORVM HOMINVM.

OMnes sancti Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Apostoli, Patres, & alij quiuis Ecclesię pij Doctores in illud vnice incubuere studium, vt vitâ agentes pudicam & castam, corpus ab omni fœda contaminatione purum conseruarent. Quin etiam inter gentiles permulti æternam castitatis laudem meruerunt. Quæ exempla sic animo semper voluemus, vt in ea respicientes & nos castitatis studium omnibus alijs rebus præferamus, turpe ducentes, nos qui Christo addicti sumus, circa eius virtutis studium torpescere, quam sibi complures ex gentilibus, quibus doctrina cœlestis incognita fuit, habuere commendatissimam.

Paphnutius vir illustri pietate præditus, meretriculam hunc ad modum à libidinosa, & impia vita ad sanctitatem perduxit: Comitatus est eam in locum secretiorem, ibi se rem cum ea habiturum promittens, quo cũ peruenisset, anxie circũspiciens, Vereor, inquit, ne à quopiam videamur. Ad quæ illa, Nemo, inquit, hic præter solum Deum, nos videre possit. Quæ verba commode excipiens Paphnutius, quærit ex ea, num ergo Deum esse credat? Quod cum illa astrueret, vir sanctus occasione oblata dextre vtens, grauissima adhortatione eam, vt Deum verita fœdæ & libidinosæ vitæ valediceret, & Deo se totam consecraret, impulit.

Natalius Monachus quoties Alexandriam ingrederetur, mulieres turpi corporis prostituti quæstu infames si quas haberet obuias, monebat ne alij noctem condicerent, se enim cum ipsis concubiturum. Deinde sub vesperam si quam accessisset, totam eam noctem apud meretricem ducebat insomnem, totus vacans precibus, pijsque exhortationibus. quibus eam a fœditate libidinum auocatam Christo lucraretur. Quo sane modo complures è Satanæ laqueis eripuit. Casp. Hed. lib. 5. cap. 19.

Ephraimus Abbas magna continentiæ laude fuit celeberrimus. Cui aliquando se obtulit meretricula, miris illecebris animum eius indecenti libidine inflammare, vel bilẽ ei mouere (cui nunquam obnoxius fuerat) laborans. Ibi Abbas victum se simulans sese illam sequi iubet. Cumque vna ad magnam frequentis populi turbam progressi essent, Hic, inquit Abbas, tecum rem habere est animus, cui illa respondens ait, Qui in tanta populi frequentia tale facinus perpetrare ausimus? Ad quæ Abbas: Cum ergo hominum præsentiam verearis, quanto magis verebere Deum vbiq; præsentem, & occulta quæuis intuentem? Quibus alijsque pluribus verbis eam rubore suffusam, & impietatis conuictam à libidinum fœditate auertit. In vitis Patrum.

Coniugalis consuetudo est castitas.

In Synodo Nicæna cum à quibusdam propositum esset, vt sacerdotibus maritis prohiberetur consuetudo coniugalis, Senex Paphnutius, qui Episcopus erat in Ægyptiaca Thebe, dissuasit hanc legem, dicens coniugia

dissol-

dissoluenda non esse, & coniugalem cõsuetudinem castitatem esse. Synodus Paphnutij sententiam sequuta censuit nequaquam recipiendam esse contrariam. Socrat. lib. 1. cap. 8. Sozom. libro 1. cap 22. Chron. Philipp. libro tertio.

Paphnutij exemplum secutus Huldricus Augustanus Episcopus summopere mandatum de cœlibatu sacerdotum improbauit. In Epistola sua ad Nicolaum primum scribit, quod Gregorius Magnus primo sacerdotib. mandauerit cœlibatum, sed postea comperto, quod clam libidines exercerentur, indeq; multi concepti fœtus trucidarentur, mandatum istud abrogarit, dixeritq; , Melius esse nubere, quam cædib. causam præbere. Nam cum aliquando in piscinam quandam piscatum mississet, inuenta sunt in eadem sex millia submersorum infantium capita. Quod videns ex violento cœlibatu prodijsse, ex imo pectore dolens, & ingemiscens edictum illud protinus reuocauit. Non tantum enim à virginibus & coniugatis non abstinuerunt, sed etiam cum consanguineis, cum masculis, atq; adeo pariter cum brutis fœde sese commiscuerunt.

Non omnibus datum est donum continentiæ. Balæus libro 25. Matthæus. 19.

Hilario Abbas ingenitam corpori concupiscentiam alloquens dicere solebat: Conficiam te inedia, vt de cibo cogites, non de voluptate. Rauis.

Noluit beatus Augustinus habitare cum sorore, ne aliqua titillatio carnis aut pruritus suboriretur. Interrogatus cur hoc faceret: Quoniã, inquit, malum videre fœminam, peius alloqui, pessimum attingere.

Ludouicus Episcopus Tolosanus, Caroli secundi Siciliæ regis filius, ea fuit castitate, vt nulli prorsus fœminæ præterquam matri & sororibus verba faceret, ne vel colloquio sanctitatem corrumperet.

Benedictus Abbas ad incestam recordationem mulieris à se visæ castigandam, vsus est crebra corporis volutatione super sentes.

Euagrius Abbas ad reprimendam Veneris tentiginem, varia tormenta membris suis irrogauit. Nam & corpus inedia confecit, & hybernas plerunq; noctes in puteis egit, vt Bernhardus Abbas in lacu, Aniumarus Tamanensis in vepribus, Franciscus Assisias in hybernis niuib. Autor Sabell.

Origenes Adamantinus virilia sibi amputauit, ne molestam sibi Venerem experiretur. Imitatus Hierophantas Athenienſium sacerdotes, qui sorbitione cicutæ se castrabant, quo mundius in sacerdotio viuerent.

Diuus Augustinus in lib. Confessionum adolescentiã suam deplorans, se cum sextum decimum annum attigisset, ait, sedulo a matre monitum esse, vt vitans scortationẽ nullius vxorem corrumperet. Ad hæc queritur sibi, cum vitam ageret cœlibem, libidinũ flammam ingruisse impetu ferocissimo, & quidem in Ecclesiæ festis solennibus in templo ab illicitis concupiscentijs sese immunem esse haud potuisse. Tandem ait, castum esse neminem posse, nisi cui à Deo datum hoc fuerit. *Augustinus flammas sentit libidinũ.*

Miles quidam Decij succi plenus adolescens, in amœnissimis hortulis inter lilia candentia rubentesque rosas, cum leni iuxta murmure serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super lectum extructum plumis resupinatus est, & ne se inde excuteret, blandis sericq ne xibus irretitus relinquitur. Amotis omnibus arbitris, speciosum scortum iussu prætoris aduenit, delicatis stringit colla complexibus, & (quod dictu scelus est) mulier impudica manibus in libidinem concitat iuuenem Christi. At miles Dei præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ. *Aegyptij cuiusdam iuuenis continentia mira.*

DE CASTITATE VIRORVM illustrium.

SAcræ literæ Ioſephi continentiam & caſtitatem commendant, adeoq; mirantur. Nec minus Græci Bellerophontis & Hippolyti celebrant caſtitatem. Bellerophon ſiquidem cum à Stenobea vxore Prœti Argiuorum regis efflictim adamaretur, nullis tamen precibus induci potuit, vt cum ea ſtuprum committeret.

Dianam intelligit, quæ amauit Hippolytum.

Maluit Hippolytus caſtiſſimus adoleſcens patris iram offendere, quam nouercali libidini parere. Dignus (ſi vera ſunt, quæ de eo Poëtæ ſcribunt) qui mortuus reuixerit, fueritq; curæ illi Deæ, quam omnium caſtiſſimam fabulata eſt vetuſtas. Sabell.

C. Gracchus quandiu Sardiniam prouinciam adminiſtrauit, nulla meretrix introiuit eius domum, nulli pueri eximia forma ei ad cyathum ſteterunt. Gell.

Iſacius Comnenus Imperator tanta fuit continentia, vt vxorem nunquam inire voluerit, poſt prolem ſemel ex ea ſuſceptam: quamuis tamen ad morbi remedium Medici conſulerent, vt coitu frequentiore vteretur.

Alexander Magnus.

Alexandrũ Macedonẽ ſunt qui libidinis arguant. Contra tamen reperiuntur exempla, quæ hoc ipſum refellant, & in eo doceãt caſtitatẽ. Nam victi Darij vxorem filiasque captiuas non ſolum non corrupit, at etiam edicto cauit, ne quis aliquid in eas moliretur. Præter vxorem, & Berſanen e Damaſco viduam, & Regiam mulierem, nullam aliam complexus eſt. Puerorum interim abſtinentiſſimus, quorum viginti millia ad militarem diſciplinam tradebat eruditi, quum tamen ætatis illius homines maſcula & præpoſtera libidine paſſim obbruteſcerent. Curt.

Xenocrates Philoſophus, cum magnam caſtitatis opinionem ſibi comparaſſet, acceſſit ad eum Phryne meretrix (pignore cum quibuſdam iuuenibus poſito, an temperantiam eius corrumpere poſſet) petijtque partem lecti, quam conceſſit. Nec tamen vllo noctis tempore attigit puellã, quam uis formoſiſſimam. Hinc illa mane rediens, dixit ſe non à viro, ſed à ſtatua venire. Quod argumentũ eſt magnę caſtitatis. Nam proximæ voluptates magis titillant, & multos (quorum mores in tuto poſiti videntur) ſeducunt, & euertunt. Laert. Valer.

Cyrus Darij filius, ducta Aſpaſia puella formoſiſſima, filia Hermotimi Phocenſis, cũ nullis concubinis vel pellicibus rem habere ſuſtinuit. Quod rarum eſt caſtitatis & continentiæ exemplum in Barbarorum regibus, qui concubinarum numero certare ſoliti ſunt. Ælian. lib. 2.

Panthea. De hac paulo poſt.

Cyrus ille abſtinebat à conſpectu Pantheæ: & Araſpo dicenti, mulierem eſſe inſigni forma, dignam regis oculis: Ob iſthuc ipſum, inquit, magis eſt illa abſtinendum. Etenim ſi tunc tuo obtemperans conſilio illam adiero, cũ vacat, fortaſſe illa mihi perſuaſura eſt, vt ad ipſam frequenter conueam, etiam cum non vacabit, eique aſſideam neglectis ſerijs negocijs. Scire retorſit argumentum Regiæ functionis memor.

Druſus Germanicus vſum Veneris intra coniugis charitatem clauſum tenuit. Quæ laus in Principibus quo rarior eſſe ſolet, eo eſt eminentior.

Otthonis vxor impudica.

Ottho III. vxorem habuit Mariam de Aragonia, fœminam impudicam & ſterilem, virorum apperentiſſimam, quæ ſecũ muliebri habitu circumduxit iuuenem, quo cum congrediebatur quotidie, quandoquidem eo pro cubicularia vtebatur. Quod cum innotuiſſet Imperatori, iuuenis multis præſentibus veſtibus eſt ſpoliatus, inuentusq; pro fœmina maſculus, viuus deinde combuſtus eſt. Sed & Imperatrix cum ſæpius viros peteret, quã peteretur, amatore ſuo extincto, cum ab Imperatore veniam meruiſſet, in Italia circa Mutinam in Comitem quendam elegantis formæ &

Comitis Mutinenſis caſtitas.

virum

virum optimum cœpit deperire, multisq; blanditiis conata est eum in sui amorem pellicere. Cui cum assentiri nollet, falsis delationibus ab ea est apud Imperatorem accusatus, & pœna capitis damnatus. Vxor vero Comitis conscia sibi innocentiæ mariti sui, caput eius abscissum deosculatur, & secum ablatum diligenter recondit. Deinde ad Imperatorem in tribunali sedentem properans, magno clamore & eiulatu petit, causam suam recte cognosci, & legum auctoritate defendi. Scisscitanti itaq; Imperatori à quonam læsa esset: Tu, inquit, ô Imperator iste es, à quo sum læsa, simulque in medium proiiciens mariti sui caput, hunc maritum meum, exclamat, contra ius & fas capite multasti, & statim candens ferrum illæsis manibus apprehendens mariti sui innocentiam cum stupore omnium, qui aderant, comprobauit. Ibi Imperator detecta rei veritate grauiter commotus, viduam multis muneribus, & quatuor castris donauit, suam vxorem flammis addixit. Casp. Hedion. in Hist. Eccles. Sebast. Munst. lib. 3. Cosmograph.

OSORES IMPVDICITIÆ.

Philosophi Secundi in probanda mulierum pudicitia audax factum.

Philosophus quidam Secundus nomine, cum feruentiorem esse mulierum, quam virorum libidinem audiuisset, rei veritatē indagaturus, ignoto habitu matrem suam inuisit, eamq; magnis pollicitationibus & donis ad concubitum pellicit. Qui cum ambo in vno cubarent lecto, filius matri commisceri noluit, quę filium esse ignorans, sic eum tandem affatur, Cur, inquit, virum te non præstas? qui tā sollicite concubitū meum appetiisti? Ad quæ ille, ô Mater haudquaquam decet me eo ingredi, vnde egressus sum. Mater audiens filium suum esse, cum quo concumberet, dolore extincta est. Filius turbatus pœnā perpetui silentii sibi vltro irrogauit. Cum deinde Athenas venisset Imperator Adrianus, nec vllo modo ad loquendum Philosophum istum compelli posse audiuisset, comprehensum eum tradit carnifici: cui iubet, vt capite truncaret Philosophum, si victus minis aut pœna loqueretur, sin obfirmate in silentio persisteret, eum ad se reduceret. Verum Secundus mori quam loqui maluit. Ideō reductus ad Imperatorem, iussus est causam silentij scripto exponere. Quod ille luculenter præstitit. Chron. Sebast. Franc.

Pontius Ausidianus eques Romanus postquam comperit filiæ suæ virginitatem à Pædagogo proditam Faunio Saturnino, non contentus scelleratum seruum affecisse supplicio, etiam ipsam puellam necauit: Ita ne turpes eius nuptias celebraret, acerbas exequias duxit. Valer. lib. 6.

Publius Meuius in libertum gratum sibi admodum animaduertit, quia eum nubilis iam ætatis filiæ suo osculū dedisse cognouerat, filiæ tam tristi exemplo præcipiens, vt non solum virginitatem illibatam, sed etiam osculа ad virum syncera perferret.

Quintus Fabius Maximus Seruilianus exegit pœnas à filio dubię castitatis, & punito, pependit: voluntario secessu conspectum patriæ vitando.

Publius Attilius Philiscus, qui in pueritia corpore quæstū facere à Domino coactus fuerat, tam seuerum postea patrem se præbuit, vt filiam, eo quod stupri crimine se contaminauerat, interemerit.

Metellus Celer stuprosæ mentis punitor acer extitit. Cn. enim Sergio Silo promissorum matri familiæ nummorum gratia diem ad populum dixit, eumq; hoc vno crimine damnauit. Non enim factum tunc, sed animus in quæstionem deductus est.

Alexander Magnus captas Darii filias ne aspicere quidem voluit, dicēs, turpe esse, qui viros vincat, à mulieribus vinci.

Cum Philoxenus classis præfectus Alexandro scripsisset, Tarentinum

quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insigni forma venales, si vellet emere: indigne tulit, apud æquales subinde clamitans, Quid in me Philoxenus tam obscœnum animaduertit, vt mihi tantum probri conciliaret?

Puella cum excubia iam nocte venisset cum Alexandro dormitura, rogauit rex, cur tam sero venisset? Illa cum respondisset, se expectasse donec maritus cubitum isset: Alexander ministros accitos acriter obiurgauit, q aditum dedissent: Reducite, inquiens, hanc, ne adulterii ansam mihi præbeatis. Egregium sane castitatis exemplum, tum in iuuene, tum in rege.

Antiochus tertius quum Dianę sacerdotem vidisset supra modum eleganti forma, continuo soluit Epheso: veritus ne vis amoris aliquid ipsum facere compelleret quod fas non esset. Immane quãtum absunt ab huius ethnici principis religione Christiani milites, qui Deo dicatas virgines constuprare pro ludo ducunt.

Diogenes Tragœdus ab vxoris congressu perpetuo abstinuit.

Menedemus, cum adolescens quidam dixisset, magnũ esse, si quis quæ concupiscat assequeretur: Multo inquit, maius est, nihil eorum, quæ non decet, concupiscere.

Alexander cum apud Antipatridem cœnaret, isq; ad cœnam formosam psaltriam induxisset, Alexander aspectu motus in illam exarsit. Mox rogauit Antipatridem, nunquid ipse mulieris amore teneretur? Illo cõfitente: ó sceleste, inquit, non tu protinus educes è conuiuio mulierem?

Idẽ cum in Illyrios venisset, ac in Iouis ara animaduertisset mulierem forma præstantem, pulchritudinem admiratus diu spectauit, cumq; Hephestion diceret: Æquum esse vt ipse amatam caperet: An nõ, inquit, hoc indignissimum esset, vt qui in aliorum incontinentiam animaduertere velimus, ipsi incontinentiæ seruire ab exteris deprehendamur?

Pericles Athenienſium Princeps, cum Tragœdiarum scriptorem Sophoclem in prætura collegam haberet, ac is publico officio vna districtus pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus verbis laudasset: intemperantiam eius increpitans dixit: Prætoris non solum manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere.

Sophocles autem ætate iam senior, cum ab eo quidam quæreret, an etiamnũ rebus Venereis vteretur: Dij meliora, inquit. Libenter enim isthinc tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione.

Fuit in athleta Clitomacho tanta castitas, vt si forte canes vidisset coëuntes, statim vultum auerteret. Idem si vel in conuiuio vel alio quouis cœtu, cui interesset, verbum impudicum proferretur, protinus surgens inde abiit. Ælian.

Continentissimus quoque Iulianus Imperator fuit, qui mortua coniuge Helena quanquam iuuenis admodum multos annos in cœlibatu, sine vllo Veneris commercio egisse creditur, captaque in Perside vrbe Maiozanalcha, in qua formosæ permultæ mulieres erant, non modo nulla abusus est, verum vt continentior esset, ipsarum quoque conspectum deuitauit. Fulg.

Romanorũ castra.

Romani olim in castris meretricibus, & imbellium effœminatorumq; hominum turbæ locum non dabant. Qua disciplina animos militum à turpi mollitie auocatos ad res maximas fortiter gerendas reddidere idoneos. Sic Publius Cornelius Scipio Cos. in Hispaniam missus, eodẽ temporis momento, quo castra intrauit, edixit, vt omnia ex iis, quę voluptatis causa comparata erant, auferrentur ac summouerentur.

VVenceslaus, filius Bursinoi regis Bohemorum perpetuam seruauit castitatem.

Casimirus quoq; rex Poloniæ perpetuo cœlebs & castus mansit. Rauis.

Democles

Democles puer, dubium maiore pudicitia, an forma corporis elegantiore, cum videret se ad stuprum solicitari a Demetrio poliorcete, nec aliter vim tyranni importunam effugere posset, in proximum aquæ feruentis lebetem se coniecit, ibiq; ad mortem durare maluit, quam quid inhonestum perpeti. Plutarch. in Demetrio.

Amianus Alexandrinus Episcopus, beati Marci Euangelistæ discipulus oculum sibi perforauit, quod intuitu parum pudico transeuntes fœminas aspexisset.

Virginius filiam suam, ne ab Appio Claudio stupraretur, deductã in forum occidit: pudicæq; interemptor, quam corruptæ pater esse maluit. Liu.

Eduardus tertius Anglorum rex, vxorem quam duxerat, nunquam attigit. Matrem Euinam (quam adulterij suspectam habebat) in cœnobium relegauit.

Alfonsus Secundus Alphonsi Catholici nepos, & Hispanię rex, nunquã vxori congressus est. Vnde & Casti meruit cognomentum. *Alfonsus Castus.*

Vandagesillo Comiti Palatino (qui sub Dagoberto rege floruit) quum per vim data esset vxor, eam ad amorem castitatis induxit. Quo factum est, vt vterque in cœnobio se incluserit.

Amœbeas Citharœdus tanta fuit castitate, vt vxorem (quam habebat formosam) nunquam attigerit.

Amon Ægyptius adhuc adolescens, a parentibus vxorem ducere coactus, posteaquam cum ipsa lectum inijt, ei persuasit, vt incolumẽ virginitatem seruare vellet, ipsa in hanc sententiam deducta, decem & octo annos cum eo vixit, spretis his commodis ac voluptatibus, quas coniugium permittit.

Franciscus Sfortia Princeps illustrissimus, cum Florentini populi copiarum Dux esset, vi capto Gasanoua oppido: quidam milites insigni forma puellam eaptiuam ducebant clamantem, vt ad primarium Ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco Sfortia, quamobrem ad se venire cupijsset: Respondit vt eius voluntati obsequeretur, modo incolumem eam a militum iniuria seruaret. Cum forma insigni videretur, & ætatis flos ipse esset, parum se erraturum Franciscus putauit, si volente ea potiretur. Itaque in lectum eam noctu secum adhibuit: & cum appropinquare atque eam complecti vellet, puella lachrymarum plena ad virginis Dei matris imaginem conuersa, (quam lecto e more affixam Franciscus singulari veneratione colebat) rogauit, vt per illius, quæ in tabella erat, veneration em, item per famam, quæ de ipsius bonitate apud omnes erat, ne eam virginitatis honore priuaret, sed marito intactam potius restitueret, qui cum alijs captiuis in vinculis custodiebatur. Adeo ingens Franciscí cõtinentia fuit, vt quanquam & formosam, & puellam in bello captam, nudam prope se in lecto sentiret, pudicitię eius conspecto studio, statim lecto profiluerit, maneque accersito ad se viro eam publice restituerit, adiurans nihil cum ea sibi fuisse. Fulgos.

Drusi Germanici ornatissimis verbis continentiam Valerius laudauit, quod coniugalem fidem nunquam violasset, quæ res profecto pro merito in ea præsertim ætate, quę solutos mores habebat, laudari satis non potest. At Henrici Primi Imperatoris Kunegundęq; Augustæ coniugis virtutẽ in eo genere, quibus vnquam præconijs satis efferre poterimus? Iuuenes enim Principesq; atq; natione Germani (quæ omnia ad Venerem virentes secum aculeos ferunt) non modo omni alia Venere abstinuerunt, sed inuiolatum quoq; virginitatis florem seruauerunt. Quod fortasse apud plerosque fide careret, nisi miraculorum magnitudo (neq; enim aut falli aut fallere diuinum iudiciũ ac testimonium solet) veram de vtriusq; virginitate famam esse testaretur. Sed quid illa miramur, cum hac quoq; ętate, in

vrbe Bononia, duo ferantur esse nobili genere orti, quibus abunde opes suppetunt, matrimonio in adolescente flore coniuncti, qui iam decimum & octauum annum, in eodem thalamo, eodemque lecto virginitatem illæsam custodiunt. Fulg. lib. 4.

Almarius quoq; Pannonius Stephani filius, qui Christianorum primus apud Pannonas regnauit, non minorem continentiæ laudem meruit. Cũ iuuenis cum iuuene agens, id est, ignem inter nutrimenta ac fomites tenens, nescius Veneris se incolumi virginitate seruauit. Ibidem.

Helias Eremita pater & rector CCC. virginum, cum metu incontinentiæ curam quandoq; detrectaret, in somnio sibi præcidi genitalia visa sunt. Dum euigilasset, ad curam pristinam redijt, ab omni liber lasciuiæ cogitatione. Volateran. lib. 21. Anthrop.

Monachus Ægyptius.

Ferunt quẽdam in deserto Ægypti Solitarium, singularis probitatis virum, ad quem corrumpendum cum venisset meretrix (acceperat autem sponsionem a quibusdam lasciuis & sui similimis iuuenibus, si illum adcoeundum secum compulisset) finxit se via aberrasse, & quoniam iam vesper erat, flens petijt, vt nocte illa tecto susciperetur. At ipse animi suspensus aliquandiu stetit. Castitatis periculum denegare, quod petebatur, suadebat: charitas vero cedere cogebatur, ne quid fœminæ foras manenti adversi contingeret, cum locus foris frequens esset. Denique receptam in vno tugurioli angulo posuit, & se in altero collocauit. Noctu tamen cogitationibus ad impudiciti ampulsatus, iam in eo erat, vt vinceretur, cum subito in mẽtem venit, quod pro tam breui voluptate ignem æternũ passurus esset. Exurgens igitur accendit lucernam: Et experiar, inquit, an ignem sustinere possim, quem sustinere cogerer, si deliquissem, digitosq; ad lucernam admotos vrere pertinaciter cœpit. Adustionis cruciatus libidinosas cogitationes dissipauit, & gehennæ timor intimam voluptatis titillationem repressit. Mulier autem quæ seruum Christi in mortis foueam præcipitare moliebatur, ipsa ibidem vitam cum morte commutauit. Mane iuuenes illi aduenium: & quam vicisse putarunt, mortuam iacere offendũt. Sanctus vero vt pro malo redderet bonum, ipsam quæ pudicitiæ suæ insidiari ausa fuerat, precibus vitæ restituit. Marul.

Thomæ Episcopus Eboracẽsis.

Cum Thomæ Secundo Eboracensi Episcopo ægrotanti Medici consulerent, vt fœminæ pro remedio misceretur, & amici idem vehementer vrgerent, ipseque assentiri videretur: adducta post decentis formæ fœmina, noluit eam attingere. Ab amicis reprehensus respondit: Propter salutem carnis tandem morituræ, immortale decus pudicitiæ non amittam. Polyd. lib. 1. cap. 3.

Casimirus Hungarorum Rex delectus contra Matthiam Casimiri III. Polonorum Regis F. fertur tam caste & continenter vixisse, vt Medicis cõcubitum suadentibus, si sanus esse vellet, mortem oppetere, quam legem pietatis Christianæ transgredi maluerit. Chron. lib. 29.

Iacobus Cardinalis Vlyxipponensis a Calisto III. creatus, Regis Portugalliæ F. Florentiæ obijt anno ætatis trigesimo quinto, ex retento semine mori malens, quam ex Medicorum consilio coitu vti. Hieronymus Garimbertus lib. 3. de vitis Pontificum.

Genua a Caroli Quinti Cæsaris militibus capta, omnia plena erant fœminarum eiulatu & horribili strepitu militum effringentium fores, & domos opulentas truculento impetu immanique auaritia diripientium, & erant qui omissa prædia in oblatas fœminas sæua libidine grassarẽtur. Sed Alphonsus Daualus Piscarius peditum Dux in equum sublatus fœminarum pudorem atroci, sed præclaro admodum facto peregregie defendit. Quum enim vir Genuensis aspectu nobilis ab ipso transeunte tanquam a militie insigni auxilium postularet, quod vxori a duobus Hispanis inter la-

lachrymas vis inferretur, extemplo ad eum solus ingressus, alterum passis crinibus matronam attrectantem gladio transfixit, alteri vero per scalas euadere conanti immani ictu tempora discidit. His interfectis, & in publicum e fenestra præcipitatis, & præcone circumemisso, nemo demum vllam ingenuam violauit. Iouius lib. 3.

Trebonius adolescens, cum a Caio Lucio Marij Consulis & copiarum Imperatoris propinquo ad stuprum solicitaretur, & iam non procul abesset, quia pollicitationibus nullis flecti poterat, vt vim pateretur, auctorem iniuriæ ferro obtruncauit. Maluit probus adolescens capite quã fama periclitari. Cognouit causam C. Marius ac manifestæ cædis reum non modo non aliquo affecit supplicio, sed pro concione laudatum corona donauit.

DE CASTITATE VIRGINVM & vxorum.

AGnetem sacram virginem e ludo literario egredientem cum Prætoris Romani Sophronij filius conspectam deperiret, nec ea potiri posset, quippe quæ Christo se desponsatam esse diceret, cui suã virginitatem illibatam seruatura esset, effecit, vt virgo per violentiam tyrannicam vestibus nudata in lupanar raperetur. Vbi diuini numinis præsidio tuta improborum hominum fœditatem effugit. Cœlestis siquidem Angeli claritas eam circumfulsit, quam acies humanorum oculorum sustinere haud valuit. Cumq; ardentissimas ad Deum preces funderet, vidit stolam candidam ante pedes iacentem qua se amiciret. Hoc quicunque viderent miraculum, rei nouitate moti, Deum glorificabant, & Christi celebrabant potentiam, sic vt quæ paulo ante erat impudicitiæ domus, iam domus esset orationis. Quod cum ad prætoris filium permanasset, statim ferociæ plenus domum ingressus est, sanctæ virginis pudicitiam corrupturus, verum antequam virginem attrectaret, a Satana extinctus concidit. Paulo autem post virginis precibus ad vitam reuocatus, æternum Deum confessus est, vitæque emendationem amplexus. Quod vbi resciuere idololatrici Sacerdotes, populo persuasere, magicis artibus deditam esse Agnetem, ipsumque impulere prætorem, vt supplicium de ea sumeret, quã in ignem coniectam cum flammæ non læderent, gladio confodere carnifices. Quæ cum humaretur, quidam ex Christianis a sæuiente turba lapidibus obruti sunt, inter quos fuit sancta Emerentiana sanctæ Agnetis condiscipula. Ambrosius Concione 91. S. Agnes.

Lucia Syracusana virginitatem vita habuit chariorem. Iuueni cui pacta fuerat, iungi noluit, vt iungeretur Christo, pro huius amore martyrium constanter pertulit, cum illo viuere recusauit. Igitur Paschasio Consulari potestate tumenti haud tantum licuit, vt ei castitatem posset eripere. Impietatis furijs ardens puellam duci ad lupanar iussit. Sed illam vis nulla, nulli prorsus conatus mouere potuerunt. Funibus circumligatam mille viri, mille boum iuga trahere nitebantur. Sed eodem loco, quo eam fixerat Dominus, veluti montis rupes immota stetit, atque ibidem vri, cædi, iugulari potuit, abduci vt prostitueretur non potuit, quoniam Deo vouerat castitatem. Marul. Spalat. lib. 4. cap. 8.

Hæc quoque Lucia cum sentiret a pulchritudine oculorum suæ virginitati periculum intendi, qui præter cætera expeterentur ab insana tyranni libidine. Satius rata parte corporis vna, etsi nobilissima, quam anima, quæ multo sit nobilior, periclitari: hos sibi sponte auulsos deferendos dedit insano Regi, vt sciret nihil in se esse amplius, quapropter ab eo timenda esset iniuria. Sabel. lib. 4. cap. 8.

Nataliam Hadriani martyris coniugem (quoniam forma multis præstabat) Natalia.

Natalia.

bat)tribunus Nicomediæ in coniugium petijt. Denegare non erat, quod tribunus peteret,& ancilla Christi quo iam se verteret nesciebat. Impetrat tamen tridui spatium ad deliberandum,atq; interim Dominum votis precibusq; solicitat,vt pudicitiã,quam illi vouerat, ipse tueatur.Et somnio edocta,inde soluens Constantinopolim versus fugam fecit. Quod vbi resciuit Tribunus consensa naui fugientem persequitur. Iam prope erat,vt consequeretur,cum contrario flante vento coactus est reuerti,illa suo quo volebat peruenit.Itaque in viduitate,ieiunijs & precationibus vacans,Deo seruiuit. Marul.

Tecla virgo Paulo Apostolo Iconij Christum euangelizanti credidit. Cumque iam desponsata esset,repudiato coniugio virginitatẽ seruauit, & ob fidei confessionem in ardentem rogum missa vri non potuit. Deinde leonibus, vrsis, tauris expositа,tot feris beluis repente mansuefactis euasit inoffensa. Puduit proconsulem vltra in illam sæuire velle, cui tam atroces bestiæ pepercerant,& liberam dimisit.Ibidem.

Farra virgo cum a patre Agerico (qui primo loco apud Theodebertũ Galliæ Regem habitus erat)ad nuptias vrgeretur, nimio lachrymarũ humore oculos hebetasse dicitur.Et cum visum beati Eustasij Episcopi precibus a Domino impetratum recepisset, rursus patris molestijs infestationibusq;& iam odio agitata ad Ecclesiã confugit. Ille iratus inde raptã in carcerem detrusit, Nec tamen efficere potuit, vt voto suo filia cõsentiret,quę se iam Christo desponderat. Vbi vero firmam in proposito manere vidit,& neque minis neque verberibus moueri, iam placatior dimitti iussit,nec deinde impedimento fuit,quin ipsa inter sacras virgines perpetuam virginitatem profiteretur.

Phædonis filia.

Triginta Athenienſium tyranni,cum Phędonem in conuiuio necassẽt, filias eius virgines ad se venire iusserunt,& scortorũ more nudari, superque pauimenta patris sanguine cruenta gestibus impudicis ludere, quæ paulisper dissimulato doloris habitu,cum temulentos cõuiuas cernerent, quasi ad naturæ requisita egredientes inuicem se complexæ præcipitauerunt in puteum,vt morte virginitatem seruarent.

Galla vxor Symmachi.

Galla Symmachi Consulis Romani filia, Gothis Italiam vastantibus viduata viro,quo cum annũ tantum vixerat, nulli postea nubere voluit, licet & ætate integra esset,& non illiberali forma. Ægrotanti fœdaq; corporis scabredine affectæ, Medici consulebant, rursum vti marito, alioqui eo morbi genere vel perituram,vel si vixerit contra sexus sui morem villosum mentum habituram. At illa neq; oris deformitate,neq; mortis periculo territa propositum dimisit castitatis. Marul.

Brasilla Dyrrachina virgo illustris,cum ab improbo capta milite vim passura esset,promittit militi,si virginitatẽ sibi relinqueret illibatã, se donaturam ei herbam,quam si manducaret, nullo telorũ genere eum vulneratum iri. Placet militi conditio,& in hortos virginem comitatur,ibi herbã,quæ erat proxima,virgo decerpit,eaq; manducata, En,ait,ne quid de herbæ huius efficacia dubites,in me periculum facito,& hæc dicens feriendum ei præbet iugulum. Miles fidem habens puellæ verbis, stricto ense dum petit eius iugulum, inuitus ipsam vita priuat,quæ casta mente, incorrupta sponsa ad Christum migrauit.Meminit Hieronymus &Ludouicus Viues lib.1.de institutione fœm.Christianæ.

Captis ab Alexandro Thebis,in direptione vrbis eius, Thraciorum militum præfectus Timocleam nobilem fœminam,direptis iam a militibus eius bonis,vt secum miseretur,coegit. Arbitratus ea re factam amicam, petiit si conditum domi aurum haberet, ad quam rem illa minime tantæ iniuriæ obliterata memoria respondit,in sicco puteo auri vim magnã deposuisse.In eũ auarus hostis dum diligenter intueretur, sine vllo arbitro,

ne

ne alius in lucri partem veniret, Timoclea pedibus sublatum in caput ad fundum putei deiecit, atq; saxis illum obruit. Cum rē Comites resciuissent, atq; Timocleam ad Alexandrum deduxissent, Alexander vt rē, sicut gesta erat, atq; eius causam intellexit, non modo pro homicidio in mulierem non animaduertit, sed restitutis etiam bonis, vna cum liberis (quia motam iusto dolore arbitrabatur) insuper immunitate donauit. Plutarc.

Cyane Syracusana virgo violatam ab ebrio patre pudicitiam vehemēti zelo vlta est. Etenim ex ea re cum graui peste Syracusæ laborarent, Oraculoque responsum esset, De scelerato sacrificandum esse, cum nemo intelligeret, ad quem ea res pertineret, Cyane parentem capillis apprehensum, ad aram traxit, ibiq; manu sua eum pro victima mactauit.

Medullina quoq; virgo Romana in Bacchanalib. ab ebrio patre in tenebris violata, vt stupri auctorē agnosceret, digito eius annulū detraxit. Vbi ex pignore patrē esse comperit, eundem ad aram gladio confodit.

Sophronia Romana matrona nobilitate insigni, quæ Maxentio imperante præfecti vxor erat, cum a Maxentio vt in Venerem secum sentiret, solicitaretur, ita vt nisi volens Maxentio morem gereret, vim imminere facile appareret, viro omnem rem enarrauit. Cum præ formidine virum sceleri animaduerteret assentiri, auro gemmisque se quam impense potuit, excoluit, & cum eam a Maxentio missi viri expectarent, ipsa vna tantum comitata ancilla, cubiculum suum ingressa est. Vbi posteaquam longiore oratione se Deo excusauit, si ante statutam diē vitam relinqueret, cultello sibi ipsi mortem consciuit. Lucretiæ Romanæ in eo anteferenda, quod ipsa, ne vel corpus, vel animum, quæ duo insigni pudicitiæ candore fulgebant, labe aliqua afficeret, manū sibi iniecit. Illa vt læsum iam pudorem excusaret, sanguinem cum vita effundere voluit. Fulgosius.

Eugenia Philippi Proconsulis Alexandrini filia, cum a Commodo Imperatore nimis ardenter diligeretur, vim verita, quę appropinquare videbatur, Monachi habitum ac nomen mentita, profugit, iu quo statu cum sub falso nomine occulta maneret, Æmiliana Romana, quæ magno orta genere religionis gratia in Orientem profecta Alexandriæ morabatur, eā ardenter diligere cœpit, & cum æque in consuetudinem alium nullum admitteret, quia in viri habitu erat Eugenia, ob inuidiam, tanquam cum Æmiliana adulteraret, apud proconsulem accusata, necessitate ita premēte, proconsuli se, & fœminam & filiam eius esse detexit, statimque iudicio liberata ad virgines transiuit. Fulgos.

Roma ab Alarico Gothorum Rege capta, iuuenis quidam ex Alarici militibus mulierē perquā formosam conspicatus, pulchritudine captus, ad concubitum trahebat: Reluctantem vero ac vi aduersantem ne quid obscœni pateretur, ille stricto gladio se interfecturum minabatur: & interim summā illi cutem in collo, quasi qui ob amorem parceret, perstringebat. Tum illa multo perfusa sanguine, collum gladio subiecit: optabilius sibi rata, mori cum castitate, quam viuere expertā virum alium, quā illum cum quo legitimo matrimonio coniuncta erat. Barbarus igitur, cū etiamnum maiore cum terrore illam adortus, nihil adhuc proficeret: ad mitarus eam ob castitatem, duxit in Ecclesiam Apostoli Petri, & traditam custodibus, & expensis in eius sustentationem aliquot aureis, iussit vt custodirent marito suo. Sozom lib. 9. cap. 10. *Anno Christi 414. Romana mulieris castitas.*

Hippo Græca mulier capta a nautis, cum pudicitię suæ stuprum & insidias parari sensisset, noctu se in aquas præcipitem dedit, maluitque mori pudica, quam impudica viuere. Valer.

Quinquaginta Spartanæ virgines cum ad Messeniorū vrbem, sacrorū causa profectæ essent, sicuti ex fœdere promissum erat, Messenij iuuenes

in Vene-

in Venerem eas solicitabant, quorum vim vt effugerent, incolumi pudicitiæ vitam postponentes mortem oppetierunt. Fulgos.

Theutonicæ mulieres.

Theutonicorum coniuges Marium victorem orarunt, vt ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes, æque se, atque illas virilis concubitus expertes futuras: eaque re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. Valer.

Cum Attila Hunnorum Rex Aquileiam vrbem oppugnaret, Dugnain ea vrbe nobilitate atque pudicitia insignis, quæ barbaros iam vrbem irrumpere videbat: quos acceperat in diripiendis vrbibus crudeliter, auare que rem gerere, neque a mulierum pudicitia iniuriam abstinere, ne eam vim incurreret, cum domum in amnis ripa positam haberet, a fenestris in eum se præcipitem misit. Fulgos.

Pithomena Alexãdrina virgo, Romani ciuis serua, ab eo, & propter formam, & propter virtutem vehementer diligebatur. Eam cum diu promissis minisque frustra oppugnasset Dominus, tandem amore in odium conuerso, ad Iudices eam, ceu Christianam detulit. Cum autem propter hoc puella de sententia non moueretur, feruenti pice immersa, hoc tormento vitam agere, quam pudicitiam violare maluit. Fulgos.

Anastasia Constantinopolitana.

Cum Theodora Augusta Anastasiã nobilem fœminã Constantinopolitanam, suspicata a Iustiniano Augusto viro suo diligi, acerbo verbo carpsisset: Illa vt vero experimento declararet, se ea in re Iustiniano non respondere, Alexandriam profugit: atq; illic inter sacras virgines latuit, vbi postea Theodoræ audita morte, & se impensius quam antea a Iustiniano, Theodoræ iugo liberato, diligi audiret: verita ne tandem vis inferretur: eũ declinauit amorem, quem permultæ magno studio sequi voluissent. Itaq; virili amicta veste ad extrema Ægypti deserta aufugit, vbi Anastasij, tanquam vir esset, nomine sumpto, diu austere ac sancte vixit. Ibid.

Fœmina Genuensis.

Luchinus Vivaldus Genuẽsis cum iuuenis in magnis opibus Genuensem fœminam matrimonio locatam deperiret, & ipsa amori assentiri recusaret, non desinebat tamen in amore persistere, itaq; cum casus tulisset, vt propter bella, quibus tunc mare infestum erat, in Sardinia huius mulieris vir caperetur, ipsa, quæ ob eam rem in egestatem conijecta, non habebat, vnde sibi filijsque alimenta præberet, victima necessitate premente, cum amotis Luchini in mentem veniisset, misit qui eum ad colloquium inuitarent, profectusque ad eam Luchinus, cum venisse tempus arbitraretur, vt amata potiri posset, mulier pedibus eius prouoluta, manantibus lachrymis dixit: meorem quidem sibi semper fuisse, vt inuiolatam coniugi fidem seruaret, sed extrema inopia premi iam victam q; paruulorum pietate liberorũ, quos fame iam confectos videbat, cogi se vt suam filiorumque vitam eius misericordiæ commendaret. Quibus verbis auditis Luchinus amore in pietatem virtutemq; conuerso, ne manu quidem mulierem contigit, sed statim domum reuersus, omnia vxori communicauit, atque per eam ne mulieris fama maculareturpecuniam & cætera ad victum necessaria misit, neq; ei vltra in mentem venit, vt eam aliter quam sororem diligeret. Fulgos.

Idelgunda.

Idelgunda virgo Germanica Nussiæ orta, quod oppidum haud longe a Colonia vrbe in Rheni ripa positum est, multis agitata casibus, post permulta quę non sine ingenti admiratione ei acciderant, anno salutis centesimo octuagesimoq; octauo supra mille, in puerili habitu monasticam disciplinam subijt, in Abbatia, quę prope VVormatiam vrbẽ Schwabenheim dicitur. In ea diu incognita vixit, cum Iosephi nomine appellaretur: interviros singulari continentia ac sanctitate semper versata, vsq; ad eam diem, qua decessit, ne tunc quidem mulier esse cognita fuisset, nisi dum lauaretur detecto corpore sexus patuisset.

Qua

Qua debemus credere continentia fuisse Hieronis Syracusani coniugem: cum querenti viro, quod fœtere ei animam nunquam dixisset, & id circo ab alijs non sine dedecore de eo monitus esset: Respondit arbitratam se aliis viris idem odoris esse. Quo etiam responsi genere, Bilia cum Duilio viro vsa dicitur, qui primus in vrbe Roma nauale duxit triumphũ. *Hieronis vxor.*

Bilia Duilij vxor.

Liuia Augusti Cæsaris vxor, cũ nudos homines, qui sibi facti erant obuiam, qui eam ob turpitudinem damnabantur, vidisset, dixit, eos matronis quidem, honestis & continentibus nihil a statuis differre. Cor enim hominis pudicum, rerum impudicarum aspectu nequaquam malis cogitationibus tangitur. Dion in Tiberio.

Chiæ Mulieres tanta fuerunt castitate, vt neq; adulterium, neq; illegitimus concubitus apud eas vnquam prodatur accidisse.

Ægyptiarum mulierum castitas.

Phero Sesostris filius Rex Ægypti cum oculis captus esset, oraculũ accepit, visum ei rediturum, si oculos abluisset lotio mulieris, quæ ad suum solũ virum accessisset, aliorum virorum expers. Ibi primum vxoris, deinde cõplurium aliarum mulierum vrinam expertus est, sed frustra, tandem hortuiani cuiusdam vxoris vrina lotus visum recepit. ibi omnes eas, quas expertus fuerat, in vrbem coactas cremauit, præter eam cuius lotio vitam receperat, quam vxorem duxit, Herod. in Euterpe.

Tucia vestalis virgo cum incesti insimularetur, suam innocentiam probauit, aquã cribro ex Tyberi hausta in Vestæ ædem deferens.

Vestales Virgines perpetuam vouebant castitatem, quam si qua polluisset, ea viua defodiebatur, qua de re vide Plutarchum in vita Numæ.

Meminit diuus Ambrosius virginis Pelagiæ, quæ cum matre & sororibus se in aquas præcipitauit, virginitatis tuendæ gratia.

Deuteria mulier timens ne filia sua (quam nubilem & formosam habebat) a Theodeberto Rege corrumperetur, eã in flumẽ præcipitauit, apud Viridunum ciuitatem, auctor Gregor. Turonensis.

Dula virgo castissima maluit a milite quodam interfici, quam ab eodẽ violari.

Baldraca puella generis obscuri, peregrinæq; conditionis, quãuis multarum rerũ ob paupertatem esset indiga, noluit tamẽ corporis sui copiã facere Othoni Imperatori, quãuis mõtes & maria, quod aiunt, promittẽti.

Insigne quoque pudicitiæ exemplum illud fuit, quod duæ Leuctris, Scedasi patre, in Bœotia ortę virgines ediderunt. Nam cum absente patre, duos iuuenes, pro veteri hospitio domi excepissent, ab ijs vim passę eo die ferro, die post ea ambæ concordes, cũ prima eo vsa, alteri eius vsum concessissent, se interemerunt. Hoc testimonio declarantes etsi corporibus vis illata erat, animos tamen culpæ insontes. Fulgos. lib. 6. *Scedasi filiæ.*

Imperante Diocletiano, mater cum duab. puellis comprehensa & plaustro imposita, Antiochiam, & illinc (quia Christianæ ferebantur esse) ad prostitutarum locum deducebantur, vt demũ nisi Dijs, quibus Princeps volebat, sacra peregissent, omnes occiderentur. Ipsę vero cum neque pudicitiam violare, neq; Christiano nomini renunciare vellent, vt forte dũ ducũtur ad amnem quendam peruenerunt, petierunt, vt plaustro descendere liceret, quia naturæ necessitatibus satisfacere cogebantur. Illic cum aliquantisper a custodibus secessissent, in caput demissæ in amnẽ, corpus aquis, & animam innoxiæ creatori Domino reddiderunt. Fulgos. *Mater cum filiab. morte pudicitiæ tuetur.*

Syrita Synaldi Regis Danorũ filia, tantæ fuit pudicitiæ, vt cum ob elegantiam formæ magna Procerum frequentia peteretur, neminem tamen inspexerit.

Dryas Fauni filia, aspectum virorum vsque adeo refugit, vt in publicũ prodire nunquam visa sit. Quo factum est, vt vetitum sit, ne eius sacris interessent mares. Auctore Plutarcho.

Quemadmodum vitæ atq; famæ suæ innocentiam Tucia prodigio defendit, dum perfosso cribro e Tiberi aquam tulit: Ita Kunigunda Augusta Henrici Primi coniunx, falso adulterij insimulata, innocentiam suam purgauit: quin se etiam Veneris nescium probauit, cum quindecim passus furens ferrum, nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset. Gangolphi autem Burgundionis vxor adulterio commaculata cum probare vellet innoxiam se esse, in frigido fonte demersa manu adiurauit, ne eam sine prodigij specie, si culpam ferret, inde posset leuare: mira & a Deo res facta fuit, cum a fonte manum tolleret, deficcatam extraxit, non aliter quam si in medijs eam ignibus tenuisset. Itaq; ob prodigium a viro separata fuit. Fulgos. *Vxor Gangolphi Burgundionis.*

Petrus Apostolus cum post Christi in cœlos ascensionem multos miraculosa Christi potentia sanitati restitueret, Petronellam febricitantem a morbo liberare noluit: Causam sciscitanti Tito, ita illi expedire respondit. Ac ne dissimulare impossibilitatem videretur, iussit eam surgere, & ipsis discumbentibus ministrare. Exurrexit sana, & vt perfuncta est officio, rursus patris iussu ad lectulum pariter ac morbum redijt. Ægrotando igitur didicit virginitatis amare puritatem, ita vt postea sanata mori præoptaret, quam Flacco prætori nubere. Marul.

Iphigenia Egippi Æthiopum Regis filia, Matthæi Apostoli prædicatione a falsa ad veram religionem conuersa, cum virginitatem Domino vouisset, & iam constructo cœnobio, multis præesset virginibus, neq; minis neque blanditijs moueri potuit, vt Hirtacum paterni regni successorem acciperet maritum, æterni Regis sese sponsam esse dicens, nec licere sibi illo relicto alteri nubere. Tunc Hirtacus ex amore in furorem versus, Iphigeniam cum reliquis quæ cum illa erant, atque adeo cum ipso monasterio concremari iussit. Admota vero flamma virginitatis pudicitiæ vltrix inde se auertens in regiam profilijt, quam Hirtaco cum vnico filio vix euadente, funditus consumpsit. Sed tamen filius a dæmonio correptus interijt, pater elephantia perfusus morbi dolorem non ferens, ipse sibi mortem conscinit. Marul.

Brigida virgo inter Scotiæ puellas pulcherrima, cum a potentibus (& quidem Christianis) viris in matrimonium peteretur, & illa virginitatem Domino vouisset, eundem orauit, vt aliquo corporis vitio ipsam deuenustaret, quo procorum inquietudo facile sedari posset. Itaq; cum oculorum decore maxime placuisset, alterum subito vlcere percussum amisit.

Andragasina virgo in Gallia Lothario regnante, cum a parentibus Auiberto Principi viro (qui postea Rothomagensem Ecclesiam rexit) inuita desponsaretur, multis cum lachrymis Dominum obsecrauit, ne suam pollui virginitatem pateretur. Moxque lepræ morbo totum corpus occupante, ob fœditatem intacta dimittitur, & ne in incerto esset, cur id mali illi contigisset, vbi cœnobium virginum ingressa sanctum velamen accepit, continuo sana euasit. De huius similsumque exemplorum, qualia Marulus Spalatensis multa recitat, veritate, penes lectorem esto iudicium. Nec enim hodiernę vel Monachorum vel monialium hypocrisi patrocinamur. Sed breuiter historias, vt ab alijs traditæ sunt, exponimus. Quanquam eorum, qui olim virginitatis voto obstricti, monasticam vitam sunt ingressi, aliud fuit propositum, alius pietatis feruor, quam hodie sit hypocritarum in monasterijs porcorum modo se saginantium, idcirco multa inter illos, præsertim cum magna esset tum infidelium tyrannis, claruere miracula, per quæ pij in fide, qua Christum amplectebantur, confirmati sunt, tyrannorum que repressa est rabies.

Edeltrudis, Annæ Regis Orientalium Anglorum Christianissimi filia, primum Candelberto Australium Girgiuorum in coniugium tradita, cum

eodem

eodem pari voto virginitatem seruauit. Deinde eo defuncto iterum a patre inuita despõsatur Cephordo Regi. Sed cum ipso quoque in virginitate annos duodecim vixit. Postea vero eius permissu religioni se consecrauit, & securiorem quidem in monasterio, sed non quam domi castiorem vitam duxit. Rarissimum sane exemplum, ac nescio an a condito æuo alterum tale, vt aliqua & bis marita sit, & semper virgo. Marul. Beda, Egnatius Sigebertus.

Virgo Ethrusca a militib. capta, seruandi pudoris gratia ex Anciſæ ponte in Arnum se deiecit. De ea sic Benedictus Varchius in suis Epigram.

Perderet intactum ne virgo Ethrusca pudorem,
In rapidas sese præcipitauit aquas.
Cum q; foret cælo ter reddita flumine ab imo,
Impauidum toties obruit amne caput.
Quid dicam? Semel amisso Romana pudore,
Thusca ter integra virginitate perit.

Cum Maximilianus Imp. Patauinum agrum vastaret, agrestium turba in vrbem confugit. Forte Isabella Rauignana rustica puella in vrbe deuiat. A militibus ergo Venetis, qui vrbem custodiebant, propter formam ad stuprum rapitur. Cum alia ratione effugere non posset, sese ex ponte Curuo in Medoacum præcipitat. Inde exanguis extracta in proxima ripa, absque illo funeris honore sepulta fuit. Bernhard. Scardeonus lib. 3. class. 34. Historiæ Patauinæ.

DE AMORE CONIVGALI.

MVlta & illustria sunt amoris exempla in iugali copula, atq; ex his quædam cum ipso homine propemodum nata. Nisi enim plus æquo protoplastus Euam adamasset, nunquam sciens volensq; diuina lege aberrasset. Nocuit auctorib. diuina præuaricatio, nocuit posteritati. Esset pars vitæ longe optima mutua charitas, si homo semper ea vellet quæ honesta sunt, aut exdarentur, quæ iure dari possunt, nihil obsequio præter bonum & æquum tuente. Sabel.

Michol Regis Sauli filia maritum suum Dauidem fune per fenestram demissum, e manibus Sauli vitæ eius insidiantis eripuit. 1. Samuel. 19. *Dauid & Michol.*

Stolidum & peruicacem sortita virum Abigail, coluit tamen eum insigni charitate. Cui cum Dauidem iratum cognouisset, & ad illius exitium cum armatorũ cohorte appropinquare, obuiam prudens mulier cum magnis muneribus illi facta est, adeoque præferocis & irati iuuenis animum circumegit, vt ex inimico confestim Dauid amicus illi, & ex hoste hospes fit factus, sic qui hostis venerat, defensor discessit. 1. Samuel. 25. *Abigail & Nabal.*

M. Plautius in Asiam cum LX. nauibus proficiscens, quum Tarentum venisset, Orestillam vxorem (quam secum duxerat) ibidẽ morbo absumptam amisit. Cuius dum celebrarentur exequiæ, impatiens mœroris Plautius pugione se confodit. Val.

Eadem vis amoris erga coniugem fuit in C. Plautio Numida, morte enim vxoris audita, doloris impotens pectus suum gladio percussit. *C. Plautius Numida.*

Tiberius Gracchus anguibus domi suæ, mare & fœmina apprehensis, certior factus ab Aruspice, mare dimisso vxori eius: fœmina ipsi celerem obitum instare: salutarem coniugi potius, quam sibi partem sequutus augurii, marem necari, fœminam dimitti iussit: sustinuitque in conspectu suo seipsum in interitu serpentis occidi. Valer. lib. 4.

Darius Rex duplici prælio victus ab Alexandro, magna Imperij parte exutus, nullum tristitiæ signum dedit, vt fertur. Cæterum morte coniugis audita, manu oculis admota, non potuit lachrymis temperare.

Menones ob raptam sibi vxorem Semiramidem, a Nino Rege, sibi laqueo vitam finijt. Ninus quoq; erga vxorem Semiramidem indulgẽs admodum fuit, quam Regia potestate, & insignibus in paucos dies instruxit, sed hanc bona mulier occasionem adepta in regno perseuerauit, virumq; in potestatem redactum, non obsequentem modo, sed imperium etiam inde habuit obnoxium, & vt Cælius testatur, in carcerem coniectum postremò interemit.

M. Lepidus Apuleię vxoris charitate post repudiũ mœrore extinctus est.

Lucius Silanus Claudij Principis gener, erepta sibi Octauia, dataq; Neroni, præ dolore gladio suo incubuit, idque die nuptiarum, ad augendam inuidiam. Cornel. Tac.

Antimachus Poeta Græcus Lysidicen vxorem adeo dilexit, vt eius mortem lamentabili defleuerit elegia, qua omnes heroum calamitates deplorauit.

Refert Seneca, notum sibi fuisse virum strenuum, qui tanto vxoris suæ amore arserit, vt nunquam domo egressus sit, nisi prius peplo vxoris pectus suum circumligasset, nec vltra horam eius cõspectu carere sustinuerit, nec nisi admotis labijs ori vxoris biberit.

Singulari memoria dignus est amor, quem Dominicus Catalusius, qui Lesbi rerum potiebatur, erga vxorem ostendit. Quæ cum in lepram incidisset, vir minime veritus a contagione infici posse, aut aspectus horrore auerti (etenim illuuies magis quam viuum corpus videri poterat) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, nunquam aut mensa aut lecto communi eam prohibuit. Coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrumque conspectum, odoremque in securitatem ac voluptatem verterat, quod eam iuxta Dei verbum eandem secum carnem esse arbitrabatur.

Protesilaus & Laodamia.

Protesilaus, sub cuius imperio fuerunt Antron, Phylaca & Larissa, vrbes Thessaliæ, primus Græcorũ interfectus est apud Troiam a Dardano quodam. Quod quum resciuisset Laodamia, in solatium mœroris optauit, vt mortui vmbram videret. Quod quum impetrasset, in illius amplexibus expirauit.

Philæ erga Demetrium Regem virum suum insignis amor, animi quoque magnitudinem coniunctam habuit. Nam cum cum accepisset prælio victum in Cassandriam amissis regnis se recepisse, neque ferre posset regno priuatum videre, quem Regem victorijs insignem amasset, ingenti compulsa amore, veneno seipsam extinxit.

Tanysia maritũ suum Titum Iunium, cum inter proscriptos ob cædem Iulij ad necem quæreretur, arcæ inclusum ad libertum Philopœmenem deportari fecit, eumque hac sua fide & prudentia gladijs ceruici iam imminentibus subtraxit. Xiphil. in Augusto.

Piscator cũ vxore sua mortem vltro obijt.

Magnum amoris coniugalis illud signum fuit, quod Plinius in Epistola narrat, in piscatoris coniuge, quæ cum viro Insulam Larij lacus incolebat. Nam cum Piscator læsa haberet pudenda, ægritudine, quæ molestiæ plena curari posse non videbatur, vxor cum diu a viro, quem ægritudinis suppudebat, hoc petijsset, tandem impetrauit, vt morbi locum inspicere posset, pollicita se libere quid de morbo sentiret, postea detecturam, perspectum locum vt curari non posse animaduertit, amoris animiq; simul plena ex fide omnia quæ sentiebat viro narrauit, hortataq; ne semper in tanto cruciatu vitam ageret, sed cum vita morbi quoque dolorem finire vellet. Cum ipse ei annuisset, arctissimis vinculis se cum viro simul colligauit, atque ita de rupe ambo in lacum præcipites missi simul interierunt.

Cæcilia Barbatica Veneta mortuo viro Philippo Vendramino, in tam pertinaci se dolore immersit, vt nec monitis nec precibus propinquorum

ad vescendum aliquo modo impelli posset, nullo igitur vnquam responso dato mortua est. Fulgosius.

Alcestis marjtum suum Admetum Regem Thessaliæ tanto amore dilexit, vt cum Admetus ipse morbo laboraret, consultaque Oracula responderent, futurum eum incolumem, si quis amicorū pro eo mori vellet, sola vxor, recusantib. pietatē illam cęteris amicis, pro viri salute morti se deuouerit. Propterea Poetæ fabulati sunt reuiuiscēdi munus ei a dijs cōcessum. Admetus vero beneficij memor perpetuas defunctæ nænias instituit.

Iulia C. Cæsaris filia cum ædilitijs comitijs Pompeij Magni coniugis sui vestem, cruore respersam e campo domum relatam vidisset, territa metu, ne qua vis ei esset allata, exanimis concidit, partumq; quem vtero concepterat habebat, subita animi consternatione, & graui dolore corporis eijcere coacta est, atque ita expirauit. *Iulia Cæsaris filia, Pōpey vxor.*

Porcia Catonis filia cum apud Philippos Brutum coniugem victum & interemptū esse cognouisset, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitauit. De hac Polyænus hunc ad modum scribit: Porcia filia Catonis, vxor Bruti, maritum suum Brutum suspicata insidias Cæsari struere, nouacula femur suum abscidit, ostendens corporis tolerantiam & patientiam animi. Tum demum Brutus rem arcanam ei credidit. Illa vero tunicas ipsa viro attulit, & intra tunicas ensem. Accedens Brutus cum socijs coniurationis in Cæsarem impetu facto, eum occidit. Vbi vero cum Cassio aduersus Augustum prælio commisso victus esset, mortem ipse sibi consciuit. Porcia primum quidem eandem fortunā subire conabatur, verum domesticis & cognatis non sinentibus, ignes quasi vnctura sese iussit adferri, multosq; candentes carbones manibus arreptos in os iniecit, & ante deuorauit, quam quisquam ex præsentibus succurrere posset. Ita vitam cum morte commutauit Porcia, militaris & fortis ad mortem, virique inprimis amans. Polyæn. lib. 8. *Porcia Brutī coniunx.*

Artemisia Cariæ Regina Mausolo marito superstes in perpetuo luctu & mœrore vixit. Amoris eius fidem facit sepulchrū illud memorabile, quod inter septem mundi miracula numeratur. Sunt qui velint eam cineres cadaueris vino mixtos hausisse. *Artemisia Mausoli vxor.*

Hipsicratea Mithridati marito in omni bellorum discrimine fuit adiutrix, eumque armata in expeditionibus secuta est, rasis etiam capillis, quo commodius vteretur galea.

Myniæ ex socijs Iasonis oriundi, a Pelasgis ex Insula Lemno expulsi, a Spartanis hospitio excepti, & ciuitate donati sunt. Qui cum postea regnū affectarent, publicæ custodiæ inclusi, capitali seruabantur supplicio: quod cum vetere instituto Lacedæmoniorum nocturno tempore passuri essent, cōiuges eorum illustris sanguinis ibi velut allocuturæ perituros viros, impetrato a custodibus aditu, carcerem intrarunt, commutataque veste per simulationem doloris, velatis capitibus eos abire passæ sunt. Valer. *Mynia ab vxoribus suis e carcere liberantur.*

Pisonianæ conspirationis conscius, apud Neronem accusatus Priscus, perpetuo exilio mulctatus est: Antonia Flaccilla vxor, cum Romæ in magnis opibus manere posset, patriæ atq; opibus maritum prætulit.

Egnatia Maximilla Flaccillæ exemplum secuta omnibus relictis, virum Gallum sequi voluit, ob eandem, qua Priscus, conspirationem, damnatum.

Ligarius durante lege proscriptorum aliquandiu ab vxore absconditus fuit. Tādem proditus cum ad necem duceretur, vxor amore stimulata cædis ministros orabat, vt se quoque perderent, quod ipsa etiam per legem mori debeat, quia proscriptum virum domi tenuerat. Inter has voces vsq; ad Triumuiros peruenit, cæterum cum audire eam nemo vellet, domum

reuersa cibo abstinuit, atque in magno mœrore & fame & lacrymis simul confecta est.

Chilonia Cleombroti Spartani Regis vxor fuit, ac Leonidæ filia, quitem Spartanus Rex erat. Cum autem ciuilibus discordijs Cleombrotus vir Leonidam patrem coniugis in exilium misisset, illa a viro patris restitutionem impetrauit. Deinde cum mutata fortuna Cleombrorum Leonidas ab vrbe depulisset, Chilonia pari opera apud parentē pro viro vsa, cū nihil proficere animaduertisset, etsi feliciter apud parentem in patria agere poterat, maluit cum viro eius exilij comes esse. Fulgos.

Sulpitia cum a matre Iulia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Crustelionem virum suum proscriptum a Triumuiris in Siciliam prosequeretur, nihilominus veste familiari sumpta, eum duabus ancillis totidemque seruis ad eum clandestina fuga peruenit: nec retusauit se ipsam proscribere, vt ei fides sua in coniuge proscripto constaret. Guido.

Argia Argiuorum Regis Adrasti filia cæsum maritum suum Polynicen omni metu seposito noctu inter cadauera late strata per campos iacentia quæsiuit, nec horruit cadauer vulneribus fœdatum ampiecti, idq; per noctem, quam longa est, in vastis campis custodire.

Fœminæ Thracēses.

Indorum fœminę cum more patrio complures eidem nuptæ esse soleant, mortuo marito in certamen, iudiciumque veniunt, quam ex ijs maxime dilexerit: victrix gaudio exultans, deductaque a necessarijs lætū prę ferens vultum, coniugis se flammis superiicit, & cum eo tanquam fœliciſſima crematur, superatæ cum tristitia & mœrore in vita remanent.

De Thracib. eadem refert Herodotus: Singuli, inquiens, plures vxores habent, quorum vbi quis decessit, diceptatio magna fit inter vxores, acri amicorum cura hanc rem studio, quænam dilecta fuerit a marito præcipue. Quæ talis iudicata est, & hunc honorem adepta, ea a viris ac mulieribus exornata, ad tumulum a suo propinquissimo maactatur, vnaq; cum viro humatur, cæteris vxoribus id sibi pro ingente calamitate ducentibus.

Vxor Fernandi Gonzalij Castellæ Comitis, quum rex Germaniæ legionis, quę vrbs est in Hispania Asturiensi, maritum in custodia teneret, ipsa velut visendi gratia ad carcerem venit, virog; persuasit, vt cultu secū cōmutato, se subduceret, ac ipsam ibi relinqueret in casum periculi. Quod & fecit. Rex admiratus mulieris pietatem, precatus tales sibi suisq; liberis coniuges, illam marito remisit.

Roberti regis Britanniæ vxor.

Ex eadem gente illa, quæ Roberto Britanniæ regi nupta fuit, quū maritus in expeditione aduersus Syrios vulnus in brachio accepisset grauissimum gladio venenato, redissetq; in patriā, nec sanitati reddi posset, nisi pus illud virulētum alicuius ore exugeretur: rexq; certissimum illi parari exitium intelligens, quicunque id muneris obijsset, neminem eiusmodi discrimini obijcere sustineret: ipsa noctu solutis vulneris fasoijs primum inscio marito, post etiam conniuente, exugens, & paulatim expuens, venenum omne elicuit, plagamq; Medicis prębuit facilime curandā: indigna certe cuius nomen silentio fuerit ab historicis prætermissum. Ex actis Hispaniæ Roderici Toletani Archiepiscopi refert Vives.

Blanca Rubea Patauina vxor Baptistę a Porta, in prędiū Bassiani municipij Patauini cum viro profecta, anno Christi 1253. Cum Acciolinus tyrannus Patauio amisso, omnem belli vim in Bassianum conuertisset, & proditione etiam cepisset, atq; in ipsis portis Baptistam obtruncasset: Blāca quoq; armis induta fortiter pugnans, a militibus circumuenta: captiua ad tyrannum ducitur. Is forma eius (quam augebant arma) motus, primo blanditijs, mox etiam vi adortus eam corrumpere tentauit. Illa cum alia ratione effugere non posset, per fenestram se dedit præcipitem, semianimis ex casu vix tandem curatur. Curatam tyrannus denuo aggreditur: &

quia

quia consentire nolebat, seruorum opera ligatam constuprauit. Illa dolorem dissimulans, impetrauit ab amicis, vt ad leuandum mœrorem & desiderium aperto sepulchro mariti fœtidum cadauer semel tantum aspicere posset. Morē illi gerūt. Aperto itaq; sepulcro, vbi iacebat, illa magno emisso eiulatu, in sepulchrū sese præcipitauit, simulq; tanta violentia lapidem impulit, vt vna rueret, & Blancę ceruicem frangeret. Sic pudicitiam suam vlta, ex voto suo commune cum marito sepulchrum obtinuit. Bernard. Scardeonus lib. 3. Hist. Patauinæ.

Cabades Persarum rex Perocis F. ob tyrannidem, quia legem tulerat, qua vxores omnibus iuberet esse communes, regno deiectus vinctusque a Persis, in carcerem cōijcitur. Vxor autem cum Cabadi in carcere degenti ministraret, eam (erat enim formosissima) amare prefectus carceris cœpit. Id vbi intellexit Cabades, vxori suasit, vt morem illi gereret, si qua forte ipse ratione ex carcere posset euadere. Quę cū sui corporis potestatē prefecto carceris fecisset, postmodo nemine prohibēte ad maritū cōmeauit eiq; insecuijt. Erat amicę Cabadi Sesoses quidā. Is Cabadi per vxorē eius significat, habere se equos viros q; paratos quodā in loco. Tū Cabades no cte facta vxori psuader, vt secū vestes mutet: itaq; ea suo loco relicta, carcerem exijt, equoq; conscenso cum Sesose ad Hunnos Nephthalitas peruenit. Horum rex Cabadē sibi generum facit, magnoq; instructum exercitu in Persiam mittit. Eam ingressus Cabades nullo negotio regnum recuperat, fratrem oculis erutis in carcerem includit, ac posthac regnum tuto seruat per annos vndecim, abrogatis quas ante tulerat legibus omnibus. Cedrenus in vita Zenonis Imp.

Cabades Persarū rex vxoris sua opera e carcere liberatur.

A Conrado tertio Imperat. VVelphę Bauariæ Dux in oppido Weinsberg, armis & fame expugnatus, coactus est & sese & suos victori quibuscunq; conditionibus dedere. Ibi Imperator præcepit, vt VVelphus cæteriq; equestris ordinis viri vincti in custodiam truderentur, oppidum a militibus diriperetur, ciues vitam ac libertatem retinerēt. Tunc mulieres, quæ fuerant in vrbe, antequam portæ aperirentur, petierunt, vt sibi saluis abire liceret, portantibus de suis rebus, quantum vnaquæque posset. Quod cum a clemēti victore & Germano facile impetrarent, capiūt mulieres consilium pium & memorabile. Nam cū hostes aurum eas & gemmas, mundumque muliebrem, aut pecuniæ aliquid secum elaturas putarent, illæ omnibus his rebus militū prædę relictis, maritos solos in humeros sublatos, & paruos liberos in sinu atq; amplexu tenentes vrbe asportabant. Imperator ingeniosa philostorgia mulierum mirifice delectatus, omnibus conuiuio exceptis clementer ignouit. Ita sæpe vtile vinci victoris placidi fecit clementia multis.

Vxorum in liberandu maritus astu cōsiliū.

Penelope Icarii filia tanto Vlyssis amore flagrauit, vt absente eo per viginti annos, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus, adduci potuerit, vt castitatem corrumperet.

Capanei apud Thebas mortui dū celebrarentur exequię, vxor Euadne in rogum mariti se coniecit. Ouid.

Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitq; rogos.

Saxo Grammaticus auctor est, Gunildam cum videret exequias mariti sui Asmundi Danorum regis, spiritum ferro sibi surripuisse.

Quintum Lucretiū proscriptum a triumuiris vxor Turia inter camerā & tectum cubiculi abditum, vna conscia ancillula, ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit, singularique fide id egit, vt cum cæteri proscripti in alienis & hostilibus regionibus per summos animi & corporis cruciatus vix euaderent, ille in cubiculo, & in coniugis sinu salutem retineret.

Turia fides erga Lucretium.

Sinati vxor Camma.

Erasinorix Sinatum occidit.

Erasinorix & Sinatus tetrarchias in Gallia obtinebant. Sinati vxor Camma corporis pulchritudine, & animi virtute nobilis habebatur. Erat enim sacerdos Dianæ (quam Galli summa religione colunt) & in pompis ac sacrificijs semper magnificentissimum ornatum gestabat. Hanc Erasinorix neq; persuadere, neque per vim cogere posse viuo marito arbitratus, Sinatum per dolum occidit. Non longo post tempore Cammam ambiebat. Illa frequenter renuebat. Familiaribus autem & amicis instantibus, & blandissime rem administrantibus, simulauit se ei assentiri. Et quidem inter eos conuenit. Veniebat Erasinorix, & cum eo omnes Galli perfecta ætate viri ac mulieres. Quem illa perhumaniter acceptum ad aram adduxit, & ex aurea phiala, partim ipsa bibit, partim illum bibere iussit. Qui tanquã sponsus a sponsa cum voluptate acceptum bibit, potus autem hic erat mulsum veneno mixtum. Illa cum eum bibisse cerneret, magna voce exclamauit, Deamque in genua procumbens adorauit, inquiens: Gratiam tibi habeo veneranda Diana, quod mihi concesseris in tuo templo, pro marito mea causa interfecto supplicium exigere. His dictis & ipsa confestim mortem obijt, & sponsus simul cum ea ad aram Deæ vitam reliquit. Poliænus lib. 8.

Cornelia Gracchi vxor.

Cornelia Tiberij Gracchi coniugis sui defuncti memoriam tanta pietate coluit, vt Ptolemæi nuptias ambientis eam, & ad regni societatem vocantis repudiarit: Quæ vidua, cum cæteros liberos amisisset, vnã filiam, quæ deinde Scipionis Africani posterioris vxor fuit, & Tiberiũ & Caium filios tanto studio educauit, vt cum in confesso sit, neminẽ Romanorum ijs bonitate ingenij præstitisse, melius tamen instituti, quam nati ad virtutem existimentur. Plutarch.

Panthea Abradatæ vxor.

Immensus Pantheæ erga Abradatam virum amor fuit. Nam cum a militibus capta ob eximiam formæ præstantiam ad Cyrum deducta esset, pudicitiam suam magna dexteritate tutata est. Et vt protectori pudicitiæ suæ gratiam referret, cum datis ad virum literis Cyri pietatem ei commendauit, & vt gratitudinis aliquod officium regi vicissim præstaret, cum hortata est. Quare mille delectos equites Abradatas Cyro adduxit, cumque in prælio inter confertissimos hostes pugnaret, occubuit. Cyrus cum Regia munera in solatiũ viri occisi Pantheæ offerret, illa nihil aliud petijt, quam vt virum videre sibi liceret. Quod cum facile impetrasset, deploratum virum iuxta gentis morem ornauit, cumque nihil aliud iam funeri, nisi vt sepeliretur, superesset, supra mortui viri corpus se peremit. Vide Xenophontem.

Paulina Senecæ vxor.

Cum Senecæ Nero generis mortis arbitrium obtulisset, ipseq; delectis venis delegisset, vt in balneo in sanguine simul etiam vitam effunderet, Paulina eius vxor, coniugali amore compulsa (quãquam Seneca repugnaret) mori tamẽ ipsa quoq; decreuerat, vt non minus in morte, quam dum vixerat, viro fidissima comes esset. Cæterum cum rem Nero præsciuisset, misit qui sanguinem sisterent, atq; eam in vita retinerent. Itaq; cum iam multum sanguinis esset effusum, pallida semper mansit, atq; in vultu pudici sui amoris signa semper retinuit. Fulgos.

Thesca Polyxeni vxor.

Thesca Dionysij soror, nupta Polyxeno, posteaquam maritus metu tyranni profugerat, & rex sororem accusaret, quod conscia fugæ mariti non indicasset: Adeone, inquit, Dionysi me vilem abiectique animi fœminam iudicas, vt si sensissem illum moliri fugam, non mẽ illi nauigationis, & omnium fortunarum comitem additura fuerim?

Ea vxoris virtus est nobilissima, inquit Epicharmus, nulla in re maritum offendere. Quo nomine laudatur Caia Ennia, quæ annos tres & quadraginta, menses octo, cum marito suo Rubrio Celere citra vllam offensam

sensam exegit. Et Terentiana Valentiniana, quæ annos 25. cum Albutio si ne vllo iurgio vixit in coniugio. Rauisius.

Theano Pythagoræ dogmatum studiosissima, percontāti, quanā ratione celebris euasura esset? respondit: Contexens telam, & meum curans coniugium. Sensit autem mulier ornatissima, tum demum clarā se fore, si amaret maritum, probe educaret filios, & rem domesticā bene curaret.

Demotionis filia.

Demotionis Areopagitæ filia, Leosthene sponso mortuo, negauit se alteri nupturam, quod adulterum acciperet, non maritum. Illum enim vita functum, sibi tamen adhuc viuum maritum esse. Et ne ad secundas nuptias compelleretur, se ipsam interfecit.

Leonora Augusta magnam & sobrietatis, & erga maritum Fridericum Imperatorem obseruantiæ laudem meretur. Quæ cum in paterna domo nunquam vinū gustasset, suadebāt Medici, in Germania regione frigida, si mater fieri vellet, vinū biberet. Quod cum accepisset Fridericus, vocato Æneā Siluio, Abi, inquit, atq; Imperatrici dicito, sterilem me coniugem quam vinosam malle. Proinde me si amat, vinum oderit. Ad id nuncium Leonora, & si viri iussioni tam libenter pareo quam viuo, si tamen vini vsum mandauerit Imperator, mori optauerim quam parere.

Philonis vxor in complurium fœminarū cœtu interrogata, cur sola ex omnibus aureo nō vteretur ornatu? Satis, inquit, vxori magnus ornatus, viri sui virtus est.

Tigranes mortē pro vxoris liberatione ferre paratus.

Tigranis Armeniorū regis filij vxor cum a Cyro capta esset, percōtante Cyro Tigranē, quāti redimeret vxorem? Equidem, inquit ille, vel vitæ meæ precio redemerim, vt ne vnquā hæc seruitutem seruiat. Cyrus hoc responso delectatus, & vxorem, & patrem, cum omnibus captiuis sine precio liberos dimittit. Hinc cum multus inter eos sermo esset de Cyri virtutibus, non nemo etiam corporis eius pulchritudinem laudarent: Ibi vxorem Tigranes percontabatur: Num & tibi, mea Armenia, pulcher esse visus est Cyrus? Equidem, ait illa, per Iouem, ipsum nō aspectabam. Quemnam igitur inquit Tigranes, Eum, ita me Iupiter amet, qui aiebat vitæ se suæ precio redempturum, vt ne seruitutem ego seruirem. Xenophon. lib. 3. de pædia Cyri.

Pericles Aspasiam vxorem adeo dilexit, vt nunqā egrederetur domo, quin eam diffuauiaretur. Vnde veteres Comœdiographi Deianiram & Iunonem eam vocabant.

Cyus vxorem Cassandanem, cum diem suum obiisset, acerbo luctu defleuit, & publicis lachrymis per vniuersum Imperium decorari voluit.

Archippa vxor Themistoclis.

Themistoclis vxor Archippa, parendo diligentissime coniugi suo Themistocli, tanto sibi illum amore deuinxit, vt vicissim ipse prudentissimus vir, ac inprimis strenuus Imperator, vxori pene in omnib. obsequeretur. Vnde gradatio illa Græcorum per iocum a multis iactata. Quicquid puer hic vult (Cleophantus is erat) Græci volunt Nam quod hic vult, mater: quod vero mater, idem Themistocles: porro quod Themistocles, id Athenienses: quod Athenienses, hoc Græci omnes.

Sophonisba Masinissa nubit.

Deuicto Siphace captā eius coniugem Sophonisbā motus eius forma & precibus Masinissa victor, statim eam sibi vxorem iungit. Quam, a Scipione reprehensus, cum dimittere cogeretur, ne eam contra datam fidem Romanis captam traderet, misit ei poculum veneno mixtum, vt se ipsam a captiuitate vindicaret, monens. quod illa grato animo acceptum impauide hausit, ne in triumpho ducta superbo, victori seruiret. Liuius lib. 30.

Historia memorabilis de Co-

Illustris quidem Germaniæ Comes de Gleichen, cum in militia aduersus Turcas prælio captus esset, in Turciam abductus diu ibi in vinculis detentus fuit, faciendisq; operibus rusticis fatigatus. Cum autem aliquan-

mite Germano, eiusque vxore.

do animi gratia filia regis, sub quo seruiebat Comes, expatiaretur, Comitemque operas suas exercentem videret, adijt eum, & tum de captiuitate, tum de patria percontatus est, dumque sermones cum eo conferret, sic eius forma industriaque capta est, vt ei liberationem promitteret, & comitem fugæ sese offerret, quatenus ipsum vxorem ducere vellet. Cui ille respondit, esse sibi in patria vxorem & liberos. At illa nihil hoc ipsorum ait obstare conatibus, cum moris sit apud Turcas, vt vni viro plures nubant vxores. Quibus auditis, acquiescit eius voluntati, fidemq; suam ei astringit. Nec mora cum Comite fugam molitur regis filia, aspiranteq; ipsorũ cœptis fortuna, Venetias deferuntur, vbi Comes in seruum suum incidit, qui quæsitum eum multa maria emensus fuerat. Ex quo cum audiret, coniugem cum liberis & reliqua familia incolumes esse, Romam proficiscitur, & re omni ordine narrata literas a Pontifice impetrat quibus ei concederetur, vtramq; fouere cõiugem. Domum inde reuersum vxor nihil offensa propter reginam Turcicam perhumaniter excipit, adeoq; summo amore pellicem, cuius opera charissimum maritum recepisset, prosequitur. Vicissim etiam Regina Comitissæ omnia humanitatis officia præstitit. Diuina autem benedictio legitimam seu priorem Comitis coniugem multa prole beatam reddidit, altera sterili manente, quæ tamen alterius liberos in delicijs habuit, eosq; omni cura sedulo fouit. Huius rei monimentum Erphordię etiamnum extat, in quo ex vtroq; latere Comiti vxores astant: Regina marmorea Corona ornata: Comitissa sculpta est nuda, & infantes ad pedes eius reptantes.

Monicæ prudens consilium.

Mulieres quædam viris Christianam religionem profitentibus nuptæ, apud Monicam diui Augustini matrem de virorum iniurijs assiduisque contentionibus, quibus conflictarentur, conquerebantur, se inquiunt mirari, qua illa vteretur viuendi ratione, quibus sue esset moribus, quod pacifice cum viro, qui & Christianæ religionis sit expers, & animi præferocis, cohabitaret. Quibus respondens, Monica, Meæ, inquit sorores, vos ipsæ fortassis ad rixas maritos vestros morositate vestra & contumacia impellitis, contentionibusque frigidam quasi suffunditis. Eo sum ego ingenio, marito meo vehementissime sæuiente, ego interim taceo, multa dissimulo, animumque precibus ad Deum fundendis occupo. Hisce moribus iracundiam & furorem mariti mei frango, & vt stabili fruamur concordia efficio, quin animum eius sic inflexi, vt vna mecum Christum colere cœperit. Tales etiam & vos erga maritos vestros gerite, sic omnes rixas & contentiones cauebitis, maritisq; vtemini & humanis & obsequentibus. August. lib. 9. Confes. cap. 9.

Honesta matrona non facile absentis mariti obliuiscitur.

Quidam ex Bohemiæ Proceribus honestissimam matronam Stephani Comitis de Schlick vxorem, cum is iam duodecim annos abfuisset, & rumor esset eum mortuum esse, ambiebat. Cuius illa petitioni respõdit, tam breui temporis spacio mariti sui Stephani nequaquam se potuisse obliuisci, ideoq; nullo modo ad secundas nuptias animum sibi inclinare. Plena coniugalis fidei & castitatis vxor breue tempus vocauit duodecim annorum spacium. Optandum sane esset in simili casu alias quoq; mulieres huius matronæ virtutem imitari.

DE POENA SCORTATORVM & mœchorum.

Bellum Troianum.

TRoiani regni deuastatio ex adulterio promanauit. Paris, filius Priami, Menelai Spartani regis (a quo hospitio exceptus fuerat) vxorem Helenam rapuerat. Quam iniuriam vindicaturi Græci Principes, maximis copijs Phrygiam occupaũt, & decimo tandem anno post grauissimas vtrin-

que

que acceptas clades Troiam expugnatam, funditus euerterunt. Ferunt durante isto bello, ex Græcis octingenta & octuaginta millia perijsse, ex Troianis sexcenta octuaginta sex millia.

Bellum Thebanum.

Troiano bello Thebanum antiquius, plenum horribilium exemplorũ, ex prohibito & incesto concubitu ortum est. Laius immemor Oraculi, quod vetuerat, ne cum vxore Iocasta concumberet, ebrius cum ea rem habuit, vnde natus est Oedipus, qui mirabili fortuna seruatus, cum adoleuisset, patrem ignarus interfecit, matremq; vxorem duxit, & tandem terræ hiatu absorptus est. Filij ex incesto concubitu nati de regno dimicãtes, mutuis vulneribus interfecti sunt. Mater autem iacens inter filios vulneratos, sibi ipsi mortem consciscit.

Sybaritarum luxus, euersa vrbe à Crotoniatis, grauibus adeo pœnis affectus fuit, vt Prouerbio locum dederint Sybaritica mala.

Clades Leuctrica.

Leuctrica Lacedæmoniorum calamitas impiæ libidinis pœna fuit. Nam aliquando ante pugnam Leuctricam, qua Lacedæmoniorum vires attritæ fuerũt, duo ex Spartana nobilitate hospitaliter excepti in Leuctris à Scedaso, postea redeuntes absente patre, filias eius duas vi stupratas interfecerunt membratimq; dissectas in puteũ abiecere. Pater deinde Spartam profectus, ac petens sceleris auctores puniri, derisus est. Quare dira precatus Lacedæmonijs, se ipsum ad sepulchrum filiarum occidit. Deus itaq; in eo ipso loco, qui sceleris vestigium fuerat, Lacedæmonios punijt, sic & de magnitudine perpetrati sceleris, & de iudicio diuino homines commonefaciens. Vide Chron. Philip. lib. 2. Plutarchum in vita Pelopidæ. De his in præcedenti titulo paulo aliter, ex Fulgosio.

Impij Sacerdotis præstigijs Paulina decipitur.

Tiberio regnante, Romæ Paulina quædam & generis splendore, & morum integritate præstans, & opibus abundans, & vultu venusto, & ætate integra & modestia ornata, nupta erat Saturnino viro nullo bonorũ genere ipsa inferiori. Huius amore captus Decius Mundus, inter equites dignitate præstans, mulieris pudicitiam muneribus solicitabat, ducenta millia drachmarum Atticarum pro vno concubitu pollicens, eaque recusante, amore magis inflammabatur, adeo, vt abstinentia ciborum necem sibi conscisceret instituerat. Habebat autem paternam libertam, nomine Iden, omnis generis malorum peritam. Ea adolescentem sic affectum verbis confirmat, & pollicitationibus refocillat, ac sibi duntaxat quinquagies mille drachmis opus esse dicit ad rem conficiendam: quibus acceptis, cum illam pecunia non expugnari posse cerneret, sed cultui Isidis (ea tum à Romanis pro diua colebatur) esse deditissimam: quosdam falsæ illius Deæ Sacerdotes conuenit, pecuniam offert, vt Paulinam, quibus possint dolis circumuentam Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecunia deliniti, facinus aggrediuntur, eorum natu maximus Paulinam seorsim conuenit, se ab Anubide ipsius amore capto missum esse profitetur, vt eam accerseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si à Deo amaretur: & nuncium illud cum marito communicat, qui gnarus modestiæ coniugis, eam ad locum à Sacerdote monstratum, vt Anubidis libidini seruiret, abire sinit. Cũ in lucum venisset sub somni tempus, mulieri in ipsa æde lectus paratus, lucernæ extinguuntur. Mundus iam antea ibi abditus, per totam noctem sub Anubidis nomine, libidine sua expleta, discedit. Illa reuersa Anubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congressu Dei gloriatur. Sed tertio post id facinus die, Mundus ei obuiam factus, Paulina, inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis gessisti morem. Tua vero erga Mundum iniuria me non attigit, qui Anubidis nomen mihi ipse fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, vestibus laceratis marito insidias indicat. Is apud Tiberium conqueritur. Imperator facinore comperto, Sacerdotes & Iden in crucem tollit, Isidis simulachrum in Tyberim

demergit, Mundum in exilium agit, pœnam grauiorem ob amoris vim clementia moderatus. Iosephus lib. 18. cap. 7. Antiquit.

Saturni Sacerdos tyrannus.

Eadem sceleris fœditate vsus est Saturni Sacerdos tyrannus. Is captus matronarum forma, maritis eorum idoli templum frequentantibus persuadebat, Deum Saturnum amore erga ipsorum vxores incensum earum ambire concubitum. Quod cui indicabatur, is beatum se iudicabat, ob tam manifestum diuini fauoris argumentum, ideoque vxorem exquisitissimo cultu ornatam in Saturni templum mittebat, munera ei addens quibus idolum ornaret. Matrona cum templum ingressa esset, Sacerdos iste tyrannus spectante populo egressus fores obseruauit, & ne qua suspicio fraudis oriretur, claues alijs custodiendas tradidit. Sub noctem autem per subterraneos meatus clam in excauatum Saturni idolum irrepsit, cumque mulier precibus intenta esset, Sacerdos ex æreo simulachro verba faciens trepidam & attonitam ad libidinem incitat. Illa dignam se esse, quam Deus alloquatur, sibi gratulans, impuro Deo se vicissim commendat. Interim ardentes lychni in templo pendentes per artem sic constructi extinguuntur, deinde ex Saturni simulachro prodiens homo nefarius cum attonita muliere suam explet libidinem. Cum successisset aliquandiu fraus ista scelerato Sacerdoti, accidit vt honestissima quædam matrona à Sacerdote ad hanc fœditatem vocaretur, quę à toto hoc negotio plurimum abhorrens, fraudemq; subesse rata, cum diligentius singula attenderet, Sacerdotis vocę agnouit, domumq; reuersa, apud maritum suum effecit, vt is sceleratam Sacerdotis fallaciam Magistratui detegeret, & eo rem deduceret, vt adhibitis tormentis Sacerdos examinaretur, qui cruciatus haud sustinens omnem fallaciæ modum aperuit. Quo facto gentiles cum suo idolorum cultu Christianis fuere ludibrio. Palam siquidem factum, matres eorum esse adulteras, liberos ex adulterio natos, parentes vero stolide dementatos. Eusebius Pamphilus.

Bryas Dux Græcorum.

Bryas Dux Græcus alienam sponsam, cum iam in domum sponsi sui duceretur, per vim ex insolentia barbarica rapuit, statimq; nocte ista cum ea concubuit. Illa vero dormienti oculos effodit, vimq; & iniuriam sibi illatam ciuibus conquesta est. Qui rei indignitate moti ducem istum, quamuis militum & numero & robore fretum eiecerunt. Pausanias lib. 2.

Macrini seueritas aduersus raptores hospita.

Macrinus Imperator seueriſſime in duos milites, qui hospitam per vim compresserunt, animaduertit. Nam inclusit eos in duos boues, exertis capitibus, vt colloqui possent, donec extincti sunt.

Militis grauę supplicium.

Nec minor Valerij Aureliani in simili scelere puniendo fuit seueritas. Bessi namque imitatus supplicium, militem, qui hospitam per vim stuprarat, inflexis duabus arboribus alligauit, quæ cum rursus erigerentur, miles discerptus est.

Regnum Gothorum in Hispania extirpatū.

Rodericus Gothorum Rex in Hispania Comitis cuiusdam Iuliani filiã per vim stuprarat. Qua iniuria motus pater, aduersus eum ingentes Saracenorum & Maurorum copias in Hispaniam attraxit, à quibus Rodericus cum filio interfectus est, regnoq; Gothorum finis in Hispania impositus. Feruntur cæsa ex vtraq; parte septies centena millia virorum. Ita ruina & mutatio regni Gothici extitit à libidinis pœna, anno Christi septingentesimo, decimo quarto. Ioan. Magnus.

Ioannes eius nominis XIII. Romanus Pontifex, in adulterio deprehensus, ab adulteræ marito confossus est, anno 964. Cuius mors eo turpior est, quo sanctior is esse debebat, qui dignitate cæteris antecellit. Plat.

Galli è Sicilia eiciuntur.

Sub Carolo Siciliæ Rege, Galli effrænata quadam libidine passim in Siculorum vxores ferebãtur. Qua iniuria irritati Siculi inita conspiratione, auctore Iohanne Prochyto, qui à Petro Rege Aragonum ad hoc paratus erat certo constituto die ad campanæ pulsum, per omnes totius Regni ciui-

tates

tates, omnes Gallos, in quoscunq; inciderẽt, crudelissime vno vespere trucidabant, & excusso eorum Imperio, Siciliæ regnum hæreditario iure Constantiæ vxori Imperatoris Friderici deberi profitebantur. Anno Christi millesimo, ducentesimo, octuagesimo secundo.

Rodoaldus in adulterio deprehensus occiditur.

Rodoaldus Octauus Longobardorum Rex in adulterio deprehensus, à marito adulteræ interfectus est. Chron. Philip. lib. 3. anno Dom. 659.

Thrax adulter a Timoclea lapidibus obruitur.

Timoclea matrona nobilissima, cum Thebis ab Alexandro captis, domo excisa, direptisque penatibus, violentum etiam stuprum passa esset, à duce quodam Thracum, qui in Macedonum exercitu erat, rem commẽta est non vulgaris exempli ad iniuriam vlciscendam, testata se locum scire, vbi multum esset auri defossum. Credidit barbarus, perductusque ab ea est ad profundissimum puteum, qui in remotiore fuit parte domus. Hic cum Thrax explorabundus prono in lapsum statu, puteo immineret, vt quid in eo fundo esset melius prospiceret, à Timoclea, quæ à tergo stabat, repente impulsus præceps ad ima corruit, saxisq; superne iniectis hostem exanimauit. Rapitur illa confestim in iudicium, & ad Regis conspectum destituta, & quænam esset fœmina iussa dicere, fuisse se intrepide respondit Theagenis sororem, qui aduersus Macedones ad Chæroneam Thebanam instruxit aciem, oppetijtque mortem pro libertate Græciæ. Mulieris constantiam miratus Alexander præclarumq; facinus, liberam cum tota domo esse iussit. Plutar. in vita Alexand. Sabel. lib. 5. cap. 6.

Orgiagontis Reguli vxor violatam pudicitiã insigni facinore vlciscitur.

Cn. Manlius cum victis Gallogræcis aduersus Tectosagos castra moueret: Orgiagontis Reguli vxor forma eximia custodiebatur inter plures captiuos, cui custodiæ Centurio præerat, & libidini & auaritiæ militans. Is primo eius animum tentauit, quem cum abhorrentem à voluntario videret stupro, corpori quod seruum fortuna erat, vim fecit. Deinde ad lenien dam indignitatem iniuriæ, spem reditus ad suos mulieri fecit, & ne eam quidem vt amans gratuitam, certo auri pondere pactus, ne quem conscium haberet, ipsi permittit, vt quem vellet, vnum ex captiuis nuncium ad suos mitteret, locum prope flumen constituit, quo duo, nec plus, necessarij captiuæ cũ auro venirent nocte insequenti ad eam accipiendã. Forte ipsius mulieris seruus inter captiuos eiusdem custodiæ erat, hunc nuncium primis tenebris extra stationes centurio educit. Nocte insequenti & duo necessarij mulieris ad constitutum locum, & centurio cum captiua venit. Vbi cum aurum ostenderent, quod summam talenti Attici (tanti enim pepigerat) expleret: mulier lingua sua, stringerent ferrum, & Centurionẽ pensantem aurum occiderent, imperauit. Iugulati præcisum caput ipsa inuolutum veste ferens ad virum Orgiagontem peruenit, quem priusquã amplecteretur, caput Centurionis ante pedes eius abiecit, mirantiq; cuiusnã id caput hominis, aut quod id facinus haud quaquam muliebre esset, & iniuriam corporis, & vltionẽ violatæ per vim pudicitiæ confessa viro est, aliaq; (vt traditur) sanctitate & grauitate vitæ, huius matronalis facinoris decus ad vltimum conseruauit. Liuius lib. 38. Lucretia in se ipsam crudelis fuit. Hæc vero mulier in hoste violatam sibi pudicitiam vlta est.

Persarũ libido punita.

Darius missis Legatis ad Amyntam Regem Macedonicum, terram & aquam sibi tradi petijt. Amyntas metuens potentiam Persicam, placide respondet, & Persas in conuiuium vocat. Hic barbari superbe petiuerunt etiam nobiles mulieres adduci, & inter conuiuas collocari, qui ebrij iam & bassia dabant honestis mulieribus, & attrectabant sinus. Hæc cum iuste ægre ferrẽt pater Amyntas, & filius Alexander, filius patrẽ hortatur, vt ex conuiuio discedat dormiturus. Qui cum abijsset, simulabat hilaritatem Alexander, ac aliquanto post hortatur, vt concedant mulieribus vt aliquã tisper surgant, & ait mox redituras esse. Quibus dimissis iubet adolescen-

tes nobiles totidē earū induere veſtes: & gladios ſumere abditos ſub veſtibus, & cū Perſę eos attrectarēt, ipſos cōfodere. Hęc ita facta ſunt, & laſciuię ac petulantiæ pœnas Legati iuſtas dedere. Herod. Iuſt. Chron. Phil. lib. 2.

Pelopidarum Domus horribilium exemplorum & triſtiſſimarum pœnarum ex libidinum confuſione promanantium longam nobis exhibet ſeriem.

Thyeſtes & Atreus Pelopis filij.

Thyeſtes cum vxore fratris ſui Atrei adulteriū committit, propter quod Atreus in odiū Thyeſtis vehementer exarſit, nec cōtentus quod occupato regno fratrē egiſſet in exiliū, ſed volens in eū crudelius deſæuire, fingit ſe velle ei recōciliari, & ab eo filiis in obſides acceptis, partitus cū eo regnum eſt, quem poſtea vocauit ad conuiuium, & interfectis filiis obſidibus, dedit eos patri veſcendos, & eorum cruorem vino cōmiſcuit, quod dedit et bibere. Thyeſtes deinde, ne vllus flagitiorum modus eſſet, Satanico motus Oraculo, ex filia ſua Pelopeia genuit Ægyſthum, qui Atreū interfecit, & deinde Agamemnonis (qui filius erat Atrei) vxore Clytemneſtra ſtupra ta, ipſum quoq; Agamemnonē ex Troiano bello reducem conſilio Clytemnæſtræ occidit. Vide Senecæ Thyeſtem & Agamemnonem.

Hippomenes Athenienſium Princeps, filiam Lymonen in adulterio deprehenſam vna cum equo feroci concluſit, nec huic nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus puellam deuorauit.

Phaon cum eſſet hominum pulcherrimus, à Mitylenæorū mulieribus ardenter appetebatur. Vnde factum vt in adulterio deprehenſus iugulare tur. Cælius.

Tigillinum præfectum vigilum & prætorii inter ſtupra concubinarum & oſcula ſectis nouacula faucibus inhoneſtam clauſiſſe vitam, Cornelius Tacitus ait.

Meſſalinæ portentoſa libido.

Meſſalina Claudii Tiberii vxor portentoſæ libidinis mulier adulteriiſq; contaminatiſſima, ad certamē Veneris elegit nobiliſſimam ex proſtitutis ancillam mercenariæ ſtipis, eamq; die ac nocte ſuperauit quinto ac viceſimo concubitu, multos qui libidini eius ſeruire noli nt interfecit, inter quos Vinicium ob ſtuprum recuſatum veneno ſuſtulit. Saltatorem quendam Mneſterem nomine, cuius amore capta erat, cum nec pollicitationibus nec minis ad concubitum perpellere poſſet, curauit vt is a Claudio patrere ipſi in omnibus iuberetur, quaſi ad alias res opera eius vſura eſſet. Sic ille cum ea rem habuit, quaſi id quoque ab Imperatore iuſſus eſſet. Idem cum aliis quoque multis auſa adulteris ſui copiam fecit, quaſi conſcio marito, & ad laſciuiam conniuente. Tandem interfecta ab Imperatore flagitiorum pœnas luit.

Franciſca Malateſta vxor.

Iohannes Malateſta vxorem nomine Franciſcam, in cōplexu Pauli Malateſtæ fratris ſui deprehenſam, gladio transfixit vna cum adultero. Rauiſ.

Ludouicus quoque Normannię Seneſchallus Carlottam vxorem cum Iohanne Lauerno eius adultero in concubitu deprehenſam occidit. Ibid.

Rudolphus quoque Gonzaga, quum vxorem adulterii compertam haheret, eam vna cum adultero in concubitu deprehenſam occidit.

Solon ſuis legibus voluit fas eſſe deprehendenti mœchum interficere in ipſo adulterio.

Zaleuci lex.

Zaleucus legem tulit, vt quiſquis mœchus aut adulter deprehēſus fuerit, erutis oculis pœnas lueret: cuius filius cum adulterii crimine damnatus, ſecundum ius ab ipſo conſtitutum vtroque carere deberet, ac tota ciuitas neceſſitatem pœnæ adoleſcentulo remitteret, aliquandiu repugnauit: ad vltimum precibus populi euictus, ſuo prius, deinde filij oculo eruto, vſum vtrique videndi reliquit.

Aruntius in ebrietatem lapſus filiam Medullinam corrupit. Quod ægre ferens puella, patrem ipſum interfecit.

Idem

Idem Cyanippo contigit, qui itidem ebrietate effascinatus, Cyanen filiam stuprauit, à qua postea interfectus est. Cum enim graui peste Syracusæ laborarent, Oraculaque respondissent, De scelerato sacrificandum esse, cum nemo intelligeret, ad quem ea res pertineret, Cyane parentem capillis apprehensum ad aram traxit, illicque manu sua eum pro victima mactauit, atque super occisi corpus se quoque interemit. Auctor Plutarchus in parall. *Cyanippus, Cyane Syracusana.*

Valeria Thusculana Valerio patri, quem deperibat, fraude ancillæ concubuit. Quod vbi resciuit Valerius, intulit sibi mortem. Idem Auctor.

Secundus Philosophus, de quo supra, cum matri nescienti esse filium se commiscuisset, & illa facto cognito sceleris horrore intulisset sibi mortẽ: ipse quoq; cum incestus pœnitetia, tum dolore maternæ mortis æternum tacuit, vt vleiscereturvocem, qua in concubitu matri innotuerat. *Incestus punitus.*

Nausimenis viri Athenienſis vxor, cum filii ac filiæ sua stupro interuenisset: inopinati monstri perculsa conspectu, & in præsens tempus ad indignandum, & in posterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. Valer.

Papyrius Romanus nomine, Papyrij Volucris filius, sororem nomine Canusiam, grauidam fecit. Rei certior factus pater, vtriq; gladium misit, quo se interfecerunt.

Gidica Pomminij Laurentini vxor, Comminium priuignum adamauit vsq; ad incestum. A quo repulsam passa, laqueo se suspendit. Quo mortis genere periit Phœdra ab Hippolyto priuigno itidem spreta.

Orchamus Leucothoam, filiam ab Apolline stupratam, viuam defodit.

Progne Pandionis Athenarum Regis filia, Ityn filium marito suo Tereo Thracum Regi apposuit comedẽdum, quod stuprum intulisset Philomelæ eiusdem Prognes sorori.

Perimele puella vim & stuprum ab Acheloo passa ab Hippodamante detestante facinus præcipitata est.

Hipparchus Pisistrati filius, ab Atheniẽsib. ob libidines interfectus est.

Hæc & similia partim ex Poetarum, partim ex historicorum scriptis desumpta exempla, quanto etiam gentiles odio fœditatem libidinum prosecuti fuerint, facile ostendunt, nobisq; Christi doctrinam profitentibus incitamento erunt, ad vitæ morumque castitatem ardentiore studio amplectẽdam, ne circa eas virtutes, quæ Christianorum sunt propriæ, ab Ethnicis vincamur.

De matrimonio Saxonũ hæc Bonifacius (teste Iulielmo Malmesburiẽsel lib. 2. cap. 64. de Anglis) scribit, in Epistola ad Ethibaldum Regẽ: Paganiverum Deum ignorantes, naturaliter quæ legis sunt, & quod ab initio Deus cõstituit, custodiunt: quia propriis vxoribus matrimonii fœdera seruantes, fornicatores & adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, si virgo paternam domum adulterio maculauerit, vel si mulier maritata adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspesam, vitam finire, & super bustum illius incensæ, & concremata corruptorem eius suspendunt. Aliquando congregato cœtu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circunquaq; ducunt, virgis cedentes, & vestimenta eius abscindentes iuxta cingulum, & cultellis totum corpus eius secantes, & pungentes minutis vulneribus cruentatam & laceratã de villa ad villam mittunt: & occurrunt semper nouæ flagellatrices zelo pudicitiæ adductæ, vsque quo eam aut mortuam aut vix viuam derelinquant, vt cęteræ timorem adulterandi & luxuriandi habeant. *Adulterij pœna apud Saxones.*

In vrbe Ostrogothorum Scheninga, Thuronis longi statua fuit olim clauam humero gestantis, saxis duobus catena colligatis è claua dependentibus. Fuit is athleta fortissimus & pudicitiæ muliebris defensor acerrimus.

rimus. Mos igitur fuit olim, vt deprehensa in adulterio mulier, dotem amitteret, & hæreditatem omnẽ, esset que in potestate mariti de ea & adultero pro libitu statuendi. Quod si adulter mulctam à legibus præscriptam soluere nequiret, tunc duo saxa Thuronia mulieri humero tenus imponũtur, & ipsa virilibus adulteri funiculo ligatis, ipsum per plateas ciuitatis aspicientibus cunctis pertrahere, ac demum perpetuo exilio solum vertere cogebatur. Olaus lib. 14. cap. 16. Septentrionalium reg.

Apud Britannos adulteri pœna.

In Anglia, quæ quondam Britannia dicta est, qui extra matrimoniũ in mulieribus commiscentur, deprehensi Sacerdotis imperio, die festo, in processu cleri ac populi adesse iubentur: & retentis femoralibus nudi Ecclesiam circumeunt, ardentem cereum manu gestantes. Si quem pœnæ pudet, is auro noxam redimit. Æneas Sylui. libr. 1. de dictis ac factis Alphonsi.

Olim moris fuit apud Anglos, vt virgo in fornicatione deprehensa, de rupe præcipitaretur. Virginis vero corruptor, decollaretur. Iohan. Balæus de scriptorib. Britañn.

Tordæ Transyluaniæ vrbe, deprehensus in adulterio cõiunx accusatus coram Magistratu, manu cõiugis in foro obtruncatur. Anno Sal. 1552. Paulus Varadiensis sartor vxorem mœcham deprehensam, damnatam, mactaturus erat: sed precibus & pollicitis illius persuasus, incolumem abire permiserat. Non multo post deprehensus ab vxore Paulus, & in iudicium vocatus, consumptis in cassum obtestationibus ab ingratissima muliere spectante populo securi percussus est. Ascanius Centorius libro 4. bellorum Transyluaniæ.

Adulteriũ Comitis punitum.

Circiter annum tricesimum tertium, supra centesimum millesimũ, Comes Germanus viri cuiusdam nobilis ex Sueuia oriundi, ministri aulici, coniugem matronã honestissimam per vim stuprauit. Quæ de hac iniuria grauiter apud maritum conquesta, eum ad vltionem facinoris huius incitauit. Qui captans occasionem, summo diluculo arcem ingressus est, cumque ei liber pateret ad omnia accessus, in ipsius Comitis irruit cubile, iacentemq; in lecto confodit. Quo facinore cum vehementius turbaretur Comitis vxor, eiq; grauissima quæq; interminaretur, clamans se vtero gestare, qui cædem istam Comitis vlturus esset, exasperatus nobilis ipsam quoq; interfecit. Qua perpetrata cæde celeri fuga vna cum coniuge sua in Sueuiam contendit.

TVNITÆ LIBIDINIS, ET IVSTITIÆ exemplum insigne.

Banebãnus Regius præfectus Hungariæ.

ANdreas Rex Hungariæ, susceptа cum alijs Principibus & Regibus expeditione in Syriam, ad recuperandam terram sanctam, Regni sui curam & administrationem commisit viro strenuo, magnaque prudentia & fide conspicuo Bánebanño, eiq; vt & Reginæ & liberorum sedulo curam ageret, præcepit. Quod ille munus sibi cõmissum magno animo suscepit, eique qua potuit fide & diligentia præfuit. Verum plaudẽtis fortunæ successibus diu vti nõ potuit. Frater siquidem Reginæ Gertrudis è Germania in Hungariam profectus, apud sororem Reginam, vt eam ob mariti absentiam mœrẽtem consolaretur diutius hæsit: Cumque præfecti Regij vxorem, ob singularem, qua prædita erat, virtutem, assidue sibi adesse vellet Regina: deperire eam cœpit, egregia eius forma captus Reginæ frater, tãtoque amoris æstus persensit, vt eos restinguere nulla vi vel arte posset, adeoq; morbum sibi ex affectus vehementia ingruere animaduerteret. Reginã fratris sui morbum vbi cognouit, ei quouis modo succurrẽdum esse putauit, sed viam certiorem nullam esse putauit, quam vt iuuenis voti sui

compos

compos redderetur. Itaque sæpius eum præsente matrona illa ad se vocauit, causam illis colloquendi vndequaq; desumptam præbuit, composito etiam sæpe secessit, vt ijs sine teste & arbitro colloqui liceret. Verum vbi ad omnes illecebras & insidias generosum honestissimæ matronæ animum inuictum esse animaduertit Regius iuuenis, tandem conceptis animo furijs in remotiore conclaui, in quod astu Reginæ deducti fuerant, vim corporis eius intulit. Quam illatam sibi iniuriam matrona animo ferens iniquissimo, vt primum domum reuersa est, grauissimis querelis marito suo exposuit. Nam cū eam pro more amplecti maritus vellet, illa amplexum eius fugiens, Quid, inquit, mulierem me & incestam & execrabilem amplecti iustines? Non enim pudicam me coniugem aspicis, sed turpe prostibulum. Pollutum habes thorum iugalem, meque si vt castam tibiq; propriam vxorem amplecti velis, teipsum decipis. Hunc nempe fructum habemus Regiæ amicitiæ. Reginæ me meumque honorem credidisti, sed nefaria fraude fratri suo me stuprādam tradidit. Quanquam corpore contaminato cor innocens & purum gero. Verum licet non mihi, sed alienæ fraudi & malitiæ hoc meum dedecus imputandum sit, attamen vitæ longioris me tædet. Quare tu, quæso, manu tua me protinus interfice, ne mihi ipsi manus inferre cogar, & animæ simul iacturam faciam, labemque alicuius infamiæ tuo quoque nomini aspergam. Quibus verbis licet sæuissimam conciperet iracundiam vir generosus, dissimulato tamen dolore, quibus potuit verbis, mœstam coniugem consolatus est. Cumque illa cor pus morti vltro offerret, maritus eam amplexus, per fidem amoremq; cōiugalem obtestatus est, ne quid grauius in seipsam decerneret, iniuriamq; suitæ sibi illatam tegeret, se capturum occasionem, qui exemplum satis horrendum in auctorem huius flagitij statuat. Quibus alijsque pluribus verbis cum aliquo modo animum turbatæ coniugis sedasset, furorem tacite conceptum nō diu frænare potuit. Nam paulo post assumptis aliquot comitibus in Regiam progressus, Reginam, cum aperis prius verbis iniuriam coniugi suæ illatam ei exprobrasset, stricto gladio confodit. Quem stillantem sanguine manu tenens grauibus verbis testatus est, se animo prædeliberato, iustaq; de causa hac in Reginam vsum esse atrocitate, quippe quæ suæ coniugis pudicitiam nefarie polluerit. Cumque seditiosis animis plebs rumultuaretur, coram omnibus est professus, se nullam facti sui poenitere veniam, sed postridie, assumptis aliquot ex Procerum numero, ad Regem ipsum proficisci, eiusque iudicio causam suam subijcere velle. Nec mora adiunctis aliquot sibi comitibus Regē secutus est, quem Constantinopoli morantem inuenit, in cuius conspectum vbi prodijt, impauidus eū his verbis allocutus esse fertur: Tua fretus iustitia, Rex clementissime, huc in conspectum tuum prodeo: & licet multi me vt homicidam & latronem execrentur, attamen haudquaquam moliri fugam, aut tuū subterfugere iudicium volui, sed meipsum coram tibi fisto, æquissimi sanctissimique tribunalis iustitiam quærens, te accedo vt meū Dominum competentemque Iudicem, vt si quid deliquerim, protinus te Iudice pœnam subeam. Reginam vxorem tuam, cui thesaurum preciosissimum vxorem meam vt ministram credideram, quam Regina fratri suo stuprandam obtrusit, hoc gladio occidi. Mori siquidem præstabat, quam talem ferre iniuriam & contumeliam. En hic Iudex iustissime, gladius est tuæ cōiugis sanguine pollutus. Quod si facinus minus tolerandum commisi, eodem e vestigio me rursus interficito. Sin autem agnoscis nihil à me aduersum iustitiæ commissum esse, tu me vt iustus Iudex tua sentētia absoluito. Quę tua iustitia apud omnes gentes erit memorabilis, eaque fretus coram tua maiestate hic apparco, meamque ipsemet causam in medium profero. Hæc Præfecti sui verba magno constantique animo Rex audiens, nec vultum

quidem aut oculos immutauit, & animo nihil perturbato, Tua, inquit, Banebanne, fiducia, qua iusto meo iudicio te tuamque salutem commitis, nequaquam te fallet. Quare in regnum meum reuertere, & munus à me tibi commissum sedulo administra. Vbi domum & ego reuersus fuero, causa penitius cognita sententiam feram. Quibus dictis Præfectum in Hungariam remisit, ipse expeditioni Asiaticæ intentus. Reuersus deinde in Regnum, & à Primatibus Hungariæ, omnibusque ciuibus gratulabundus exceptus, licet coniugis suæ interitu grauiter turbaretur, à constantia tamē animum nequaquam dimoueri passus est. Banebanno enim statim diem dixit, cognitoque coniugis suæ scelere sententiam tulit: iuste sibi videri vxorem interfectam esse, Præfectumq; ab omni pœna liberum pronunciauit.

Clodij Pulchri filius.

Filius Clodij Pulchri, præterquam quod eneruem & frigidam iuuentā ageret, perdito etiam amore vulgatissimæ meretricis infamis fuit, mortifque erubescendo genere consumptus est. abdominē enim auide deuorato, fœdę ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit. Val. lib. 3. cap. 5.

Hannibal Cāpana luxuria perditus.

Inprimis scelesta fuit Catilinæ libido. Nam vesano amore Aureliæ Orestillæ corruptus, cum vnum impedimentum videret quo minus nuptijs inter se iungerentur, filium suum, quem & solum, & ætate iam puberem habebat, veneno sustulit, protinusque ex rogo eius maritalem facem accendit, ac nouę maritæ orbitatem suam loco muneris erogauit: eodem deinde animo ciuem, quo patrem egerat: filij pariter manibus, & nefarie attentatæ patriæ pœnas dedit. Valer. lib. 9. cap. 1.

Volsiniū caput Hetruriæ.

Campana luxuria inuictum armis Hannibalem illecebris suis complexa vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorū fragrantia, Veneris vsu lasciuiore ad somnum & delicias euocauit. ac tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cū Sepiasia ei & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitijs fœdius? Quid etiam damnosius: quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in ii. famiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur.

Erkembaldus in sororis suæ filium grauiter animaduertit.

Volsinienses è summa fœlicitate per luxuriam in profundum iniuriarum & turpitudinis prolapsi sunt, & à seruis oppressi.

Semiramidem à Nino filio interemptam produnt, quod eius concubitum & congressum optasset, quæ prius equi amore flagrauerat. Iust. lib. 1. Cæl. lib. 12.

Fabricianus matrem Fabiam interfecit, quod illa Fabium Fabricianum maritum suum occidisset, vt liberius adulterium cum Petronio adolescente committeret. Auctor est Dositheus apud Plutarchum.

Tiso de Campo in matrē seuerus.

Erkembaldus Brabantus, vir nobilitate insignis ac præpotens in Germania, cum grauī valetudine laboraret, & à cubiculo strepitum exaudiuisset, quo resonare ædes videbantur, eius rei petijt causam, & cum tandem accepisset, sororis suæ filium, vim cuidam mulierum domesticarum voluisse inferre, vehementer indignatus, ministris imperauit, vt neporem suspenderent, quod cum ministri agere distulissent, dissimulauit dolorem, quoad iuuenis arbitratus auunculum rei immemorem factum, cubiculo cœpit obuersari. Itaq; conspectum in cubiculum ad se vocauit, lætumq; simulans assidere sibi iuuenem coegit, & altero brachio cum complexus, altero gladiū, quem habebat, clam eduxit, ac iugulauit. Fulg. lib. 6. cap. 1.

Otho seue-

Tiso de Campo sancti Petri cum matrem Conizam in adulterio cum Aymo Burgundione deprehendisset, hortante matris fratre Marsilio Carrariensi, ambos occidit. Quod sane facinus ad feritatem magis, quam ad vllius laudandæ rei decorem accedere iudicari debet. Ibidem.

Otho primus Imperator cum expeditionem militarem crebrius duce-

ret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier, querens quod per vim passa esset stuprum, ac rogãs iustam legum vindictam. Imperator vero ob festinationem, ad reditum suum reijciebat legis executionem. At mulier vicissim: Quis tum, inquit, tibi Rex, hanc tam atrocẽ mihi illatam iniuriam in mentem reuocabit? Tum ille suspiciens in proximam Ecclesiam: Hęc inquit, erit testis inter me & te, & in signum iustæ vltionis. Sicque illam dimisit, ipse vero cum suo comitatu progressus est. At cum pedem rebus in Italia pacatis referret, ac videret Ecclesiam, recordatur simul delatæ querimoniæ. Iussit itaque aduocari mulierem. Quæ cũ statim aduolasset ad Regem, sic eum alloquitur: Serenissime Rex, vir de quo sum olim questa, nũc meus est maritus, peperiq; ex eo, & iniuriam aboleui. Non sic, inquit Rex, per Othonis barbã, sentiet dolabrum. Nam inter vos facta collusio sacris Legibus non imperat, iussitq; virum securi percuti. Crantz. lib. 3.

re in adulterum animaduertit.

Comes quidam in venatione rusticam puellam vi compresserat. Pater Carolo Burgundo Duci facinus indicat, neque tamẽ auctorem nominare potest. Dux mane suos omnes eodem quo pridie habitu indutos adesse iubet. Parent illi. Puella ex vestitu & equo corruptorem agnoscit. Dux seueris obiurgatũ verbis rusticam splendide vestitam in vxorem ducere cogit. Mox in ius raptum, ob vim ingenuę illatam capitali supplicio afficit, patrimonio Comitis in alimenta quoad viueret puellæ concesso. Seueritatem tantam non obscure pleriq; aulicorum reprehendebant, quod matrimonij disparitas per se satis supplicij videretur esse. Quibus ille: Priuata iniuria priuato, inquit, at publica supplicio fuit eluenda publico. Cyriac. Spangenberg de recto venationis vsu.

Carolus Burgũdus in Comitẽ animaduertit.

Temporib. Constantij, Acindinus Antiochię præfectus cũ quendã librę auri debitorẽ fisci exigeret, cõminatus est si certo die, quẽ cõstituerat, memoratũ aurũ non exolueret, fore vt occideretur. Itaq; cũ ille teneretur in mani costodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus immine re & propinquare cœpit. Et forte habebat vxorẽ pulcherrimã, sed nullius pecuniæ, qua subuenire posset viro. Cuius mulieris pulchritudine cũ quidã diues esset accensus, & cognouisset maritũ eius in illo discrimine cõstitutũ, misit ad eã, pollicens pro vna nocte, si ei misceri vellet, se auri librã daturũ. Tum illa, quæ se sciret nõ habere corporis sui potestatẽ, sed virũ suũ, pertulit ad eum, dicens, paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse coniugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquã de re sua pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & vt id fieret, imperauit, nullo modo iudicãs adulterinũ esse concubitũ, quod & libido nulla, & magna mariti charitas, se iubente & volente, flagitaret. Venit mulier ad villam illius diuitis, fecit quod voluit impudicus: Sed illa corpus nõ nisi marito dedit, non concumbere, vt solet, sed viuere cupienti: accepit aurum. Sed ille qui dedit, fraude subtraxit, quod dederat, & supposuit simile ligamentum cũ terra. Quod vbi mulier iam domi suæ posita inuenit, prosiluit in publicum eadẽ mariti charitate clamatura, quod fecerit, qua facere coacta est: interpellat præfectum, fatetur omnia, quam fraudẽ passa esset ostendit. Tunc vero præfectus primo sibi reus, quod suis minis ad id ventum esset, pronunciat tanquam in alium sententiam diceret, de Acindini bonis auri libram fisco inferendam, illam vero mulierem dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepisset, induci. August. de sermone Domini in monte.

Vir opulentus fraude decepta pauperculã stuprat.

Nobilis quidam cum hostem suum cepisset, captiui vxor, redimendi eius gratia ad nobilem profecta est, qui maritum se ei redditurum pollicetur, quatenus illa secum cõcumberet. Mulier pudicitiæ studiosa oblatam sibi conditionem marito indicat, qui libertatem sperans hortatur eam, vt voluntati Nobilis acquiesceret. non enim illud illicitæ libidinis facinus,

Caroli Burgũdi iustitia in punienda libidine & homicidio.

sed coniugalis amoris indicium fore. Verum nobilis homo nefarius expleta libidine captiuum capite truncari præcipit, cadauer deinde viri miserę deceptæ mulieri tradit. Quæ de hac iniuriæ atrocitate apud Carolum Burgundum Ducem queritur, is nobilem cogit vt mulierem duceret. Post solennem deinde coram Ecclesia coniugii renunciationem nobilem antequam cum noua nupta denuo concumberet, capitis item supplicio afficit, bonorumque eius omnium possessionem viduæ tradit.

Nefarium Ducis Hispani facinus.

Anno quadragesimo septimo supra millesimum, quingentesimum, cuius Comensis homicidij reus in vinculis tenebatur. Vxor eius egregia forma mulier de salute viri sui vehementer solicita præfectum oppidi Hispanum, qui captiuum tenebat virum, supplex adit, & quascunq; potest imprecandæ salutis marito suo rationes init. Cui ille facilem ei esse liberandi maritum viam, inquit, si suæ vellet parere libidini. Mulier intelligens non citra pudicitiæ suæ iactutam virum liberatum iri, magno cum animi dolore maritum de voluntate præfecti certiorem facit. Ille vitæ desiderio conciugi est auctor, ne occasionem oblatam reiiciat. Præfectus cum suam explesset libidinem, iubet præterea ducentos sibi numerari Ducatos. Quibus acceptis, cum certam de mariti libertate spē læta cōcepisset, Præfectus ille homo perfidus virum è carcere emissum, protinus in vincula reduci, & capite plecti iubet. Mulier mœstissima omnem rem, vt ordine gesta erat, primū amicis, deinde Duci Ferrariēsi Gonzagæ plorabunda exponit. Gonzaga execratus illud facinus præfectum nefarium ad se accersit, nequitiose libidinis & turpis perfidiæ accusat. Conscius iste flagitij supplex veniam petit, quam non impetrat.

Gonzagæ Ferrariensis iustitia.

Mandat enim Gonzaga primum, vt ducentos Ducatos mulieri viduæ centurio redderet, & septingentos coronatos adderet. Deinde accersito Sacerdote, mulierem Centurioni nubere iubet. Quo facto cum nouum ille cum noua nupta speraret concubitum, capitali supplicio afficitur.

Auitus præses Romanus erga Lucij Senatoris Treuirensis vxorem forma præstantem amore illicito inflammatus morbum simulabat, lectoque affixus à Senatorum vxoribus se visitari petijt. Inter quas cum & Lucij vxor aduenisset, Auitus voti sui compos factus per vim eam nihil mali suspicantem stuprauit. Paucis deinde elapsis diebus Auitus ab omni iā morbo liber cum forte Lucium obuium haberet, iocose ei vxoris timiditatem & stuprum exprobrauit. Balinium, inquiens, ô Luci tibi quidem est calidū, sed frigidus inde egrederis, vxorem innuēs ei quidem formosam esse, sed timidam. Quæ verba altius animo ponderans Lucius, Treuiros, allectis citra moram per clandestinas literas, Francis prodidit.

Auitus præses Romanus.

Victorinus tyrannus, qui Galieni temporibus Gallias rexit, præses Coloniæ Agrippinæ causa libidinum in matronas interfectus est.

Iohannes Anglicus VIII. eius nominis, puella Moguntina mentita sexum virilem & sumpto adolescentis habitu, cum amatore suo docto homine Athenas proficiscitur, promouetque plurimum in bonis artibus. Tandem Romam venit, semper dissimulato fœminæ sexu, ob excellentem doctrinam, qua illi tum Romæ pauci pares, nulli superiores erant, omnium suffragio in Pontificem eligitur. In Pontificatu à seruo compressa, diu occulte ferens onus ventris, proficiscitur ad Basilicam Lateranensem: interque theatrum quod Colloseum vocant, & S. Clementem, circumuenta doloribus peperit, eoque loci ex partu obijt. Et vt Pontifices viri detestari videantur mulieris Pontificis facinus, quando Basilicam Lateranensem petunt, ab ea platea declinant, tanquam à loco Pontificibus Romanis suspecto. Porro vt eiusmodi errorem in posterum caueruent electores Pontificij, ordinarunt, ne sedes Petri committeretur electo Pontifici, nisi ante Diaconus vltimus eius genitalia per perforatam sellam

Fœmina sexum virilē mentita ad Pontificatū euehitur.

sellam attrectaret, & testaretur electum Pontificem esse marem. Quod illi Pontifices, qui aliquot seculis post venere, simul ac ad Pontificatum aspirarunt, arte anteuerterunt, ne opus esset masculina eorum perscrutari. Tot enim in Diaconatu, Presbyteratu, Cardinalatu spurios progenere, vt mares esse nemo addubitare posset. Mantuanus lib.3. Balæus lib.4.

Constantinus Capitaneus, maximæ inter Hispanos virtutis & autoritatis, cum in direptione Genuæ ædes præteriret, in quib. tumultuantium militum audiebat strepitum, eas intrauit, vbi cum matronæ vim inferre miles pararet, protinus cum sua manu confodit.

Agathias auctor est, multos olim ex Philosophis Ægyptiorum detestatos libidines, quippe apud quos citra discrimen filij matribus, patres filiabus miscerentur, relicta Ægypto in Græciam abijsse. Vbi cum incidissent in cadauer hominis, quod insepultum in agro iacebat, moti misericordia id terra cooperuerunt. Verum postridie idem corpus è terra egestum offenderunt, quod cum denuò terræ mandare vellent, spectrum ijs apparuit, ne terra cooperiatis, inquiens, corpus illud, quod heri à vobis sepultũ fuit, nec enim dignus est, quem terra tegat, qui cum matre sua concubuit. *Ægyptiorũ libidines.*

Ducis cuiusdam vxor, cum diuersas simul exarasset literas, alteras quidem ad Ducem maritum suum, alteras vero ad amatorem, casu accidit, vt literæ amatori reddendæ in ipsius Ducis manus deuenirẽt: qui cognito inde vxoris suæ scelere, simul ac domum reuersus est, sua eam manu occidit. *Literarum error.*

Annis abhinc non ita multis, quidam è vulgo cum filiam suam fecisset grauidam, maref & mariti & filiæ scelus & dedecus celare volens, infantulum è filia natum interemit. Quod flagitium vbi innotuit, omnes simul digna suæ turpitudinis & sceleris pœnas sustinuere. *Incestus.*

Vlmæ honesti ciuis impudica vxor, sæpe quidem, sed frustra, à marito, vt morum vitæq; probitatem amplecteretur, admonebatur. Tandem simulato discessu maritus, clam sub vesperam ædes ingressus, sub gradibus latuit. Famulas heræ libidini inseruientes, in luxurioſi conuiuij apparatu occupatas esse animaduertit, mox etiam amatorem ędes ingredi, & ab adultera blande excipi, animo exacerbato conspicatus est, dissimulato tamen dolore, donec peracta cœna, cubile peteret, ibi delituit, tumq; prosiliens, simul cum adultera irrupit, interfectoq; adultero, vxorem quoq; occidit. Magistratus iustam viri indignationem fuisse iudicans, eum à pœna immunem esse voluit. *Adulterũ homicidio vindicatũ.*

In bello Mediolanensi, Gallus quidam viri nobilis & honesti hospes, cœpit cum vxore eius liberius colludere, & inhonesta ab ea flagitare. Mulier indicat hæc marito suo, ego, inquiens, conuiuium apparabo, illiq; dabo potum soporiferum, tu vide, vt fortiter eum occidas. Quæ res ita successit. Nec disputatio est de Iure. Mulier honeste fecit, & vir generose & fortiter illum occidit. *Galli libido punitur.*

Anno supra sesquimillesimum sextum, circa festum Natiuitatis Christi, Iuris quidam Doctor & Aduocatus Constantiæ, Procuratoris aulici vxorem amabat. Procurator cum eos vna in balneo collusisse resciuisset, simulans negotia, & discessum, eos in balneo in vicinæ anus domo rursus conuenisse comperit, assumptaque dentata strigili in eos irruens, Doctorem ita depexum reddidit, vt oculis è fronte euulsis totaque cute & genitalibus laceratis, triduo post moreretur. Nec minore deinde sæuitia ergà vxorem vsus est, quam quo minus ad necem vsq; dilaceraret, prohibebat fœtus, quem ferebat vtero. Horrendis sane pœnis Deus iudex iustissimus in hac etiam terra persequitur adulteria, multo grauioribus post hanc etiam vitam ea affecturus, nisi vera pœnitentia eluantur. Chron. Casp. Hedion. 4. part. *Doctor Iuris vxorem Procuratoris amat.*

Anno supra millesimum quadringentesimum, octuagesimo octauo, sacrificulus *Sacrificus*

ob libidinem castratur.

crificulus pudicitiæ cuiusdam matronæ tandiu insidiatus est, donec ei cõcumberet, Fœminæ istius maritus cum id resciuisset, serio minatus est sacrificulo, se deprehensum eum denuo castraturum. Paulo post cum ædes viri huius præteriret sacrificulus, mulier, re cum viro communicata, blandis eum verbis intra ædes pellicit, qui velut victima, quæ ad aram ducitur, mulierem in conclaue sequitur, ignarus paratæ sibi fraudis. Vix conclaue ingressus fuerat, cum maritus stricto gladio prosiliens, sacerdotem interminabundus hortatur, vt se dedat, & castrari se, quemadmodum minatus ei fuisset, patiatur: Sacerdos quanto in periculo versetur, animaduertens, timore in furorem verso, gladium è manibus viro extorquet, constrictumque adigit ad iusiurandum, quo impunitatem sibi promittat. Sacerdos fidem habens promissioni eum missum facit, gladiumque in mensam reponit. Maritus, cum periculũ euasisset, iurifiurandi immemor, rabieq; efferus, ensem rursus corripit, sæuius quam antea, in sacerdotem irruit, & intentata ferri acie cogit, vt manus in tergum reiectas vxori constringendas præberet, quo facto, & manus & pedes lecti, cui eum iniecerant, fulcris quatuor fortiter alligant, marituſq; , vt interminatus fuerat, testiculos ei eximit, deniq; iureiurando astrictum quotannis denos florenos sibi numerare, nec vlli hoc facinus reuelare cogit. Hunc ad modum exceptus & tractatus sacerdos, domum tristis reuertitur, & in lectum sese clinat, mortem expectans, qua tamen euitata conualuit. 4. parte Chron. Casp. Hedion.

Canonicus pistoris vxori cõsuescit.

Canonicus quidam puellam, quam à teneris educarat, pistori cum elocasset, quotidie ædes eius frequentans, maiori quam decebat humanitate, vxori pistoris se insinuabat. Maritus fraude intellecta, ad ædes suas itare Canonico interdixit. Quod ille floccifaciens mariti abtentiam obseruabat, & pro sua consuetudine adulteræ se adiungebat. Tandem Pistor iter sese alio facturum, frumentumq; diuenditurum simulat, interius in abditum domus locum se abscondens, ex quo facile, quid rerum in ædibus gereretur, obseruare posset. Nec mora adulter ingreditur, & accumbens iuxta adulteram genio indulget. Pistor, cum videretur esse commodum, importuno aduentu in eos irruit. excitato clamore vicinos conuocat, deprehensumque adulterum in carcerẽ compingi curat. Cæterum Capituli auctoritas effecit, vt impuniti dimitterentur, tam adulter quam adultera. Qua iniuria exasperatus Pistor, diuenditis omnibus suis bonis, ex oppido illo discedit, seque palam totius Capituli hostem profitetur. Duo anni iam elapsi erant, cum in pagum quendam, vbi celebrabantur encænia, Canonicus animi gratia se conferret, quod vbi resciuit pistor, adiunctis sibi duodecim viris, subitaque in pagum facta impressione Canonicum occidit.

Cædes ob adulterium patratæ.

In Voitlandia quatuor cædes simul patratæ sunt causa adulterij. Nam cum amatores vna cum adultera secure conuiuarentur, maritus correpto venabulo in hypocaustum irruit, eumq; qui proximus assidebat adulterę, occidit, reliqui duo consternati terga vertunt, & è sublimi, vt vitæ consulerent, saltu se demittentes, ambo fractis ceruicibus extincti sunt. Deinde adulteram quoque vxorem confodit. Retulit Martino Luthero VVolfius Schrenck.

Adulteriũ atrociter vindicatũ.

In ciuitate quadam Germaniæ, quidam patricio natus sanguine cum alterius ciuis vxore clam rem habebat. Ciuis id persentiscens simulato discessu clam in ædes rediit, & in ornithotrophio sese abscondit, ibiq; cibi potusq; expers, latitans quid rerum domi suæ ageretur, attente obseruauit. Circa meridiem adulter adest, cum adultera ex animi sui sententia poculis libidiniq; indulget. Quæ prandij, eadem & cœnæ ipsis est ratio, qua peracta, in cubile ambo se conferunt. Ibi maritus prorumpens primo

culinam

culinam ingreditur, sitiq; cõfectus vrceum tollit, vt aquæ hausto sitim sedaret. Cumq; furoris & indignationis plenus, vrceum incautius reponeret, strepitum excitauit, quo audito adultera surgens ancillas inclamauit. Cum autem omnia rursus silere animaduerteret, ad adulterum reuersa est. Interim hypocaustum vir ingressus est, seq; galea & thorace muniuit, mulier audito armorum strepitu rursus surrexit, hypocaustumq; ingressa, quis ibi strepitus excitetur, interrogat. Tacente vero marito cubiculum rursus petit, in quod simul cum ea maritus irruit, primoque adulterum, quamuis fortiter resistentem, & venabulo, quod lecto adiunctum habebat, sese tuentem, interficit. Deinde ad vxorem conuersus, quæ sub lecto latitabat, Prodi, inquit, adultera, vel isthic iacens à me confodieris. Quæ prorepens cum virum nullis precibus flectere posset, Quæso, inquit, parcas mihi, donec & peccata mea sacerdoti confitear, & Sacramenti participem fiam. Ergone ex animo, inquit ille, doles ob admissum scelus? Doleo, respondet vxor: Quo audito verbo, citra moram gladio eam confodit maritus, adulteramq; adulteri adiungens lateri inde discedit. Cumq; ab omnibus passim hoc viri facinus probaretur, facilis illi in vrbem factus est reditus: consuluerunt autem ei amici, vt diuenditis omnibus inde emigraret, propter interfecti amicos. Ex Colloq. Lutheri.

Cardinalis cum ciuis vxore mœchatur.

Cardinalis quidam cum ciuis vxore illicitam habebat consuetudinem, conniuente ad id, imo subseruiente marito. Quam turpitudinem ægerrimo ferens animo mariti frater, Cardinalem è medio tollere animum induxit. Cum itaq; apud adulteræ maritum cœnam apparari lautam Cardinalis iussisset, alijsq; deinde impeditus negotijs, comparere minus posset, tandem moræ pertæsus maritus, cum vxore adultera lectum petit Cardinali paratum. Absconderat autem sese in ædibus mariti frater, ratusque Cardinalem cum vxore fratris concumbere, sub intempestam noctem in cubiculum irruens fratrem imprudens cum vxore adultera occidit. Mane cum errorem suum intellexisset, antequam volũtarium susciperet exilium, per sacerdotem quendam veneno necari Cardinalem curat.

Comes à Cancellario suo occiditur.

Comes quidam illustris, & inter cætera quidem vir præclarus, sed libidini seruiens, Cancellarium suum alio amandabat sub prætextu quidem negotiorum, reuera autẽ vt liberum ad eius vxorem haberet aditum: Cancellarius fraudem præsentiens clam domi remansit, Comitemq; in adulterio deprehensum, de improuiso telis obruit & occidit.

Vir quidam magnæ auctoritatis & eruditionis in sacerdotũ collegium cum adoptatus esset, in lapicidæ cuiusdam vxorem illiciti amoris flamma deperire cœpit. Cumq; celebrata horis matutinis Missa aliquando ad adulteram pergeret, deprehensus ab eius marito, & occisus est. Meminit huius Lutherus in epistola quadam consolatoria ad Lucam Kranach consulem.

Narrant Reginam quandam inexhaustæ & probrosæ libidinis mulierem cum multis egregiæ formæ iuuenibus ad se pellectis rem habuisse, qui deinde incauti de pensili ponticulo in flumen, quod subter cubiculum labebatur, præcipitabantur, qua fraude omnes suos amatores interficiebat, & turpitudinem suam occultabat. Tandem à Regina accersebatur quidam Burgauis nomine, qui cum exitium eorum, cum quibus Regina rem haberet, præsensisset, constituit, vt nonnulli ex amicis in flumine natum paratam haberent, sibiq; periclitanti succurrerẽt. Quod cum factum esset, Burgauis liberatus plurimas aues cœpit aucupio, quas rursus liberas dimisit, cum annexuisset singulis schedulas, quibus inscriptum erat: Reginam ob nefanda adulteria, homicidiaque immania, mortis supplicio afficiendam.

Caiassy Haueci minoris Armeniæ, in regno Turcico præfectus filiam

Belerbey præfectus Turcicus ob illicitū amorem interficitur.

habebat forma præstantissimam, quam cum deperiret præfectus summus Belerbey, nec vlla fraude sui voti compos fieri posset, tandem fraudulenter venationem instituit, inter ciuitates Carachmit & Meridim, Caiassyq; præfecto, qui in ciuitate Meridim morabatur, denunciat se post venationem apud ipsum velle diuertere. Aduenies sub vesperam, perhuman iter exceptus cum esset, iijs blāditijs filiam præfecti amplexus est, & cum ea tum ante cœnam, tum in cœna sic locutus, vt facile improbum eius desiderium puellæ pater agnosceret. A cœna deinde choreas instituí & duci petijt, quòd cum facile impetraret, ipseque cum puella adamata minus decenter & honeste saltaret: pater Caiassy, trecentos viros ante palatium in armis esse, hospitisque mores obseruare iussit. Ductis choreis, cum hora dormiendi iam ingrueret, petijt Belerbey à Præfecto Caiassy, vt filiam sibi concumbere iuberet. Quod cum ei perhumaniter negaretur, minabundus inquit Belerbey ad puellæ parentem, nisi meæ voluntati acquieueris, te extractis è corpore neruis interficiam, canibusque deuorandum obijciam, tum filiam vilissimis seruis, quos captos habebo, concubinam subijciam, simulque ad matrem conuersus, vt puellam sibi adducat præcipit. Ad quam necessitatem redactus Caiassy, arreptum ex vehementi indignatione pugionem in viscera Belerbey adigit, eoq; prostrato, trecentos qui in armis erant, famulos Belerbey, quorum erant sexaginta, trucidat. Quo commisso facinore, Caiassy præsidijs munita vrbe Meridim cum magno equitatu ad regem Sophi in Persidem contendit, eiusque implorato auxilio ei sese & vniuersam dedit regionē. Vnde non exiguæ vires regno Turcarum decesserunt. Anno quadragesimo supra millesimum quingentesimum.

Mvrox adulteri pœna.

In Thuringia quidam nobili prognatus genere, vir magnæ auctoritatis & existimationis, Nobilem cum vxore sua in adulterio deprehensum atroci admodum mortis genere affecit. Manicis arctissime constrictum in carcerem coniecit, omniq; cibo & potu ei negato, quotidie carnes tostas & delicate apparatas apponi iussit, vt nidor vehementius edendi desiderium in eo excitaret. Quo cruciatu excarnificatus homo misertimus, humeros sibi ipsi, cum nec manus nec pedes ori admouere posset, mordicus abstumpsit, donec vndecimo die fame extinctus est. Quæ pœna nimium quidem atrocitatis in se habet, veruntamen certa & immota est regula: Atrocia scelera atrocibus puniuntur pœnis. Testatur Lutherus se puero hæc gesta esse, & vtrunq; nobilem sibi notum fuisse, quorum nomina honoris ergo supprimat.

Fœda cuiusdam libido.

Referebat aliquando Lutherus quendam magni nominis virum tanto libidinum pruritu arsisse, vt turpi ore hęc verba euomere non horruerit, ti perpetuo duraturam hanc voluptatem sciret, vt e lupunari in lupanar, de scorto ad scortum deportaretur, se de æterna vita nihil solicitum fore. Væ dementiæ & impietati. Qui homo fœdus, & nefarie libidinosus fœdam animam inter duo scorta exhalauit.

Clemētis Papæ filius.

Clementis Papæ filius illegitimo natus concubitu, Dux Florentinus, vxoris, quam duxerat, tædio odioq; affectus, mulieris sibi cognatæ pudicitiæ insidiabatur. Illa marito suo Ducis amorem & incestum, quē animo agitaret, detegit. is dicta hora aduentantem Ducem obseruat, exceptumque ex insidijs occidit.

Sacerdos impius & libidinosus.

Prostratæ quidam pudicitiæ sacerdos, multas & virgines & matronas, vt sibi concumberent, sub nefario religionis prætextu induxit, afferens impietatis & hypocriseos plenam esse fiduciam, qua castitate & pudicitia sua potius, quam Christi gratia niterentur. Quibus verbis alijsq; pluribus complures ad turpe stuprum pellexit. Quo eius scelere detecto, cum & ipse quoq; illud confiteretur, capitis supplicio affectus est.

Anno

Anno quinto supra sesquimillesimum Episcopus quidam nefaria libidine infamis, cum multis se contaminasset adulteriis, tandem à Sutore in adulterio deprehensus confoditur. Insignis eius Episcopi fuit eruditio & eloquentia. In Imperij comitiis non sine admiratione diuersarum gentium & linguarum legationibus Imperatoris nomine respondere solebat. Nam Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, Germanicę, Polonicę, Latinæ linguæ peritiam habebat eximiam. Eodem anno Episcopus Heydelbergæ lupanar ingressus in profundam cellam ex insidijs periculo hoc ipsi subornato decidit, fractisq; ceruicibus est extinctus. Episcopi isti in fœdissimis peccatorum sordibus interiere. Ex relatione Lutheri.

Episcopus à sutore confoditur.

In Comitijs Augustanis quidam Pontificiam professus sanctimoniam dicere non horruit, se ratione suæ conscientiæ malle vel centum fouere concubinas, quam matrimonali fœdere vxorem sibi iungere. Histor. Eccles. Caspar. Hedion. lib. 8. cap. 49.

Meminit Franciscus Petrarcha Cardinalis cuiusdam, qui eo fuit ingenio, vt singulis noctib. nouam sibi concubinam posceret, vsusq; est ad fœdum hoc ministerium opera impuri serui, qui pauperiorum domos frequentans donis pollicitationibusq; subinde fœtido & edentulo hirco, qui iam esset septuagenarius, nouam prædam venatus est.

Cardinalis libidinosus.

Horrendum, facinus in Gallia nostris temporibus patratum esse fertur à Monachis Franciscanis, qui honestam matronam in templo conclusam dum hoc ministerium opera impuri serui, qui pauperiorum domos frequentans donis pollicitationibusq; subinde fœtido & edentulo hirco, qui iam esset septuagenarius, nouam prædam venatus est.

Horrendum, facinus in Gallia nostris temporibus patratum esse fertur à Monachis Franciscanis, qui honestam matronam in templo conclusam fœdissima libidine ad stupra per dies aliquot rapuerunt, tandemq; ne sceleris emanaret, noctu interfecerunt. Deo autem sic prouidente quidam in templo tum delitescebat à Monachis non obseruatus. is cum flagitium illud Magistratui reuelasset, Monachi ante fores monasterij suspensi sunt, monasteriumque in fauillas redactum.

Alexander Persepoli, quæ metropolis erat Imperij Persarum, direpta, thesaurisque non æstimandis congestis, in compotatione ebriosa & lasciua amicis se socium præbuit, in quam etiam scorta ad amatores suos commessatum venerunt. Quarum nobilissima Thais genere Attica, Ptolemæi eius, qui deinde Rex fuit, meretrix, partim scite laudans Alexandrum, partim iocis alludens, per ebrietatem in ea prolapsa est verba, quæ patriæ ipsius moribus cõsentanea, grauiora tamen, quam pro conditione mulierculæ fuerunt. Pulcherrimum, inquit, inter res omnes esset, quas Alexãder in Asia gessit, si ipse Rex inita nobiscum saltatione ludicra Persepolis regiã incendio absumeret? vt res nobilissima apud Persas, manibus fœminarum breui temporis spatio deleta prorsus diceretur. Exceptus est hic sermo à iuuenibus, & qui per temulentiam parum quid deceret, possent prospicere. Itaq; vnus agendum id ipsum, incensosque torres afferendos exclama uit. Commissa in Græcorum sacras ædes impia facinora, vt omnes vlciscerentur, admonebat. Comprobarunt hanc sententiam & cæteri, tantumq; opus Alexandro soli conueniens esse dicebant. Non defuit cœpto rex amicorum sermonibus incitatus. A potatione igitur exultantes, pro parta victoria festiuitatem Liberi patris se velle agere prædicabant. Subitoque magna lampadum vi allata, & musicis mulieribus, quæ in conuiuio erant, accitis, rex primus in Pompam cum cantu, tibijs & fistulis progressus est, meretricula Thaide rei totius auctore & duce, quæ prima à rege ardẽtem titionem in regiam coniecit. Idem cum à reliquis factum esset, cito ob ingentem flammam excitatam combusta est tota Regia, cuius simile opus in toto Oriente non fuit. Cuius facti Alexandrum discussa crapulæ nebula mox pœnituit.

Thaïs autor incendendæ Regiæ Persepolis.

Carolus Gibbosus cum ingressus Italiam Neapolim occupasset, Duces quidam in domo Principis, honestarum & nobilium matronarum pudicitiæ insidiabantur, de qua ducum libidine viros suos, qui secesserant in

Galli in conuiuio trucidantur.

arces, illę certiores fecerunt. Qui clam in vrbem reuersi iubent vxores splendidum apparare conuiuium, in quo cum secure potarent Galli cum mulieribus, à viris subito interuenientibus interficiuntur, mulieres illæsa pudicitia viros suos inde fugientes optata fuga comitantur.

Princeps libidinosus calide à puella decipitur.

Cum per Burgundiam iter faceret Princeps quidam totus libidini deditus, apud hospitem diuertit, cui filia erat forma præstantissima, quam cũ monerent parentes, vt pudicitię suæ rationem habens apud vicinorum aliquem latitaret, illa parentes bono animo esse iussit, se enim curaturam, ne fraus vlla fiat suæ pudicitiæ. Interea dum Princeps aduenit, ornat se virgo, venienti vltro obuiam procedit blandissimisque eum verbis excipit. Princeps ex primo statim intuitu amore eius exarsit, & in cubiculum abtinus vt erat peronatus, eam aggreditur, puella non admodum reluctata ministros dimitti petit, ne essent spectatores, deinde cũ sola esset, vt prius perones sibi detrahi patiatur, quam ad Venereum actum tendat, suamq; hac in re operam ei defert. Dominus assentitur, eiq; vtrunq; pedem porrigit. Puella cum ocreas ex vtroq; pede ad medietatem vsq; detraxisset, celeri cursu per posticum aufugit, apud ciuem quendam inscijs parentibus latitans. Princeps qui inuolutus ocreis puellam insequi non poterat, amorem in pietatem conuertit, parentes monet, vt filiam inquirant & accersant, sancte promittens, apud se eam de pudicitia nequaquam periclitaturam. Insuper etiam ei dotem amplam pollicetur. Reuersa itaq; puella protinus iuueni, qui amore eius flagrabat, despõdetur, & Princeps quater mille coronatos in dotem ei largitur, nuptiarumq; solẽnitati lætus ipse interest.

Triste adulteri fatum.

In ciuitate quadam non incelebri Chirurgus neglecta vxore sua alienam sectabatur. cumq; aliquando ad adulterã equitare animum induxisset, interrogatus ab vxore sua quonam tenderet, cum irrisione ei respondit, in lupanar se tendere. Quam verborum leuitatem ex iusto Dei iudicio Nemesis excepit. Nam cum apud adulteram ex animi sui sententia se oblectasset, equũ quem domum reuersurus conscenderat, in gyrum duxit, a quo excussus, altero pede habenis inuolutus pependit, pẽdentem equus, quasi œstro percitus per plateas raptauit, tantaq; vi caput eius saxis illisit, vt viam cerebro conspergeret, nec à cursu prius destitit, quam in lupanar delatus verba, qui impius sessor per leuitatem effuderat, impleret.

Sacerdos quędam Clauennæ, circa an. Dom. millesimum, quingentesimum, tricesimum tertium, Romanæ Ecclesiæ defensor acerrimus, filiã ciuis forma elegantissimam ad stupri cõmercium fæpe frustra solicitatã, simplicitate eius perspecta nouo astu circumuenit. Virginis Deiparæ simulachro vestem detraxit cæruleam, aureis insignem stellis, eaq; brachia pedesque velans, faciem linteo subtili tegens, ad patris caulam more suo statahora proficiscentem puellam expectat. Cui cum de improuiso apparuisset, blandis primum verbis alloqui, Lutheranæ religionis errores detestari, & ob innouandæ religionis studium multa mala vrbi impendentia predicere cœpit, eaq; vt ciuibus suis ordine recensęret, serio monere. Epilogi loco, vt ex præteritorum cognitione futurorum certitudinem colligeret, hoc addidit: Eam viro sancto & catholico hactenus non fuisse obsecutam: obsequeretur porro, diuinæ misericordiæ, & salutis propriæ consequendæ ergo, clam tamen & occulte, neq; enim margaritas porcis Lutheranis objciendas esse. Stulta puella reuelationem Mariæ virginis vrbi denunciat. Ciues triduano ieiunio pacem diuum impetrare studeant. Interea puella Parocho nequissimo morem gessit, falsæ religionis specie decepta. Cæterum eo scelere detecto Impostor capite primum plexus, mox igni absumptus est. Stumpfius lib. 10. Heluetiæ.

FOE-

FOEDITAS BACCHANALIORVM.

BAcchanalia sacra vberrimum apud cūctas ferme gentes libidinis seminarium fuere, quorum, vti testatur Herodotus, auctor fuit Melampus Amythæonis filius, primusque ad Græcos detulit ex Ægypto, vbi ea sacra fieri cœpere. Fœminæ statuas cubitales e neruis compactas, quibus ingēs mentula in ventre extabat, per pagos præeunte tibia circumferebant Bachum canentes. In Parnasso monte Bacchanalia, quæ Græcis Dionysia dicuntur, alternis annis acta sunt, magno cum hominum multorū incalentium clamore, tum tympanorum crepitu. Haud ita multo post, Græcus quidam homo ignobilis eiusmodi sacrorum antistes in Hetruriam venit, docuitq; ritus. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam penetrauit, vbi mirandum in modum morbi contagione matronarum pudicitiam corrupit. Primo sacrarium fœminarum fuit, nec quisquam virorum admittebatur, tres in anno statutos dies habebant, quibus interdiu Bacchis initiarentur, Sacerdotes inter se matronæ creabantur. Quum demum Paculla Minia Campana facta est Sacerdos, hæc omnia tāquam Deorum monitu immutauit: sane viros, & cum primis filios initiauit, nocturnumq; sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus, quinos in singulos menses dies initiorum sacros fecit. Tum promiscuo sacra viri fœminis permisti facere cœperunt. Vbi quum per noctis licentiā quiduis scelerum vnicuiq; edere liceret, nihil facinoris, nihil flagitij prætermittebatur; siquidem eo loci stupra pariter atq; cædes redundabāt, quando qui aut ad Venerē pigriores, aut dedecoris minus patientes erant, (nam postremo nemo maior viginti annis initiabatur) morte afficiebantur: nec id multis cognitum: quum nulla vox quiritantium præ vlulatu, tympanorum cymbalorumq; strepitu exaudiri posset, & mortui ex cōspectu ilico in specus abderentur. Summa religionis erat inter eos, viros velut mente captos, corporis iactatione fanatica vaticinari, matronas Baccharum habitu crinibus passis cum facibus ardentibus discurrere, & mactatos dici a dijs raptos. Verum ad extremum tantorum scelerum indicio a Fecenia ad Sp. Posthumium Albinū, & Q. Martium Philippum Coss. delato, religio pestifera extincta est, anno vrbis conditæ 568. Qua de re lib. 7. Ennead. 5. hunc ad modum scribitur:

Hispala quædā Fecenia ancilla Romæ quæstum corpore fecerat: mox libera vni P. Ebutio adolescenti pupillo animū adiecerat, sustētabatq; suis opibus, hæredemq; testamento, cōsuetudine capta, destinauerat. Ebutij mater nouum matrimonium secuta, ne administratæ tutelæ ratio sibi aliquando reddenda esset, vt quoquo modo illius indolem profligaret, matriti impulsu voto se eum Bacchis initiaturam ait. Iam enim sacrorū Bacchanaliū superstitio altas, licet occultas, Romæ radices egerat. Denunciat id Ebutius Hispalæ, vetatq; simul eam mirari, si aliquot secubet noctes, religionis causa id se facere, vt Bacchis recte initietur. Tum illa, Dij meliora, inquit, inde multa ijs mala imprecata, qui id suasissent. Satius sit, inquit, mihi & tibi mori, quam te officinā illam omnium scelerum subire, semel se sacrarium illud suæ dominæ comitem ingressam, at postquam libera fuisset, nunquam adijsse amplius, ob stupra & alia flagitia, quæ ibi perpetrati vidisset. Docuit ad hæc, pro hostia in occulto mactari, si quis turpia pati recusasset. Quibus territus adolescens, vrgenti matri negat se velle initiari. Tum hæc vitricusq; irati, Ebutium domo eijciunt, exprobrantes adolescenti meretricium amorem, quo implicitus, religionis causa non posset paucis ab Hispala noctibus secubare. Contulit se ille ad amitā suam Ebutiam, cuius auctoritate adolescens rem, vt ab Hispala acceperat, ad Posthumium Consulem defert. Patres cum rei atrocitate, tum periculo perculsi, ædilibus negotium dant, vt antistitem sacrorum in potestatē redigerēt: Triumuiri Capitales noctu prospicerent, ne qui in vrbe motus, aut cœtus

nocturni fierent. Proposito edicto, ne talium sacrorum causa in vrbe, reliquaue Italia conuentus vllus haberetur, magnus terror peruasit ciuitatē. Multi fugam molientes circa portas nocte, quæ secuta est, a Triumuiris capti. Multi etiam viri fœminæq; sibi scelerum conscij, mortem occupauere. Conspirasse supra septem millia virorum, fœminarumq; dicebātur. M. Catinius de plebe Romana, Falisçus Lucius Opiternius, & Ninius Cerinius (hi erant sacrorum antistites) cum omnibus qui stupris aut cædibus violati essent, aut testimonia vendidissent, capitali sunt supplicio affecti. Qui tantum initiati, in vinculis habiti. Mulieres stupro pollutæ, cognatis traditæ sunt, & iussum ijs, in quorum manu erat, vt more maiorum suo arbitrio in illas animaduerterent. Si qua erant, cuius idoneus vltor nō extabat, publice necata est. Consulibus inde datum negotium, vt Romæ ac tota Italia Bacchanalia diruerent. Indicibus Hispalæ & Ebutio singulis cētena millia æris ex publico data, additum vt Hispala ingenuo nuberet, nec fortuna, aut quod quęstum corpore fecisset, apud virum noxę illi esset, nec apud quenquam, quod ipsius indicio fuisset, in plures animaduersum: Vt Ebutio emerita stipendia essent, nec inuitus militaret.

DE ODIO ET INVIDIA DIABOLI erga coniugatos.

NIhil æque studio sibi habet Satanas, quam inter coniuges quouis modo rixas, iurgia, suspiciones, homicidia excitare. Qua de re fabula narratur hoc loco non aliena de anu quadam, cui diabolus par calceorum promiserat, si discordiam concitaret inter coniuges, quorum ipse animos distrahere frustra tentauerat. Illa seorsim primum vxorem compellat, varijsq; sermonibus suspiciones excitans & augens, eum alterius amoribus deditum esse ait, ipsiusque vitæ insidiari, porro consulit, vt nouacula clam secum in lectum reçepta, eum anteuerteret. Sic instigata vxore maritum petit, ijsdemque vſa querelis, Tua, inquit, vxor, alium, te posthabito, amplexatur, & vitam tibi eripere animum induxit. Cuius rei certum deprehendes argumentum, nouaculam in lecto sub puluinari eius reconditam. Hunc ad modum vtrinque exasperatis animis maritus nouaculam in lecto, cum inuenisset, protinus vxori fauces incidit.

Quocirca vere dicitur:

Non audet stygius Pluto tentare, quod audet
Effrænis Monachus, plenaq; fraudis anus.

Zelotypia coniugum.

Basileæ mercator quidam prædiues vxorem cum haberet honestissimā, ex Satanæ instinctu in Zelotypiam incidit. Cum enim tibialium ligamina byssina iam vetustate attrita abijceret, vxor ea arrepta famulo qui forte astabat, obiecit. is nihil mali suspicans ea grato animo accepit, tibijsque adaptauit. Inde protinus herus pessima quæque de vxore suspicari cœpit, Satanaque augente suspiciones, tandem in die Dominico, cum familia sacræ Concioni interesset, stricto ense in vxorem irruit, adulterij arguit, insontemque nulla excusatione audita interficit. Cædes vix patrata erat, cum ductus pœnitentia grauissimos dolores animo concipit, vitæque longioris pertæsus, in schedula perscribit, se ex Satanæ instigatione falsis motum suspicionibus vxorem innoxiam occidisse, ea ad sinistrum brachium alligata, e fastigio domus sese in plateam dat præcipitem.

Lantgrauius Thuringiæ Albertus vxorem habuit matronam honestissimam, Friderici Secundi Imperatoris filiam, ex qua duos sustulit filios, Theodoricum & Fridericū. Immemor deinde fidei coniugalis non solum factus est adulter, sed etiam vitæ coniugis insidiatus est. Itaque paciscitur cum mulione, qui aquam vehebat in arcem Isenacensem, vt eam interfi-

ceret

ceret. Ille promittit quidem hac in re suam operam Lantgrauio, interim Consiliario Dominæ rem omnem detegit, se metu mortis id promisisse testatus. Ex consilio itaq; præfecti, clam sese per funem demisit ex fenestra, non admodum alta, in subiectum scopulum, vnde occulte aufugere posset. delata in Francofordiam, cum ibi biennium in monasterio exegisset, mortua est. Antequam e cubiculo egrederetur, valedictura infantibus, maioris natu e filijs genas mordicus apprehendens notam ei dētibus impressit. Præfectus clamore infantis motus cum eam increparet: Putasne, inquit, me sine magno dolore animi posse discedere? relinquam filio notam discessus in genis. Filij isti cum adoleuissent, pater eos per seditionem ex Misinia eijcere voluit, sed patrem filij mutata fortuna eiecerunt, qui Erphordiæ in summa miseria & paupertate exul mortuus est.

Periander Corinthius Lysidem vxorem, alij Melissam scribunt, in pellicis gratiam interfecit, & sciens volensque cum Cratea matre concubuit. De hoc supra.

Procris existimans Cephalum maritum alterius puellæ amore incensum, eundem in syluas profectum secuta est, vt obseruaret, quidnam rerum ageret. Cum ergo in dumis delitesceret, ac vepres concuteret, Cephalus opinatus esse feram, sagittis eam confodit.

Vxor Æmylij adolescentis Zelotypiæ morbo affecta, dum suspicaretur maritum alterius puellæ rapi desiderio, in syluas profectum secuta est. Vbi quum ad explorandam rei veritatem in dumis & vepribus delitesceret, a canibus feram esse opinantibus, laniata est. Re cognita, Æmylius seipsum interfecit. Auctor Plutarchus, qui apud Sypharim Italiæ oppidum hoc commemorat factum.

Antiochus cognomento Theos, Rex Syriæ, ab vxore Laodice veneno interfectus est, ob inductam alteram Berenicen Ptolemæi sororem. Val.

Fabia Fabium Fabricianum maritum suum interfecit, vt liberius posset lasciuire cum Petronio Valentiniano liberali forma adulescentulo, quo cum adulterij consuetudinem habebat. Plutarch.

Albina Syriæ Regis filia duas & triginta habuit sorores, quæ totidē maritos interfecerunt, expulsæq; propterea in Britanniam venerunt, & a nomine Albinæ insulam Albionem vocarunt. Auctor Volateran.

Vxores maritorum interfectores.

Romæ olim cum maritos suos veneficijs interimerent complures mulieres, flagitium earum per seruam proditum est, centumq; & septuaginta mortis supplicio affectæ. Valerius.

Ptolemæus Philopator deuicto Antiocho Magno, insolentior factus cum pellicibus & concubinis adhæreret, ab vxore sua interfectus est.

Alexander Pheræus Thessaliæ tyrannus, cum vxorem Theben cuidam barbaro nudam plerunq; ostendisset, ab eadem factum ægre ferente, dormiens iugulatus est.

Publicia Posthumium Albinum Consulem, item Licinia, Claudium Asellum viros suos veneno necauerant, propter quod flagitium propinquorum decreto strangulatæ sunt: non enim putauerunt seueriſſimi viri in tam euidenti scelere longum publicæ quæstionis tempus expectandum. Valer. Max.

Antoninus Verus Imperator perijt veneno a Lucilla vxore propinato, ob Fabiæ consuetudinem, ad quam frequenter itabat.

Calpurnius Bestia dormientes vxores veneno peremit. Auctor Plin.

Galeotus Foroliuij Princeps, Iohannis Bentiuoli filiam duxit in vxorē. a quo dum sperneretur puella, simulata ægritudine ficarios subornauit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt. Volater.

Andreas Caroli Hungarorum Regis filius, Iohannam Siciliæ & Apulię Reginam duxit. Illa vero cum superba, inquieta, & inconstans esset mu-

Andreas Rex ab vxo

lier,

re strangulatur.

lier ex Satanæ instinctu virum fune serico strangulatum ex fenestra semi-necem præcipitauit. Quæ furoris Satanici tristia sunt exempla, quę animo agitantes, quicunq; ad matrimonium animum applicăt, diuinum aduersus Satanæ malitiam & insidias auxilium sedulo implorabunt.

Chilpericus Francorum Rex, repudiata, & demum interfecta vxore sua, pia & pudica, Galfodda, improbam & impunicam duxit Fredegondam, Athanaidis Hispaniæ Regis filiam, a qua perfide structis ei insidijs tandem hac occasione neci datus est. Amabat Fredegonda Landericum præfectum prætorio. Quodam autem die accidit, vt venatum egressurus Chilpericus, antequam equum conscenderet, tacitus Reginæ cubiculum ingrederetur, eiusque tergum ferula, quam manu tenebat, per iocum blande feriret. Illa Landericum adesse rata, antequam respiceret, Cur, inquit, verberas me Landerice? Quæ verba audiens Rex vehementer animo turbabatur, Reginamque de adulterio suspectam habere incipiens, ira dissimulata, tacitus recessit, & venatum, vt constituerat, exit, deliberaturus interim, quid in hac causa agendum sibi esset. Regina autem cum intellexisset, Regem ipsum præsto adfuisse, & verba, quibus Landericum nominasset audiuisse, suæ & Landerici vitæ timens, cum Landerico consilium init, de Rege trucidando. Nec mora, noctu cum rediret a venatione Chilpericus, lapsus in insidias a Landerico obtruncatur in saltu quodam, Fredegondæ coniugis abominando scelere.

Ludouicus Thuringiæ & Hassiæ Comes, cognomento Saltator.

Henrico Quarto Imperij habenas administrante, Fridericus Palatinus in Meridionali Saxonia arcem Schiplitz incoluisse fertur, cuius vxor Adelheidis, mulier coniugalis fidei & amoris parum memor, maritum exosa Ludouici Thuringiæ & Hassiæ Comitis amore exarsit, cum quo clam colludens, consilium init de interficiendo viro suo, vt Comiti Ludouico nuberet. Iubet itaq;, vt Comes constituto die prope arcem Schiplitz in finibus ditionis mariti sui venationem instituat, tum se curaturam, vt imparatum & inermem sibi obuium habeat Fridericum maritum, quem tum sine labore & periculo obruere, & e medio tollere possit. Placet consilium Comiti Ludouico, qui die constituto venatum exit, & alieni dominij ius petulanter sibi vsurpat. De industria eodem die balinium adultera apparat, quod cum ingressus esset Dominus, ipsa audito venatorum clamore indignationem magnam simulans ad herum festinat, & iracunde exclamans, Tu, inquit, otiose curans pelliculam in balinio desides, omissa Reipubl. tuendique tui iuris cura. En Comes iste Thuringiæ quam superbe & petulăter tibi insultat, intra territorij nostri fines proxime arcem feras insectans. Quibus verbis exasperatus Fridericus, iniecta humeris penula, inermis equum conscendit, assumptisq; aliquot equitibus Comitē Ludouicum festinanter persequitur, asperisque verbis eius insolentiam reprehendit. Ludouicus oblatam sibi occasionem arripiens, lancea Comitem Fridericum transfixum occidit, qui magno cum luctu suorum sepultus est. Anno deinde supra millesimum septuagesimo, Adelbertus Friderici interfecti frater, Episcopus Bremensis, vna cum reliquis eius amicis apud Imperatorem Henricum Quartum, Thuringiæ Comitem Ludouicum accusarunt, efflictim petentes homicidium ab eo perpetratum vindicari, effeceruntque vt Ludouicus cum Magdeburgum versus aliquando tenderet, comprehenderetur, captiuusque in arcem Gebichenstein abduceretur, vbi cum vltra biennium detentus fuisset, huiusce modi vsus strategemate euasit. Vestes sibi latissimas cōfici iussit, quib. indutus ex altissima arce in præterfluentem Salam noctu desilijt, ventoq; sinus vestiū implente, saltus iste in aquas minus periculosus factus est, ibi exceptus a piscatoribus clam ad id conductis, & equis composito adductis impositus rapido cursu in Thuringiam ad vxorem suam Adelheidam Sangerhusij morantem

tantem perrexit. A quo saltu Ludouicus iste Saltator deinde cognominatus fuit.

Lotharius Rex Gallorum, Ludouici Quarti filius, decessit ex veneno, ab vxore adultera, vt fertur, præministrato. Eius quoque filius Ludouicus V. Blanchæ coniugis opera eodem fato perijt. Volater.

In Genes. 36. cap. Incestus ex errore commissus.

Refert Lutherus in Commentarijs in Genesin, Erfordiæ hunc ad modū incestum esse commissum: Viduæ cuiusdam filius adolescens ancillā matris suæ cum frequenter de concubitu appellaret, illa apud herā de ista adolescentis procacitate conquesta est. Mater filij petulantem libidinem castigatura, monet puellam vt adolescenti horam concubitus certam deliniret, & sic inter eas conuenit, vt mater lectum ancillæ occupans filium expectaret, quem hac fraude exceptum acriter obiurgare & punire constituerat. Verum filium deceptura, ex Satanæ instinctu ipsamet decipitur, ventesq; libidinis flammas concipiens, filium tacitā admittit, & ab eo inscio imprægnatur, cumq; filiam peperisset, eam vt orbam parentibus puellam, aut quæ a suis deserta & expositā fuisset, educauit. Quæ cum adoleuisset, eam filius sibi vxorem dari, a matre petijt, & eam, quamuis anxie repugnante matre vxorem ducit. Sic iuuenis cum sua & filia & sorore concubuit, sed id cum inscius faceret, excusationem meruit. Rem sic actam est. Theologi, ne grauarentur conscientiæ, cum nemini, præter matrem & Deum, de facinore tali constaret, coniugium illud haud dirimendum esse prudenter & pie decreuerunt.

Dux quidam graui morbo Zelotypiæ laborans, cum vxorem suam de adulterio suspectata haberet, eam innocentem, nec sceleris conuictam publice damnari, & capite plecti iussit, magistram vero curiæ e turri præcipitari, tum virginem quandam ex Gynęceo sua ipse manu confodit. Anno quinquagesimo septimo, supra millesimum ducentesimum. Caspar Goldtwurm.

Eadem sæuitia nostris temporibus vsus est Angliæ Rex Henricus VIII. qui vxorem suam Catharinam capitis supplicio affecit, quod cum eam pro virgine duxisset, antea fuisse corruptam & vitiatam cōperisset, anno 1542. Anno deinde quinquagesimo quarto supra sesquimillesimum, Iohanna Suffolcia, Eduardi Angliæ Regis consobrina, & hęres eius testamento scripta, ob non repudiatum regnum cum marito Northumbrij filio, capite truncatur.

Ebrietati comes impudicitia. Ebrietas adulterij homicidijq; causa.

Ebrietatis comes est impudicitia, & recte ait diuus Hieronymus, sibi persuaderi nunquam posse, vt credat ebrium hominem castitatem & pudicitiam posse colere. Qua de re exemplum tale traditur:

Quidam cum pietati sedulo studeret, assiduis diaboli tentationibus infestabatur, suadentis vt ex tribus peccatis vnum quod perpetraret, sibi eligeret, vel vt semel se inebriaret, vel cum vicini vxore concumberet, vel vicinum occideret. Victus tandem consensit in primum peccatum, quod iudicaret illud minus atrox esse tum adulterio, tum homicidio. Verum inebriatus cum esset, facili momēto ad reliqua etiam peccata impellebatur. Excitata enim ex luxuria libidinis flamma vicini vxorem stuprare per ebrietatem haud veritus est. Nec quidem a tertio immunis tum esse potuit. Interuenientem namq; vxoris maritum, flagitiumq; illud vlciscī volentem, dum vim eius reprimere laborat, occidit. Sic ebrietati locum qui dabat, reliquis etiam sceleribus atrocissimis se inuoluit.

Vxoris superbia viro exitialis.

Honesti ciuis vxor, mulier superba, vt fastui suo consuleret, marito autor erat, vt mercaturam exerceret, quippe quæ ad corradēdas diuitias faciliorem & planam monstraret viam, nec prius instare apud maritum destitit, quam eum ad amplectendum vitæ genus desideratum perpelleret. Qui

cum

cum amplas admodum per mercaturã collegisset diuitias, vt nihil eorum, quæ ad splendorẽ & superbiam faciunt, vxori deesset, tãdem in morbum incidit. ibi cum a coniuge & amicis monitus, testamentum conderet: Satanę, inquit, lego animam meam, vt eam secum in abyssum hinc arripiat: Et tu vxor mea, quoniam impietatis mihi auctor extitisti, vna mecum in igne gehennæ in æternum cruciaberis. Deinde ad Diaconum conuersus, Et tu, inquit, cum mensæ nostræ quotidie assideris, nec tamẽ impietatem nostram sis ausus reprehendere, eosdem nobiscum cruciatus sustinebis.

Raptor alienæ coniugis a diabolo abripitur.

Quidam cum alienam rapuisset coniugem, eam impuro tradidit Sacerdoti. Raptor a muliere accusatus in vincula a Magistratu conijcitur. Ibi ex desperatione, cum vinctus teneretur compedibus, diabolo se tradidit, vt illius opera liberaretur. Quod eius cum Satana pactum cum quidam ex captiuis animaduertisset, quin etiam candelas duas, duosq; lapides ei allatos esse vidisset, quibus & seras, & vincula ferrea confregerat, excepto vno, quod disrũpere nulla arte poterat, eius machinationes prodidit. Quibus detectis, custodes & lictores vinctum e carcere eduxerunt, protinusq; turbo vehemens ex manibus eorum arreptum in sublimem aerem abduxit, nec postea quoquam est visus.

Mulier citra laborans, virũ suum occidit & deuorat.

Anno trigesimo tertio, supra sesquimillesimum, Prettenburgi mulier grauida citra laborans admodum immani, virum suum deuorandi desiderium concepit, cui cum firmiter resistere non posset, noctu fauces ei incidit, statimq; sinistrum brachium & latus ad vmbilicum vsque deuorauit, & reliquam partem sale conditam asseruauit, ternos deinde liberos vno partu, eosq; viuentes edidit. Ne autem impune ferret horredum adeo facinus, ad perpetuos damnata est carceres. Seba. Franck. & Iob. Fincel.

Mulier venefica suum virum macerat.

Anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo secundo, Drosslingæ mulier venefica noctu virum suum malleo occidit, manus, pedes, caput in feruenti lebete coxit, corpus deinde minutatim dissecuit, carnesque intra domum suspensas fumo siccauit. Cumque fumus densior inde per ligellum exiret, concursu facto vicinorum periculum incendij metuentium, in scelere deprehensa, tandentibusque forcipibus discerpta, & deinde rota est imposita.

Anno 1563. Xenodochi cuiusdam vxor, fœmina non minimæ existimationis, opera duarum ancillarum virum suum veneno, quod amygdalino lacti immiscuerat, necauit, quod facinus vbi detectum fuit, & mulier & ancillæ decollatæ sunt.

Rosimunda Cunimundi filia.

Alboinus primus Rex Longobardorum in Italia ex Cunimundo Gepidarum Regis bello victi cranio poculum sibi fecerat, cumque Rosimundam coniugem, Cunimundi filiam, in conuiuio ex patris sui cranio bibere iussisset, illa tunc dissimulato dolore, postea hortatur Helmechildum nobilem Longobardum, vt Alboinum interficiat, & promittit ei regnũ. Helmechildus dormientem Alboinum interfecit, deinde coactus fugere cum Rosimunda coniuge Alboini, accessit Rauennam ad Longinum, vbi cũm aliquandiu fuissent, Longinus nouas spes concepit, potiturum se & muliere & Longobardorum societate, quam adeptus velit se nominare Regem Italiæ, persuadet mulieri, vt venenum det Helmechildo, eique promittit coniugium. Illa præbet marito egredièti ex balneo venenũm, quod cum auide hausisset, veneni vim sentiens cogit Rosimundam reliquum haurire, quæ simul cum Helmechildo extincta est. Chron. Philip.

Crescentij vxor Imperatorem veneno necat.

Gregorius Quintus patria Germanus ab Othone III. cui sanguine iunctus erat, post schismata & lites, quibus Romana Ecclesia distrahebatur, cum Pontifex creatus esset: populus Romanus ægre ferens Germanũ hominem Imperatoris auctoritate ordinatum esse Papam, Duce Crescentio Consule de Papali illum sede deijciebat. Imperator indigne ferens eã con-

tume-

tumeliam, in Italiam cum exercitu rediit, vrbem oppugnauit, Crescētiū Consulem, & Iohannem nouum Pontificem cepit. Quorum Iohannes effossis prius oculis Pontificatu simul & vita priuabatur. Crescentius vili iumento imponebatur, & vultu ad caudam verso, nasoque cum auribus abscisso, vt spectaculo esset omnibus, per plateas circūducebatur, ac truncatis membris ante vrbis mœnia patibulo suspendebatur, mille vulneribus á militibus confossus. Porro vxor Crescentij, mulier callida & pulchri rudinis suæ conscia, Imperatorem pellexit in amorem, vindictam de prio re marito quærens. cumque reditum in Germaniam eum maturare videret, chirotheciis miro ingenio affabre factis venenum insuisse fertur, & Cęsari muneris loco dedisse. Quo paulatim intoxicatus & consumptus interremeandum in Italia periit, decimo nono anno Imperij.

Effrenis Tarquinii Sexti libido, qua Lucretiæ stuprum intulit, causam præbuit Romanis, vt exactis Regibus nouam Reipub. formā instituerēt. In eadem Repub. Decemuirorum Magistratus abrogatus fuit, propter nefarium Appii scelus Iciliam liberam puellam ad seruile stuprum rapientis.

Appii scelus.

Achilles Sacerdotis Chrysæ filiam Astynomē rapuerat, quam cum frustra a Græcis pater repetijsset, grauis pestilentia illorum oppressit exercitum. Homerus & Dictys Cretensis.

Constantia Gulielmi Siciliæ Regis filia, monialis, & pene anus, e monasterio per dispensationm Papæ liberata, vxor datur Henrico VI. Imperatori. Imperatrix importunæ libidinis mulier clandestinis machinationibus Imperatorem e medio tollere conabatur, animo amplexa alium, Siciliæ Principem, ætatis floridæ iuuenem, quem ad Imperium euehere laborabat. Quod vbi Imperator comperit, Siculum istum Principem in sellam ferream candentem collocari, ferreamque coronam candentem capiti eius clauis affigi præcepit. Deinde alius quidam clandestino cum Imperatrice pacto inito, Imperatorem veneno necādi consilia agitabat, quē Imperator per plateas raptatum suspendij supplicio affecit.

Constantiæ perfidia erga Imperatorem Henricum VI.

Pirithoi sponsam Hippodamen Centaurum finimante libidinē ebrietate cum rapere conarentur, graue inde & ipsis exitiale bellum ortum est.

Henricus eius nominis Secundus, Rex Angliæ, filij sui vxori stuprum per vim intulit. Ob quem incestum filius indignatus patrē regno eiecit.

Henricus II. Rex Angliæ.

Ducis Bauariæ Ernesti filius Albertus, cum Balneatoris Augustani filiam Agnetem liberali forma præditam deperiret, eamq; sibi vxorem peteret, pater id grauiter ferens puellā aquis submersam interfecit, & filio vxorem dedit Ducis Brunsuicensis filiam Annam. Anno 1436. Auent. lib. 8.

Nerius mercator Florentinus Athenas profectus, tantam ibi autoritatem & potentiam adeptus est, vt Reipubl. Imperio præficeretur. Post cuius mortem vxor eius apud Turcicum Imperatorem, Mahometē, gratia & muneribus tantum valuit, vt Reipub. administrationem penes se reticeret. Breui deinde post, Veneti cuiusdā mercatoris amore capta, & se in vxorem, & ciuitatis Imperium ei offert. Mercator dominandi libidine deceptus, suasu huius mulieris domum reuertitur, vxoremque legitimam, quam domi habebat, veneno extinguit. Deinde cōiugis funere vacua domo reddita, Athenas proficiscitur, vxorē ex pacto ducit, & ciuitatis administrationem simul arripit. Cum autem sæuam exerceret tyrannidem erga Reipub. Magnates, illi iniurijs irritati apud Imperatorem Turcicum Mahometem, eum tyrannidis accusant, quem cum ille muneribus lenire studeret, Imperator offensus eum iussit interfici. Hunc ad modū Venetus iste dignas sceleris sui erga priorem coniugem veneno extinctam perpetrati pœnas sustinuit. Supererat filius Neri, cum matre. is cum per ætatē rebus gerēdis nondum esset idoneus, Imperator vnum ex amicis eius tu-

Nerius mercator Athenarum Princeps.

Nerij vxor. Mercator Venetus vxorem suā veneno necat.

Filius Nerii.

torem

torem constituit, cui Reipub. curam, donec puer adoleuisset, committit. Is exosus mulieris insolentiam, quæ sub coniugij prætextu Athenienſium Rempub. Venetis proderet, comprehensam eam abduxit Megaram, & ibi dem occidit. Sic & mulier nefarij sui sceleris pœnas luit.

Rex Anglorum ab vxore carceri includitur.

Anno vicesimo secundo supra milleſimum trecenteſimum, Isabella regis Gallorum filia, vxor Eduardi Anglorũ Regis, virum suum, eo quod prælio aduersus Gallos victor, regnum Galliæ clade affecisset, in carcere captiuum detinuit, nec vel minis vel precibus moueri potuit, vt liberum eum dimitteret.

Vxor Henrici Quarti. Sigismundi vxor dote ferox maritum contemnit.

Imperator Henricus IIII. vxoris suæ furias euitare nõ potuit. Nam Romam ea profecta, vltro coram Pontificis Concilio maritum suum accusauit, per calumnias multis ipsum criminationibus prægrauans, effecitq; vt a Pontifice, quem alias in omnibus aduersarium & hostem sensit, excommunicaretur.

Sigismundus Romani Imperatoris VVenceslai frater, Ludouici Hungarorũ Regis defuncti filiam duxerat, quæ dote ferox Regẽ maritũ suum contemnere cœpit, accersitisque monetarijs mandauit, vt aureos nũmos cuderent, cum hac inscriptione: Maria Rex Hungariç. Rex ingenio leni & clementi præditus, nihil acerbius in vxorem statuens verbis dũtaxat eam obiurgauit, cumque sanabile esset mulieris ingenium obiurgationem eo animo suscepit, vt suam ipsa rẽfrænaret insolentiam. Erant autem alastores quidam in aula, qui Regi male ex animo volebant, ij simul ac cognouere, aspernoribus verbis a Rege exceptam esse Reginam occasionẽ se nactos esse rati, virus suum euomendi, non dubitarunt Reginam, quam iris curisque fœmineis ardentem putabant, vltro accedere, eamq; his verbis adoriri: Scimus, inquiunt, te indignis modis a Rege esse tractatam, cui tamen quod in hac terra regnet, tibi vt acceptum ferat, necesse est. Quare si animus tibi est eam in rege vindicare iniuriam, id sane perfacile tibi fuerit. Hoc enim certo tibi polliceri habemus, si quid aduersus eum moliri velis, omnes regni Proceres eum impugnaturos. His verbis Regina vehemẽter turbata, animum tamen prudenter celabat, & vt eorum consilia penitius perscrutaretur, hunc ad modum ei, qui reliquorum nomine verba fecerat, respondit: Quid ergo censes nobis faciendum, vt a Rege isto liberemur? Cui respondet ille, Subornabimus, inquit, aliquem, qui noctu eum in lecto suo dormientem occidat. Nam dum superstes fuerit, regno eum exuere res plena difficultatis & periculi fuerit. Quare tu nos certiores redito, quando tecum in cubiculo tuo quiescat, cætera nobis curæ erunt. Cui Regina, Puto, inquit, eum vel hac nocte mecum in meo lecto dormiturum, & si minus hoc decreuerit, facile eum adducam, vt morem mihi hac in re gerat. Quę verba proferebat, vt qui in necẽ Regis conspiraſſent, se ipsos proderent. Auctor deinde cõsilij huius de occidẽdo Rege discessurus, Reginam obnixe rogat, vt consilia hæc prudenter & sedulo celet, ne si qua emanent, omnibus triste paretur exitium. Quod Regina promittit. Verum digressis illis recta ad Regem tendit, quo in periculo versetur, exponit, & quomodo illud euitari possit, coniuratique opprimi, & merito supplicio affici, ostendit. Rex consilio Reginæ obtemperans, simulat se nocte ea concumbere velle cum Regina, interim clam locum occupat, ex quo facile & secure, qũnam coniurati essent, & quæ eorum consilia, posset deprehendere. Iam noctis erat conticinium, coniurati conueniunt, omnia in tuto esse & certa credunt, cubiculum Reginæ effringunt, Regem incautum oppressuri. Quem vbi abesse præter omnem spem viderunt, Reginamq; solam, quæ metu imminentis periculi omnis somni expers, omnum tamen profundissimum simulabat, offenderunt, territi cõsilia sua prodita esse suspicabantur, vnusque ex ijs, ista, inquit, perfide consilia nostra

stra prodidit, quare eam trucidemus. Rursus alius. Scio, inquit, quanta inter ipsam Regemque interceſſerit contentio, nec veriſimile eſt, Regis amore illam teneri. Relicta itaque Regina, quaſi nullius ſibi ſceleris, quod agitaſſent animo, conſcij, domum quiſque ſuam regrediuntur. Verum antequam illuxiſſet, omnes ex Regis mandato, & prouidentia comprehenſi & ſupplicio merito affecti ſunt. Crant. lib. 10. cap. 8.

Anno milleſimo trecenteſimo, nonageſimo ſecundo, Ocko Friſius, vir in equeſtri ordine illuſtris, ex odio & maleuolentia Friſiorū interficiebatur, eo quod inter Germanos militans, militare cingulum accepiſſet, factus eques auratus. Cuius vxor vt mariti ſui mortem vleiſceretur, Comitum Aldenburgenſis, & Delmenhorſtenſis auxiliis inſtructa, in Friſiā irruptionem fecit, expugnatoque templo, quod pro more gentis Friſijs munitionis loco erat, viros ducentos, quos ibi cōprehenderat, gladio feriri iuſſit, Crantzius.

Iohanna, Roberti Neapolitani Regis filia, Andream maritum ſuum Caroli Hungarorum Regis filium perfide necauit.

Mortuo Hungarorum Rege Ludouico, Hungari Carolū Regem Neapolitanum accerſiuerunt, vt is Regni curam ſuſciperet, quem Regina Elisabetha vidua humaniter exceptum, perfide & nequitioſe per inſidias immiſſis percuſſoribus occidit. Hiſtoria vtraque ſupra fuſius enarrata.

MORDAX MALEVOLORVM HOMINVM LINGVA TIOrum ſæpe coniugum animos diſtrahit, riſque extrema creat pericula, id quod in ſubtecto oſtenditur exemplo.

ANno Chriſti triceſimo ſecundo, ſupra milleſimum quadringenteſimum, Gerhardus Dux Sleſuici vxorem duxit virginem honeſtam, Annam, Marchionis Badenſis filiam, quam celebratis nuptijs iam grauidam in Holſatiam ſecum abduxit, cumque in itinere mulier grauida ex vehementiore lapſu concuteretur, gemellos enixa eſt, filiolum & filiolam ſeptimo a nuptijs menſe. Cumque ne minimum quidem in fœtu immaturi partus indicium deprehendi poſſet, maleuoli exorti ſunt homines, qui clamarent, non ex Duce Gerhardo ſuſceptam eſſe eam ſobolem, ſed ante nuptias ab alio imprægnatam fuiſſe Ducis coniugem. Quæ fama cum ad Gerhardi fratrem, Ducem Adolphum permanaret, inſtigatus ille iniquorum hominum voculis, fratrem ſuis criminationib. eo perpulit, vt omnes ex tota vicinia mulieres peritas & obſtetrices accerſeret, quæ de ſobole & partu iudicium ferrent, quæ omnes conſentiente iudicio eam Ducis Gerhardi genuinam eſſe ſobolem agnoſcebant, quarum iudicium Medicorum etiam ſententia confirmabat aſſeuerantium, ſeptimo a conceptione menſe naturaliter fœtum eumque integrum & incolumem in lucem edi poſſe, & quidem ex concuſſione, quæ lapſum ſecuta ſit, vel citius fœtum ad maturitatem tendere potuiſſe. Cæterum quicquid vel obſtetrices vel aliæ matronæ aſtruerēt, quicquid etiam Medici diſputarent, calumnię prævaluere, tantūque indignatio Adolphi ducis effecit, vt furori eius cederе cogeretur pia & pudica Gerhardi Ducis coniūx, & aſſumptis infantulis mœſta ad parentes ſuos reuerti. Quam paulo poſt Dux Gerhardus rem altius expendens, coniugique ſuæ factam eſſe iniuriam agnoſcens, reducere cum vellet, in itinere in oppido Emerick, ad ripā Rheni, morte extinctus eſt. Paruuli autem mox ſeparantur. Puella extra patrię ſuæ fines in monaſterio educata fuit, vbi multos anos vixit. Puer in tenera ætate perijit. Ferunt deinde Adolphum Ducem perpetuo mœrore confectum fuiſſe, expertemque liberorum, quos fratri inuiderat, diem obiiſſe, licet vxo-

rem habuerit & annis florentem, & forma præstantem, Comitis Mansfeldensis sororem. Crantz. lib. 11. cap. 21.

Ceruorum natura.

Coniuges decet, vt mutuis certent officijs, alter alterius ignoscat infirmitati, ceruorumq; imitentur naturam, qui maria tranant, gregatim nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Plin. lib. 8. cap. 32.

Quare merito laudatur & æquanimitas & pudicitia vxoris Hieronis, Syracusanorum Regis, quæ a viro obiurgata, quod animæ fœtentis eum nunquam monuisset, respondit, arbitratam se alijs viris idem odoris esse. Quo etiam responsi genere Bilia cum Duilio viro vsa dicitur, qui primus in vrbe Roma naualem duxit triumphum.

Papyria Pauli Æmylij vxor.

Paulo Æmylio vxor erat Papyria, Masonis viri Consularis filia, quam cum longo tempore domi habuisset, exque ea pulcherrimam sobolem sustulisset, inclytum illum ac maximum Scipionem Æmylianum, repudiauit: & amicis diuortium vehementer dissuadentibus, porrexit calceum, dicens: Hic calceus nonne nouus est, nonne pulcher est, at nemo vestrum nouit, qua pedem meum torqueat. Repudiauit certas quasdam ob causas vxorem suam, quam tamen adeo amauit, vt diuortij causam dicere noluerit. Plutarchus in eius vita.

Plērique externam corporis formam, nulla vel pudicitię vel pietatis habita ratione in mulieribus spectant. isti semetipsos in perniciem præcipitant. Tanta etiam multorum animis insidet leuitas, vt quamuis decenti forma ornatas habeant vxores, formosioribus tamen vsq; inhient, & magis leui macula faciei, quam vel ornatu vel fœditate animi moueantur, isti sane honesta vxore minime digni sunt, nec ijs vllo modo cōdolendum, si aduersam in coniugio fortunam experiantur. Fallax gratia, & vana est pulchritudo, inquit Rex Salomon, Prouerb. 13. Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

Apud Plautum Alcmena, quod sit præcipuum mulieris decus, eleganter his verbis exponit:

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum cupidinem.
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam.
Tibi morigera, atque vt munifica sim bonis, prosim probis.

Quæ sane mulierum dos quo rarior, eo preciosior est. Pleræque eo sunt ingenio, vt dote feroces viros contemnant, ijsq; parere minime sustineant, de quibus Hesiodus ait, quod viro clandestinum & tabificum sint malum, &, quamuis generosum, animum enecent, eiq; senectutem ante tempus pariant.

Οὐ μὲν γὰρ τι γυναικὸς ἀνὴρ λῃίζετ' ἄμεινον
Τῆς ἀγαθῆς, τὸν δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο,
Δειπνολόχης, ἥτ' ἄνδρα καὶ ἴφθιμόν περ ἐόντα
Αὔει ἄτερ δαλοῦ, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

Eccles. cap. 26. Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequā: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Et cap. 25. Non est caput nequius super caput colubri: Et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.

Pacuuius Ario vicino querebatur, quod in horto suo funestam haberet arborem, vnde prima vxor sese suspēdisset, deinde altera, postremo tertia. Cui salsissime respondisse fertur Arius: Miror te in tot successibus inuenisse lachrymas. Item: Deum immortalem quot tibi dispendia arbor illa

suspen-

suspendit. Adiecit: Amice, quæso te, da mihi ex ista arbore quos inseram surculos.

Cato Senior obiurgans aliquando summam vxorum impotentiam: Omnes, inquit, homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem vxores: hoc modo colligens, mulieres esse rerum omnium dominas. Amplissimum esse vxorum in viros imperium, lepida Germanorum fabula innuit, de quodam qui sumē aridum portæ ciuitatis affixerat, cum annexa schedula, vt quisquis vxorem non metueret, illud secum auferret. Cum nemo illud auferre auderet accessit tandem adolescens rusticus, homo confidens & temerarius, qui sumen sibi vendicare audebat, vt qui neutiquam se vxoris imperio subiacere crederet. Cui ianitor, Si sumen, inquit, tecum auferre volueris, est vt illud veste tectum, gremioque involutum asportes. Respondet ille, nequaquam sibi illud integrum esse. Qui enim ausim, inquit, commaculata ex suminis pinguedine intertula, in vxoris conspectum prodire? Quibus verbis satis & mulierositatem & temeritatem suam prodidit.

Romæ Cardinalis cum pauperis cuiusdam ciuis vxorem iuuēculam & formosam adamaret, marito duo millia coronatorum obtulit, vt sibi aliquandiu vxoris vsurā concederet, qui accepta pecunia eam dimisit. Postea vxor ad maritum redire noluit, dicens se alteri esse venditam. Quæ libidinum confusio iram Dei aduersus humanum genus irritat & auget.

Vxorē maritus Cardinali vendit.

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
Et castis tulit pondus habere preces.

In regulis vitæ:

Vt cum de statua facies formosa reuulsa est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores sfreti sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Eccles. 26. Mulier formosa pudicitiæ expers, est instar porci, qui aureum torquem gestat in narib. prouer. 11.

Diogenes muliere formosam, sed impudicam, mulso comparabat, cui mortiferum immixtum esset venenum. Nam licet impudicitia aliquid voluptatis primum gignat, eam tamen sequitur dolor & mœror perpetuus.

Lycurgi temporibus ea erant Spartanorum vxores pudicitia, vt vel ipso nomine detestabile & ignotum esset adulterij crimen. Geradas Spartanus rogatus ab hospite, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri? Neque enim videre se quicquam super hac re sancitum a Lycurgo? Nullus, inquit, o amiee, apud nos adulter est. Quum ille subiecisset, Quid igitur, si existat? Dabit, inquit, bouem tantum, vt porrecto vltra Taygetum montem collo, bibat ex Eurota. Cumque ille ridens dixisset, Fieri non potest, vt tantus bos inueniatur. Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ existat adulter, in qua diuitiæ, deliciæ, & corporis ascititius cultus probro habentur; contra verecundia, modestia, ac obedientiæ Magistratibus debitæ obseruatio decori laudique dantur? Prudenter intellexit Geradas, ibi non posse nasci vitia, vbi non admittuntur vitiorum seminaria: eaque vbique iacere, quibus pro honore tribuitur ignominia. Atque hæc est clementissima ratio medendi prauis moribus excitandiq; virtutis studium.

Dionysius senior quum intellexisset filium, cui principatum relicturus erat, ingenui viri coniugem adulterasse, iratus interrogauit, an vnquam tale quicquam in patre comperisset? Hic adolescens, Tu enim, inquit, non habebas patrem regem. Nec tu, inquit Dionysius, filium regem habiturus es, ni talia perpetrare desinas. Tyrannus in filio dignum exliæredatione crimen iudicabat adulterium, qui hodie magnatum ludus est.

Cum censerent quidam sapienti non esse ducendam vxorem, contra censebat Antisthenes esse ducendam, at non voluptatis, sed liberorum gratia. Debetur hoc naturę & patriæ. Sed cum optima indole prædituris congredietur, vt ex bonis nascantur boni. Quin & amabit vxorem, non vulgari more, sed iudicio: is enim vere & constanter amat, qui iudicio amat. At sapiens optime dijudicat, quæ sint amore dignæ. Aduersus eos, qui vxores se iactant habere pro matulis.

Magna fuit & leuiras & stultitia Candaulis Lydorum regis, qui cum vxoris suæ formam immodice prædicaret, tandem eam nudam Gygi, quanquam repugnanti, demonstrauit. Quam contumeliam indignissime ferens Regina (nam summum erat probrum nudam videri mulierem) virum vt hominem stolidum, coniugalisque honoris oblitum, per Gygem istum occidit, cui & se vxorem & regnum tradidit. Herodotus & Trogus.

Eadem mota contumelia Thebe Pheræum Thessaliæ tyrannum dormientem iugulauit. nudam enim eam barbaro cuidam tyrannus ostenderat.

Fabricianus cum adhuc in cunis esset, per sororem a matris crudelitate seruatus fuit, quæ cum Petronio adulterabat, & ob eam rem cum Valentinum virum sustulisset, filium quoq; occidere quærebat: sed cum is postea adoleuisset, matrem cum adultero se miscentem occidit, crimineq; occisæ matris accusatus, Senatus decreto absolutus est, quod iustus dolor & causa ad perdendam matrem impulisse videbatur. Campofulg.

Leander Abydenus iuuenis ad puellam Ero, cuius amore incensus erat, in vrbe Sesto morantem, per fretum Hellespontiacum tranare solitus, tandem exorta tempestate fluctibus obrutus est. Vide Carmen Musæi, & Epistolas Ouidij.

Plura exempla hoc loco non aliena infra in nono & decimo Præcepto lector inueniet.

DE IIS QVI CONCVMBVNT cum masculis.

PVdet inscriptionis huius tituli, nedum exemplorum. tamen pauca propter dictum S. Pauli Rom. 1. signaui.

Cretenses adolescentũ & puerorum amores primi videntur vsurpasse, atq; his deditũ esse, nihil apud illos turpitudinis atq; ignominię habebat.

Herodotus auctor est, Persas a Græcis dicicisse pueris abuti. Cælius.

Chalcidenses in Eubœa pueriles amores ad stuporem vsq; persequuntur. Cælius.

Laium Thebarum regem aiunt primum formosorum puerorum ac iuuenum amoribus arsisse, & Chrysippum filium Pelopis rapuisse. Ex quo factum est, vt honestum apud Thebanos haberetur, speciosos & elegantes amare. Ælian. lib. 13.

Ferunt Ibicum Historicum patria Rheginum insano puerorum amore exarsisse.

Ferunt & Agathoclem Siciliæ tyrannum (qui ad regni maiestatem ex humili & sordido genere peruenit, nam pater eius fuit figulus) forma & venustate corporis præeminentem, diu vitam stupri patientia exegisse. Propterea Timæus dixit, illum primæuo ætatis flore scortum promiscuũ impudentissimo cuiq; expositum.

Nicomedes rex Bithyniæ stuprum C. Iulio Cæsari intulit, non sine maxima vtriusq; nota, theatricisq; conuitijs.

Nero Imperator Romanus Sabinæ pulcherrimę fœminæ tanto desiderio teneri cœpit, vt Sporum puerum in muliebrem naturam, exectis testi-

bus,

bus, conuertere conatus sit, illumq; Sabinum nominarit, & pro vxore eo vsus sit, quod ei persimilis esset. O Imperatorem Rom. ac gentium Dominum insignem, qui rerum naturæ tam nefarie insçius, marē in fœminam transmutare, stimulante fœda libidine ausus est, cum magna ac perpetua Romani Imperij ignominia.

Antinous puer fuit elegantissimæ formæ, ex Claudiopoli Bithyniæ ciuitate, quem Adrianus Roman. Imperat. ad infamiam vsque adamauit, vt etiam mortuo ciuitatem construxerit, templumque erexerit cum ara, & eius effigiem curauerit imprimendam. Spartianus ait, puerum illum ab Imperatore muliebriter defletum.

Traianus Rom. Imper. natura clemens & probus fuisse dicitur, duobus exceptis vitijs, quod vino, quodq; puerorum libidini plus satis indulserit. Dion. Cassius.

Gyges rex Lydorum, Magnetem Smyrneum eximia pulchritudine clarum vique adeo dilexit, vt bellum in Magnesios mouerit, quod puero capillos detondissent, quo videretur deformior.

Crathis pastor, quum in Venerem esset procliuior, capram omniū formosissimam deperire cœpit, cui congrediebatur frequenter, demumque vti amicam grate amplexabatur, cum multa suauiatione. Quod contemplatus hircus, zelotypiæ œstro concitatus, dormientem Crathim cornibus inuasit, & interfecit. Cæl. & Volater. *Crathis pastor ab hirco zelotypo interfectus.*

Herodotus in Euterpe ait, suo tempore hircū cum vxore palam coiuisse.

Tiberius Cæsar, auctore Tranquillo, cellariam excogitauit sedem arcanarum libidinum, in quam accersiti puellarum & exoletorum greges, monstrosiq; concubitus repertores triplici serie connexi incestarēt se coram ipso. In syluis quoq; Venereos locos excogitauit, cōmentusq;, quibus impenetrabat prostantes. Instituit & pueros primæ teneritudinis (quos pisciculos vocabat) vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent, lingua morsuq; sensim appetentes: eosque quasi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admouebat. *Tiberij nefanda fœditas.*

Nec minor Neronis fuit fœditas, cuius vitam turpissimam non pauciora libidinis quam crudelitatis flagitia infamant. Quorum hæc præcipua: Rubriæ Vestali virgini vim intulit. Puerum Sporum exectis testibus in muliebrem naturam transfigurare conatus est, quem & solenni nuptiarū officio ad se cum dote perductum pro vxore habuit. Propterea emanauit iocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius eius pater talem habuisset vxorem. Præterea matris concubitum appetijt, cum qua (dum in lectica vna veheretur) libidinatus est. Doryphoro liberto (sicut ipsi Sporus fecerat) denupsit, voces & eiulatus vim patientium virginum imitatus. Hæc Tranquillus. O immanem libidinum fœditatem, cuius vel meminisse animus horret. Diuus Paulus de hac ad Romanos 1. loquens, eius causam esse docet, impietatem istam, qua Deum deserierint gentiles, creaturisq; adhærētes totos se idololatriæ dederint. Propter quod tradidit illos Deus, inquit, in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendaciū, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in secula. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes. *Neronis nefanda libidines.*

Optandum sane esset, Romanæ sedis antistites Sodomitici istius peccati fœditatem ex diui Pauli doctrina agnoscere, sibique ab ea temperare,

ne vita & moribus ipsimet testentur, se in reprobum sensum propter idolatriam, diuinæq; gloriæ prophanationem traditos esse.

Pausanias ab Attalo stupratus.

Pausanias primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat: cuius indignitati hæc etiam fœditas accesserat. Nam perductũ in conuiuio, solutumque mero Attalus, non suæ tantum, verum & conuiuarum libidini velut scortum vile subiecerat, ludibriumq; omnium inter coæquales reddiderat. Hanc rem ægre ferens Pausanias, querelam Philippo regi sæpe detulerat. Cum varijs frustrationibus non sine risu deferretur, & honoratum insuper Ducatu aduersarium cerneret, iram in ipsum Philippum vertit, vltionemq;, quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit. Nam cum ad ludorum spectaculum rex Philippus contenderet, Pausanias occupatum angustijs in transitu obtruncat, diemq; lætitiæ destinatum fœdum luctu funeris facit.

Philippus rex Macedonum.

Eodem quo Attalus scelere contaminatus fuit rex Philippus: Quia habebat Olympiadis vxoris suæ fratrem Alexandrum, puerum honestæ pulchritudinis, non ad alium vsum, quam ad stupri consuetudinem. Trogus.

Damon Peripolita insigni forma adolescens, videns Romanum quendam Præfectũ Chercuæ, stuprum sibi per vim machinari, quia prius blandiendo nihil profecisset, ad pudicitiæ munimen aliquot socios conuocauit, qui omnes fuligine tincti, ne agnoscerentur, Præfectum in foro sacrificantem obtruncarunt.

Trebonius adolescens cum a C. Lucio Marij Consulis, & copiarum Imperatoris propinquo ad stuprum solicitaretur, & iam non procul abesset, quia pollicitationibus nullis flecti poterat, vt vim pateretur, auctorem iniuriæ ferro obtruncauit. Maluit probus adolescens capite quam fama periclitari. Cognouit causam C. Marius, ac manifestæ cædis reum non modo non aliquo affecit supplicio, sed pro concione laudatum corona donauit.

Sup. de Demoele adolescente.

Pari proposito, sed euentu tristore adolescens quidam Athenis cum intemperiem Demetrij regis in balneis declinare non posset, in feruentis aquæ lacum sese proiecit, vitam aspernatus, vt pudicitiam tueretur. Sabel. lib. 5. cap. 6.

Spurina adolescens cum egregia sua forma, decoroq; aspectu viros & mulieres ad libidinem concitaret, faciem & pulchritudinem oris sponte vulneribus deformauit.

Veturius carcerem, plagas diuersaq; tormenta maluit pati, quam Cælio Plocio stuprandum se committere. Valer. Max.

1. Cor. 6. Nolite errare: neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt.

Sub Leone Decimo, anno 1517. Franciscus Picus in concilio Lateranensi, graui oratione impudicam Pontificiorum vitam reprehendit, indicans ab impijs quibusdam parentibus Romæ filios Cardinalibus & Sacerdotibus vendi, & Sodomiticæ eorum fœditati & libidini tradi. Quæ sane partheſia inter Pontificios & rara, & valde est periculosa.

MENDACIA MONACHORVM.

PVtida prorsus Monachorum sunt mendacia, quibus beatam virginem Mariam tam adulterarum quam adulterorum fœditati patrocinari impudenter commenti sunt, exemplisq; vanissimis & fœdissimis fœdissima flagitia tueri, & vanissimam idololatriam confirmare studuerunt, quorum aliquot ex Promptuario exemplorum Discip. de temp. De miraculis beatæ virginis hic subijcere visum est, vt inde appareat, quæ & quanta tum monialium virginum, tum Monachorum fuerit sanctimonia & castitas.

1. Virgo

1. Virgo Monialis Beatrix forma insigni prædita, cum virgini Mariæ monasterij istius præsidi assiduo & indefesso cultu inseruiret, ob singularem quæ in eius vita elucebat sanctitatem, templi ianitrix & custos electa fuit. Verum ex diaboli tentationibus amore cuiusdam sacerdotis flagrare cœpit, & licet diu forti animo libidini resisteret, tādem tamen victa, & a diabolo decepta amoris vehemētiæ succubuit. Itaq; ante altare Beatæ virginis in genua prouoluta esse, & hunc ad modum locuta fertur: O virgo sanctissima, qua potui fide hactenus tibi inseruij. Iam vero carnalibus victa concupiscentijs, quæ multo vehementiores sunt, quam vt ijs resistere valeam, tibi claues trado. His dictis claues altari imposuit, clamque monasterio egressa, sacerdotem sequuta est. Paucis deinde elapsis diebus sacerdos, cum aliquandiu libidini indulsisset, scelus suum damnans, Monialem virginem deseruit, quę cum in Monasteriū reuerti vereretur, nec vnde victum quæreret, quicquam pensi haberet, e desperatione lupanar ingressa est. Vbi cum per multos annos vitam egisset, tandem prophano amictu circumdata, monasterium accessit, pulsatisq; foribus ex ianitore quæsiuit, Num quondam nouisset virginem, Beatricem dictam, quæ templi custos fuisset? Cui ianitor, Quidni illam nouerim, cuius sanctitas nobis omnibus est admirationi, & quæ a teneris annis in hunc vsque diem summo studio pietatis exercitijs in hoc monasterio vacauit. Quibus auditis Beatrix inde abijt, obuiamq; habuit Mariam virginem, quæ his verbis eam alloquuta est: En per quindecim annos tuas in monasterio partes sustinui, nec aliter quisquam persuasum habet, quā te ipsam præsto coram fuisse, nec vlli quicquam vel de tuo discessu, vel impudicitia cōstat. Quare in tuum locum pristinum reuertere, & pœnitentiam age. Cui consilio pudica ista Beatrix morem gessit, & miranda cum sanctitate ab eo tempore Beatæ Mariæ ministrauit. Tandem rem omnem quomodo gesta esset, sacerdoti confessa est.

2. In alio Monialium cœnobio Abbatissa, tanto sanctitatis tenebatur studio, vt reliquarum virginum, obstrictam nimis, quam seruari volebat circa pietatis exercitia, regulam, aduersus se concitaret odium. A diabolo autem decepta cum dapifero concubuit, a quo cum imprægnata esset, reliquæ Moniales ei ferociter insultabant, & ad Episcopum hanc eius turpitudinem se delaturas minabantur. Anxia itaq; Abbatissa sacellum clam ingressa est, ibique amare plorans, virginis Mariæ auxilium implorauit. Cumq; inter solicitas preces in somnū delata esset, apparuit ei virgo Maria cum duobus Angelis, tum peccati remissionem, tum infamiæ abolitionem pollicita, protinusq; Angelis mandauit, vt eam a partu liberarēt, iufantulumq; sancto Eremitæ, in vicinia moranti, traderent, iubentes, vt per septem annos illum educaret. Quæ omnia cum nulla interiecta mora Angeli exequerentur, monebat Abbatissam virgo Maria, vt in posterū a tali peccato sibi caueret. Tandem cum Episcopus monasterium visitaturus aduenisset, graues aduersus Abbatissam querelæ ad eum deferebantur. Illa vocata coram Episcopo intrepida mente apparuit, qui cum nullum impræg nationis indicium animaduerteret, in genua prouolutus, suę audaciæ, qua innocentem fœdissimi flagitij insimularit, ignoſci petijt, omnesq; eas, quæ ipsam accusare ausæ fuerāt, e cœnobio eiecit. Interim rē omnē in cōfessione Episcopo clā detexit Abbatissa, qui ei benedixit, missisq; duobus Diaconis ad Eremitā, qualem nutriret infantulū quæsiuit, qui respondit, Præterita nocte a duobus adolescentibus, nomine virginis Mariæ, allatū sibi infantulū, mandatumq; , vt per septē annorū spacium illū educaret. Quibus auditis Episcopus summopere gauisus est [illegible]erūq; exacto septennio in bonis literis & pietate eruditi curauit, in c[illegible]s illo tantum profeciſſe fertur, vt Episcopo isti in Episcopatu succes[illegible]

Mendacium.

Mendacium.

3. In Episcopatu Cartonensi ancilla quædam cum hero suo, ordinis militaris viro, rem habens, heram indignis modis contumelia & probris affectam despiciebat, interim quotidie in genua prouoluta, angelicam Mariæ salutationem recitabat, nec ista sanctitas ancillæ herã latebat, quę cũ aliquando vehementius ei succenseret, indignabunda his verbis eam obiurgasse fertur: Profecto sæua te morte e medio tolli opera amicorũ meorum curarem, eo quod maritũ meum a me abstrahas, sed virgo Maria prę terita mihi nocte astitit, & ne tale quid committerem prohibuit, eo quod grata & fida sis ipsi ministra, quæ & pollicita est, se curaturam, vt pacifice marito meo cohabitem. Quæ simul ac audiuit ancilla, emendationem vitæ promisit heræ suæ, & ne amplius eã turbaret, vltro Episcopatu Cartonensi relicto, Episcopatum Cameracensem petijt, vitamq; monasticę ingressa, virgini Mariæ per omne vitæ suæ tempus sedulo inseruijt.

Mendacium.

4. Sacerdos quidam, homo leuis, turpitudinis & impudicitiæ mancipium, cũ ab inimicis suis occisus esset, eius vt hominis impij cadauer extra sacratum cœmeterij locum sepultum est. Verum magna licet istius Sacerdotis fuerit impietas, ea tamen in ipso fuit deuotio, vt quotidie bis Angelicam Mariæ salutationem recitarit. Qua eius pietate mota virgo Maria, triginta diebus exactis Sacerdoti alij apparens, mandauit, vt effossum defuncti Sacerdotis corpus in sacro Cœmeterij loco sepelirent. Nam fidus, inquit, minister mihi fuit, & frequenter me salutare est solitus. Quare citra moram effossum in loco decenti eum humate. Effosso itaq; sepulchro, in cadaueris ore flos odorus apparuit, & lingua ab omni putredine adhuc fuit immunis. Quod cum euidens sanctitatis eius esset indicium, cum solenni honore cadauer in sacratum locum translatum est.

Quintum mendacium

5. Alius quidam Clericus, homo prorsus impius & impudicus, cuius sanctitas in eo versabatur, quod horas virgini Mariæ dicatas sedulo obseruaret, quibus forte neglectis, cum aliquando flumen transiret, recordatus officij neglecti, Aue, inquit, Maria, gratia plena, & statim priusquam adderet, Dominus tecũ, submersus & suffocatus est, & a diabolis arreptus, sed Mariæ auxilio & numine ad tribunal Christi perductus: vbi cum grauis contentio de anima eius oriretur, Maria virgo ad filium conuersa: Ipsemet, inquit, dixisti, Qualem te inuenio, sic te iudico. Improba licet huius vita fuerit, attamen sedulo me coluit, nec quidem in extremo vitæ termino mei oblitus fuit. Quare venia eum dignum censeo. Quod si minus verbis meis fidem habent diaboli, introspiciant os eius. Quod cum facerent diaboli, aureis ibi literis in lingua eius expressa viderunt hæc verba: Aue Maria, gratia plena, pudoreq; suffusi discedere coacti sunt. Iudex autẽ animæ mandauit, vt in corpus remigraret, Clericusq; vitam emendaret.

Sextũ Monachorum mendaciũ.

6. Quidam cum alienam sequeretur coniugem, vxor eius animo valde perturbata, templum Mariæ ingressa, ab ea vindictam petijt aduersus adulteram. Cui protinus apparens virgo Maria, Qui, inquit, eam possim lædere, quæ vel centies quotidie coram me inflectit genua? Cui illa, Quoniam ergo frustra tuam imploro opem, age ad filium tuum querelã hanc deferam. Quibus dictis, cum murmure, quo Mariæ filium compellabat, e templo egressa est, cui protinus obuiam facta adultera, de quanã iniuria quereretur, interrogat: Cui respondet altera, A te mihi infertur iniuria ista, quam modo virgini Mariæ conquesta sum. Sed eam illa vlcisci renuit, eo quod coram ipsa quotidie tua inflectas genua. Interim filiũ eius mihi causæ meæ fore immemorem, certo confido. Quibus illa auditis, in genua prouoluta veniam delicti petijt, pollicitã se nunquam posthac mariti eius libidini parituram.

7. Virgo Maria mulierem quandã adulterio alijsq; fœdissimis flagitijs pollutã, ab æterna liberauit damnatione, eo quod Angelicam salutatio-

nem

nem quotidie recitare, tum diebus dominicis Missam audire in eius honorem solita fuisset. Quin etiam cum iam animam ageret, eius implorarat auxilium: Regina cœli, inquiens, quanquam vitam egi impudicam, omnisq; generis sceleribus contaminatam, attamen in tua confido misericordia, & in tuas manus spiritum meum commendo. Quæ cum spiritum reddidisset, diaboli animam abducturi aderant: Ad quos Maria: Nonne quotidie me salutauit, & in mei honorem Missas audire solita est, spiritumque suum in ipsa morte mihi commendauit? Cui diaboli, Veruntamen, inquiunt, vitam egit prorsus impiam. Ad quæ Maria, Quicunque, inquit, me colit, seque in fidem & clientelam mihi committit, is damnari non potest. Quod diaboli cum audiuissent, euanuere, at Maria animam secum in cœlorum regnum abduxit.

Pudet pigetque plura horrendæ vanitatis & blasphemiæ plena exẽpla referre, quibus virginem Mariam impudentes hypocritæ, Monachi, non tam honorarunt, quam dehonestarunt, adeoque in ipsum CHRISTVM, eiusque meritum & passionem blasphemi fuere, magisque aniles fabulas in Ecclesiam inuexere, quam vnquam inter Sacerdotes Isidis, Panis, Lycei, aut Floræ impudicissimi scorti, apud gentiles auditæ fuerint. Qui plura scire desiderat, consulat Promptuarium exemplorum in Discip. de tempore.

Finis exemplorum sexti Præcepti.

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.



IN septimo Præcepto commendantur nobis virtutes, Iustitia commutatiua, Liberalitas, Parsimonia, Gratitudo: contra prohibetur omnis in cõtractibus, & totius vitę huius societate, fraudulentia, infidelitas, & qualescunq; impostura, quibus proximus decipitur, & vel clam, vel vi manifesta bonis suis spoliatur. Pœnæ quibus violatores huius mandati æternus Deus afficere soleat, ex sequentibus exemplis patebunt.

Achan filius Charmi, de tribu Iuda, in expugnatione Hierichũtis, clam de anathemate abstulit pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & abscondit in terra. Propter quod populus Israel ciuitatem Hain oppignaturus, ab hostibus cæditur. Ipseque Achan, per sortẽ furto cognito, vna cum liberis & vniuersa familia, tum bobus, asinis, atque ouibus, lapidatur, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. Iosuæ 7.

Delila meretrix accepta à Philistinis Principibus pecunia, Sampsonem, cognita causa eius roboris, hostibus prodidit. Iudic. 16.

Saul iussus à Domino funditus delere Amalecitas, Agagum eorum Regem, optimosque greges ouium & armentorum reseruauit. Ob quod factum a Deo reiectus est. 1. Sam. 15.

Sesac Rex Ægypti. Propter peccatum Roboami, populiq; Iudæ, tradidit Deus populum in manus Regis Ægypti Sesac, qui captis munitissimis ciuitatibus Iudæ, diripit Ierusalem, sublato Regis ac templi thesauro, scutis quoque aureis & argenteis. 2. Paral. 12.

Achab Rex Israelis, eiusq; impia coniunx Iesabel, pio Naborthe per falsas criminationes damnato, lapidibusque obruto, vineam eius per vim & fraudem occupant. Propter quod scelestum facinus cum stirpe sua funditus sunt extincti, & ipsa Iesabel à canibus laniata.

Giezi seruus Prophetæ Elisæi, acceptis clam muneribus, argento, pre-

ciosisque vestibus, à Naamane Syro, quem Propheta lepra mandauerat, lepra percussus est, quæ ipsi adhæsit, eiusque semini in sempiternum. 4. Reg. 21.

Rex Balsaar conuiuium opiparum ciuibus & militi parans, vasa sacra è templo rapta profert, & contaminat, & ex ijs ad mensuram cum aulicis & concubinis potat. Inter vinum manus Dei apparet, & literas in parietis tectorium ignotas pingit: quas Daniel à matre Regis aduocatus, solus intelligit, & interpretatur, & subitam Regi perniciem nunciat. Eadem nocte Babylonijs helluantibus, per siccatum fluminis alueum, milites Cyrus introducit, Regem interficit, aulicos ebrios capit, vrbe & arce potitur: quam vel opere humano extrui potuisse, vel humana virtute destrui, pene incredibile apud mortales habitum, teste Orosio. Daniel. cap. 5.

Heliodorus quæstor Syrius.

Heliodotus quæstor Syrius in vrbem sacram agmine stipatus militari venit, vt thesauros templi, & pecuniam ibidem depositam auferret: sed à Deo scelerum vindice terretur, spectro mirabili. Visus est enim eques armatus, prioribus in eum pedibus insilire, iuxta quem bini satellites robusti, & veste insigni splendidi, flagris continentibus eum ad terram straeuunt, vt lectica e templo efferretur semianimi similis. 2. Machab. 3.

Iudæi, acceptis septuaginta millibus didrachmarum, hostibus populi pepercerunt, eosque liberos dimiserunt, quos vt proditores, qui pecunia fratres vendidissent, aduersarijs eorum dimissis, Iudas Machabæus omnes interfecit. 2. Machab. 10.

Iudas Iscarioth.

Iudas ille proditor, Christum filium Dei, quem Magistrum sibi delegerat, quem è cœlo missum esse, miraculorum magnitudine scire potuerat, modica pecuniarum iactura motus, quæ in mystica sacri corporis vnctione fuit adeunda, vilissimo vendidit precio, quin seipsum potius homo infœliciter natus vendidit, vel verius perdiditi prius consilio, mox præcipiti desperatione, vt qui omnem Israelis progeniem sedens iudicaturus fuit, sit perfidia & impietate iudicatus. Sabel.

Ananias & Saphira diuendito agro precij sibi partem clam reseruant, Spiritui sancto mentientes. Quam ob causam ad verbum Petri vxor post maritum subita morte percutitur. Actor. 5.

Pœna furti in lege Moysis quæ constituta fuerit, vide Exod. 35.

Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenę, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes precium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. Deuteron. 24.

Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Leuit. 19.

Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus tibi erit: vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi & domui tuæ. Abominatur enim Dominus tuus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Deuter. 25.

Infernus & perditio nunquam implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles. Prouerb. 27.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit. Psal. 15.

Mendicitatē & diuitias ne dederis mihi: tribue tantū victui meo necessaria. Ne forte satiatus alliciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini mei. Prou. 30.

Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimi-

dio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens. Ierem. 17.

Quanta benedictio eos comitetur, qui esurienti frangunt panem, & egenos vagosq; in domum suam recipiunt, vide apud Isaiam cap. 58.

Propter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, auertit oculum suum. Eccles. 27.

DE SACRILEGIS.

IVlianus, Imperatoris auũculus, Fœlix, & Elpidius Christianorum templa diripientes, & turpiter prophanantes, diuini protinus flagelli pœnas experti sunt. Historiam vide sub initium secundi Præcepti.

Marcus Crassus Imperator Romanus Iudæam ingressus, templi Hierosolymitani pecuniam, quæ bis mille talenta erant, abstulit, atque omnem templi ornatum spoliauit, qui ad talenta auri octies mille æstimabatur. Rapuit & trabem ex auri trecentis minis fabrefactam. Mina porro Iudaica libras binas & semissem pendit. Itaq; cum perpetrati sacrilegij diræ eum insectarentur, haud multo post conserto cum Parthis prælio superatus, eũ male partis opibus, & nomen & vitam cum filio cæsus amisit. Inuentoq; ab hostibus capiti eius infusum, quod liquefecerant, aurum, auaritiam sceleq; simul exprobrauit. Author Ioseph. & Zonar. & Campof. lib. 1.

Antiochus Magnus Syrię Rex cum noctu templum Dindymæi Apollinis spoliare aggrederetur, incolarum concursu cum militibus suis omnibus in sacrilegio interficitur, Strabone & Iustino testibus.

Antiochus Epiphanes parum ducens thesauris atque ornamentis omnibus templum Hierosolymitanum spoliasse, sanxisseq; ne in posterum in eo veteri cultu sacra fierent, Olympio Ioui templũ dicauit, & vt Iudæorum legem ceremoniasq; penitus deleret, perquisitas omni cura sacras Iudæorum scripturas omnes combussit. Quamobrem concitata in se diuina iustitia, in sæuum incidit morbum, ex putrida eius carne subinde nascentibus, ceu in aquarum scaturigine vermibus: Vnde cum in omnium oũium fastidium q; simul venisset, ac post longos grauesq; cruciatus à charioribus quoq; deuitaretur, rabie atque ira plenus mortem obijt, cum ante obitum & agnouisset, & fassus esset, propter violatum Iudæorum templum id se perpessum esse.

Anno vrbis sexcentesimo quadragesimo nono, Manlius & Seruilius Cepio Proconsules à Cimbris in aditu Alpium victi sunt, & trucidata ciuium & sociorum Romanorum octoginta millia. Cepio cum ei imperiũ abrogatum esset, in carcerem ductus est, & à carnifice necatus, & cadauer ad scalas Gemonias abiectum, triste spectaculum fuit, & insigne exemplum inconstantis fortunæ. Nam antea & Consul & Pontifex Maximus fuerat. Narrant autem punitum esse quod aurum ex Templis Tholosanis abstulerat, quod antea Galli ex Delphis rapuerant. Et accommodatur Prouerbium ad pœnas sacrilegij. 2. Chron. Philip.

Herodes cum audiuisset Hyrcanum decessorem suum aperto Dauidis monumento tria millia talentũm argenti abstulisse: noctu fidissimis amicorum adhibitis ne res efferretur, idem monumentũ aperit, ingreditur: ac quo omni sublato, ad cellas interiores, quibus Dauidis & Salomonis Regum cadauera condita erãt, properat. Quo dum penetrare contendit, duo eius satellites perierunt, flamma, vt fertur erumpente: ipse perterritus discessit, atq; ob id facinus res eius domesticæ laborare videbantur. Iosephus lib. 17. Zonaras 1. annal.

Hyrcanus, vt Iosephus autor est, sepulchrum Dauidis aperiens tria millia talenta pecuniarum inde protulit.

Iulianus Imperatoris auunculus cum serio moliretur precioſiſſima monimenta Antiochenæ Eccleſiæ in Syria poſitæ in Imperatoris æraria transferre, Eccleſias quoq; occluderet, omnesq; earũ miniſtros eijceret: ſolus Theodoretus presbyter minime ab vrbe ſeceſſit, quem, quoniam theſaurum iſtum, vtpote eius cuſtos, indicare poterat, Iulianus primum comprehendit: deinde verberibus grauiter cædit: poſtremo cum quæſtione de illo omni torméti genere habita, forti animo & virili reſpondiſſet, ſeque in confeſſione fidei præclarum virum oſtendiſſet, ſecuri feriri mandauit. Vbi vero ſacra vaſa abripuerat, proiectis illis in terram, cœpit petulanter in Chriſtum illudere, blaſphemias pro ſua libidine iacere, ſicq; factam iam contumeliam adaugere. At illico poſt membrum genitale, & meatus illi, quos natura ad neceſſitatem circa illud locauit, ei contabeſcunt: & carnes illis corporis partibus circundatæ, putreſcentes in vermes conuertuntur: morbus deniq; ita creuit, vt artem Medicorum longe ſuperaret. Nihilomi nus tamen Medici partim reuerentia erga Imperatorem, partim metu adducti nullum non medicamenti genus in eo experti ſunt. Et quanquam complures aues magno precio comparatas mactantes, pinguedinem earum ad partes putredine exeſas applicabant, & vermes ad cutis euocabant extremitatem, nihil tamen profecerunt. Nam in intimis partibus abditi, ad carnes viuas integrasq; ſerpſere, & nunquam à rodendo deſtitere, donec hominem enecaſſent. Itaq; hanc cladem ira diuina ei infixit. Quod etiam accidit tum theſauri Regij cuſtodi, tum alijs nõnullis ad amplos dignitatis gradus in aula Imperatoris elatis: qui contra Eccleſiam iuueniliter inſultantes, velut ab ira diuina condemnati, exitum vitæ vt mirandum, ita plane miſerabilem conſecuti ſunt. Sozomen. lib. 5. cap. 7.

Iulianus Apoſtata reditus Eccleſijs eripuit, ne poſſent ali docẽtes & diſcentes, & virulẽtos iocos addidit: Se facere expeditiores ad regnum cœleſte ſpoliatos facultatibus, quia in ipſorum libris ſcriptum ſit: Beati pauperes, quia eorum eſt Regnum cœlorum.

Fuit etiam ceu diuinitus caſtigatum ſcelus Philomeli Onomarchi & Phaylli, quod ſpoliato Apollinis Delphici templo putati ſunt perpetraſſe.

Nam cum ſacrilegis ſtatuta eſſet pœna, vt præcipitati, aut immerſi, vel combuſti vitam finirent: haud multo poſt raptos theſauros ſacros, vnus eorum viuus combuſtus, ſubmerſus alius: tertius autem ex alto præceps demiſſus. His mortis generibus Græcam legem in ſacrilegos moriendo ſeruarunt. Fulgoſ. lib. 1. cap. 2. infra plura.

Pœna quæ Vrrachæ Reginæ in Hiſpania ſacrilegium ſecuta eſt, admirãda prorſus ac celeritatis plena fuit. Nam cum in bello, quod aduerſus filium Alphonſum gerebat, pecunia ei deeſſet, & ſancti Iſidori in Legione vrbe Hiſpaniæ fanum ſpoliare decreuiſſet: cæteris contingere ſacros theſauros reformidantibus, ipſa manu ſua multa auferens, dum templo egreditur, mortua concidit. Ibidem.

Athenis cum auream laminã, quæ ex Dianæ corona deciderat, puer ſuſtuliſſet, in iudicium adductus eſt. Iudices igitur crepundia, talos & lamĩnam auream propoſuerunt puero, qui cum iterum ad aurum inclinaret, plexus eſt tanquam ſacrilegus, neque ætati veniam dederunt, ſed flagitiũ & ſcelus vindicarunt. Ælian. lib. 5.

Puer ſacrilegij damnatur.

Dionyſius ex omnibus Syracuſarum templis & delubris per ſacrilegiũ pecuniam abſtulit. Statuam Iouis veſtitu & omnibus ornamentis ſpolia uit, quæ octoginta quinq; auri talẽtis æſtimabantur. Et cum ſtatuam arti ficibus attingere religioſum eſſet, ipſe prius manum iniecit. Deprædatus eſt etiam ſimulachrum Apollinis, aureis capillis præditum. Inde nauigans in Troœzeniam, vniuerſas Apollinis & Leucotæ pecunias nefario ſcelere

Dionyſij ſacrilegia.

abripuit.

abripuit. Mensam etiam argenteam astātem Apollini, iussit auferri, quam fortuna quædam prospera propinationum causa Deo donauerat. Ælianus lib. 1. Hic tyrannus accepto tragicæ victoriæ nuncio gaudibundus vitam efflauit. Autor Plinius.

Dionysius Syracusanus cum egeret pecunia, varijs vsus est artibus, vt eā extorqueret à subditis: Finxit aliquando Cererem sibi apparuisse & mandasse, vt omnes matronæ sua afferrent ornamenta, vt decenti ornatu festū ipsius celebraretur. Cum ergo ornamenta aurea comportassent matronę, ea tyrannus rapuit, nec quicquam matronis restituit.

Idē sacrilegia sua facetis dictis obtegere solebat. Locris Proserpinę templum spoliarat, mox eum classis illius secundo vento nauigaret: Videtis, inquit, quam prospera nauigatio à Dijs immortalibus detur sacrilegis?

Idem Epidauri Æsculapio barbam auream detraxit: quod negaret decorum, patrem Apollinem imberbem, ipsum vero barbatum conspici.

Idem Ioui Olympio detraxit magni ponderis aureum amiculum, quo eum Hieron e manubijs Athenienſium ornauerat, proq; detracto aureo laneum illi pallium iniecit, ita cauillās: Aureum amiculum æstate graue est, hyeme frigidum, laneum ad vtrunq; anni tempus accommodatius esse.

Idem mensas aureas atq; æreas Dijs dicatas è phanis sustulit. Has inscriptio ex more Græcorum testabatur esse bonorum Deorū, ne quis manum admoliretur. At ille cauillatus est, se Deorum bonitate vti.

Carthagine à Romanis oppressa, Apollo veste aurea nudatus, id egit, vt sacrilegæ manus inter fragmenta eius absciſſæ inuenirentur.

Brennus Gallorum Dux, Delphis, Apollinis templum ingressus, Dei voluntate in se manus vertit. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

Turulius Antonij præfectus, lucum Æsculapij ad naues faciendas succiderat. Deuictis deinde partibus Antonij, Turulius quasi manifesta numinis ira in eum locum, quem violauerat, tractus, à Cæsarianis militibus ibi occisus est.

Q. Fuluius Flaccus in Censura tegulas marmoreas ex Iunonis Lacinię templo in ædem Fortunæ equestris, quam Romæ faciebat, transtulit. Post quod factum negatur mente constitisse. Quin etiam per summam animi ægritudinem expirauit, cum ex duobus filijs in Illyrico militantibus, alterum decessisse, alterum grauiter audiuisset affectum.

Plemminius Scipionis legatus cum thesaurum Proserpinæ spoliasset, ex Senatus mādato vinctus Romam protractus est, & ante causæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi consumptus est.

Milites sacrilegi.

Milesia Ceres, Mileto ab Alexandro capta, milites, qui templum spoliaturi irruperant, flamma obiecta priuauit oculis. Hæc ex Valerio.

Pyrrhus Rex Epirotarum è Sicilia rediens thesauros Locrensis Proserpinæ intactos ad eam diem spoliauit, & imposuit classi, quæ posterā die vicinis Deæ littoribus illisa naufragium fecit.

Miserat Cambyses quinquaginta hominum millia, qui templum Ammonis Iouis diriperent, direptum incendio fœdarent. Sed ingens illa hominum manus, cum inter Oasim & Ammonios pransa esset, subita ventorum tempestate, priusquam ad locum veniretur, arenarum cumulis obruta est, vt nemo ex tanto agmine sit nuncius repertus. Ex proximis tamē arenarum accolis eius rei fama ad posteros manauit. Sabel. libr. 4. cap. 3. Herod. lib. 2.

Sambicus latro templum Dianæ expilauit in Elide. Quod flagitium cū fateri nollet, annum perpetuum exquisitissimis cruciatibus ad mortem vsque tortus est. Hinc Adag. Sambico grauiora pati. Rauis.

Macareus Bacchi Sa-

Mitylonensis quidam nomine Macareus, sacrificulus Bacchi, vultu quidem singularem præ se ferebat mansuetudinē & æquitatem, cæterum o-

mnium hominum erat impijssimus. Accidit quodam tempore, vt hospes ad eum veniret, & in eius fidem aliquantum auri deponeret. Macareus in recessu templi, eruta terra, aurum defodit. Interiecto deinde tempore reuersus hospes, aurum reposcebat. Quem eum ille tanquã restituturus depositum in templum introduxisset, morte affecit, atque effosso auro, hospitem in eius locum imposuit, & recondidit: ac quemadmodum homines, sic etiam Deum clam esse arbitrabatur. Verum euentus longe secus declarauit. Quare paucis diebus exactis triennalis Dei solennitas aderat. Tum, cum ille magna celebritate diuinam rem obiret, atque in ceremonijs festalibus occupatus esset, duo filij eius domi relicti patris immolationem sacram imitabantur: accedentesque ad aram paternam, ardentibus adhuc holocaustis iunior collum præbebat: adultior vero, cum inuenisset æruginosum ensem, fratrem ad similitudinem victimæ mactauit. Familia conspecto facinore vociferata est. Mater audito clamore exilijt: videnssque trucidatum alterum, alterum ensem recenti sanguine conspersum manu tenentem, arrepto ex alrari torre superstitem filium interfecit. Allatum est cædis domesticæ nuncium ad Macareum, qui relicto sacrificio, quam potuit furentissimo impetu & iracundia in ædes insilijt, atq; tedia, quam habebat, vxorem interemit. Scelus in omnes homines euulgatum est, comprehensusque Macareus & in tormentis examinatus confessus est, quæ in templo quondam perpetrarat. In ipsis vero quæstionibus vitam amisit. At illi qui contra ius fasque peremptus fuerat, summus honor est publice habitus, sepulchrumque iussu Dei constitutum. Ælian. lib. 13.

cerdos scelleratus.

Phocẽses sacrilegi.

In Elephantina Æthiopia sacrilegos Ophiusam herbã bibere cogebãt, qua pota ita terroribus & falsis imaginibus afficiebantur, vt mortem sibi vltro consciscerent. Alex. ab Alexand.

In Iudicio Amphictyonico damnati erant Phocenses, & Thessalis & Thebanis petentibus, vt magnam mulctam penderent. Hanc mulctam cum dare nollent, quia & agri eis adempti erant, Lacedæmonijs clam eos incitantibus, qui & ipsi magnam mulctam debebant, Philomelus Phocensis collecto exercitu columnas Amphictyonum euertit, in quibus decreta mulctæ perscripta erant. & agros consecratos recipit, aurum & argentum ex templo aufert. Vt igitur opem ferrent iudicio Amphictyonico & Templo vicini Locri, Thebani, & Thessali, bellum Phocensibus inferunt. Bellum hoc dictum fuit sacrum, & per decem annos durauit, donec Philippo Macedonum Rege in Græciam accersito Phocenses victi & oppressi sunt. Philomelus victor tribus magnis prælijs quarto victus sese de rupe præcipitem deiecit. Hic primi Ducis Phocensium exitus fuit. Secundus Dux fuit Onomarchus, qui tandem post multa prælia suspensus est.

Tertius Phocensium Dux Phayllus phtisi mortuus est. Phallecus, qui Phayllo successit, finito bello sacro in Creta militans, in quadam oppugnatione fulmine ictus perijt, & incensis machinis multi eius milites fulmine perierunt. Phocenses in seruitutem redacti sunt, omnia oppida destructa sunt, & multitudo in villas distributa est, & agri eis traditi sunt, sed ita, vt quotannis penderent sexaginta talenta. Sic pœnas luerunt, quicunque templum Delphicum violare, thesauroque sacros diripere ausi fuerunt. Vide Chron. Phil. lib. 2.

Inter sacrilegos etiam referendus Ochus Tyrannus, eiusque præfectus Vagoses, qui templum Hierosolymitanum spoliauit. Summus Sacerdos erat Iohannes. Hunc vt frater eius Iesus excuteret, petit à Vagose Persico præside auxilium. & conatur vi occupare templum. Ibi à fratre Ioanna frater in templo trucidatur. Talia peccata irritarunt iram Dei. Venit igitur Hierosolymam Vagoses, & ingressus templum inde spolia auexit. Cui cũ diceret Ioanna, impie eum facere, respondit præses Persicus, illum vero

magis

magis impie feciſſe, qui ibi fratrem occidiſſet. Poſtea Ochus & annuas penſiones templo eripuit, donatas à Cyro & Longimano, & indixit tributa populo Iudæorum. Ioſeph. lib. 11. cap. 7. Chron. Philip. lib. 2.

Gundericus Rex Vandalorũ capta Hiſpali, cum impie elatus manus in Eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio à dæmone correptus interijt. Anno Chriſti 429. Chron. Sigeberti.

Miles ſacrilegus.

Clodouæus filius Childerici, Rex Francorum, cum Remos & Sueſſiones in poteſtatem redegiſſet, Eccleſiam Remorum, licet à Chriſtianorum religione alienus eſſet, ſpoliari vetuit, & militem, qui calicem e templo rapuerat, ſua manu trucidauit. Hiſtor. Eccleſ. Caſp. Hedion. lib. 3. cap. 5.

Milites ſacrilegi.

Theodorico Rege Gothorum Aruernorum regionem vaſtante, nõnulli ex militibus Baſilicam S. Iuliani effringere, reſque pauperum, quæ ibidem fuerant adgregatæ, diripere auſi fuere, qui à Spiritu immundo correpti, infeſtis dentibus, proprijs ſe morſibus lacerarunt. Gregor. Turonenſ. lib. 3. cap. 12.

Eberulfus Francorum Regis Chilperici cubicularius cum paſſim Eccleſiarum bona perfide ad ſe raperet, tandem & ipſe bonis omnibus exutus, poſt mortem Chilperici ex mandato Gunthramni Aurelianenſium Regis interfectus eſt. Greg. Turon. lib. 7.

Leo Copronymus è templo Conſtantinopolitano coronam inſignem auro & gemmis, quam Mauritius in magna Eccleſia Deo conſecrarat, cũ rapuiſſet, capitique ſuo accommodaſſet, ſtatim vehementi febri eſt correptus, quæ vitæ finem ei attulit. Zonaras.

Regenarius Normannorum Princeps, anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Carolum Regem grauiter infeſtans Pariſijs Eccleſias & monaſteria diripuit, cuius ſacrilegij pœnas protinus pendere coactus eſt, ſubitanea morte extinctus. Eius vero milites pleriq; ex profluuio ventris interiere. Antonius libro quinto, de geſtis Francorum.

Ratharius Præfectus Maſſiliẽſis.

Ratharius Regis Francorum Childeberti præfectus Maſſilienſis Epiſcopum Theodorum Maſſilia eijcit, reſque Eccleſiæ diripit, & alia quidem ſibi vindicat, alia ſub ſigillorum munitione concludit. Quod cum feciſſet, protinus famulos eius ſæuiſſimus inuadit morbus, exhauſtoſq; febri perimit. Filius eius ab hoc incommodo defecit, quem in ſuburbano Maſſiliæ ipſius cum graui gemitu ſepeliuit, fuitq; talis domui eius plaga, vt cũ ab vrbe illa eſt digreſſus, vix ad patriam ſuam regredi putaretur. Gregor. Turon. lib. octauo, capit. 12.

Gunthramni Exercitus, cum Vincentij Baſilicam, quæ eſt iuxta terminum Aggennenſis vrbis, refertam diuerſis incolarum theſauris, iniecto in eam igni diripuiſſet, protinus diuinam vltionem expertus eſt. Nam pleriſque manus diuinitus vrebantur, nonnulli arrepti dæmone bacchantium ritu martyrem declamabant. Plurimi vero ſemoti à ſeditione proprijs ſe iaculis ſauciabant. Turon. lib. 7. cap. 35.

Celſus Patritius, Regis Gunthramñi præfectus, Eccleſiarum bona per vim rapta ſuis adiungebat, cumque audiuiſſet vice quadam Eſaiæ Prophetæ lectionẽ in Eccleſia legi: væ his qui iungunt domum ad domum, & agrũ ad agrum copulãt vſq; ad terminũ loci: exclamaſſe fertur: Hoc væ mihi & filijs meis. Reliquit autem filium, qui abſque liberis functus, maximam partem facultatum Eccleſijs, quas pater ſpoliauerat, reliquit, Turon. libr. 4. cap. 24.

Bonifacij Octauui ſacrilegium.

Bonifacius Octauus malis artibus adeptus Pontificatum, ortis aduerſus eum ſeditionibus, cũ videret, ſibi non eſſe tutum amplius manere Romæ, ex D. Petri Baſilica precioſiſſimos theſauros clã & furtim ſurripuit, ac Cõſtantinopolim aufugit. Vbi poſt menſes aliquot diuẽditis omnib. ingentem vim auri collegit, Romamque redijt, pecunia ratus cuncta expugnari

poſſe,

posse. Interea temporis dum abesset, Romani in eius locum, Iohānem 15. Pontificem fecerūt Sed ille reuersus ciues auro illectat, & pessimos quosque pecunia corrumpit. Iohannem ergo paratis præsidijs cœpit: oculis priuauit, carceri inclusit, fame necauit, occupauitque rursus Pontificiam sedem. In qua non multo post anno Domini 976. subita morte turpiter cum Iuda periit, vt qui pauperum bona furto abstulisset. Vnde cadauer eius func ad pedes alligato, per plateas tractum ac lanceis & contis opprobriose confossum, tandem a Clericis populari sepulturæ demandabatur.

Seuerus Antiochenus Episcopus, cum non pastorem sed lupum ageret, quippe qui dilapidis Ecclesiæ bonis suæ potius auaritiæ quam animarum saluti consuleret: vnde abominatio desolationis, & pestiferum monstrum vocabatur, Episcopatu deiectus est, & Ecclesia prorsus eiectus. Casp. Hed. libr. 6. cap. 3. & 4. Euagrius refert, mandato Iustini Imperatoris Seuero linguam exectam fuisse, eo quod Chalcedonensi Cōcilio anathema indicere non desisteret Euag. lib. 4. cap. 4.

Constans Heraclij Nepos Romam omnibus ornamentis spoliauit, nabusque imposita secum auexit, & plura intra septem dierum spatium inde abstulit, quam intra ducentos quinquaginta octo annos à Barbaris eo fuerit congestum. In Siciliam deinde reuersus infœlix Imperator perfusus feruente aqua in balneo strangulatus est. Anno Christi 670.

Nicephorus Imperator auaritia fuit inexplebili summaque perfidia, qui ad atterendos suos subinde alia atque alia comminiscebatur grauamina. Præterea quos vel mercatores, vel officinarum Magistros pecuniosos esse norat, ijs maxima parte adempta perexiguum quiddam relinquebat, vt cuidam cereorum venditori fecit, quem cum magnæ pecuniæ dominum esse cognouisset, accersitum, manu illius suo capiti impositā, inratum dicere coegit, quantum auri haberet: illo centum libras affirmante, vt eas afferret hominem hortatus est. Its allatis: Non tibi opus est, inquit, tanto auro: & decem libris illi relictis ipse reliquas sibi vendicauit. Cum aduersus Bulgaros bellum susceptisset, quidam ex eius intimis ei suasit, vt subditos clementius tractaret. Nam omnes, inquit, vociferantur cōtra nos, & si quid aduersi nobis acciderit, oēs casu nostro lætabuntur. Respondit ille: Deus cor meum quemadmodū Pharaonis indurauit. Ne quid igitur à me bonum ijs euenturū expectato, qui in manu mea sunt. Verum Bulgaris noctu castra Romanorum inuadentibus, statim in tabernaculum Imperatoris facto impetu Nicephorus occisus est. Crumus Bulgarorum Rex Nicephori caput amputatum, per aliquot dies crucibus suffixum spectandum præbuit, & rei bene gestæ pompam celebrauit. Deinde osse verticis resecto, cute direpta, capite argēto inducto pro calice vsus est. Zonar.

Væ qui spolias, quia spoliaberis. Cressphontes defraudatis orphanis fallaci sortitione occupauit Messenen. Postea ciues eum interfecerunt, & cō iuxta Merope furens filios interfecit. Hæc pœna fuit fraude occupati alieni regni deceptis orphanis. Philip. 1. Chron. & Pausanias in Messenaicis.

Spiridon ciuitatis cuiusdam in Cypro Episcopus & opilio erat. In cuius ouilia nocte quidam fures irruentes, oues inde surripere moliebātur. Sed Deo & oues & pastorem protegente, fures ad ouilia vi quadam diuina astricti tenebantur. Vbi dies illuxit, Spiridon eos vinctos offendit. Deūque precatus vinculis soluit, monetque, vt non ex iniquis, sed ex iustis laboribus victum quærere contenderent, arietem illis dat: & cum hoc facete dicto (vobis istum dono, ne frustra vigilasse videamini) liberos dimisit. *Spiridon fures comprehendit.*

Idem filiam habebat virginem paterna pietate, & sanctimonia prædi-tam, cui nomen Irene, apud quam familiaris quidam ornamentum valde pretiosum deposuerat. Illa depositum quo magis in tuto collocaret, in terram abdidit, paulo post excedit è vita. Postea autem qui illud de- *Filia Spiridonis Irene.*

posuerat, cum virginem mortuam offenderet, patrem illius eo cœpit implicare negotio. Senex quoniam damnum illius, qui hoc deposuerat, suum ipsius damnum dicebat, ad filiæ sepulchrum se confert: Deum obtestatur vt resurrectionem promissam iam ipsi ante tempus ostendat. Quæ quidem spes ipsum neutiquam frustrata est. Nam virgo reuiuiscit, in quę patris conspectum venit: quæ simul ac locum indicasset, vbi ornamentum illud erat occultatum, rursus e vita migrauit.

Consueuerat ille Spiridon fructus, qui ei suppetebãt, partim pauperibus distribuere, partim alijs, qui cupiebant, gratis mutuo dare: ita tamen, vt ipse sua manu neque traderet, neque reciperet, sed monstrata illis accedentibus cella penaria faceret potestatem tantum secum auferendi, quantum ipsis opus esset. Quidam igitur hoc modo fruges à Spiridone mutuatus, venit vt eas redderet. Qui nactus potestatem, vt moris erat, fruges mutuo acceptas in cellam penariam reducendi, ad fraudem faciendam se conuertit: atque ratus clam fore, debitas fruges non reddidit, sed perinde quasi reddidisset, abijt. Verum aliquanto post, cũ opus haberet fruges rursus mutuari, & Spiridon eum ad cellam penariam misisset, facta potestate, vt sibi quantum vellet, metiretur, cella vacua reperta, Spiridonem indicauit. Cui Spiridon: Petmirum sane est, inquit, mi homo, qui possit fieri, vt tibi soli cella non suppeditet res necessarias. Quare tecũ cogita, nũ quid alias mutuatus sis, quod nõdũ reddideris. Nam si istud nõ obstitisset, certum est te voti fuisse compotem. Cæterum ito rursus eo, confidens te fruges inuenturum. Qui hoc modo manifeste deprehensus, culpam indicauit. Sozomenus lib. 1. cap. 11.

Medardus in Gallia Episcopus, stupendo more fures nocturnos, qui vineam eius infestarent, vinctos tenuit, donec ipse mane accedens, eos acriter reprehensos dimitteret. Vixit anno 520.

Adolescens quidam cum ex morsu rabidi canis graui morbo conflictaretur, & in rabiem ipse quoque actus catenis vinciretur: parentes eum vinctum mœsti ad Abbatem Ammonem adduxere, orantes, vt suis ille precibus misere afflicto adolescenti succurreret. Quibus respondit Ammon: Quid molesti mihi estis, ea petentes, quæ vires meas superant? Hoc autem significare vobis possum, quod Satanas victor vos teneat. Furto quę surripuistis viduæ taurum, reddite, & sanabitur filius vester. Parentes his auditis vitam emendarunt, tauroque reddito, filij sanitate protinus gauisi sunt. In Vitis patrum.

Furtũ detegitur.

Praua indulgentia erga filium vsa mater, ad eius furta conniebat. Quę in educatione pueri, pernicioſa lenitas effecit, vt ille paulatim furtis, magis magisq; assuesceret, donec in ætate prouectiore tandẽ suspendio afficiendus ad locum supplicij educeretur. Ibi matrem in turba conspectam accersit ei clam aliquid significaturus, quæ vbi accessit, filius dum osculum præbere matri simulat, mordicus nasum eius arripit, dentibus auulsum in terram abijcit, clamans, Hoc præmium sibi mater habeat prauæ educationis, per quam filio & mortis & infamiæ causa extitit. Pont. hbr. nono, de educatione liberorum.

Mater ad filij furta cõniuet.

In Poetarum theologia Mercurius & fur est, & furibus vt patronus præest, quemadmodum Lauerna Dea apud Romanos. Lactant. Fur ac nebulo Mercurius, qui ad famam sui nihil reliquit, nisi memoriam fraudum suarum. Mantuan. Thetidosque cubile Peleus incestas: Rector Neptunus arquarum Phorcida, Deucalidem fraudis furumque Magister Mercutius.

Mercurij filius Autolycus paternæ fraudis imitaotr. Ouid.

Nascitur Autolycus furtum ingeniosius ad omne,
Qui facere assuerat patriæ non degener artis
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Draco

Draco apud Athenienſes vnicuiq; & quantulocunq; furto extremum ſupplicium, id eſt, mortem irrogauit.

Solon ſua lege in fures non (vt Draco antea) mortis, ſed duplici pœna vindicandum exiſtimauit.

Apud Locrenſes in furto deprehenſus oculis priuabatur. Quæ pœna etiam in adulteros ſtatuta erat. Quemadmodum patet ex Zaleuci erga filium ſeueritate, cuius meminimus in ſexto Præcepto. *Locrenſes.*

Apud Hethruſcos lapidibus obruebantur fures. *Hethruſci.*

Scythæ furta maxime execrantur, vt qui omnia habeant communia, præter enſem & cyathum.

Contra apud Bactrianos qui pauca furantur, ſputis dehoneſtari ſolent.

Lacedæmonij furandi vſum concedebant impune, non ob turpia lucra ſumptumq; libidini præbendum, comparandamue opulentiam, ſed pro exercitio, diſciplinaque rei bellicæ, quod & furandi ſolertia, & aſſuetudo acueret animos adoleſcentium, & ad inſidiarum aſtus, & vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem aptos procliueſq; redderet. *Lacedæmonij furta permittunt.*

Lycurgi legib. cum furta permitterentur, & qui deprehenderetur pœnas ſolum negligentiæ daret: Puer quidam vulpeculam furatus, aduenientib. qui amiſerant ad quærendum, veſtibus occuluit. Feram vero ſæuientem ac puerii ipſius latus ad inteſtina vſq; lacerantem tantiſper toleravit, dum quærentes abirent. Reprehenſus autè à pueris quibuſdam dicentibus, me illius fuiſſe manifeſtare vulpeculam, quâ vſq; ad mortem occulere, Minime, inquit puer, ſed multò ſatius eſt mori, quam in furto deprehendi.

In Clagenfurtino Carinthiorum ſolent ijs, quos furti ſuſpectos habet, haud diligenti inueſtigatione prius facta in furcis ceruices frangere. Triduo autem poſt inquiſita re per iudicem, ſi vere furtum feciſſe, quo arguebantur, inuenti ſunt, furcis appenſos relinquunt, quod ſi innoxij fuiſſe iudicantur, à furcis detracti, impenſa publica cum honoris præfatione ſepeliuntur. Fulgoſ. lib. 2. cap. 1. *Praua iudicandi conſuetudo.*

Apud Phrygas capitale erat qualecunque inſtrumentum ruſticum alteri ſurripere.

Apud Vacceios tãtus iuſtitiæ rigor fuit, vt vel manipulum ariſtarum ex agro cuiuſpiam capitale haberetur.

M. Fabius Cenſor filium ſuum Buteonem in furto deprehenſum ipſe met ſua ſententia damnauit, mortiſq; ſupplicio affici iuſſit.

Tiberius Imperat. militem capitali affecit ſupplicio, eo quod pauonem furatus eſſet, Strenuum, inquiens, militem ab omni furto alienum eſſe debere.

Peſcennius Niger cum intellexiſſet à milite ſuo gallinã ruſtico cuidam eſſe per vim ereptam, atq; ad illius, aliarumq; nonnullarum rerum epulas raptorem, decem alios adhibuiſſe comites, ingenti labore, cum ob hoc ipſum ad rebellionem ſpectare videretur, exercitus vix retentus eſt, quin omnes capitali pœna mulctaret: lenitaque animaduerſionis ſeueritate effecit, vt denæ per ſingulos gallinæ ei, cui erepta erat, perſoluerentur, eorumque nullus durante ipſo bello in tabernaculo ſuo ignem accenderet, ſoloque pane atque aqua vitam duceret.

Aurelianus Imperator in epiſtola ad vicarium ſcripta, Si tribunus, inquit, eſſe vis, aut potius, ſi tibi, vt viuas curæ eſt, fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum accipiat, alienam ouem tangat, ab aliena vinea vuam decerpat, aliena ſata calcet, oleum, ſalem ac ligna petat, taxato ei commeatu contentus maneat, prædaque hoſtium non lachrymis ſubditorum alatur, nitida habeat arma, ferramentaq; omnia parata teneat, calceamenta ſint firma, veterem veſtem noua excludat, ſi pẽdiumq; eius in baltheo & non in culina maneat, torquem, armillam, atq; *Aureliani epiſtola de tribuni, militiſq; officio.*

annulum ferat, equum suum maiorem ipse perfricet, animal ex hoste captum non vendat, mulumq; qui eius ac comitum impedimenta gent, diligēter curet, mutuoq; sibi milites vt serui auxilio sint, à Medicis sine præmio curentur, Aruspici & sagis nihil dent, honeste in statiuis suis viuant, & qui rixabitur vapulet.

Romanorū militū continentia.

Romani milites sub M. Scauro cum castra mouerēt, in castris suis aggere inuenta est arbor optimis fructibus onusta: quia milites ea disciplina instituti, decerpere ex arbore fructum nullum ausi erant.

Tamburlani seueritas in furto puniendo.

Tamburlanus cum exercitum duceret per minorem Asiam, ei lachrymabunda mulier se obtulit, querens ab eius milite nullo dato pretio coctum lac, parumq; calei erepta esse: ibi statim consistere iussit exercitum Tamburlanus, atque inde agmen ordinatim incedere, vt mulieri facultas esset eum agnoscendi, qui vim fecerat. Agnito igitur rex per pectus se præsente aperiri corpus iussit, in cuius stomacho lac, quod mulieri ereptum fuit inuentum: cui supplicio mulier designata erat, nisi eius rei, qua se spoliatam questa erat; signa fuissent inuenta. Hac enim seueritate assequebatur, vt copiæ, quas habebat immensas, cum tutus ad castra omnibus esset accessus, omni cōmeatu semper abundarent.

Belisarij virtus.

Belisarius cum ad recuperandam è Gothorum manibus Italiam à Iustiniano missus esset, adeo ab omni maleficio milites continuit, vt cum iter facerent, quanquam defessi, ad decerpendos fructus, qui in via ab arboribus pendebant, nunquam manum extenderint, neque in opacum locum pabulatum, frumentatumq; iuerint.

Theophili Imperatoris iustitia in puniendo furto.

Imperium Orientis administrante Theophilo, miles quidam manu promptus equum habuit egregium, qui ipsum sæpe ex prælio incolumem extulerat. Huius equi amore captus Dux, sub quo is militabat, cum neque pollicitationib. neq; minis impetraret, hominem timiditatis accusatum apud Imperatorem exauctorat. Cum autem Theophilus equum insigni virtute cuperet habere, & missis in omnes partes mādatis talem sibi quærenti atque afferri iuberet, eam nactus occasionem Dux iste, militi ei equum inuito adimit, & tanquam suum Imperatori mittit. Post, cum necessitas bellica plures milites requireret, mandatoque Imperatoris omnes, qui arma ferre possent, allegerentur: ille etiam miles arma sumpsit, & in prælio fusis suis, quod equum, à quo seruari consueuerat, non haberet, occubuit, vxore & liberis relictis. Vidua amissi mariti desiderio accēsa, & quod necessaria pupillis suppeditare nequibat, Iustitiæ Imperatoris fama instigante, Constantinopolim venit, Theophilumq; ad templum Blanchernen se equitantem de more conspicata mariti sui equo vehi concitato cursu, aggressa frænum equi apprehendit, suum hunc esse vociferans, & non aliter sed ipsum Imperatorem cædi mariti sui causam præbuisse. Perterritus Imperator, manere eam iubet dum in palatium ipse rediret, ac reuersus statim ad se vocat, ac de re tota accuratius inquirit. Quā cum ea à principio ad finem vsq; recitaret: illico etiam Dux iste sistitur, & mulieri iussu Imperatoris occultata de equo acriter interrogatur, quem cum asseueraret suum fuisse, neque raptu paratum, producitur extra velum mulier, reū demque ad se reuersus, supplex Imperatoris pedibus sese aduoluit lachrymans, ac peccatum confitens. Ergo Imperator eius facultates viduæ eiusque liberis hereditario addicit, ipsumq; dignitate spoliatum exilio perpetuo damnat. Zonar. lib. 3 Annal.

Alexander Seuerus Disciplinam militarem seuere rexit, exauctorata semel integra legione, & Tribunis militū affectis capitali supplicio. Cum fustibus subijciebantur milites, qui socios iniuria affecerant, iussit præconem clamare: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hæc mandata Tri-

bunis

bunis militum dedit: Si vis Tribunus esse, imo si viuere vis, manus militum contine: Nemo segetes atterat: Nemo salem, oleum, ligna auferat, nemo ouem alterius rapiat: Annona sua miles contentus sit: Ex præda hostium, non ex lachrymis prouincialium habeat.

Deuicto Crœso cum milites Cyri vrbem Sardeis diriperent, Crœsus discurrantes conspicatus milites Cyrum percontatur, Quidnam, inquit, tanta multitudo properat agere? Cui Cyrus, Tuam, inquit, vrbē diripere, tuásq; opes absumere. Atqui Crœsus excipit: Neq; vrbem meam diripis, neque meas opes. Nihil enim mihi iam cum istis rebus est, sed tua ferunt aguntque. His verbis iniecta cura Cyrus ciuium bona diripi prohibuit. Herodotus 1.

Diogenes conspicatus duci quēdam, qui phialam ex ærario furatus fuerat (ducebatur autem à Magistratibus, quos illi Hieromnemonas appellant) Magni, inquit Diogenes, fures paruum ducunt. Vtinam hoc non possit vere dici in Magistratus aliquot Christianos, à quibus ad laqueum adigitur interdum, qui decem drachmas sustulit, ipsi impune magis furtis, vel peculatu potius diteſcunt.

Tiberius Cæsar, qui statim post Augustum Romanis imperauit, cum ab amicis interrogaretur, cur non tam facile Magistratus & præfecturas suas mutaret? Respodit, se data hæc opera semper feciſſe. Natura enim omnes, qui rerum administrationi præsunt, pecuniæ esse cupidos, plurimumque studij ad rem magis magisq; augendam collocare. Cæterum si diutius in Magistratu versentur, segniores ad quæstum faciēdum fieri. Muscas enim si longius corporum vlceribus insideant, minus graues & moleſtas fieri, quippe sanie vlcerum ad satietatem vsq; refertas, & eum, qui vlcerib. scateat, durius acceptum afflictumq; iri, si saturis iam repulsis famelicas alias ad vulnera admittere velit. Ioseph. Niceph.

Quæstor Ducis Saxoniæ Ioannis Friderici lucri male parti sibi conscius quadraginta florenos Doctori Martino Luthero obtulit, rogans vt dissimulato suo nomine eps duci traderet. Dux mirabatus istius Quæstoris probitatem pecuniam non sine risu acceptam Luthero donauit, qui eam inter pauperes Studioſos distribuebat, quorum opera in vertendis Biblijs vtebatur.

Anno 1372. Comes Eringerus ob adulteratam monetam capite plectebatur. Sebast. Franc.

Pistor quidam cum vicino familiariter locutus, gloriatus fuerat, se in vrgente annonę caritate è modio tritici facile sesqui aureum lucraturum, Quod vbi delatum fuit ad dominum Ernestum à Schonberg, pistorem ad cœnā vocatum, hac de re examinauit, qui cum diffiteri quod dixerat non posset, depositis eum vestib. coēgit Dominus farinam subigere, fraudisque modum ostendere. Quod vbi factum, omnes pistores in carcerem coniectos punit, Retulit Lutherus anno 1531. *Pistores furaces.*

Idem tum temporis referebat, Pragę mortuum fuisse Iudeum, qui cum Ratisbonæ sepeliendus esset, neq; sine magno tributo eo deportari posset, Iudæi cadauer clam in dolium musti plenum coniecere, aurigisq; Ratisbonam transuehendum tradidere. Illi pro suo more dolium in itinere clam relinentes, mustum biberunt, ignariq; fœtorem cadaueris vna hauserunt. *Aurigæ furaces.*

VVitembergæ tres fures ciborium argenteum aurificis, cui Christiano nomen, vxori obtulerunt, quæ iussit, vt post horam reuerterētur, interim rem Magistratui significauit, qui fures missis lictoribus iussit comprehendi. Illi se proditos esse videntes, lictorum vim propulsare animum inducunt, strictis gladiis se ijs opponunt: primum ex ijs vulnerant. Verum oppressi lictorum turba, fuga euadere conati sunt. Vnus ex ipsis ca-

ptus est: alter fuga se inde proripuit: tertius per pontem festinans, cum ibi a custode detineretur, eo vulnerato in Albim se præcipitauit, & submersus est. Erat autem iste homo nefarius, & parricida, qui patri suo duos digitos præciderat. Forte autem accidit eodem die, vt de filio interrogatus pater, vbinam ageret? responderet: Vtinam filius meus in Albi submersus periisset. Quod votum re ipsa impletum est. Fuit enim vox iræ diuinæ ex ore patris. Anno 1531. retulit Lutherus.

Sacrilegi diuinitus puniti.

Cum principes quidam Germani iunctis viribus capto suburbano Reginoburgensium oppido, castra ad Stauff / arcem Danubianam, mouissent, quidam ex equitibus Boijs Andreas cum duobus socijs in altera ripa templum Sulzbachij intrant, sacrarium vt effringunt, sacra hostiamque (thecam auream rati) sacrilegis manibus suffurantur, proxime arcem, vbi nunc templum extat, quod accolæ eius rei gratia venerantur, condunt. Holosericam crumenulam, qua victima seruari solita, septem assib. scorto diobolari vendunt. Sed sacrilegij pœnas mox eodem die pendunt. Andreas subito furiis actus, misere in castris quiritando, omnibusque ad huiusce modi spectaculum conuolantibus, expirauit. Alter sceleris socius, dum aquatum equitat, ab equo excussus, aquis obruitur. Tertius ferro cæsus, occubuit. Auentinus lib. 7. Sub VVenceslao Caroli Quarti filio.

In pago quodam rustici decimas parocho offerre grauabantur, quos Comes Palatinus, eius pagi Dominus, cum ad se accersiuisset, eorumque causas, quas prætendebant, audiuisset, Liberi, inquit, eritis à decimis parocho offerendis, eas enim à me accipiet, vos autem mihi eas duplicatas exhibebitis. Ea iustissima fuit Principis seueritas. Nam ingratitudo huius seculi erga Euangelium est ineffabilis & Satanica. Ministri impugnantur exilio, persecutione, ingratitudine, & fame, & nisi Principem defensorem pium haberemus, nostri nos auditores plus afflicturi essent, quam auersarii. Doct. Ionas.

Sepulchri violator.

Sacrilegus quidam cum Longobardici regis monimentum in æde sacra Ioann. Baptistæ spoliasset, apparuit ei noctu diuus Ioannes, Cur, inquies, ausus es hominis istius cadauer contrectare, qui fidem licet veram non agnouerit, attamen sese mihi commendauit. Quare nunquam in templum meum ingredi tibi licebit. Quod sic factum est. Nam quotiescunq; sacram ædem intrare voluit, spectrum ei oblatum est, quod stricto ipsum ense repelleret. Chronic. Vtipergens. Spectrum id quale fuerit, pius lector diiudicet. Nos historiam ideo posuimus, vt ostenderemus omnis generis furta & sacrilegia vbique gentium & locorum prohibita esse.

M. Crassus per auaritiam duodecim Romanorũ legiones in extremum diserimen coniecit, cumq; caput eius regi Parthorum Orodi oblatum esset; aurum in os eius infundi iussit, cum ludibrio inquiens: Vrat te Parthi cum, quod te viuum vrebat aurum. Hic Crassus cum esset opulentissimus, adeoque neminem iudicaret diuitem, nisi qui suis sumptibus exercitum per annum integrum sustinere posset, inexplebilis fuit auaritiæ. Non solum enim templum Hierosolymitanum spoliauit, vt supra dictum, verum etiam duo millia pondo auri rapuit, suo & Pompeii tertio Consulatu è Capitolini Iouis solio, à Camillo ibi condita. Plin. lib. 33. cap. 1.

DE LATRONIBVS.

Dismas latro, ad Christi dextram in cruce pependit, & scelerum veniam impetrauit. Alterum ferunt Gesmam dictum.

Procustes latro fuit insignis in Attica, qui hospites interimebat. Tandem & ipse interfectus ab Hercule.

Scinis latro fuit in Isthmo Corinthiaco, qui homines arboribus alligatos discerpebat in frusta. Hunc Theseus interemit.

Sciron

Sciron latro fuit prope Athenas, qui hospites è saxo præcipitabat in mare. Hunc interfecit Theseus, & in mare deiecit, vbi eiusdem ossa sunt mutata in saxa, quæ propterea vocantur Scironia.

Spartacus fuit latro, & gladiatorum Princeps, qui collecta fugitiuorum & perditorum hominum manu bellum Romanis intulit. Hunc vicit Pub. Crassius.

Dauid latro fuit apud Hermopolim, qui cum alijs triginta prædonibus quæstum solo parabat furto. Tandem meliore ductus spiritu, inclusit se monasterio, vbi ad mortem vsq; sanctissime vixit.

Eurybatus latro fuit astutia singulari, quem deprehensum, quum custodes vellent cogere, vt ostenderet, quibusnã modis consuesset domos conscendere: ille aptatis spongijs, & stimulis ferreisque retinaculis irrepsit in parietem, & spectantibus illis, artificijq; nouitatem mirantibus, prehenso laqueari, per tegulas effugit, eoq; modo periculum euasit. Hinc Eurybatissare verbum, id est, malis artibus vti.

Balista ludimagister quispiam, ob infamiam latrociniorum, lapidibus coopertus est. In quem Virgilius hoc distycho lusit:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus,
Nocte dieq; tuum carpe viator iter.

Ibycus Poeta à latronibus correptus spe prædæ, dum cultros iugulo vidit instare, præteruolantes grues obtestatus est. Aliquanto post tempore, dum homicidæ sederent in foro, rursumq; grues superuolaret, per iocum inter se susurrabant in aurem: Adsunt Ibyci vltores. Quo sermone audito, homicidij suspectos habuerunt qui audiuerant, correptosque tormentis ad verum coegerunt. Atq; re comperta, scelus vlti sunt. Aus. Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans grus.

Cæsar à piratis captus.

Iulius Cæsar cum Syllæ tyrannidem fugeret, apud Pharmacusam Insulam à piratis captus est, iam tum magnis classibus, & innumeris nauigijs mare obtinentibus. Ab his primum viginti talentis dimissionem redimere iussus derisit eos, quod nescirent quem cepissent, vltroque daturum se quinquaginta promisit. Deinde suis in diuersas vrbes ad cogendam pecuniam dimissis, cum inter hominum genus immanissimum Cilicas solus ipse cum vno amico & duobus famulis ageret, ita eos spreuit, vt quoties requieti se dedissent, mitteret qui eos tacere iuberent. Ita per duos de quadraginta dies quasi non captus teneretur ab iis, sed stiparetur, summa securitate collusit ipsis, & vna exercitationibus vacauit. Carmina etiam & orationes quasdam cum scripsisset, iis recitabat: & qui non laudassent, eos palam barbaros rudesque appellabat, ac sæpe per risum minabatur, se eos in crucem acturum, gaudentes ea dicendi libertate & simplicitati ac ioco imputantes. Allatis à Mileto pecuniis, cum satis fecisset piratis, essetq; dimissus, statim nauibus instructis aduersus eos ex portu Milesiorum profectus, & stationem adhuc apud insulam habentes nactus plerosq; cœpit. Itaque pecunia prædæ cessit: piratas Pergami in custodiam dedit, & ad præfectum Asiæ Iunium abiit, cui ratione officii puniendos captos intelligebat. Verũ cum is pecuniæ intentus (erat enim haud parua) per ocium se de captiuis deliberaturum respondisset: Valere eo iusso Pergamum rediit, productosque in medium vniuersos piratas in crucem egit, quod illis sæpe in Insula iocans (vt videbatur) prædixerat. Plutarch. in vita Cæsaris.

Anno Christi millesimo, trecentesimo, octuagesimo quarto, cum tota Saxonia latronibus infesta esset, conuenere terræ istius Principes, Comites, Episcopi, aliique proceres, decernentes omni studio & seueritate, securitatem per omnia itinera mercatoribus aliisque viatoribus præstãdam esse, grauissimasque pœnas in violatores decreti istius constituere, initoq; fœdere se inuicem obligarunt, quod iunctis viribus, communiq; auctori-

Theodericus de Werningrode pacis violator capitis supplicio afficitur.

tate in omnes prædones & latrones, eosq; omnes, qui illos hospitio tectoque dignarentur, velint animaduertere. Quod fœdus cum violasse insimularetur Theodericus, Comes à VVerningrode, conuenere Principes & reliqui Magnates, quibus ius executionis commissum fuerat, accersitumque Comitem suspendij supplicio afficiendum esse, sententiam tulerunt. Cuius supplicij ratio in Comite talis fuit: Vnum ex ministris eius aulicis in medium progredi iusserunt, primumq; vulnus in capite Comiti infligere mandarunt. Quod cum ille (quamuis inuitus) feciſſet, qui aderant reliqui strictis eum gladijs confodere. Hunc ad modum interfectum equi sui fræno alligarunt. Hæc supplicij ratio ipsis cum suspendio eadem fuit. Albertus Crantz. lib. 10. cap. 7.

Leuioris maleficij supplicium grauissimũ.

Anno Christi 1410. Henricus Dux Luneburgensis, iustitiæ assertor valde rigidus, omni studio ad id intentus erat, vt à latronibus prædonibusq; regio Ducatus sui immunis esset, nec quidem ad vllius vel leuissimum crimen, quo publicam pacem violari iudicabat, conniuere sustinebat. Prope re aliquando tẽdebat Luneburgum præfectus arcis Tzellæ, vir industrius, Principi eodem aduenturo paraturus necessaria: cumq; eum tenui vestitu amictum venti penetrabilis frigus adureret, forte rustici aratro terrã proscindentis pallium humi iuxta viam iacens conspicatus, illud sibi vtẽdum tradi donec reuerteretur, petijt, se certo illud redditurum pollicitus. Rusticus, vt qui nobilium insolentiam suspectam haberet, petitioni eius annuere nolebat: quod Præfectus non magni pendens, assumpta rustici toga celeri cursu iter suum confecit. Præfectum sequebatur eodem itinere Dux ipse, cuius aduentum rusticus obseruans, in via astans, de pallio sibi per vim ablato querebatur, & audiri se à Duce petens. Quid prodest, inquit, Princeps clementissime, magna vi iniuriam latronum prædonumq; cõpesci, cũ hic à tuo Præfecto, qui modo hac iter fecit, mea veste ego nudus & pauper spolier? Dux audita rustici querela, quomodo ei vestis ablata sit sciscitatur, quam cum reluctantiademptã esse intelligeret, dissimulato quod animo agitabat consilio, in vrbem perrexit. Regressus deinde cum ad eundem rursus locum, quo rustici querelam audiuerat, peruenisset, accersit Præfectum, grauibusq; verbis eum increpans, Cur, inquit, viro isti inopire luctanti vestem suam abstulisti? Publicæ pacis hostes latrones q; omni studio & labore inquisitos è medio tollo, tuaq; hac in re opera vtor, & tu es, qui non minora illis in meos patrasti? Multa parantem in sui purgationẽ dicere, ipse equi detracto capistro, alligatum in arborem appendit ingulandum. Mira seueritas iustitiæ, & zelus incredibilis in Principe Saxoniæ. Vix fidem apud exteros habitura narratio. Crantzius lib 10. cap. 30.

Gebehardus Dominus de Schrapelaw, vir magni animi, vicesimus nonus fuit Mersburgi Episcopus, præsulatum obtinuit annos viginti quatuor, menses quinque. Hoc Episcopo rerum potiente Nobiles contones dicti, (die Cotzen) in Episcopatu Mersburgensi aliquot arces munitas tenuere, quibus freti tum Episcopum, tum clerum, quibus potuerunt iniurijs affecere, vsi ad hãc rem opera equitum, quibus rapto viuere moris est, quos & hospitio & tecto excipiebant. Qua Nobilium motus insolentia Episcopus Gebehardus, quatuor eorum arces obsidione cinxit, expugnatas solo æquauit, omnem Nobilium istorum stirpem è ditione Episcopatus sui eiecit, bonisq; omnibus, propter rebellionis crimen, priuauit.

Sub hoc quoque Episcopo, circa annum millesimum, trecentesimum, vicesimum sextum, Arx Neoburgensis prope flumen Vnstrotũ, hodie Friburgum vocant, Ecclesiæ cathedrali Mersburgensi pro grãdi pecunia erat oppignerata per Albertum Landgrauium Thuringiæ. Arci isti præfectum constituerat Episcopus Gebehardus cognatum suum Dominũ de Schrapelaw, is mercatores aliquot & aurigas Landgrauij Thuringię conductu

gaudentes

gaudentes non procul a Porta in arundineto quodam, vbi iam piscina cō-
structa est, spoliauit, ipsumque Polonorum Regis Secretarium occidit, cu
ius cadauer Portæ sepultum est: Cuius facti atrocitate motus Thuringiæ
Landgrauius Fridericus, cognomento Seuerus, filius Friderici, cognomē-
to Alacris, arcem Friburgensem obsidione cinxit, expugnauit, diripuit,
prædones captos supplicio merito affecit, arcemque sibi vindicauit. Epi-
scopus Gebehardus omni ea pecunia, pro qua ei arx oppignerata fuerat,
propter negligentiam suam carere coactus est. Ernest. Brodauff/ libro se-
cundo, capite trigesimo quarto.

Pirata ad Alexandrum Macedonum Regem adductus, abiecta omni
salutis spe in loquendo libertatem sibi vsurpare constituit. Scisciranti ita-
que Regi qua fiducia ausit mare latrocinijs infestum reddere, adeoque
aliena ad se rapere? Quoniam, inquit, o Rex vnica naui vtor, ad te vt præ-
do & pirata adducor, cum tu non solum mari, sed etiam terra grasseris, re-
gna ad te rapias, eaque de causa Imperatoris titulo orneris. Re ipsa nihil
inter nos interest, nisi quod tu prælio sis me potentior, populorumque v-
taris fauore & auxilijs, & nulla te necessitas ad id adigat, sed sola inexple-
bilis auaritia, tum ambitio & mera petulantia: Me vero paupertas & res
domi angusta. Quod si tua mihi data esset fortuna, rapto vi uere nequa-
quam mihi cordi esset, quin imo si vel millesima pars fortunæ tuæ mihi
obtigisset, me beatum iudicarem. Si ergo leges spectamus, quæ prædari
prohibent, tu sane multo me es deterior, vt qui vel mille spolies, dum vix
vnum ego spolio. Sed hoc inter nos interest, quod tu potentia & tyranni-
de tua facta tueris, legesque pedibus conculcas, omnesque ex nutu tuo
pendentes, quicquid vel agis vel loqueris, coguntur laudare: Ego vero
paupertate pressus, vnde me meosque sustentem quæro, eaque de causa
pirata vocor, mortisque supplicio addicor. Hanc dicendi libertatem mira-
tus Alexander Piratam impunitum dimisit.

Bulas famosissimus latro, qui sub Seuero Imperatore per totam Italiā,
comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prædas fecit,
posteaquam Centurionem vitæ insidiatorem cepisset, raso capite ad Se-
uerum Imperatorem remisit. Cumque interrogaretur, quid Impera-
tori vellet nunciari? Nuncia, inquit, Dominis tuis, vt ipsi seruos alant,
ne latrocinentur. Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, par-
tim exigua mercede conductos, partim nullo certo stipendio. Xiphilin. in
vita Seueri.

Idem cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & a
Papiniamo præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium fecisset? Re-
spondit: Et tu dic, cur præfectus sis? Erat nimirum Papinianus homo pre-
diues, & magnæ apud Cæsarem existimationis, & propter opum suarum
splendorem in aulā admissus. Bulas vero penuria rerumq; egestate vexa-
tus, latrocinio victum quærere cogebatur.

Non dissimile est ab eo, quod supra de Ibyci gruib⁹ retulimus, id quod
Martinus Lutherus de quodam viatore narrabat, qui cum a latronibus se
prius interficeretur, agmen cornicum præteruolantium conspicatur, Vos,
inquit, obtestor, mortis meæ vltrices estote. Tertio deinde die, cū diuer-
sorium ingressi potarent, agmen cornicum culmini domus istius insedit,
ibi cum risu & murmure latrones, en adsunt, inquiunt, qui mortem eius,
quem nudius tertius interfecimus, vlciscantur. Quæ verba a famulo exce-
pta ad hospitem, & inde ad Magistratum delata sunt, comprehensique la-
trones, & in tormentis cædem confessi supplicio affecti sunt.

Peruersi hominis ingratitudo.

Homo sceleste cum furti reus in oppido Beltzig captus esset, ex bono-
rum virorum intercessione, eo quod admodū adolescens esset, dimissus
est. Is deinde ad latrocinia animum adijciens, publicum se oppidi istius

hostem professus est, igneq; iniecto, aliquot in eo ædificia perdidit. Tandem cum a Brandenburgensibus captus esset, & ex eo quæreretur, cur tantum facinus ausus fuisset aduersus oppidum istud, ex cuius beneficio vita donatus fuisset? Aliud quod responderet non habuit, nisi quod iniustam in puniendo suo furto tulisset sententiam, non enim se tum dimittendum, sed suspendij supplicio afficiendum fuisse. Mart. Luth.

Conradus de Rosa a Secretis Maximiliani Imperatoris, vir strenuus, per densum nemus iter faciens, apud hospitem, qui latro esset, diuertere coactus est, vbi cum honeste exceptus esset, ex puella plorabunda, in quanto versaretur periculo, clam cognouit, quod etiam signum esset latronum aduentantium & cædem molientium ex eadem didicit. Dabit, inquit, puella, signum hospes campanula, mox Rusticus ingredietur hypocaustũ, qui candelam emuncturus, eandem extinguet, nec mora impetu facto te occident. Petit itaq; Conradus de Rosa laternam & candelam sibi a puella tradi, quam sub scamno occultatam recondit, armaq; in promptu habẽs latronum impetum expectat. Vix mense assederat, Rusticus accedens candelam extinguit, nobilem interfecturus, sed ille & laternam & arma expediens, cum famulis latrones in fugam actos occidit, hospitemq; captum inde abducit. Mart. Luth.

Cum absens Imperator Carolus Quintus in Germania res nondum pacatas componeret, accersitus est quidam ingenio, prudentia, alijsq; multiplicibus virtutibus excellentissimus Princeps ad gubernationem Hispaniæ, & vicinorum regnorum. Ibi dum vel animi causa vel exercendi corporis gratia, venationi ad Granatam vacaret, & in ea venatione cupiditate insequendi feram oblatam longius a comitatu suo discederet, a suis relictus diu in densissimis syluis vagatus est, accedente iam nocte, solicitus (vt qui sibi a feris in illis locis immanissimis, & alijs noctis incommodis timeret) circumspectat, si quis sibi locus daretur, quo se in tutum reciperet. Itaque prope conspecta pastoris casula, citato equo ad eam peruenit, rogatoque pastore, vt sibi apud eum diuersari ea nocte liceret, is omnia pollicitus, descendere de equo iubet, & tugurium ingredi. Erant porro apud pastorem sex numero: vtiq; præter illum filius cuciter viginti annos natus, tum opilio robustus, & ad quoduis facinus aggrediendum idoneus: præterea vxor cum paruula filia & nuru, quæ pauso ante noua nupta in familiam rustici concesserat. Princeps vbi ad terram equo desiluisset, eumque tradidisset opilioni curandum, casam ingreditur: ac dum tenuis cœnula sibi paratur, ad ignem assidet, nihil quicquam suspicans mali. Interea cum ij, qui domi erant, hunc Principem minime nossent, neque ipse, quinam esset, cuiquam aperuisset: illi tamen eum eleganter amictum & præclaris alijs ornamentis corporis & animi ornatum viderent, rati, eum esse magnum omnino aliquem, atque opulentum virum, opimæ inhiantes prædæ, fœda teterrimaque de illo perdendo consilia ineunt. Itaque cœnati cubile (in peranguste cubiculo, quod quidem ostiolo vetustate putri, & cardinibus diluxatis, ac male cohærentibus ægre claudebatur) ei consternunt. Dumque ea parantur, noua nupta filij, siue quod huiusce consilij ab initio particeps fuisset, factique conscia, cuius postmodum eam pœnituisset: siue (id quod credibilius est) non adhibita consilijs, tantum ex nutibus ipsorum, & concursationibus rem persensisset: tandem vel atrocitate rei commota, vel egregij Principis sibi ignoti vicem miserata, fidem ab eo stipulata, ne se proderet, illi perdita consilia detegit. Is licet facile potuisset, aperte fassus quisnam esset, illud periculum declinare: maluit tamen virtuti propriæ, quam fidei pastorum, & eorum præsertim, quos semel infidos atque impios expertus esset, sese committere. Itaque magno & erecto animo statuit, vt periculum potius quam eorum perfidiam subiret. Quam-

obrem

obrem in cubiculum sibi ad insidias paratum, ab hospite perductus, haud grauatim se recipit: ibique occluso ostio, eoque obiecto grauioris arcæ, bene oppilato: tum in manus sumpta bombarda, ad omnes casus subeundos paratus, cœpit intrepidus obseruare, quo res caderet. Pastor cum illum de via & venatione fessum vidisset, vbi somno pressum dormire credidit, suspenso gradu ad ostium accedit, ac manu prætentat, non satis fore, vt id clausum interius offenderet. Quod vbi præter spem illi accidisset, petita a Principe, vt sibi ostium aperiat: esse cur velit, nescio quid straguli ex arca promere. Is vero cum omnia persensisset, vt qui nihil dormiret, Apage te, inquit, cum tua ista importuna diligentia, ego iam in somno compositus, nihil est cur ostium recludã. Tum ille primũ indignari, clamare, quiritari, se perditum ac proditum prohiberi rebus suis: deinde ad arma currere, vim apertam parare: postremo palã cædem quoq; minari, nisi domus sua tota sibi pateret, ac ille sese ipsi protinus dederet. Et iam Pastores cœperant ostium amoliri, alius autem per fenestram cubiculi eo tentare eum pere: eoq; obnixius rem cœptam perficere conabãtur, quod iam sua consilia detecta esse facile intelligebant. At vero hic Princeps magnanimus, quum rem iniquissimo loco sitam videret, fortiter pugnandum ratus, intentatum ad fores bombum displodit: quo glandis ictu ostium trajecit, pastore prosternit, nec mora, dimota arca, patefactoq; ostio foras erumpit, pastoris filium obtruncat, opilionem ense stricto persequitur, inque fugam vertit. Neq; tamen protinus omni periculo defungitur. Nam ex vociferationibus vxoris, & tumultu insueto acciti, qui circum aderant alij pastores, raptis vndique telis concurrunt: domum ipsam armati circumsistunt: iuuenem Principem ad cædem & supplicia deposcunt. Ille autem dum a primo illo insano rusticorum furore (quo nihil iniquius est) sibi caueret, nihil præterea territus, vbi iam illucescente aurora, magnã rusticorum turbam illo confluxisse videt: audacter quisnam ipse esset, aperit. atq; intrepidus, auctoritate illa, quæ se digna erat, Hispaniarum sese præsidem ac moderatorem esse ostendit, extremum omnibus supplicium minatus, ni se omnes totis viribus seruatum vellent. Si sibi parum fidei habendum putarent, a præsenti cæde abstinerent, sese cognitioni Magistratus, animaduersioniq; reseruarent, quod si id facere negligerent, id nõ sibi solum fraudi, verum etiam ipsis excidio atque internecioni futurum. Illi, tametsi heroica præstantissimi iuuenis Principis indole & constanti oratione permoti, facile crederent illum ipsum esse, quem præ se ferret, a cæde quidem abstinent: cæterum, ne ab ingenio suo rusticano discederẽt, cum comprehensum manibus vinciunt, itaq; colligatum atq; obstrictum summo mane ad vicini oppidi Præfectum perducunt. Iam eodem peruenerant ex Principis satellitibus, eum quæritantes: quem cum ita vinctũ, atque indignissimis acceptum modis viderent, parum abfuit: quin in turbam illam pastorum inconditam ac tumultuantem irruerent: sed ab ipso admoniti, vt a vi & armis temperarent, ægre absistunt incœpto. Tum vero horum aduentu re omni, vt erat, detecta, qui tanti sceleris fuere cõscij, indignissimi facti pœnas dederunt. Opilio ad extremum supplicium pertractus, scelerata domus tum impij facinoris particeps flammis consumpta: Noua nupta quæ indicium fecerat, multis & magnis muneribus affecta apud ipsum Principem suosq; in magno precio est habita.

DE VSVRA ET FOENERATORIBVS.

NOn fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. Fratri tuo absq; vsura id quo indiget commodabis: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo, in terra ad quam ingredieris possidendam. Deut. 23.

Si pecuniam mutuã dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Exodi. 22.

Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & susceperis eũ quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum: ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuũ, vt viuere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum superabundantiã non exiges. Leuitici 25.

Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Iob. 20.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum. Psal. 15.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles. Prouerb. 15.

Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet. Ibidem.

Vir qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei. Prouerb. 28.

Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Prouerb. 11.

Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. Prouerb. 22.

Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris, Est mihi sufficiẽs vita. Nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. Eccles. 5.

Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Diligite inimicos vestros: Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Lucæ. 6.

SENTENTIÆ ALIQVOT PATRVM DE VSVRA.

Diuus Hieronymus in Ezechiel. cap. 18.

IN principio Legis a fratribus tantum fœnus tollitur. In Propheta ab omnibus vsura prohibetur, dicente Ezechiele, Pecuniam suam non dedit ad vsuram. Porro in Euangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: Fœneramini his, a quibus non speratis recipere.

Putant quidam vsuram tantum esse in pecunia. Quod prouidens Scriptura diuina, omni rei aufert superabundantiã, vt plus non recipias, quã dedisti. Solent in agris frumenti & milij, vini & olei, cæterarumque specierum vsuræ exigi: siue, vt appellat sermo diuinus, abundãtiæ. Verbi gratia: vt hyemis tẽpore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam. Qui iustissimũ se putauerit, quantam plus accipiet portionem, & solent argumentari, ac dicere: Dedi vnum modium, qui satus fecit decem modios. Nonne iustum est, vt mediũ modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate nouem & semis de meo habeat? Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breuiter fœnerator misericors, vtrum habẽti dederit, an nõ habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alij pro pecunia fœnerata solẽt munuscula accipere diuersi generis, & non intelligũt vsuram appellari, & superabundantiã, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.

Diuus

Diuus Ambrosius de Thobia.

Echidna quidem est fœneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen fœcunda pœnis viscera trahens, partu suo rũpitur, & morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Illam morsibus scindunt, illic vbi nascitur venenum primum probatur: Pecunia autem fœneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. Non minus flexuosa quam serpens, atque in orbem se totam colligens, vt caput seruet. Reliquo flagellat corpore, illud solum producit ad vulnera, spiris ingentibus, quos comprehenderit, ligat, solo capite interficit, saluo capite etiamsi reliqua pars eius dilapidata fuerit, reuiuiscit. Diuersa quoque serpentibus sunt conueniendi & parturiendi tempora, pecunia fœnoris a die initæ conuentionis crescentibus serpit vsuris, quæ parturire non nouit, quia dolores magis ipsa in alios transfudit. Ibi dolores vt parturientis. Vnde etiam tocus Græci appellauerunt vsuras, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur.

D. Augustin. in Psalm. 36.

Si fœneraueris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aquid plus quam dedisti, siue illud triticum sit, siue vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud, si plus quam dedisti, expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.

Cyprianus Sermone de Eleemosyna.

Idcirco fratres chariſſimi, quibus metus pronus in Deum est, & spreto calcatoque iam mundo ad superna & diuina animus erectus est, fide plena, mente deuota, operatione continua promerẽdo, Domino obsequium præbeamus: demus Christo vestimenta terrena, indumenta cœlestia recepturi. Demus cibum & potum secularem, cum Abraham, Isaac & Iacob ad conuiuium cœleste victuri, ne parum metamus, plurimum seminemus. Securitati ac saluti æternæ, dum tempus est, consulamus, Paulo Apostolo admonente, & dicente: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus.

Basilius in Psalm. 14.

Qui pauperum miseretur, Deo fœnerat. An negligis omnium conditorem tibi ad exolutionem autoratum habere? Si quis in ciuitate diues tibi pro alijs spondeat, fideiussionem illius accipis: Deum vero pro pauperibus se vadem offerentem, non recipis? Da argentum domi frustra conditum, nulla ipsum grauando fœtura. Ex quo vtrique bene consultum fuerit, tibi imprimis custodiæ securitas aderit: accipienti vero ex vsu lucrum. Si autem & lucrum quæris, ijs, quæ a Deo tibi tradentur, contentus esto. Ipse enim pro pauperibus auctarium reddet, ab eo qui vere benignus est, benignitatem expecta. Quod enim accipis ex paupere, omne superat crudelitatis exemplum. Ex calamitatibus pauperum quæstum facis, ex lachrymis argentum tibi paras, nudum strangulas, esurientem cædis, misericordia nulla, nihil mouet, quod propinquus est, qui premitur, & huiusmodi lucra benignitatem vocas? Væ dicentibus amarum dulce, & inhumanitatem benignitatem appellantibus.

D. Chrysost. in 5. Matth.

Qui sub vsuris mutuum dat, in prima quidem facie sua videtur dare, reuera autem non sua dat, sed alterius tollit. Nam videtur quidem necessitati succurrere, reuera autem in maiorem mittit necessitatem. De vno vinculo soluit, & multis vinculis alligat. Et non propter iustitiam Dei dat, sed propter proprium lucrum. Similis enim est pecunia vsuraria aspidis

morsui

morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suauitatem soporis moritur: Sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur quasi qui beneficium accipit: & sic per suauitatem beneficij non sentit, quomodo captiuus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & vertit eas in debitum.

Idem in Genesin, cap. 18.

Vide misericordiam Domini. In his sensibilibus pecunijs prohibuit, ne quis vsuram acciperet, Quare, & ob quam causam? Quia vterque magno damno afficitur. Nã debitor quidem inopia atteritur, creditor autem augens diuitias, & peccatorum sibi accumulat multitudinẽ. Proinde ab initio olim Iudæis crassioribus tale dedit præceptum, dicens: Non fœnerabetis fratri tuo, & proximo tuo. Qua igitur excusatione digni erũt, qui Iudæis sunt inhumaniores, & post gratiam, & tantam a Domino misericordiam inueniuntur his, qui sub Lege fuerunt, inferiores, imo peiores? In spiritualibus autem repetiturum se promittit vsuras. Quare? Quia omnino diuerso modo se habent Spiritualis Vsura, & Sensibilis. Illic enim a quo requiritur seueriter, subito in extremam inopiam defertur: Hic autem a quo exigitur, quando gratitudinem præ se tulerit, quanto maiorem vsuram afferet, tanto largiori fruetur remuneratione. Homil. 41.

Matth. 25.

Idem in Genes. 1. Homil. 3.

Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo. Vide vsuræ raram naturam & admirabilem. Alius est qui accipit, & alius qui se dandi fœnoris reum facit, & non hoc solum nomine, sed quia in hoc vsuræ genere non est locus ingratitudini, neque vlli alij damno. Neque sicut hic semel dare quis pollicetur, sed centupla dantur, & non solum centupla: nam aliqua dantur in præsenti vita, aliqua in futura, nempe vita æterna. Et in præsenti quidem vita, si quis nobis solum duplicia polliceretur, pro his quæ a nobis dantur, parati essemus illi omnem nostram substantiam afferre.

Idem in 29. Genes. Homil. 55.

Effundamus igitur facultates nostras in indigbos mente liberali, ex his, quæ nobis Dominus dedit: & quæ ab eo data sunt, ipsi iterum demus, vt sic iterum nostra non lucro fiant. Tãta enim eius est liberalitas, vt licet accipiat de his, quæ ipse dedit, non putet tamen propria se accipere, sed magna munificentia nobis ea redditurum se pollicetur, tantum nos & quæ nostra sunt facere velimus: & sic pauperibus erogemus, quasi deponentes ea in manus Domini, scientes, quod quæcunque acceperit manus eius, ea non solum reddit, sed multiplicatiora nobis iterum largitur, suæ liberalitatis gloriam declarans. Et quid inquam, quod ea reddat multiplicata manus illa? Non enim illa solum reddit, sed cum illis regnum cœlorum donat, & celebrat, & coronat, & innumera bona largitur, modo ex datis paruum quiddam inferre voluerimus.

D. Ambrosius de Nabuthe Iezraelita, cap. 12.

Tibi proficit, quicquid inopi contuleris: tibi crescit, quicquid in pauperes erogaueris. Scriptum est, Qui miseretur pauperi, fœnerat Deo. Ipse cibo in paupere pascitur, & fructus iam in his est misericordiæ. Seminatur in terra, germinat in cœlo. Plantatur in pauperes, apud Deum pullulat. Ne dixetis, Inquit Deus, cras dabo. Qui non patitur te dicere: Cras dabo, quomodo patitur dicere: Non dabo. Nõ de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omniũ vsum datum, tu solus vsurpas? Omnium est terra, non diuitum, sed pauciores qui non vtuntur suo, quam qui vtuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideoque tibi dicit Scriptura: Declina pauperi animam tuam, & redde debitum tuum, & responde pacifica in mansuetudine.

Eccles. 4.

Diuus

Diuus Bernhardus in Epistola de cura & regimine rei familiaris.

Vis aliquando vendere? Caue cum vendere volueris, ne partem hæreditatis vendas. Non vendas potentiori, sed minori precio des minori: totum autem vende plus offereti. Melius est grauem pati famem, quam patrimonij venditionem. Sed melius est partem vendere, quam se vsuris subijcere. Quid est vsura? Venenum patrimonij. Quid est vsura legalis? Latro prædicens quod intendit.

D. Chrysost. in Matth. Homil. 57.

Sed quænam est multorum excusatio? Fœneratus sum, aiunt, sed pauperi obtuli. Bona verba, quæso, talia Deus sacrificia non accipit. Noli cauillari legem. Multo melius est non dare pauperi, quam hoc modo dare. Quod enim iustis laboribus collectum argentum est, propter hos iniquos fœtus plerunque contaminas, quasi quis fœcundum cogat vterum scorpiones parere.

EXEMPLA.

LYcurgus Legislator apud Spartanos vsuras prorsus sustulit, adeo, vt ne vmbra quidem harum rerum appareret amplius. Alex. lib. 1. cap. 7.

Agesilaus, cum Agidi persuasisset, vt debitorum fœneratorumq; nomina tabulæque vna comburerentur, apportatæ sunt in forum Clarium, ac coaceruatæ suppositio igni, dum concremarentur. Abeuntibus ergo fœneratoribus ac diuitibus cum tristitia, Agesilaus illorum calamitates irridēs, nunquam se ignem puriorem vidisse iactabat. Plutarchus.

Veteres Indi & Germani fœnus prorsus ignorabant. Et quidem apud eos cum furibus dupli pœna irrogaretur, in vsurarios quadrupli pœna statuta fuit.

Amasis Ægyptiorum Rex lege cauit, vt vitæ rationem prætor a quocunque exquireret, vt si quis turpi quæstu viueret, velut facinorosus noxam lueret.

Eadem erga otiosos homines & sumptuosius quam pro rei familiaris modo viuentes seueritate vsi sunt Corinthij. Cuius rei meminit Diphilus apud Athenæum lib. 6. his versibus:

Τοιοῦτο νόμιμόν ἐστι βέλτιστ' ἐνθάδε
Κορινθίοις. ὃν ἄν τιν' ὀψωνοῦντ' ἀεὶ
Λαμπρῶς ὁρῶμεν, τοῦτον ἀνακρίνομεν, πόθεν
Ζῇ, εἰ τι ποιῶν. Κἂν μηδὲν ᾖ σαφὲς λέγειν,
Ἧς αἰτίας ζῇ δῆλον ὡς ἐκ τῶν ἁλόντων ἐστί.
Ἐὰν πολεύειν τοῦτον ἤδη τῆς βίου.
Ἐὰν δ' ὑπὲρ τοιοῦτον ᾖ σαφῶν δωπανῶν τύχῃς,
Ἀφεῖναι αὐτῷ τοῦτο μὴ πρέπειν ἔτι.
Ὃς ἂν δὲ μὴ πρέπουσαν ἐπιβάλλον ζημίαν.
Ἐὰν δὲ μηδ' ὁπουοῦν ἔχων ζῇ πλουτελῶς,
Τῷ δημοσίῳ παραδίδομεν αὐτὸν· ἡφάκλεις.
Οὐκ ἐνδέχεται γὰρ ζῆν ἄνευ κακοῦ τινος
Τοῦτον, ζυνίης· ἀλλ' ἀναλκαίως ἔχει
Ἡ λαποδυλῶν νυκτός, ἢ πιχωρυχεῖν,
Ἢ τῶν ποιούντων ταῦτα κοινωνεῖν τισιν,

Ἡ συκο-

Ἡ συκοφαντεῖν κατ' ἀγορὰν, ἢ μαρτυρεῖν
Ψευδῆ· τοιοῦτον ἐκκαθαίρομεν γένος.

Id est:

Hoc lege cautum est hic apud Corinthios,
Si quempiam obsonare semper splendide
Videmus, hunc rogamus, vnde viuat, &
Quid faciat operis: si facultates habet,
Vt reditus harum soluere expensas queat,
Perpetimur illum perfrui bonis suis.
Sin forte sumptus superat ea quæ possidet,
Prohibemus huic ne faciat hoc in posterum:
Ni pareat, iam plectitur mulcta graui.
Sin sumptuose viuit is qui nil habet,
Tradunt eum tortoribus. Pro Hercules.
Neq; enim licet vitam absq; malo vllo degere
Talem scias, sed est necesse aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum iungier commercio.
Aut in foro agere sycophantam, aut perfidum
Præbere testem. Nos genus hoc mortalium
Eijcimus hac ex vrbe velut purgamina.

Erasmus in prouerbio, Proteruiam facere.

Ædilium apud Romanos munus erat, vt eos qui plus quam lege definitum erat, agri possiderent, accusarēt, & fœneratores omnes coercerent.

Thebanis lex data est, vt ad publica munera nemo accederet, nisi qui annis decem a mercimonijs destitisset. Adeo exosam habuerunt vsuram, quam Reipub. pestem esse putabant.

Solonis lex extat aduersus fœneratores, qua cautum fuit, patre viuente, filio, qui sub patris iure est, credi pecuniam non licere: & qui credidisset, petitionem nō habere, nec filiusfamilias ęre nexus alieno, vt creditum redderet, vel necem patri machinaretur, vel aliunde eam inhonestius quæreret.

Cum fœneratores magna licentia pro arbitrio apud Rom. fœnerarent, cautum fuit primo XII. tabulis, de modo credendi, ne quis vnciario fœnore fœneraret. Mox tribunitia rogatione ad semiuncias fœnus redactū, deinde ad semissem, postea ad trientem. Demum L. Genutius Tribunus plebis tulit ad populum, ne vllo modo fœnerari liceret. Post aliquod vero tempus Sulpitius Tribunus plebis, vt credendi modum præfiniret, legem tulit, ne quis ordinis Senatorij vltra duo millia drachmarum æs alienum conflaret: qui postea decedens, contra legem a se latam, trecentas myriadas æris alieni conflasse inuentus est.

Cato in fœnore coercendo asperior & durior, ex tota Sicilia fœneratores eiecit, illamq; ære alieno obrutam in pristinum decus restituit.

Crœsi tempore Solon floruit, ciuis Atheniensis, quem, cum seditio Athenis orta esset propter crudelitatem fœneratorum, qui cogebant debitorum filios & filias sibi in seruitutem addici aut vendi, vt vsuræ numerarentur, ciuitas consentiens elegit, vt legū & iudiciorum acerbitatem mitigaret, & vsuras moderaretur. Hic primus tulit legem, ne deinceps liceret vllum liberum corpus propter debita aut vsuras in seruitutem trahi. Item vt tunc vsuræ, quę ad id tempus debebantur, omnes remitterentur, & ipse primus remisit quinque talenta, id est, tria millia coronatorum. Hunc modum etiam vsurarū instituit, ne plus peteretur, quam vsura, quæ nominatur centesima, id est, centesimo mense sortem æquans. 2. Chron. Philip.

Diuus

Diuus Chrysostomus eleganter pecuniam vsurariam similem esse ait morsui aspidum. Vide supra sententias Patrum de vsura.

Ab aspide ictus in soporem defertur suauem, eoque pressus moritur. Venenum siquidem dormientis membra omnia peruagatur, hominemq; priusquam expergiscatur, interimit. Eundem ad modum pecunia sub vsuris accepta, primum quidem grata & dulcis est, sed omnes interim facultates peruagatur, & in æs alienum transmutatas perdit.

Nec etiam ex vsuris partæ diuitiæ a morsu aspidis differunt. Nam & illę primum gratæ sunt, sed & domino & hæredi eas postmodum exitiales esse euentus ostendit. Et vere dicitur:

Non habet euentus sordida præda bonos.

Publ. Damnum appellandum cum mala fama lucrum.

August. Lucrum in arca, damnum in conscientia.

Ouidius: *Nudus ad infernas stulte vehere rates.*

Vulgo dicitur: Auarus nil, nisi cum moritur, recte facit.

Hesiodus: Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὸ κέρδεα ἴσ' ἀτίσιν.

Ne mala lucreris, mala lucra æqualia damnis.

Valentinianus in vrbe Constantinopoli æneum modium collocauit, ne mensuræ diminui possent, & quibusdam qui diminuerant, præcidit manus, quas ibi suspendit. Hæc Suidas.

Iulius Cęsar vrbe eos eiecit, qui vel mensuras imminuerent, vel quouis modo annonæ caritatem inducerent. Iam autem fœneratorum malitia eo progressa est, vt nec eos qui illustre generis decus iactitant, nec Principum Comitumque præfectos pudeat in frumenti venditione iniustum lucrum quærere, & inaudita annonę caritate, licet magnum frumenti prouentum diuina largiatur benedictio, miseram plebem vsque diuexare.

Plato fœneratores adeo exosus est, vt frequenter optaret eos, qui positis in fœnore nummis lucrum quærerent, nec ipsam sortem recuperare.

In Episcopatu Colonienśi famosus quidam fœnerator sordide auarus, cum graui morbo pressus decumberet, os labiaq; vltro citroque commouit, non secus ac si cibos intra dentes manducando comminueret. Interrogatus quidnam manderet, Pecuniam, inquit, mando. Nam coram astare mihi Satan videtur, pecuniamque violenter in os ingerere, quam vel intritus mandem & deglutiam. In qua tentatione misere tādem perijt. Discip. in Prompt. exempl.

Fœnerator pecuniam mandit.

Alius quidam fœnerator cum mortem instare animaduerteret, quicquid habebat argenti & auri afferri sibi iussit, animamque suam alloquutus: Hæc omnia, inquit, anima mea, tibi tradam, si me deserere nolueris. Cum vero dolores crescerent, fatalisque hora propius iam vrgeret, Age, inquit, anima mea, quoniam hinc excessura me derelinquere prorsus constituisti, te ergo commendo Satanæ, qui te hinc in abyssum inferorum abripiat. Quæ verba cum protulisset, extinctus est. Idem Serm. 118.

Fœnerator animam suam diabolo committit.

Inexplebilis auaritiæ fœnerator frustra a sacerdote monitus fuerat, vt ab impietate sua desistens, bona male parta ijs, quos impie defraudasset, redderet. Is cū tandem in morbum incidisset, parochum ad se accersiuit, precibusque efflictim ab eo cœpit contendere, vt post mortem sibi honesta iuxta Christianorum ritum concederetur sepultura. Cum obijsset idem amici eius non minore studio petiuere, sed frustra. Pio enim zelo ductus sacerdos, homini in peccatis mortuo, in sacro Christianorum dormitorio locum dari nequaquam voluit. Cum autem asellum haberet parochus, cui libros imponere solebat in templum asportandos, & domum inde reportandos, qui vnicus iumenti istius labor erat, nec fere alia ipsi nota erat via, nisi quæ ex domo parœciali in templum duceret: petierunt

Fœnerator prope patibulum sepelitur.

ergo defuncti fœneratoris amici, vt liceret sibi cadauer asello isti imponere, & iste locus sepulturæ decerneretur, in quem asinus vltro cadauer impositum deportaturus esset. Cogitabant enim asinum consueta incessu rum via, & recta ad domum parochi, vel cœmeterium perrecturum. Placet consilium, cadauer asino imponitur, sed is recta via ad locum maleficorum supplicio destinatum tendit: cum sub ipsum patibulum peruenisset, cadauer magna turba spectante excutit, quod & ibi sepultum fuit. Nec sane alius debetur locus ijs, qui iniquo & impio fœnerandi studio tenentur.

Fœneratoris testamentū.

Quidam cum ex impulsu vxoris ad vsuras animum appulisset, amplasq; collegisset diuitias, tandem cum morbo pressus ex amicorum instinctu testamentum vellet condere, Satanæ, inquit, lego animam meam: Et tu vxor, quia auctor mihi fuisti impietatis, in igne gehennæ mecum eosdem sustinebis cruciatus: Hinc ad Diaconū conuersus, Et tu inquit, nobiscum in æternum cruciaberis: quippe qui & assecla mensæ nostræ, & conscius impietatis fueris, nec tamen eam redarguere ausus es. Vide supra in sexto Præcepto. Auctor Ioannes Anglus.

Sergius Galba, priusquam ad Principatum eueheretur, cum sub Claudio Africæ præesset, & parce ob penuriam militibus frumentum diuideret, intellexit militem quendam diuendito tritici modio centum denarijs, frumentum a Quæstore vt ali posset, postulare: cui neq; ipse dedit, nec vendi ab alijs est passus. Itaq; miles fame consumptus alijs exemplo fuit, datam a se auaritiæ operam, nihil aliud ipsi quam mortem peperisse. Fulgos. lib. 2. cap. 2.

Adeo gentes nonnullæ vsuras auersatæ fuerunt, vt atrocissimis in eas pœnis animaduerterint, & melior furis quam fœneratoris fuerit conditio. In furem enim dupli, fœneratorem vero quadrupli pœna constituta fuit. Et si veritati simplex apertumque dandum est testimonium, magnifici isti, & opulenti fœneratores multo plura miseræ plebi suffurantur, quā tenues isti fures, quos hodie suspēdi moris est. Optandum certe esset hodie etiam exurgere Agidem, qui vsuriariorū rationes examinaret. Nam eæ vere iam sanguinem & medullas e visceribus miserorum exugunt.

Agis Lacedæmonius.

Agis iste omnes vsuriariorum rationes & tabulas in ignem coniectas combussit, puniens hoc modo iniquissimas eorū exactiones. Aderat tum Agidi Agesilaus, qui plurimum hoc Agidis facto delectatus, Nunquam, ait, flammam se puriorem vidisse. Commendantur etiam magnopere Antoninus Pius, & Alexander Seuerus, qui repressa vsuriariorum licentia, rationibusq; sublatis tertiam tantum vsuræ partem illis concessere. Cum etiam vniuersa Asia per vsuras oppressa esset, Lucullus eam a tanta peste liberauit. Quo nomine etiam Cato celebratur, qui Siciliam vsuriariorum prædæ eripuit. De officio Principum, lib 4. cap. 14.

Rusticus fœnerator seipsum suspendit.

Cum ingens esset annonæ caritas, Rusticus quidam in Salinis Saxonicis frumentum spe lucri in vrbem auexerat, quod cum vilius spe sua vendidisset, graues inde animi dolores concepit, cumque mœstus in curru sedens ex vrbe domum reuerteretur, seruus eius equo interea insidens læta mente cantilenis se oblectabat, obiurgatus ab hero, Cur non exultem animo, inquit, cum ex Dei benignitate facta sit annonæ relaxatio? Qua serui hilaritate vehementius turbatus Rusticus, retro de curru seruo non obseruante se suspendit: Circiter annū millesimum, quingentesimum, quadragesimum tertium.

Frumentum in ciuitatem quandam vexerat Rusticus illud venditurus, cumq; precij quod poscebat, magnitudine omnes emptores deterreret: tandem, ciuibus viliori illud precio licitantibus, in hæc verba prorumpit: Minoris, quam dixi, frumentum non vendo, & prius quam vt vos licita-

mini

mini diuendam, domũ reuehã, ipsumq; a muribus deuorari patiar. Quibis dictis frumentum secum rursus auehit. Nec mora, cateruatim mures eius granarium inuadunt, & quicquid aderat frumenti, absumunt. Nec tantum in granario pestis ista sæuit, sed etiam agros eius peruagatur, cum vicinorum interim agri a muribus intacti manerent.

Mures granariũ & agros rustici fœneratoris depopulantur.

Historia hæc ad Martinum Lutherum perscripta fuit. Qui perlecta ea grauissime in Rusticorum auaritiam inuehebatur, qui frumentum spe maioris lucri nollent diuendere, sed maiorem indies annonæ caritatem expectarent, & inter cætera referebat, tres Rusticos anno 39. eo quod vilius spe sua frumentum diuenderetur, laqueo vitam sibi finiisse, & quidẽ raptores aiebat tot ius regionis dignos esse tali pœna. Cum enim ex diuina benedictione satis larga frumenti copia suppetat, interim ex hominum malitia iusto illud precio haberi non posse.

Rusticus, cui frumenti erant ingentes acerui, sic totus auaritiæ inhiabat, vt & maiorem indies speraret annonæ caritatẽ, & quotidie ingressus granarium oculos cõtemplando frumentum pasceret. Qui cum aliquando apud amicum in cœna largius potasset, vesperi domum reuersus, more solito, quamuis dehortante vxore & liberis, cum lucerna horreum ingressus est, vbi cum admiraretur suam fœlicitatem & diuitias, imprudens ex temulentia labitur, candelamque e manibus abijcit, ex cuius flamma horreum frumentumque incensum in vniuersum perijt, vt miser ægre fuga fine vitæ dispendio euadere potuerit. Ex relatione D. Pomerani.

Rusticus prædiues magna frumenti copia abundans, cum maiorem annonæ caritatem speraret, ingens animo lucrum, amplissimasque diuitias conceperat. Qui cum ascendisset aliquando granarium, oculos suos & animum aspectu frumenti oblectaturus, ex diaboli effascinatione caligo quædam oculis ipsius offusa est, vt nihil ibi frumenti videret, ex qua tentatione terrore perculsus est, & se ipsum in granario suspendit.

Effascinatio diabolica.

Nec minus acerbæ sunt eorum fœnerationes, qui merito ratione splẽdoris generis sui ab omnibus sordibus quam alienissimi esse debebant. Nam in confesso est, quendam ex Nobilibus quotannis triginta florenos de centum exegisse: alium vero gloriabundum dixisse, ad nullum vsum oculos sibi patere, si non quotannis centum florenis alios quadraginta lucraretur. Rursus alium quendam hunc ad modum de Magnatum vsuris locutum esse: Nescire debere virum nobilem, & præpotẽtem, ante annum ætatis sexagesimum, animam sibi esse. Nec enim alias diuitias eum facile collecturum. Ex relatione Lutheri.

Nobilium vsuræ.

Diuitiæ præ se ferunt quidem voluptatem, sed si introspicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapelus quidam fuit, qui cum inimicis suis quam maxime nocere vellet, diuites eos faciebat, dictitans ita se eos vlciscí, quippe accepturos cum diuitiis ingentem sarcinam curarum. Horatius.

-- Eutrapelus cuicunque volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim iam
Cum pulchris tunicis sumet noua consilia & spes,
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium, nummos alienos pascet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Duo cum essent fratres, quib. mediocres a parentibus relictę essent facultates, alter eorum monasticam vitam ingressus est, alter vero vxore ducta, hospitibus excipiendis vacans diuersoriũ aperuit, qui cum diuitiis colligendis inhiaret, omne genus fraudis exercuit, mensuraque iniusta vsus, tum homines, tum numera defraudauit, adeoque pabulum præsepio impositum clam rursus suppilauit, interim plurimum res eius familiaris

laborare cœpit, & quo maiore ipse studio opibus cumulandis intentus esset, eo grauiorem omnium facultatum iacturam faciebat. Quem cum tandem frater, qui monasticæ vitæ studiosus erat, accessisset, cum eo paternarum facultatum diuisionem facturus, ille fratrem rogat, ne aduersus se hac vice causam istã de bonorum diuisione suscipiat, eo quod summa pressus inopia grauissimam bonorum omnium iacturam fecerit, nec prodesse sibi vllum fraudis genus, quod ob congerendas opes erga hospites exerceat. Quibus auditis Monachus, O, inquit, frater mi, si vitam reliq; familiaris rationem sic instituis, prorsus tecum actum est. Talem enim foues hospitem, qui omnem tuam substãtiam consumit, quem vt videas, sequere me in imam cellam, & quisnam tuas facultates absumat, facile ostendam. Quo cum vterq; descendisset, suis adiurationibus Monachus efficit, vt Satan ibi delitescens videndum se fratri suo præberet. Nec mora apparuit ibi bestia horrenda & immanis, tantaq; pinguedine obducta, vt ægre non sine magno molimine moueretur. Qua visa Monachus, o quam commodo, inquit, visa es diuersorio, moxque ad fratrem conuersus, En istam, ait, bestiam tua fraude saginasti: quicquid enim fraudulenter alijs suffuratus es, id bestia ista absumpsit. Quare auscultа mihi, esto fidus & apertus erga quosuis, iusta & æqua vtere mẽsura, neminem defrauda. Post quadriennium reuersus paternas facultates tecũ diuidam. Monachi consilio frater obtemperat, & quantum antea facultatibus defecerat, tantum iam proficit; breuiq; eam benedictionem Diuinæ bonitatis expertus est, vt diuitijs admodum largis frueretur. Elapso deinde quadriennio reuersus est Monachus, vt quo in statu res fratris sui essent, obseruaret, qui eũ hilari & grata mente excepit, se eius paruisse consilio indicat, rogans vt bestiam ante quatuor annos visam denuo sibi ostenderet. Quare cum Monachus fratri gratificaretur, bestiam rursus in cella delitescentẽ prodire iussit, quæ macilenta & tabida prorsus apparuit, vt vix ossa iam traheret. Ibi Monachus, En, inquit, frater hinc iam hospiti migrandum est, & de alio ipsi Domino dispiciendum. Quod si eam posthac vsq; rei familiaris rationem obseruaueris, largam Dei Opt. Max. benedictionem nusquam nõ experieris.

Fraude parta Satanam saginant.

Refert Iob. Fincelius, lib. 2. de miraculis, ante annos circiter octuaginta, cum ingens esset annonæ caritas, Rusticum quendam ex desperatione eo adactum, vt licet magna ei frumenti suppeteret copia, pisa, siliginis & tritici nullam sibi esse copiam simulans seminarit, ne & alijs de frumenti quem habebat aceruo suppeditare partem cogeretur, & inter seminandũ his verbis vsus fuerit: Pisa semino nec Deo, nec hominibus conscijs. Quæ pisa protinus cum ipso agro in lapides sunt transmutata. Cum autem vicinus eius non ex desperatione, sed necessitate itidem pisa sereret: Vicine, inquit, sero & ego pisa, sed & Deo & hominibus conscijs: quæ pisa tanto cum fœnore prouenerunt, vt vicinis omnibus essent admiratioui. Sic diabolicam istam desperationem & diffidentiam omnipotens Deus euidenter punijt, docens, nos nequaquam nostris laboribus, sed diuinæ benedictioni acceptum referre debere, quod tum victus, tum amictus in hac vita nobis suppetat. Pisa ista, quæ in lapides obduruere, & hodiernum in diem videri, testatur Fincelius, & tum diuinæ maledictionis, tum impiæ hominum diffidentiæ esse testimonium.

Pisa in lapides transmutata.

Anno quinquagesimo nono, supra sesquimillesimum, vir quidam prædiues, in Misnia, cum magnos frumenti aceruos in granarijs reconditos haberet, nec adduci posset, vt aliorum inopiæ succurreret, grana nouo & tum inaudito exemplo spiritu vitali animata in vniuersum omnia auolarunt. Fincel. lib. 3.

Frumentũ auolat.

Eodem anno in Franciæ pago Steinhausen/ cum a præfecto quidam e

pauperio-

Pauperioribus subditis frumentum sibi pro certo precio diuendi peteret: Respondit ille, nihil sibi quod diuendat superesse frumenti, & quod adhuc sibi adsit, id vix porcis sufficere. Quæ eius verba diuina excepit vltio. Non multo enim post vxor eius septē viuos porcellos peperit, qui a multis fide dignis viris conspecti sunt. Ibid.

Monstrosus partus auaritiæ pœna.

In Marchia Rusticus graui paupertate pressus, fœminam nobilem, pagi istius Dominā accessit, pauperiem suam conquestus est, vxorem suam graui morbo vexatam decumbere, tum numerosam sibi prolem esse, quę fame pereat, indicauit, itaq; petijt, medimnum frumenti sibi suppeditari: sed a muliere superba, & auara nihil aliud extorquere potuit, nisi quod subministrare ei velit frumentum, quatenus pecuniam illi afferat. Rusticus itaque vndecunque potest pecuniam vnciatim mutuatur, quam cum offerret mulieri, & vnicus adhuc deesset denarius, repulsam denuo passus est, iussusq; summam integram tradere, si frumenti particeps fieri desideret. Cum ergo precibus frustra tentasset immisericordem mitigare mulierem, abijt, vndecunq; posset, denarium mutuo accepturus. Quem cum ægre tandem accepisset, ad auaram redijt Dominam, eiq; pecuniam quam exegerat, numerat, sed denarius iste postremus forte in terram decidit, quem cum sublatura esset mulier, protinus in serpentē conuersus, eius brachio se circumuoluit, nec vlla vi vel arte inde auelli potuit, sed morsibus eam immaniter afflixit, donec miseranda morte inter summos cruciatus eam extingueret. Iob. Fincel. lib. 2.

Miserādus auaræ mulieris exitus.

Eo iam res redijt, vt Magnates & Principes Ecclesiastica ad se bona quo uis modo rapiant. Vnde & Germanis Prouerb. dicitur, Pfaffengut/ Raffengut/ quæ verba innuūt Ecclesiarum bona rapinis vbiq; exposita esse. Verum qui Ecclesiastica bona per fas & nefas rapta suis admiscent, isti & quod rapuerunt, perdunt, & ijs quæ antea habuerunt bonis perniciem afferunt. Testatur experientia multorum equitum & nobilium facultates splendidas & amplas pessum iuisse, dum rapta vel Ecclesiarum vel Cœnobiorum bona ijs immixta fuere. Qua de re fabulam peruenustam recitabat Lutherus. Aquila, inquit, & vulpes confiata inter se amicitia in proximo habitare constituerant, firmiorem amicitiam ex frequenti conuersatione fore putantes. Igitur aquila nidum alta super arbore constituit. Vulpes vero arborem propter, inter dumeta catulos collocat. Vna igitur dierum cum vulpes latibulum egressa, pastum catulis quæreret, aquila & ipsa cibi indiga, in latibulum deuolans vulpis catulos arripuit, ac pullis suis comestum præbuit. Vulpes reueniēs, cognita filiorum morte atroci, cum aquilam vlcisci nō posset, Iouem, vt ius hospitij violatum vlcisceretur, implorat. Cōtigit igitur illis diebus ruri capras immolari, ibi frustū vna cum carbonibus accensis aquila de altari arripiens sustulit ad nidum: sed vento vehementius spirante, nidus, qui ex fœno ac materia exili aridaque confectus erat, incenditur. Aquilæ pulli flammam sentientes, cum volare adhuc nequirent, humi decidunt. Vulpes confestim illos arripiēs, in aquilæ conspectu deuorat. Eundem ad modū, dicebat Lutherus, comparatum est cum ijs, qui Ecclesiastica bona ad se rapiunt. nam & ijs vna cum nidis & pullis pereundum est, nempe, cum facultatibus in vniuersum omnibus, quas a maioribus parentibusque relictas accepere, vel sua arte & labore sibi pepererunt.

Bona Ecclesiastica.

Fabula de aquila & vulpe.

Aquilarum pennæ mixtas reliquarum auium pennas deuorant. Sic & bona Ecclesiastica, cum per fas & nefas rapta, alijs immiscentur, eadem absumunt.

Imperatori Maximiliano quidam ex ministris aulicis tria aureorū millia fraudulenter suppilauerat. Imperator, Princeps & mitis & festiuus, cum furtum istud exploratum haberet, his aliquando verbis scribā istum

Maximiliani festiua lemma.

alloquutus fertur: Quid, inquit, tibi videtur, qua pœna istum censes dignum esse, qui tria aureorum millia suo Domino furtim abstulerit? Ad quæ ille, quasi omnis culpæ expers, iure iste suspendetur, inquit. Imperator his auditis, leniter ei humeros pulsat, Non ita, inquiens, tua opera diutius adhuc indigemus.

Item cum magnam aliquando pecuniæ vim in mensa expromptam haberet, vnus ex Consiliarijs totus prædæ inhians, in aurum oculos intentos habebat, sperans Imperatore vel secedente, vel aliud agente, occasionem sibi datum iri, portionem aliquam inde suppilandi. Imperator intellecta hominis auiditate, primo lassitudinem, mox reclinato in parietem corpore, oculisq; conniuentibus somnum simulare cœpit. Ibi astans ille, vt lupus hians, protinus manu in aurum iniecta, quantum comprehendere potuit, in loculos coniecit. Imperator furaces hominis manus tacite obseruat, tandem a simulato somno expergefactus, Consiliarium priore habitu vultuq; cum astante videret, sic allocutus est: Video supra modum tibi aurum hoc arridere, pericliare quæso, quantum iniecta manu comprehendere possis, quicquid tenueris, tuum erit. Ille iussa facessit, nouaq; præda gaudet, quam vbi arripuit, Quæso, inquit Imperator, numera, quod vbi factum, Iam etiam numera, inquit, quod in loculis est. Ibi furtum non sine rubore depromere, & subreptum aurum numerare coactus fuit. Ex innata autem munificentia & clementia Imperator vtraq; ditatum præda liberum dimisit.

Imperator Carolus V.

Imperatori Carolo quinto horologium erat automaton, minutulum, preciosum valde, magnoque artificio fabrefactum, quod cum in magna turba ei ab aulico subreptum esset, horologium furem ipso sonitu diei horas numerante prodit, qui territus coram Imperatore in genua prouolutus furti petit veniam. Facilis fuit in danda venia Imperator, Ignominiæ, inquiens, metum in ipso longe maiorem fore, quam spes lucri vnquam esse potuerit.

DE AVARITIA.

AVaritia regem Saulum & regno & vita exuit. Nam dum ex Amalecitarum præda sibi preciosissima quæque reseruat, diuini mandati sit contemptor & violator, reiectusque a Deo tandem proprio incumbit gladio. 1. Reg. 15.

Auaritia Nabalem perdidit, qui Dauidi optime de se merito exile detrectans munus, sibi suisque internecinum parat malum, quod prudentia & dexteritate Abigailis vxoris eius quidem auertitur, sed pœna interim ex diuino iudicio in solius Nabalis caput redundat. 1. Reg. 25.

Semei auaritia deceptus fugitiuos insequitur seruos, mandati interim Regij immemor, quo interdictum ei fuerat Hierosolymorum vrbe egredi. Ob quod factum capitale supplicium incurrit. 3. Reg. 2.

Auaritia inductus Rex Achab Nabothum perfide interfici effecit, eiusque vineam rapuit, propter quod facinus canes misere interfecti lamberunt sanguinem, omnisq; eius familia funditus est extirpata.

Nehemias acriter reprehendit Iudæorum auaritiam, qui magna fame populum vrgente, eius inopiæ succurrere cunctabantur, & tantum non filios a parentibus diuendi patiebantur. Nehem. 5.

Auaritia adolescentem, quo minus Christum sequeretur, auocat. Matthæi 19.

Iudas Iscarioth.

Auaritia Iudam impulit, vt Christum Seruatorem mundi proderet.

Eadem milites, quibus cura custodiendi sepulchrum Christi commissa fuerat, induxit, vt accepta pecunia veritatem proderent, Christumque a

mortuis

mortuis nequaquam resurrexisse, sed corpus eius noctu ab ipsius discipulis subreptum esse, mendaci ore testarentur. Matth. 28.

Auaritia, quo minus inuitati ad cœnam Regiam comparerent, in causa fuit. Lucæ 10.

Auaritia Ananiæ eiusque vxori, vt aduersus Spiritum sanctum mentirentur, subitaq; morte perirent, causa extitit. Act 5.

Melius est parū cum timore Domini, quā thesauri magni & insatiabiles.

Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet. Prouerb. 15.

Qui abscondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Prouerb. 11.

Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima, generauit filium, qui in summa egestate erit. Eccles. 5.

Regnum a gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Auaro autem nihil est scelestius. Eccles. 10.

Qui aurum diligit, non iustificabitur, & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.

Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo & inuentus est, & erit illi gloria æterna. Ecclesiast. 31.

Videte & cauete ab auaritia, quia nō in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. Lucæ 12.

Est autem quæstus magnus, pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Cæterum qui volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, stultas & noxias, quæ demergunt homines in exitiū & interitum. Siquidem radix omnium malorum est studium pecuniæ. 1. Timot. 6.

Refer huc ex diui Iacodi Epistola caput quintum.

SENTENTIÆ PATRVM.

Basilius Sermone primo, in diuites auaros.

QVis, quæso, est auarus? Ille qui paruo, & eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis vero peculator? Ille qui aufert aliena. Tu ergo non auarus? Non tu peculator, cum ea quæ ad dispensandum, distribuendumque receperis, tibi propria facis? Num qui vestem dirupuerit, spoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit, modo possit, alterius cuiusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcessit: egentis argentum, quod tu in terram fodis. Deniq; tot affers iniurias hominibus, quot deseris cum iuuare possis.

Chrysostomus ad Corinth. cap. 19. Homil. 24.

Non mensura facultatum, sed animi affectu diues, & pauper dijudicatur: & ille maxime omnium mendicus est, qui semper maiori angitur cupiditate, neq; vnquam potest tam graui affectui modum imponere. Hæc nos omnia reputantes, auaritiam fugiamus, quæ pauperem efficit, quæ animam corrumpit, quæ gehennam amat, odio habet regnum cœlorum, quæ, vt vno verbo omnia complectar, omnium malorum mater est: vt bonis veris fruamur, & pecunias contemnamus, vt repositas nobis opes comparemus, quæ vtinam omnes consequamur gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Chrysostomus Homil. 2. contra auaritiam.

Aliud auarus,& aliud diues: auarus non est diues, auarus multorum indiget, indigens autem multorum nunquam diues esse potest. Auarus custos est, non dominus: pecuniarum seruus, non possessor. Facilius enim alicui ex proprijs carnibus, quam ex defosso auro communicaret.

Ambrosius de Nabotho, cap. 6.

Ditem dicunt gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis ditem appellant & diuitem. Quid nisi mortem diues inferre nouerit? cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint? Quid est enim diues, nisi inexplebilis auri fames ac sitis? Quo plus hauserit, plus inardescit. Sic Propheta admonet: Eccles. 5. Qui diligit argentum, non satiabitur argento.

Chrysost. de Lazaro, con. 2.

Si verum fateri licet, ne diues quidem ille est, qui multis opibus circumuallatus est, sed qui non eget multis. Nec is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa concupiscit. Ab hoc discito hunc esse finem paupertatis & opulentiæ, si quem videris multa concupiscentem, existimato omniū illum esse pauperrimum, etiamsi possideat omnium opes. Rursum si quem videris non multis egentem, illum omnibus opulentiorem esse ducito, etiamsi nihil possideat. Nam mentis affectu, non facultatum modo paupertatem & opulentiam æstimare cōsueuimus. Quemadmodum igitur eum, qui perpetuo sitit, non dixerimus recte valere, etiamsi copia rerum affluat, etiamsi iuxta fluuios ac fontes accumbat. Quid enim prodest illa aquarū copia, quum affectio maneat insedabilis? Itidem & in diuitibus faciamus, eos qui perpetuo concupiscunt, sitiunto; aliena, ne putemus vnquam esse saturos, nec vlla frui rerum copia. Etenim qui suam ipsius concupiscentiam non potest sistere, etiamsi cunctorum opibus vallatus sit: quomodo futurus est is vnquam in prosperitate?

Augustinus Sentent. 80.

Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probabimur, si necessaria sola retineamus. Nam vana quærentibus nihil sufficit: & alienorū quodammodo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet.

Idem Sentent. 227.

Diuites Christiani, si verè Christiani sunt, prorsus pauperes sunt, & in comparatione cœlestium bonorum, quæ sperant, omne aurum suum arenam deputant, quia ibi quisq; habet diuitias suas, vbi delectationem.

Idem Sentent. 85.

In magna egestate sunt, qui de iniquitate diuites iustitiæ opes & sapientiæ non habent. Qui autem Domino seruiunt, ea bona acquirunt, quæ perire non possunt.

Bernhardus Serm. 4. Aduent.

Filij Adam, genus auarum & ambitiosum, audite: Quid vobis cum terrenis diuitijs, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum & argentum, nonne terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat preciosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Veræ ergo diuitiæ non opes sunt, sed virtutes: quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.

D. Ambrosius lib. 3. Epist. Epistola prima.

Vere diues, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cuius conspectu terra exigua, mūdus ipse angustus est. Sed solum illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat.

Ibidem.

Nemo est diues, qui quod habet secum hinc auferre non potest. Quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est.

Chryso-

Chrysostomus Homil. 65.

Non est pauper, qui nihil habet, sed qui multa concupiscit. Non est diues, qui multa possidet, sed qui nullius indiget. Quid enim vtilitatis, omnem terrarum orbem possidere quidem, & in maiori viuere miseria, quã qui nihil habet? voluntates & diuites faciunt & pauperes, non pecuniarum copia nec egestas. Vis fieri diues tu pauper? licet tibi, si velis, & est qui prohibeat nemo. Contemne mundi pecunias, nihil esse cogita, sicut & sunt: elimina pecuniarum amorem, & diues factus es.

August. Homil. 47.

Ventre pleno ambulas, & vacuum pauperis ventrem non consideras. Bene est tibi de bonis Dei, nihil indiges, honestis vestibus vteris, & nudũ & trementem frigore non vestis. Si tibi dicat Deus, Teipsum ego feci, quod viuis, meum est, quod habes ego dedi, & ingratus es, aufero quæ dedi, nego quod donaui, dimitto te quem feci, & sine me viue si potes? Plus tibi dedi, vt haberes vnde pauperi dares. Pauperi non dedi ob hoc, vt te probarem, non quia ambobus non habui vnde darem, sed per pauperem volui te probare. Ego sum qui diuitem & pauperem feci, erogatorem te constituii in bonis meis. Fac misericordiam, quia nihil perdes, & me, qui tibi dedi, non offendes. Da, quid dubitas? Quia si dederis, ego plura dabo. Quid tibi soli vendicas, quod ambobus dedi? Quare tu solus comedis, quod ambobus creaui? Quare tuo labori hoc assignas, aut tuũ esse putas? Aufero auxilium meum, habe laborem tuum, aufero misericordiam meam, & tunc apparebit miseria tua. Ad hæc quid dicturus es miser?

Ambrosius de Nabuthe. cap. 14.

Custos es tuarum non Dominus facultatum, qui aurum terræ infodis, ministet vtiq; eius, non arbiter. Sed vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. Ergo in illo auro cor tuum infodisti terræ. Vende potius aurum, & eme salutem: vende lapidem, & eme regnum Dei: vende agtum, & eme tibi vitam æternam.

Cyprianus Sermone de Eleemosyna.

Si vereris & metuis, ne si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriã forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus. Finiri non potest, vnde in vsus Christi impenditur, vnde opus cœleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de Scripturarum sanctarum fide, & diuinæ pollicitationis autoritate promitto. Loquitur per Solomonem Spiritus sanctus, & dicit: Qui dat pauperibus, nũquam egebit: Qui autem auertit oculos suos, in magna penuria erit: ostendens misericordes atque operantes egere non posse, magis parcos & steriles ad inopiam postmodum deuenire.

Chrysostomus Corinth. 15. Homil. 40.

Si quis porro ista non audit, sed adhuc egentis rebus addictus vitiorum studio tenetur, ille velim in memoriam Mannæ cibum reducat, & pœnæ isthic inflictæ exemplum horrescat. Nam quod tum accidit, accidere auaris videmus. Quid accidit igitur? Vermes ab auaritia isthic scatebant, idem in his etiam cibis fit: mensura eadem omnibus est, vnum cuncti ventrem explemus, & stercoris apud te, qui voluptatem sequeris, plus est. Et quem admodum isthic qui plus quam permissum erat, colligebant, non Manna, sed vermium tum plus & putredinis retulerunt: sic voluptuarij, sic auari, non voluptatis, sed detrimenti plus reportant.

Ambrosius de Nabuthe, cap. 12.

Puteus, si nihil haurias inerti otio & degeneri situ facile corrumpitur: exercitatus autem nescit ad speciem, dulcescit ad potum: Ita & aceruus diuitiarum, cumulo harenosus, speciosus est vsu, otio autem inutilis habe-

tur. Deriuato igitur aliquid de hoc puteo, ignem ardẽtem restingue, quia Eleemosyna resistit peccatis. Aqua autem statiua cito vermes facit.

Ibidem cap. 13.

Clamat ante domum tuam nudus, & negligis, & tu solicitus es quibus marmoribus pauimenta vestias. Pecuniam pauper quærit, & non habet: panem postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. Sed delectant te ornamẽta preciosa, cum alii frumenta non habeant. Quantum ó diues sumis tibi iudicium. Populus esurit, & tu horrea tua claudis: populus deplorat, & tu gemmam tuam versas. Infœlix cuius in potestate est tantorum animas à morte defendere, & non est voluntas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma seruare.

Chrysost. in Iohan. Homil. 18.

Non accuso qui domos habent, agros, pecunias, mancipia, modo his bene vtantur ad frugalitatem, & vt decet, hoc est, tanquam Dominus, nõ tanquam seruus: vt ea possideat, non ab his possideatur: vt vtatur, non abutatur. Χρήματα enim, hoc est, pecunia, ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι quod est, vti, dicuntur, ea videlicet ratione, vt his in necessitatibus vtamur, non vt seruemus. Hoc serui est, illud Domini, & ius super id habentis. Non propterea diuitias accepisti, vt terræ defodias, sed distribuas liberaliter. Quas si Deus seruari voluisset, non sane homini dedisset, sed creditas dimisisset: verum cum velit expendi eas, nobis largitus est, vt his inuicem communicaremus. Qui pecunias seruat, non est earum Dominus. Quod si vt augeantur seruas, ea profecto optima augendi ratio, vt in omnes distribuantur. Neq; enim sine sumptu lucrum, neq; diuitiæ sine larga effusione proueniunt. Cuius rei argumentum in secularibus rebus videre licet. Siquidem mercator & agricola: ille pecunias, hic semina profundit in terram iaciens, assiduo diei labore exercet, vt plus inde accipiat: hic autem non tanto opus est labore, non nauis fabricanda est, non iungendi boues, non terra aranda, non tempestates, non aeris intemperies, non vis grandinis timenda, nulli fluctus, nulli scopuli offendendi. Hæc nauigatio, hæc satio vna duntaxat re indiget, vt dispergantur diuitiæ, reliqua omnia agricola ille perficiet, de quo inquit Christus, Pater meus agricola est.

Cyprianus in Sermone de Ieiunio.

Quid vltra cupide quæris? Quid amplius auare desideras? Nun quid & sic potest impleri ambitio tua, aut satiari potest fames tua, offa huius mundi iniecta dentibus tuis, & faucibus tuis vniuersa rerum massa intrusa? Mundum habes, Deum non habes: mundus transibit, & tu cum eo, qui non stas, cades, transibis & rues.

Basilius de Diuite auaro, apud Lucam.

Meticulosus erat in ipsa fertilitate, miserabilis præsentibus & paratis bonis, miserabilior in iis quæ adhuc expectabat. Non enim prouentus ei terra ferebat, sed fletus & suspiria: non fructuum copiam, sed curas & dolores, & graues anxietates. Nam æque cum egestatem patientibus afflicta batur. An non hanc emisit vocem, ob paupertatem angustiatus? Quid faciam? Vnde cibi, vnde vestes? Hęc diues quoq; queritur, ob hæc animo angitur, curis absumitur. Quod namque alios ad lætitiam inuitare solet, id hunc auarum mordet. Non enim gaudet ex iis omnibus, quæ intus habet, sed animum ipsius affluentes diuitiæ, & penuaria superantes pungunt, ne quo pacto ad externos respiciẽs boni cuiuspiam occasionem erga egenos mente concipiat. Mihi enim videtur huius animi vitium simile omnino illi heluonum gulæ, qui omnia malunt deuorare, quam pauperibus reliquias distribuere.

Chry-

Chrysostomus in Matth. Homil. 64.

Quemadmodum qui acutæ bilis feruore febricitant, non solum nō extinguunt ardorem potu, verū etiam incendunt, atq; inflammant. Sic qui auaritia laborant, cum huic cupiditati omni bile acerbiori pecuniam affe runt, maiori se ipsos flamma incendunt.

Ambrosius de Nabuthe, cap. 2.

O dies nescis quam pauper sis, quam inops tibi ipsi videaris, qui te diuitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris, & quicquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, vnde sit grauis ruina lapsuro.

Idem Epistola 1. lib. 3.

An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans auara & misera torquetur solicitudine? ille vero eget, & si alij diues videtur, sibi pauper est, qui non vtitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat.

August. ad fratres in Eremo, Sermone 47.

O homo an ignoras, quod radix omnium malorum auaritia est, & seruitus idololatriæ, mater vsuræ, genitrix Simoniæ, fomes culpæ, æternæ pœnæ via, nutrix gehennæ? o auaritia abyssus insatiabilis, quæ nunquam dicis, sufficit, semper famescis. semper doles, semper tristaris in cunctis. Nam si sol quotidie oritur, dolendo dicis, sicciras erit. Si pluuia descendit, omnia periclitari asseris. Si temperiem adesse prospicis, Solem vel pluuiā adesse desideras. O pestis interminabilis, ó famelica rabies: Nam omnia suis terminis clauduntur, sola auaritia nullo clauditur fine. Omnia in hoc mine senescunt vitia, sola auaritia iuuenescit. O rabies omni fine carens. Nunquid terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aër suo fine concluditur, cœlum suis terminis artatur, sola auaritia terminum nescit.

Diuus Chrysostomus Homilia 39. in 15. prioris ad Corinthios auaritiam taxans, inter cetera hæc refert.

Esse porro, quorum inexplebilis auaritia est, ipsis mēdicis miseros magis, vtpote grauiore & acerbiore malo detentos, hinc iudicari potest. Siccitas quondam inuasit regionem nostram, trepidabant velut in extremis omnes: Deum inuocabant, videre erat, quod est in Mose scriptum, cœlum æreum redditum, & nihil iam quam mortem omnium teterrimam expectari. Verum aliter visum benigno Deo, pluuia quippe præter omniū expectationem largissima & immensa desuper ruebat: itaq; omnes iam gaudio exultare, festum celebrare, vt qui ab ipso mortis limine reduces se putarent. In istis tantis bonis in communi omnium lætitia, præopulentorū illorum quispiam tristis, teter, exanimis dolore circuibat: rogantibus multis causam, quid ita in communi omnium hominum lætitia & voluptate solus doleret, continere grauem animi dolorem homo non potest, sæuitia morbi incitatus causam in medium prorupit: mille frumenti metra domi cum possideam, inquit, non reperio qui faciam actionem. Hunc ne igitur prædicamus ob verba, quæ propter lapidibus obrui qualibet fera crudeliorem hostem publicum oportebat? Quid homo ais? dolet tibi nō omnes perisse, vt faceres quæstum? Non audis quid Salomon dicat? Qui abscondit frumenta, execrabilis omnibus est: sed circuis bonorum omnium totius orbis communis hostis, benignitati insensus, mammonæ amicus, imo vero seruus, nō excindi linguam istam, non contūdi pectus, ex quo verba ista fluunt, oportebat? Vides vt aurum homines esse homines non sinat, sed in beluas & dæmones mutet?

Historia de auaro lugēte pluuiam.

Basilius Sermone 2. in diuites auaros.

Infœlix homo, pecuniæ naturam aliquantulum inspice. Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolitus, beryllus, achates, hyacinthus, amethystus, iaspis. Hæc summa, hi flores opum magnarum. Hos partim, cum sint clarissimi, in tenebris abscondis: partim in digitis micantibus, alijsque in ornatibus circũfers. Dic quæso, quę vtilitas digitos vertere lapillis coruscantes, atq; ostentare? Nonne erubescis, te lapillorum auidũ ostendens, quemadmodum prægnantes fœminæ ob malitiam interdum lapillos edunt? Tu item tanquam ipsorum helluo, sardonychas, iaspidas, amethystos omni studio conquiris. Quis pulchritudini formæq; fingendæ studẽs, vnam vitæ diem sibi prorogare poterit? aut cui mors ob diuitias parcit? a quo morbus ob pecuniam abstinet? Quousque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca?

Ambros. cap. 5. de bono mortis.

Auis quæ descendit ex alto, vel quæ in altum se extollere nõ potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscunque irretitur insidijs. Sic quoque & anima nostra caueat ad hæc mundana descẽdere. Laqueus in auro, viscum est in argento, nexus in prædio, clauus in amore. Dum aurum petimus, strangulamur: dum argentum quærimus, in visco eius hæremus: dum prædium inuadimus, alligamur. Quid in vanum quærimus lucrum precioſæ animæ detrimentum? Exiguus tibi est totus mundus pro vnius animæ dispendio. Quid enim prodest homini, si hunc mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam commutationem dabis pro anima tua? Non auro redimitur, non argento: imo auro amittitur.

Hieronymus in Dialogo aduersus Pelagianos lib. 1.

Quomodo enim camelus non potest intrare per foramen acus, ita & dines non ingredietur in regna cœlorum. Aut si potueris ostendere, quod diues ingrediatur regna cœlorum: sequitur vt & camelus intret per foramen acus. Nec mihi Abrahã & cæteros, quos in veteri Testamẽto diuites legimus, exẽplo proponas, qui diuites ingressi sunt regna cœlorum, cum ipsis diuitijs ad bona vtentes opera, diuites esse desierint: imo cum non sibi, sed alijs diuites fuerint, & dispensatores magis Dei, quum diuites appellandi sunt.

Ambrosius Sermone 4.

Recte camelo comparatus est diues. Siquidem illum à transitu acus corporis crassitudo reuocat, hunc ab ingressu Ecclesiæ patrimonij solicitudo detentat. Et sicut illum paruum foramen non capit oneratum mole membrorum, ita & hunc introitus sanctus non suscipit grauatum cumulo delictorum. Vterque habet propriam sarcinam suam, ille oneratus est carnibus, iste peccatis: & sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cauernæ, ita & hic inconueniens est beatissimo Dei regno, nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem prauum voluntas efficit.

Augustinus Quæst. noui testamenti 75.

Quicunque sic habet facultates suas, vt spem in illis nõ habeat, paratus autem sit pro fide illas abijcere, viam ambulat, qua itur ad Christum Dominum nostrum.

PHILOSOPHORVM ET SOPHISTARVM.

BIon Sophista auaritiam dicebat omnis improbitatis esse metropolin. Bion Borysthenites diuites sordidos dicebat ita facultatum suarum cu-

ram habere, quasi essent propriæ: rursus ex ij sdem nihil capere vtilitatis, quasi essent alienæ.

Idem in diuitem quēdam sordidum ita locutus est: Hic facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. Laërt. lib. 4. cap. 7.

Aristides cognomento Iustus, cum auarus quidam & prædiues paupertatem ei exprobraret, Mihi, inquit, paupertas nihil mali videndum prębebit, tibi autem diuitiæ per fas nefasque paratæ turbas non paucas.

Diogenes interrogatus quænam essent feræ pessimæ? Respondit, In montibus vrsi & leones, in ciuitatibus autem Publicani & Sycophantæ.

Idem petebat aliquid ab homine auaro, quem vbi videret contantem, ac negaturo similem, ô homo, inquit, ad cibum te postulo, nō ad cyppum, πρὸς τροφὴν, οὐ ταφὴν. Auari cum beneficium alij præstare coguntur, id aduersum ipsis est, veluti mors ipsa. Itaq; Philosophus & auaritiā hominis taxat, & humanitatis eum monet. Non, inquit, iubeo, vt suspendas te, vel sepulchro te inijcias, sed vt amico mihi gratum amicitiæ præstes officium.

Socrates nec à mortuo petendum colloquium, nec ab auaro petendum beneficium dicebat. Nam vt mortui aut non respondent, aut lædunt: ita auarus aut non dat quod rogatur, aut infœliciter cedit accipienti, quod datur animo inimico.

Aristoteles Stagirita dicere solebat, quosdam homines tam tenaces esse, quasi nunquam essent morituri, & alios etiam esse, qui ita sua profunderent bona, ac si cras morituri essent.

Demosthenes cum animaduertisset, auarum quendam ad sepulchrum efferri: Iste, inquit, cum vitam nō vitalē vixerit, alijs vitam reliquit. Quasi dicat, Auarus iste suum ipse defraudauit genium, vitamque curis sepultam egit, sed iam alij eius lætantur morte, & facultates, quas reliquit, aliorum intemperanti seruiunt libidini. bios enim Græcis & vitam & victum significat.

Lycurgns Lacedæmoniorum legislator, quicquid erat rerum superuacanearum, e ciuitate eijciendum curauit: adeo vt nec negociator, nec sophista, nec vates, nec circulator, nec lautitiarum artifex Spartam ingrederetur. Neque enim passus est illic esse pecuniam talibus vtilem: tantum ferream monetam cudit, quæ pondere Ægineticam æquabat minam, valore æreos quatuor. His remedijs expugnauit auaritiam.

Demonax quosdam esse dicebat, qui non in hac pręsenti vita viuerent, sed magno studio se præpararent, quasi alteram vitam sint acturi, non hāc pręsentem. Notauit autem insatiabilem eorum hominum auaritiam, quibus nihil sufficit: quasi post mortem etiam vsui sint nobis per fraudem comparatæ diuitiæ.

Tryphon cum Antiochi exercitum de improuiso sibi ingruentem cerneret, nec vlla arte periculum se euadere posse intelligeret, pecuniarum vim ingentem per vias spargi iussit, quibus colligendis Antiochi exercitus dum intentus esset, Tryphon interim illæsus euasit. Sic auaritia Antiocho victoriam eripuit. Iulius lib. 2. strategematum.

Pythius totus auro congerendo intentus.

Pythius natione Lydus, in vrbe Celænis (nam ibi regnabat, homo prædiues, sed auri studio præter modum deditus) totam fere ciuitatem in fodiendis metallis occupatam tenebat, vt vix quicquam aliud agi vacaret. Huius morbo vxor solerti remedio medicata est. Absente enim marito, curat & mensam, & omnem mensę supellectilem adfabre ex auro confici, denique & cibariorum effigies, quibus nouerat maritum præcipue delectari. Reuerso, cum conuiuij tempus esset, apponitur mensa aurea cum reliquo vasorum apparatu. Atque hoc sane spectaculo diues aliquandiu pauit oculos. Tandem quum interpellaret stomachus, iubet apponi cibos.

Appo-

Apponuntur illi aurea ciborum simulachra spectanda, non edenda. Hic cum excandesceret ira Pythius, flagitans apponi quod edi posset, iam dudum spectaculorum esse satis. Tum vxor, an nō sentis (inquit) Pythi, dum nihil aliud quæris, quam aurum, agricolationē deseri, & ciues tuos ad famem vocari, breui perituros, si qua cœpisti pergas. Hoc ciuili commento cordata mulier maritum ab immodico auri studio reuocauit.

Pythius tantas ex auri fodinis collegit diuitias, vt platanum aureā vitem q; nobilē Dario Regi donarit. Idem immensas Xerxis copias aduersus Græciam tendentis, septies centena octuaginta octo millia hominū excepit epulo, stipendium quinque mensium, frumentumque pollicitus, vt è quinque liberis senectuti suę saltem vnus concederetur. Interrogatus à Xerxe quantum possideret, respondit se habere argenti talenta duo millia, auri myriadas quadringentas, staterum Daricorū septem millibus minus. Quam summam cum obtulisset ipsi Xerxi, demiratus Rex propensam hominis liberalitatem, expleuit quod illi deerat ad quadringentas myriadas. Tantæ cum essent Pythii istius diuitiæ, attamen eum mœrore & fame tandem in subterraneo conclaui extinctum esse ferunt. Nam cum impar dolori, quo misere ob immanem filii necem à Xerxe illatam conflictabatur, esset, in monumentum se coniecisse fertur, quod ipse tumuli vertice excitarat, atq; inibi flebiliter quod supererat vitæ, complesse, submittente illi diebus singulis cocta cibaria vxore, cui principatus moderamina per manus tradiderat. Cæl. Rhodig. libro 19. A. L. Refert Matheſius in Sarepta nostra ætate in Transyluania in subterraneo fornice ex lapsu arboris concusso & aperto immensam vim aureorum inuentam esse, quorum ait se aliquos vidisse, & singulos duorum aureorum Hungaricorum valorem exæquasse, in vno inscriptionem fuisse hanc Græcam, Basilij Lysimachou, in alio tres fuisse expressas imagines, quibus subscripta erat dictio, koson, in altero vero eius latere depictum Phœnicem in nido. Porro increbuit fama, hodiernum in diem in Transyluania thesaurum latere, à priscis Regibus ex auri prouentibus collectum. Mathes.

Pygmalion Rex Tyri Sychæum sororis suæ Didonis maritum interfecit, vt eius auro potiretur. Nec tamen voti sui compos factus est. Decepto enim Pygmalione omnes mariti sui thesauros clam secum in Africam auexit. Auctor Liuius, Iustinus, & Virgil.

---Ille Sychæum,
Impius ante aras, atq; auri cæcus amore
Clam ferro incautum superat.

Achilles ductus auaritia, cadauer Hectoris Priamo exposuit venale. Verg.

Exanimumq; auro corpus vendebat.

Semiramis in monumento, quo post mortem erat recondenda, hæc insculpi iussit: Quicunque Regum post me futurorum pecunia indiguerit, recluso conditorio sumat inde quicquid visum fuerit. Id cum perlegisset Darius auri cupiditate sepulchrum iussit recludi, in quo tamē pecuniā inuenit nullam, sed hoc tantum literis sculptum. Nisi malus fores & auarus, mortuorum loculos non moueres. Auctor Herodot. *Darius.*

Achæus Rex fuit Lydorum, qui quum noua tributa à subditis vellet extorquere, ob auaritiam populari factione suspensus est elatis pedibus, & demerso in Pactolum capite. Quid. in Ibin:

Morte vel intereas capiti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera resse pependit aqua.

Quanta Midæ fuerit auaritia, autique sitis, stolidum eius votum ostendit. Nam cum ei Bacchus veniam dedisset optandi quicquid vellet, petiit,

vt quæ-

vt quæcunque contigisset, aurum fieret. Quod cum ex voto ei succederet, beatum se primum iudicabat, mox cum & cibus potusque quem ori admonebat, in aurum conuerteretur, ipsique iam fame pereundum esset, voti sui stultitiam sero damnauit, illudque irritum fieri a Dijs petijt. Vide Ouidium 11. Metamorph. Voluerunt Poetæ in isto Mida, cuius stoliditatem in eo quoque expressérunt, quod aures asininas ei affinxere, auaritiæ crimen nobis depingere, ostendentes eos qui vitio isto laborent, cupiditatibus sibi exitialibus affligi, non tam vita quam inani vitæ splendore gaudentes.

Midæ huius imperio Phrygia subiecta fuit, eique puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentib. deinde eius quorsum prodigiū tenderet explorantibus, Augures respondérūt, omnium illum mortalium futurum diuissimum: nec vana prædictio extitit. Nam Midas cunctorum pene Regum opes, abundātia pecuniæ antecessit. Valer. lib. 1, c. 6.

Midam hunc Plutarchus auctor est contracta ex somniorum diritate animi ægritudine, cum formidabilis affectio augescéret indies, nec mali vllum prorsus promeret se alleuamen, tandem fatalem diem sibi admouere destinasse, ac tauri sanguine copiosius hausto cōcessisse ab humanis.

Hieronymus Stridonensis & dicere & scribere solebat, auaro tam illa quæ habeat, quam quæ non habeat, deesse; ostendens, hominem auarum semper esse egenum, etiamsi amplissimas diuitias possideat.

Aristides interrogatus, quid iustum esset? Aliena non concupiscere respondit.

Psalmo trigesimo septimo dicitur: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Sic & Cato honestam paupertatem impijs diuitijs longe præferendam esse dicebat.

Vespasianus Imperator filio Tito reprehēdenti, quod è vilissimis rebus cogere pecuniam non omitteret, dixit, vt follem pecunia plenum, quem à Procuratoribus allatum tunc ante se habebat, olfaceret, experiréturque quidnam oleret: & respondente Tito grauem nullum inde odorem sentiri, ridens dixit, At qui hoc lotium est. Nam ex vrinæ vectigali hæc pecunia confecta est. Neque enim animaduertere voluit, vrinæ fœtorem, cui auaritia esset coniuncta, & si nasum non læderet, famam tamen denigrare. Fulgos. lib. 9.

Vespasianus sordide auarus.

Antonius Augusti collega, cum imperium Asiæ, Græciæ, Ægypti obtineret, nec minor eius esset potentia, quam hodie sit imperatoris Turcici, auaritiæ tamen actus stimulis pluribus regnis inhiauit, eaque de causa bellum non necessarium aduersus Augustum mouit, in quo victus sibi ipsi mortem conscíuit.

Valerius Maximus libro nono hunc ad modum de Auaritia scribit: Protrahitur etiam in medium Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi miserrima.

Cum admodum locupleti L. Minutio Basilio falsum testamentum quidam in Græcia subiecisset, eiusdemque confirmandi gratia potentissimos Romanæ ciuitatis viros, M. Crassum & Q. Hortensium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruisset, quanquam euidens fraus erat, tamen vterque pecuniæ cupidus facinoris alieni munus non repudiauit. Lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura inuitati autoritatibus suis texerunt. Meminit Cicero in Officijs.

Q. Cassius in Hispania Silium & Calpurnium occidendi sui gratia cum pugionib. comprehensos, quinquagies sestertiūm ab illo: ab hoc sexagies pactus dimisit. Pecuniam salute sua potiorem habuit homo auarus.

Opimius Consul cum edixisset, se auro repensurum, si quis caput C. Gracchi sibi attulisset: ibi L. Septimuleij præcordia ante omnes auaritia possedit. Gracchi siquidem familiaris & patroni sui caput abscidit, & per vrbem pilo fixum ferre sustinuit, liquatoque plumbo cauatam capitis partem, quo ponderosius esset, expleuit. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo: clientis tamen scelesta fames in has vsque iacentis iniurias esurire non debuit.

Ptolemæus Rex Cypriorum cum anxijs sordibus magnas opes corripuisset, propterque eas perituru se videret, & ideo omni pecunia impolita nauibus, in altum processisset, vt classe perforata suo arbitrio perirer, & vt hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum, sed futurum suæ necis præmium domum reuexit. Proculdubio hic non possedit diuitias, sed à diuitijs possessus est: Titulo Rex Insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium.

Polymnestor Rex Thraciæ Polydotum Priami & Hecubæ filium fidei suæ tempore belli Troiani commissum interfecit, vt auro eius potiretur.

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infœlix Priamus furtim mandarat alendum
Threico Regi, cum iam diffideret armis
Dardaniæ, cingiq; vrbem obsidione videret.
Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaq; arma secutus,
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Ad quoduis scelus execranda auri fames hominum animos impellit, adeoque improbus ille auri amor & pietatis & honestatis amorem in vniuersum in animis hominum extinguit. Id quod etiam historia de Glauco Spartiata ostendit, de qua Herodotus lib. 6.

Glaucus inter Spartanos cum alijs summis laudibus excellebat, tum iustitia inter omnes optime audiebat. Verum auaritia animum eius peruertit, consilijque ipsi exitialis auctor extitit. Nam cum grandem vim pecuniæ Milesius quidam apud eum deposuisset, cautelamque chirographi ab eo accepisset, vt si quis ea allata pecuniâ reposceret, isti eam citrà fraudem redderet. Multo deinde interiecto tempore, filij eius qui pecuniam deposuerat, Spartam veniunt, Glaucum conueniunt, exhibitaq; nota pecuniam reposcunt. Ille enimuero repellere homines, atq; his verbis è contrario respondere: Neque istius quicquam reminiscor, neque ad me pertinet scire quæ dicitis. Volo tamen reminiscens quicquid iustum fuerit facere, & si accepi, iure optimo reddere: sin à principio non accepi, Græcorum legibus in vos vti. Ad quod confirmandum præstituo vobis tempus quatuor Menses. Ita Milesij facta iactura, tanquam fraudati pecunia discessere: & Glaucus Delphos se contulit ad Oraculum consulendum. Cui consultanti, an horco, id est iureiurando pecuniam prædari deberet, Pythia respondit his versibus:

Glauce Epicydides equidem expedit ad breue tempus
Vincere iurando, & sic interuertere nummos.
Iura, quandoquidem castum quoq; dura manet mors,
Sed tu iusiurandi proles, quæ nominis expers
Et manuum q; pedumq; venit festina deinde,
Quæ genus atq; domum subuertat funditus omnem.
At casti soboles hominis præstantior exit.

His au-

His auditis Glaucus veniam sibi eorum, quæ dixisset, vt daret, Deum obsecrabat. Cui Pythia, inquit, idem pollere: Tentare Deum & facere. Tunc Glaucus accitis Milesiis hospitibus pecuniam reddidit: Verum nihilominus diuina eum vltio insectata est. Nam eius & soboles & domus ex Sparta radicitus extrita fuit.

Angelo ctus Cardinalis tantis auaritiæ sordib. defœdatus fuit, vt clam in equorũ stabulũ se proripere solitus fuerit, & pabulũ è præsepib. suffurari, donec à Magistro stabuli pro fure deprehensus in tenebris vapulauit. Tandem cum omnium suorum seruorum ob sordidam tenacitatem odium incurreret, à Cubiculario intersectus est. Pont. lib. 6. de liberalitate.

Incredibiles etiam Martini Papæ sordes feruntur. Nam vt oleo parceret, domesticis crudos pisces dari iussit à dispensatore. Clanculum etiam cereos in templis solitus est extinguere gratia nocturni luminis.

Didius Iulianus Imperator porcellum atque lepusculum ad se muneri missum in triduanas partiebatur cœnas. Prandebatq; interim paucis oleribus & herbulis contentus.

Didius Iulianus cum ob sordes & inexplebilem auaritiam omnibus infensus esset, inito statim imperio cum dies 60. regnasset, interfectus est.

Famosæ etiam sunt Saltzburgensis cuiusdam episcopi sordes, qui cum iter faceret, à pluuia deprehensus, detractum capiti pileum sub veste texit, maluitq; caput ipsum, quam pileũ madefieri homo auarus, cui ex annuis reditibus vel centena aureorum millia cedebant. Meminit Philippus Melanchthon in explicatione Sententiarum Theognidis. *Episcopus Saltzburgensis.*

Fuit VVormatiæ Canonicus illustri natus genere, cognomento Eselberger, is cum & totus esset podagricus & amplissimis diuitiis, quas ex multis corradebat Sacerdotijs, affluueret, interim tanto sordium putore affectus erat, vt veritus ampliorem alere familiam, vnius famuli ministerio contentus esset, quem subinde quoque mutare solebat, ne si diutius eius vteretur opera, ipsum pro præstitis officiis aliquo munere ornare cogeretur. Canonicus iste cum vehementioribus podagræ, chiragræq; doloribus vrgeretur, peluim aureis nummis refertam deprimi sibi iubebat, ibi manus in auro circumuoluẽs oculosq; aspectu auri oblectans dolorum quæ-suit mitigationem. Post mortem eius vltra triginta aureorum millia in area ipsius fuere recondita. Quam pecuniam comes Palatinus Episcopusque Treuirensis inter se partiti sunt, amicis vero eius, quibus iure omnis debebatur substantia, tria inde tradiderunt aureorum millia. Quæso quid hoc fuit aliud quam in Cloacam aurum abiicere? Recte Germanorum Prouerbio dicitur, Frustra porci præpinguis inungi podicem. Ibid.

Crato præpositus Goslarienſis, cum suscepto Episcopatu Misnensi Goslariam veniisset, post refectionem in cubiculum, vbi thesauros suos, quorum nimis amator erat, nullo conscio infoderat, quasi paululum requiescere volẽs, sese inclusit. Cumq; iam die vergente in vesperam præter modum consuetudinemq; suam somno indulgere videretur, rem insolitam mirantes cubicularij, pulsare ostium cœperunt, sed nec pulsantibus nec vociferantibus vllum dabatur responsum, tandem effractis foribus irrum pentes inuenerunt eum fractis ceruicibus, colore tetro, exanimem ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubantem. Anno 1066. Lambertus Schafnaburgensis.

Impia & stolida auarorum hominum diffidentia hoc etiam commento reprehenditur.

Homo quidam auarus pecuniam suam sub arbore defoderat, & vt loci certus esset, prægrandem lapidem foueæ imposuit. Accidit deinde vt homo quidam prodigus, cum omnia bona sua abligurijsset, ex desperatione ad suspendium confugeret, cumq; ad arborem eam delatus clauum ramo

impingere vellet, cui funem suspendio electum alligaret, lapidem, qui defossæ pecuniæ erat impositus, in locum sibi commodum demoliri cœpit, vbi cum aulam pecuniæ plenam offendisset, summo perfusus gaudio, pecunia omni inde ablata funem in eius locum reposuit. Paulo post auarus quoq; Euclio thesaurum suum contemplaturus accedit, vbi cum pecuniam subreptam esse vidit, funemque suppositum offendit, animo vehementer turbatus, arrepto fune de arbore illa, quam antea prodigus suspendio delegerat, seipsum suspendit.

Auaritia, inquit Campofulgosius, fomentum auiditatis est, atq; virgens ad omne scelus calcar: ab animis enim, in quos semel ingressa est, amicitiã honorisque desiderium pellit, ac nunquam inde egreditur, quin potius cum annis crescit, & quamuis senio subeunte corporibus vires decrescãt, habendi cupiditas tempore ipso augetur: & quo minus ad viuendum spacij supereſt, tanto plus struendis intenta opibus, timidius necessaria promit. Itaque quicunque auaritia captus laborat, cum neminem amet, a nullo etiam amatur, & cum omnia auro postponat, quanto plus auri possidet, tanto plus quærendo inhiat: Veluti hydropicus, qui bibendo semper magis sitit, etsi totum aqua perfusum, plenumq; corpus habeat. Quæres efficit, vt non sine ratione, omnium Italorum consensu, in idem conuenientium nomen (auaritiæ enim comes semper est miseria) auaros omnes miseros esse dicamus.

Perseus rex Macedonũ.

Perseus Macedonum rex vltimus à reliquis militibus desertus, magnarum promissionum spe, paucos quosdam Cretenses secum retinuit: profugorum pignus fuere data aliquot aurea vasa. Cum autem Cretensium præsidio in tuta se loca recepisset, pollicitus se pecuniam daturum, vasa a etiam Cretensibus destitutus, cum nullo alio quam auro comite, in Samothraciam profugisset, ab Æmylio captus, Romam in triumphum, quemadmodum tanta auaritia dignum erat, perductus fuit. Nam cum in bello pluris aurum quam homines secisset, tandem experiendo cognouit, aurum se, quia homines, quibus aurum defenderet, non habebat, vna cum libertate ac regno amisisse.

Tigranis filius.

Cum Tigranem Armeniæ regem Pompeius deuicisset, & is ab eodem Pompeio, in regnis quæ ante possidebat restitutis, in Romana castra ad salutandum Pompeium venisset, maiore natu filiorum prosequente, a toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus, post epulas Pompeio, totiq; exercitui ingentia munera contulit. Cum postea filius quoq; inuitatus esset, respondente eo, tanti se cœnam emere nolle, indignatus Pompeius custodiri eum iussit, ac Romam in triumphum duxit. Nam patre eius ob hoc ætalitatem in regnis relicto, auarum filium, qui abiecto erat animo vna cum regno libertate quoque priuauit.

Caligulæ post profusiones detestanda auaritia.

Caligula post immensas profusiones (delicijs enim animum explere voluit) ad auaritiam atq; rapinas conuersus (id quod agere solent, quibus expendendi nullus est modus) testatores vt ipsum hæredem scriberent, cogebat, quos postea si superuixissent, veneno tollebat: ridendos ducens, quod condito testamento superuiuerent. Superante demum cupiditate atque auaritia, fœminarum mariumque lupanar in palatio condidit, ac misit, qui per vrbem cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal Principi redderent, inuitarent. Coacta igitur ex eo vectigali ingenti pecunia, cum in ea nudum se prouolueret, auri auiditatem explere contendebat. O ingentem inimiamque auaritiam, quæ in tanto Imperio, tantum Principem excæcatum in eam vilitatem abiectionemq; deduxisti, vt neque dedecus suum, neque Imperij ignominiam agnosceret, cum se veneficum atq; le-

nonem

nonem præstaret, quod nemo ne obscuro quidem ortus loco, quamuis inopia pressus, vix quin erubesceret, in occulto agere posset.

Mauritius Imperator auaritiæ morbo laborans, duodecim Romanorum millia à Cagano capta redimere non sustinuit. Iratus igitur Caganus omnes trucidari iussit. Horũ interitus cum magnum dolorem multis afferret, ortæ sunt in reliquis exercitibus seditiones, præsertim quia & Petrus frater Mauritij Dux stipendia indigne pendebat, & in tantum odium venit Mauritius, vt in die natali Christi ingrediens in templum pene lapidibus obrutus sit. Cumq; varij essent in vrbe & in castris tumultus, Phocas ab exercitu Imperator salutatus Mauritium & vita & Imperio priuauit. Kursus autem & Phocæ cum ob tyrannidem & auaritiam in odio esset non solum populi, sed etiam Principum, & ipse captus & ad Heraelium adductus, brachijs pedibusq; mutilatis pudendisque exectis crudeli mortis genere perijt.

Benedictus Nonus Gregorio VI. Pontificatum vendidit, quem credibile est, si tantum emptorem inuenisset, seipsum quoq; venditurum fuisse, ac libertatem vitamq; ipsam auro, si magna eius vis oblata fuisset, postpositurum. Ibidem.

Claudianus auaritiam Rufini his incessit verbis:

Plenus sauitiæ luctuq; cupidine feruens,
Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas preciosa Tagi, non stagna rubentis
Aureæ Tmolit: totumq; exhauserit Hermum,
Ardebit maiore siti.

VVidij auaritiam describit Horatius 1. Sermonum:

Vidius quidam (non longa est fabula) diues
Vt metiretur nummos, ita sordidus, vt se
Non vnquam melius seruo vestiret ad vsq;
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat: at hunc liberta secuti
Diuisit medium fortissima Tyndaridarum.

Fusidium fœneratorem idem Poëta his verbis arguit:

Fusidius vappa famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exigit: atque
Quanto perditior quisq; est, tanto acrius vrget.

Alexander Seuerus Thurinum Vetronum fumo necauit, quia solitus esset fumos vendere, id est, fingere responsa Imperatoris accepta pecunia, cum causas nunquam ad Imperatorem retulisset, iussitque preconem clamare: Fumo punitur, qui fumos vendidit. In alios etiam qui corrupti pecunia, iniuste iudicauerant, duriter animaduertit hic Imperator, sæpe hũc versum recitãs: Ὁ πολλὰ κλέψας ἡ ὀλίγα δοὺς ἐκφυξέτω Chr. Phili li. 3.

Pescennius Niger cũ Galliam regeret, imperante Septimio, Tribunum lapidari iussit, quia militum stipendia decimaret. Fulgos. *Tribunus auarus lapidatur.*

Cum Seruius Sulpitius Galba, & Aurelius Consules in Senatu contenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur: ac magna inter P.C. dissensio esset, omnibus quonam Scipionis Æmiliani sententia inclinaretur expectantibus, Neutrum, inquit, mihi mitti placet: alter nihil habet, alteri est nihil satis: æque malam licentis imperij iudicãs inopiam, atque auaritiam. Val. Max. *Auaros imperare malum.*

Alphonsus rex Hispaniæ cum iter faceret per regnum Neapolitanum, mulier plerabunda ei occurrit, conquerens maritũ suum satis concessisse, *Sacerdos auarus sepul*

turam vendit.

sacerdotēq; sepulturæ locū ei denegare, nisi numerata ea pecuniæ summa quam paupercula ipsa numerare minime posset. Rex Sacerdoti vt sepulchrum fodiat iniungit, effosso deinde sepulchro, iubet vt in illud descēdat, ministrisq; præcipit, vt circa eum terram egestam rursus iniiceret. Vinctus ita cum noctem diemque perpetem, exerto capite, præsentissimā mortem expectaret, rex terram refodi sacerdotem quē sepulchro exire iussit, monens, vt istius pœnæ memor nullum posthac talibus querelis locū daret.

Anarus Doctor cū Satana pacisciatur.

Quidam Medicus fœdere inito cum diabolo, quem adiurationibus vinctum in vasculo vitreo detinebat, in curationib. fœlix admodum erat, amplasq; colligebat diuitias. Æstimabantur bona eius, quæ liberis reliquit, viginti sex aureorum millibus. Is cum ante mortem de pœnitentia cogitare vellet, immani furore à Satana correptus, assidue diabolum suum ministrum inclamauit, horrendasque blasphemias in Spiritum sanctum euomuit. In qua insania extinctus Satanicæ suæ auaritiæ pœnas luit.

Eccij auaritia.

In conuentu Augustano anno supra sesquimillesimum, 30. Eccius sacerdotium, quod dum forte vacabat Augustæ, à Cardinali Campegio sibi tradi petebat, plurimum simul officia sua, quibus Romanam sedem deuinctam sibi haberet, exaggerans: Cardinalis in promittendo facilis, sui voti compotem esse iubet Eccium, quo digresso adit Cardinalem nobilis quidam homo vafer, quadringentos ei muneris loco aureos offert, sibiq; attribui sacerdotium illud petit. Cardinalis iam alteri, inquit, sacerdotium addictum est nec honestum fuerit, priori illud eripi. Nobilis instans, Facile inquit, inter te & Eccium res ista componi poterit, modusq; reuocandi promissa plenus erit, si fingas, Ducem Bauariæ publicis literis pro alio intercessisse, cui sacerdotium illud tradi necesse sit. Post triduum reuersus ad Campegium Eccius literis possessionem sacerdotij sibi confirmari petit, verum ex consilio Nobilis quem potiorem fecerat pecunia, repulsam patitur. Qua rei indignitate acerrima ira inflammatus, apud Philippum Melanchthonem, aliosq; Euangelicæ doctrinæ assertores tum forte congregatos de tanta contumelia conqueritur, & tandem in hęc verba prorumpit: Quid à vobis expectabo præmij, & deseram sceleratos istos homines, vestrasq; partes sequar & tuebor? Ad quæ Philippus: Si causa nostra est vera, cur non sponte tueris veritatem? Ipse vero videns se testimonio suo conuictum, primo quidem quasi attonitus, obmutuit, tandem se recolligens: Non, inquit, omnia sunt vera quæ defendi possunt, & ab ipsis recessit.

Hyeme aspera sæuiente, Heydelbergæ ciuibus vinum venale haud erat, quippe qui maius precium sperarent. Quod vbi Comes Palatinus Elector resciuit, omnes ciuium opulentorum cellas visitari præcepit, cumque satis magna vini in promptu esset copia, ex singulis dolium in publicā cellam vehi iussit, & communi precio vinum diuendi, simul & inopiæ paupe riorum consulens & opulentiorum auaritiam puniens.

Pontificia auaritia omnium aliorum auaritiam superat.

Imperatores, Reges, Principesque ex auro & argento monetam sibi cudunt: Pontifex Romanus ex omnibus creaturis, ex venditione indulgentiarum, è Missis, Sacramentis, ex omnibus ciborum generibus, ex carne, ouis, caseo, butyro, tum ex pœnitentia, excommunicatione, pecuniā corradit. Solum Baptismum ab exactionibus immunem reliquit. Infantes siquidem nudi in mundum hunc nascuntur, nec quod largiri possint quicquam habent.

Auaritia Papæ, dicebat Lutherus, omnium est & immanissima & maxima, & ad eam exercendam peculiariter Romam sibi elegit diabolus. Radix omnis mali auaritia est Roma. In codice admodum vetusto

versum

versum hunc legi: Versus amor mundi caput est, & bestia terræ. Roma scilicet bestia illa est, quæ omnes exugit, & perdit auaritia sua regiones. Magna Satanæ vis est, qua exerit se in Papæ auaritia. Absque vllo labore manuum, absque vllo docendi ministerio, sine vllo. quod Ecclesiæ præstatur officio, sola idolomania inaniumque operum venditione thesauri & opes orbis terrarum à Papa & Clero eius rapiuntur, & deglutiuntur.

Auarus procurator à diabolo aufertur.

Haud temere apud Germanos conficta est fabula de auaro quodã procuratore, qui candida de nigris & de candentibus atra facere assuetus, omnium in se passim concitarat odium. Is cum aliquando in pagum quendã tenderet, sese eius lateri diabolus adiũxit sub specie viatoris, nẽpe calumniator sycophãtæ iungi voluit, ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Cumque ex sermonibus, quos inter se conferebant, procurator tandem intelligeret, qualem sibi iunctum haberet comitem, vehementi terrore perculsus, tum signis, tum orationibus eum à se auertere frustra conatus est. Interea vir quidam factus est ipsis obuiam pauperculus, porcum fune alligatum ducens, quem cum deuiantem in recto tramite retinere nõ posset, excandescens Rusticus, dira porco imprecatur, eumque diabolo prædam obijci per iræ vehementiam optat. Iis auditis Procurator, audin? ait ad comitem, obiecta tibi præda est, quin eam auferre satagis? Respondit ille: Imprecatio ista inanis est, nequaquam enim verbis animus consonat. Pago iam appropinquabant, cum misere plorantem audiunt infantulum, matremque commotam ei imprecantem, vt à diabolo auferatur. Ibi rursus Procurator: En noua obiecta præda, hominis anima, num eam negliges? Quin hinc facessis, & ea quæ vltro offeruntur arripis? Respondit diabolus: Nequaquam ita affectus est animus maternus, vt vota ista ex vana consuetudine profecta sonant. Interim eo, quo constituerat Procurator, adueniunt, ibi quotquot aderant viso Procuratore, quem cane peius & angue oderant, omnes vno ore in hæc verba erumpunt: En adest sycophãta, adesto in nomine diabolorum pessime: Qui te adduxit diabolus, idem hinc te auferat. Iis auditis diabolus, Audin? inquit, istorum verba, quæ nequaquam per iocum effundunt. Illis res serio agitur, quare hinc me comitaberis, simulque arreptum rabulam per aërem secum abstulit. Discip. de temp. in Promptuario.

Anno quadragesimo septimo, supra sesquimillesimum, in Flandria nõ procul à Gandauo, culmis innatæ fuere singulis spicæ quindecim, & plures in agro viri pietatis inprimis studiosi, & erga pauperes benefici, quæ noua & rara Dei benedictio satis declarat, quæ causa sit hoc seculo tum maledictionis, tum insolitę omnium rerum caritatis.

Diuinæ iræ magnitudo aduersus auarorum hominũ, & fœneratorum immisericordiam, multis exemplis, ijsque horrendis & tristibus declaratur, quæ ob oculos nobis ponuntur, vt ad mutuam nos charitatem excitent, & in nobis fiduciam in diuinam bonitatem collocandam augeant. In hoc autem quoque exemplo diuinæ bonitatis insigne testimonium exhibetur, qua liberalitas & misericordia diuinitus ornata fuit, quã pauperibus vir ille præstitit. Iis siquidem absque spe lucri, seu fœnoris, de suo benigne ad victum necessaria suppeditauit. Itaq; noua fruitur in agris benedictione, vt, quę pauperib. largitus fuerat, largo ipsi fœnore redderẽtur. Nã quicquid Deo exhibetur, id centuplũ à Deo redditur, & quisquis curã gerit pauperis, is fœneratur Domino. Inde regulam istam obseruabimus, quod Deus scelera pœnis, virtutes præmijs afficiat. Vitabimus etiam inanem victus curam, quæ multorum corda à Deo abstrahit. In sua quisq; vocatione sedulo fideliterq; ambulabit, & in Deum curam suam iactabit, cu

ius diuitiarum & bonitatis fons inexhaustus est. Vereq; dicitur, Deum vel nobis dormientibus largiri, quibus opes habemus: nam auget ille sua benedictione fruges in terra, in flore, in fornace. Nec enim possibile esset vniuersum hominum cœtum nutriri, nisi diuinæ benedictionis virtute humano generi prospiceretur. Et sane vt ad pauca redeã, Deo perfacile esset nos omnes nutrire, si modo ab execrabili auaritia nos desistere, & Deo fidere possemus. Nam vel potius cœlorum fenestræ aperirentur, frumentumque plueret, quam famis iniuria Deo fidentes perirent. Quemadmodum id factum esse testantur historiæ.

Frumentum pluit.

Anno Christi millesimo, trecentesimo, vicesimo octauo, in Vasconum regione frumentum pluisse, quod Asquisgranum ad Imperatorem delatum fuerit, auctor est Caspar us Hedion.

Anno supra sesquimillesimum, quinquagesimo secundo, in Carinthia circa oppidum Clagendorff, per duas horas spacio duorum milliarum frumentum pluit, terramque ad planæ manus altitudinem cooperuit, quod congestum, molisque contritum humano vsui vt aliud terra enatum frumentum fuit accommodum. Iob. Fincel.

Anno tricesimo, supra noningentesimum, Moguntinus Episcopus, Hatto nomine, grauem & difficilem se erga subditos præbens, ex diuina vindicta a muribus deuoratus est. Nam cum magna esset annonæ caritas, pauperiores, qui erant ex plebe rusticorum, Episcopi implorabant auxilii, ab eo frumentum ad cõseruationem vitæ suppeditari petentes. Hatto, nomine quidem Episcopus & pastor, sed re ipsa lupus, preces pauperiorum immisericorditer repulit, cumq; vrgente fame assidue illi instarent, tandem ingentem eorum cœtum vna cum vxoribus & liberis in horreo amplo cõuenire iussit, vbi cum sperarent læti frumentum inter se distributum iri, tyrannus occluso horreo flammas in illud injci præcipit, cumq; miserabilis eiulatus & vociferatio pereuntium audiretur, astantes alloquutus, Audite, inquit, clamorem murium: nihil distare eos ratus à muribus fruges arrodentibus. Hoc immanissimum tyranni facinus atroci protinus pœna Deus vltor scelerum vindicauit. Statim enim mures facto agmine impetũ in eum fecerunt, cumq; nulla vi aut arte eorum vim posset euitare, tandẽ in Rheno turrim sibi altam firmamq; ædificauit, in quam fugiens tutum se isthic à morsibus murium fore putauit. Sed nec illud ei quicquam profuit. Nam mures innumeri per Rhenum natantes iustum Dei iudicium executuri, non prius insectari tyrannum destitere, quam morsibus crudeliter necatum absumpserunt. Scribunt quidam quod mures nomen quoque eius delentes à parietibus & tapetibus abraserint. Inde & hodiernum in diem vsque turris ista, turris murium vocatur. Iob. Fincel.

Franciscanorum auaritia.

Anno trigesimo quarto, supra sesquimillesimum, Fräciscani Monachi auaritiæ stimulis incitati, cruentum & funestum edidere ludum Aureliæ in Gallijs.

Prætoris vxor eius vrbis testamento cauerat, vt sine Pompa sepeliretur atque strepitu. Maritus ergo qui coniugem diligeret, morem ei gessit, & Franciscanis, quorum in templo sepulta fuit, iuxta patrem & auum, muneris loco dabat sex tantum aureos, cum illi multo speraſſent maiorem prædam. Et cum deinceps syluam cæderet atque diuenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valde grauiter, & cum antea illum minus probarent, vt iscendi ratione hanc excogitabant, vt dicerent ipsius vxorem in sempiternum damnatam. Per nouitium adolescentem, intempesta nocte, cum ad demurmurandas preces illi more cõsueto venirent, excitant strepitum, adhibent deinde ciues aliquot & celebres quidem ac ipsorum studiosos, quibus præsentibus fictitij spiritus auditur strepitus, cumq; per signa responderet spiritus, indicat, se spiritũ esse

coniugis Prætoris nuper ibi sepultæ, & quidem in æternum damnatum, damnationis autem suæ causam esse Lutheranam hæresin, ideoque corpus effodiendum esse docet. Verum detecta fraude, Monachi comprehensi sunt, Lutetiamque traducti, & inde rursus Aureliam reducti, scelerisque ex propria confessione conuicti, tandē ex odio ergā Lutheranos, ne illi supplicio eorum exultarent, aut in sua religione cōfirmarētur, post diuturnam custodiam nulla grauiore pœna mulctati, ac soluti vinculis euaserunt. Vide Sleidanum lib. 9.

Monachus simulat sanctitatem.

Monachus cum magnam præ se ferret sanctitatem, capiteque inflexo terram assidue spectans incederet, a reliquis fratribus propter sanctimoniæ opinionem Abbas electus est. Factus Abbas cum fortuna repente & mores mutauit, & qui antea videbatur simplicissimus, factus est nequissimus. Mirati tam subitam mutationem reliqui fratres, quærunt ex eo, cur antea mira cum sanctimonia & humilitate terram spectare solitus fuerit? Respondit ille: Quærebam claues monasterij, quibus inuentis, iam rectus incedo, & clauibus pro libito vtor.

Cum in familiari colloquio incidisset quæstio, cur nō potius de sancto Paulo gloriarentur Romani Pontifices, de quo certum sit, quod Romæ fuerit, quam de sancto Petro, qui cum Romæ nunquam fuerit, eius tamē successor esse gloriatur Pontifex, eumque annis quinq; & viginti Pontificalē cathedram obtinuisse vane iactitat? Respondit Martinus Lutherus: Paulo gladium, Petro autem claues attribui. Verum Pontificibus nō tam gratum fuisse gladium, quam claues, quibus arcas reserarent, thesaurosq; mortalium rimarentur.

Mulieris auaræ inexplebilis & dirę fames.

Anno quadragesimo primo, supra sesquimillesimum, mulier quædam prædiues & nobilis in Francōnia, tātis auaritiæ sordibus fuit obsita, vt extrema etiam fame pressis, ne exili quidem panis buccella succurrere digna retur, quin adeo immitem erga pauperes se præberet, vt panē petentibus grauiter succenseret, eosque stercora vorare iuberet. Mulier ista ob inexplebilem pecuniæ sitim ipsa Auaritia dicta fuit, cumq; nullis admonitionibus ab impietate sua deduci posset, ex diuina tandem iustitia graui supplicio correpta, omnibus alijs exemplo diuinæ vindictæ erga auarorum hominum duritiem fuit. Grauissimam siquidem famem experta, quicquid demum cibi ingereret, satiari nequiuit, omnibusq; esculentis cito alta ventris voragine absumptis, nec ab ærugilla nec terra abstinuit, quin etiā ex horrendo appetitu fimum, stercora, adeoq; excrementa hominum deuorare non cessauit. Cumque hominum præsentiam ferre non posset, miserando spectaculo hinc inde circumuagari cœpit, donec tandem in itinere Dresdam versus ducente, miseranda morte perijt, cum iam hominis ipsi ciem præ se amplius non ferret. Iob. Fincel. lib. 2.

Anno quinquagesimo septimo, supra sesquimillesimum, in Hollandiæ oppido Leida, horrendum diuinæ vindictæ & iræ aduersus fœneratorum auarorumq; hominum malitiam, exemplum innotuit.

Duæ erant germanæ sorores, altera magnis affluens diuitijs, altera vero vidua, graui egestate pressa, sex liberos magna cum difficultate educabat: cumque manuum labore, quantum opus ipsi esset, non posset acquirere, ostiatim etiam victum quærere coacta est. Sed passim audire verba hęc cogebatur, opulentam ipsi esse sororem, turpe itaq; esse, mendicando eam panem quærere. Quanquam autem sororis suæ duritiem illa perspectam habebat, necessitate tamen victa eam accessit, quanta cum liberis prematur fame & pauperie conqueritur, iam in tertium vsque diem panem sibi liberisque defuisse cum suspirijs & lachrymis indicat, sororis benignitate miseriam suam leuari petit. Illa superba & auara mulier irridens sororis querelas, sibi, quem alijs largiri possit, panem esse negat, & licet opulenta

esse vulgo iudicetur, nihil tamen sibi superesse, adhæc iurans panis nullam sibi esse copiam dira sibi imprecata est, Optare se, inquiens, si panes sibi essent, eos in lapides mutari. Iis auditis plorabunda discedit mulier, suamq; miseriam & egestatem Deo Patri cœlesti conqueritur. Is afflictæ mulieris preces audit, & quantopere eorum hominum offendatur auaritia, qui nati corradendis opibus, aliisq; perdendis videntur, manifesto exemplo declarauit. Nam cum digressa sorore auara mulier panem discindere vellet, in lapidem eum obduruisse videt. Quo portento vehementer territa, ad sororem pauperculam festinat, veniam asperitatis suæ petit, eiq; larga manu & pecuniam & frumentum offert.

Auaræ mulieris panes in lapides obdurescũt.

Præ alijs hoc factum obseruent, quicunq; diuitiis à Deo ornati sunt, eoque ad misericordiam erga pauperes exercendam moueantur. Nam quémadmodum diuus Iohannes primæ Epistolæ cap. 5. ait: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Nec sane fides ibi vera & viua esse potest, vbi nulla erga pauperes exercetur misericordia. Opera siquidem fructus sunt fidei, & de fide testificantur. Quare si Christi nos discipulos esse gloriamur, fidēq; in nobis viuere iactitamus, nec tamen Christianæ charitatis opera erga proximum declaramus, nos ipsos decipimus, nec fides est in nobis. Recte enim dicitur: Christus meretur, Fides comprehendit, Opera testantur.

Cum incideret Doctor Ionas in mentionem Doctoris cuiusdam aulici, qui totus in auaritia submersus, Principi Electori Saxoniæ aliquando respondisset: Se parum esse solicitum de quinque libris Mosis. Elegantér admodum Lutherus huc applicabat fabulam Æsopicam de leonis conuiuio, quod cum opipare esset apparatum, porcus, qui inter cætera animalia aderat, gallinas, turdos, & huiusmodi auium carnes partim assas, partim elixas damnabat, furfurem sibi & hordeum apponi petens. Eadem est ratio cum istis Epicuri de grege porcis, quibus cum in Ecclesia salutaris cibus gratiæ & remissionis peccatorum apponitur, illi interim sublato rostro argentum rimantur, & num etiam hordeum adsit, quærunt, de pecunia distribuenda magis quam de animarum salute solliciti. Nec enim labris eorum aliæ lactucæ conueniunt.

Auari porcis comparantur.

Referebat Doctor Ionas, sibi inspectum fuisse testamentum Canonici cuiusdam, in quo concubinæ suæ dimidiam pecuniæ partem legarit, alij cuidam Canonico iuueni catellum, & ad eius sustentationem modium tritici quotannis ei offerendum. Nulla ibi cura pauperum, vel Ecclesiæ aut Scholarum. Ibi Doctor Lutherus, Papæ ista genuina fuit creatura, Epicureus, nihil credens de futura vita.

Testamentũ Canonici.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina, quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: Congestis undiq; saccis,
Indormis inhians & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Propertius:

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es?
Per te immaturum mortis adimus iter?
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Quidius:

Quid mihi fortunæ tantum? quid regna sine vsu?
Quid nisi possedit diues auarus opes?
Sic aret medijs taciti vulgator in vndis,
Pomaq; quæ nullo tempore tangat, habet.

Publij Mimi:

Effugere cupiditatem, regnum est vincere.

Apud Senecam:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Claudianus:

Viuitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu.
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Lucretius:

Quod si quis vera vitam ratione gubernet,
Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce
Æquo animo.

De effigie Regis Crœsi, Ausonius ex Græco:

Effigiem, Rex Crœse, tuam ditissime Regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit vtq; procul soluto maiore cachinno
Concussis dixit: Quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt Regum Rex o ditissime? Cum sis
Sicut ego solus, me quoq; pauperior?
Nam quæcunq; habui, mecum sero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse feras opibus.

Democritus quosdam de diuitijs dissertantes audiens, Omnibus dicebat diuitiarum inesse desiderium, quas si assequi nō possint, desiderio eos vexari, sin eas assequantur, curis premi, quod si deinde iacturam earum faciant, doloribus eos affligi inæstimabilibus. Idem dicere solebat, eum iudicandum beatum, qui bonis recte vti sciat, non eum qui bona possideat. Idem dicebat, diuitias colligere malum quidem non esse, verum per fas & nefas eas corradere, horrendum esse. Stob. Serm. 92.

Epictetus sciscitanti quisnam diues esset? Cui satis, inquit, quod habet.

Democritus interrogatus, quinam diues aliquis euadere possit? Si, inquit, cupiditatum pauper erit.

Plerique omnes sane hac ætate eo cupiditatum æstu feruntur, diuitijs eo studio inhiant, vt non tantum famæ & honestatis prorsus obliuiscantur, sed etiam animarum salutem omnino negligant, diuinęq; glorię contemptores mundanis tantummodo studeant vanitatibus, imo in Cyclopicum numinis contemptum incidentes, ventrem & diuitias Deum suum credant, nec aliam vitam post hanc superesse agnoscant. Isti sane omnes per iniquum dispensatorem, cuius Seruator Christus meminit, adumbrātur, & quia proximum defraudant, pauperiores opprimunt, per fas & nefas diuitias corradunt, vere isti inter fures, qui in septimo damnantur Præcepto, recensendi sunt. Faxit æternus Deus, vt mentes nostræ vera charitate imbuantur, vt non tam nobis quam proximo vt ipsum iuuemus & promoueamus, natos nos esse agnoscamus. Tum charitatem illam, mutuaque charitatis officia ea sequetur ex diuina gratia benedictio, vt omnibus omnium rerum necessariarum larga sit affutura in curriculo vitæ huius copia.

Finis exemplorum septimi Præcepti.

OCTAVVM PRÆCEPTVM.



OCTAVVM Præceptum, cuius virtutes præcipuæ sunt Veritas & Candor, prohibet ne falsum testimonium aduersus proximum loquamur, nec mendacijs cum inuoluamus, aut infamia aliqua per calumnias afficiamus. Sed vt Deum timentes ac diligentes, veritati demus firmum testimonium, & in iudicijs omnem calumnijs affectibusq; odij, iracundiæ, inuidiæ locum præcludamus. Præmia ijs, qui veritatē in iudicijs & testimonijs tuentur, expectanda, tum pœnæ, quæ violatores huius Præcepti manent, ex sequentibus patebunt exemplis.

Iudicis officium.

Iudicis est, rei veritatem quam exactissime indagare, ne qua in iudicando aberret. Cuius rei exemplum in ipso Domino nobis proponitur, qui euersurus Sodomam & Gomorrham, ad Abrahamum inquit: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam. Genes. 18.

Quibus virtutibus nitere debeant ij, quibus committuntur iudicia, Exod. 18. patet, ex verbis, quibus Iethro ad Mosen ait: Prouide de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore.

Balaam nullis adduci potest muneribus, quæ ei a Rege Balac offerebantur, vt veritate posthabita malediceret populo Israel. Num. 24.

Magnitudo animi ingens est in Ioatha, veritati aduersus Abimelechum & Sichemitas intrepide testimonium dante, & parricidium, erga septuaginta fratres, filios Gedeonis commissum, ipsis exprobrante. Iudicum 19.

Saulus

Saulus cum insidiaretur vitæ Dauidis, Ionathas Sauli filius parentis cõsilio subseruire noluit, sed veritati patrocinatus Dauidem apud Saulum excusauit, & e manibus insidiantis ei patris eripuit. 1. Reg. 20.

Quanta Salomonis in iudicando fuerit dexteritas, declarat sententia eius, quam in meretricum dirimenda lite tulit 3. Reg. 3.

Iosaphat constituit iudices in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, per singula loca, & præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, redundabit in vos. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. Paral. 19.

EXEMPLA VIOLATORVM huius Præcepti.

Iosephus, rarum castitatis, reliquarumque virtutum exemplum a Potiphares vxore falsis criminationibus accusatur, & in carcerem conijcitur.

Thamar falso fornicationis insimulatur, sententiaque Iudæ ignis supplicio destinatur.

Aaron & Maria aduersus Mosen murmurant, Maria eo quod ausa esset fratrem Mosen calumnijs incessere, lepra percutitur. Num. 12.

Corach, Datan, Abiron, aduersus Mosen & Aaronem murmurantes, eosq; in odium apud populum calumnijs vocantes, a terra viui absorbentur cum vniuersa substantia, & omnibus complicibus. Num. 16.

Filij Samuelis cum auaritiæ dediti munera acciperent & iudicia peruerterent, officio & dignitate deijciuntur, populusque Regem sibi eligi petit. 1. Samuel. 8.

Doeg Idumæus proditor suis impijs delationibus exitium creat Achimeleco Sacerdoti, omnibusq; ciuitatis Nobę incolis, viris & mulieribus, paruulis & lactentibus, trucidatique sunt octuaginta quinq; viri vestiti ephod lineo. 1. Sam. 21. & 22.

Absolon conciliato sibi populi fauore in Hebron aduersus Dauidem coniurat. Nam quicunq; causam suam ad Regem Dauidem referre constituissent, eos Absolon ad se pertrahens: Videntur, inquit, mihi sermones tui boni & iusti, sed non est, qui te audiat, constitutus a Rege. 2. Regum decimo quinto.

Falsorum testium criminationibus Nabothus lapidibus obruitur, eiusque vinea a Rege Achabo & impia Iezabele rapitur. 3. Reg. 21. *Falsi testes Nabothum opprimunt.*

Hamanus Agagithes calumnijs suis Mardochæo, & vniuersæ Iudæorum genti exitium parate meditatur. Sed in eius caput, quod insontibus parabat, redundauit periculum. Nam in crucem, quam Mardochæo extruxerat, cum liberis suis sublatus est, bonisq; omnibus ac possessionibus exutus. Dignitate eius Mardochæus potitur, fortunis Esther.

Maleuolorum hominum calumnijs Principes & satrapæ apud Regem Darium efficiunt, vt Daniel in lacum leonum conijceretur, vbi diuino numine inter famelicos leones conseruatus est, ipsoque educto, accusatores eius in lacum missi sunt, ipsi & filij & vxores eorum, quos leones protinus arripuerunt, & ossa eorum comminuerunt. Daniel. 6. *Daniel calumnijs circumuentus, diuinitus seruatur.*

Falsi Testes Susannam adulterij insimulant, mendacij autem conuicti lapidibus sunt obruti.

Principes Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerũt, cum multi falsi testes accessissent. Matth. 26.

Seniores & Scribæ contra Stephanum falsos testes submiserunt, quorum calumnijs blasphemiæ conuictum occiderent.

TESTIMONIA SACRARVM literarum.

NOn suscipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malũ, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt a vero deuies.

Non declinabis in iudicium pauperis. Mendacium fugies. Insontem & iustum non occides: quia auersor impium. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Exod. 23.

Iudices & Magistros constitues in omnib. portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorũ. Iuste quod iustum est persequeris, vt possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Deuteron. 17.

Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium stabit testium omne verbum. Si steterit testis mendax cõtra hominem, accusans eum præuaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in cõspectu sacerdotum & iudicum qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissime perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri cogitauit facere, & auferes malum de medio tui. Deuteronomij decimo nono.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem: Cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum: proferentem mendacia testẽ fallacem. Et eum qui seminat inter fratres discordias. Prouerb. 6.

Testis fidelis non mentietur: profert autem mendacium dolosus testis.

Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis. Prou. 14.

Iaculum, & gladius, & sagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Dens putridus & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. Prouerb. 25

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce: & dulce in amarum. Qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Esaiæ 5.

Diligite iusticiam qui iudicatis terram. Sapient. 1.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod cõtinet omnia scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, nõ potest latere, nec præterire illum corripiens iudicium.

Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam. Ibidem.

Abominatio est Domino labia mẽdacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. Prouerb. 12.

DE IVSTITIA, IVDICIO, ET IVDICIBVS.

PVB. Rutilius, cum amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret: atq; is per summam indignationem dixisset: Quid ergo, inquit, mihi opus est

amicitia

amicitia tua, si quod rogo non facis? Respondit: imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Valer. lib. 6.

Frater Antigoni Marsyas litē habebat: sed a Rege postulabat, vt causa domi cognosceretur. Cui Antigonus: Si nihil inquit, præter ius agimus, melius fiet in foro, cunctis audientibus. Non impetrauit hoc a Rege fraternus affectus, vt vel tantillum de iure concederet. Ipsum autem hoc Dilemmate constrinxit: Si iniustam causam habere te scis, cur litigas? Sin iustam, cur fugis hominum conscientiam & ad domesticas latebras rem fori pertrahis? non cariturus sinistra ciuium suspicione, etiamsi bonam causam viceris. Plutar. in Regum apoph. *Antigonus Rex.*

Phocion Carillo genero suo in iniusta causa aduocatus esse nō sustinuit, se eum vt virum bonum generum sibi asciuisse inquiens, itaq; surgens, solo apud iudices relicto genero discessit.

Cum Simonides Poeta, Prætoris Themistoclis operam pro amico in re iniqua peteret, respondit Themistocles: nec Simonidem fore bonū Poetam, nisi mensuram modumque in canendis carminibus, quæ scribebat, obseruaret: neque se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac iustitiæ alicuius gratiam præposuisset.

Harpalus pro Cratere propinquo ac familiari suo, qui iniuriarū postulabatur, petijt a Philippo, vt reus mulctam quidem solueret, sed a causa liberaretur, ne damnatus hominum maledictis exponeretur. Hic vero Philippus: præstat, inquit, vt ipse male audiat, quam vt nos propter illum. Indulgebat amicis, sed quatenus licebat, integra iudicis opinione. *Philippus Macedo.*

Imperator Iulianus quamuis tyrannus, neminem tamen inaudita causa damnare solebat. Cuidam ex Consiliarijs dicenti: Quis ergo reus perhiberi queat, si negare & excusare licitum fuerit: Respondit: Quis ergo innocens esse poterit, si soli accusationi acquieuerimus?

Aristides cum quendam reum egisset, & iudices post eius accusationē reum audire nollent, sed protinus ad suffragia, quibus eum damnarent, properarent: Aristides supplex pro reo interceßit apud iudices, vt eum iuxta legum præscripta diligenter audirent.

Alexander Macedo, orante accusatore altera manu aurem solebat occludere. Interrogatus cur id faceret, respōdit: Defensori etiam dandus est audiendi locus. Vel vt Plutarchus refert, Cum in causis capitalibus sederet iudex accusatori alteram aurē occludebat: rogatus, cur id faceret: Alteram, inquit, integram seruo reo.

Traiani Imperatoris iustitia inprimis celebris est: Cuius exemplū Romæ in foro Traiani depictum fuit. Cum enim expeditione in hostes, susceptā vrbe iam cum exercitu egrederetur, vidua quædā plorabunda ipsi occurrit, supplexque eius auxilium implorauit aduersus eos, a quibus filius ipsius, quem vnicum habebat senectutis præsidium, interfectus fuerat. Cui cum Imperator diceret, se reuersum ex prelio causam eius diiudicaturū: Respondit illa, quid si fortuna tibi reditum neget, quis tum inter me & aduersarios iudex erit? Quib. verbis motus Imperator, progredi, nisi diiudicata prius viduæ causa, noluit. Casp. Hed. Hist. Ecclesiast. lib 5. cap. 5.

Zaleucus vrbe Locrensium a se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cum filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adulescentulo remitteret, aliquādiu repugnauit. Ad vltimum populi precibus victus, suo prius, deinde oculo filij eruto, vsum vtrique videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus.

Iustitiæ exemplum de Cambyse hoc narrat Herodotus. Præsidem Sisa-

mnem

mnem, qui pecunia corruptus, iniustam sententiam tulerat, interfecit, & toti corpori cutem detraxit, eamque instrauit tribunali. Postea filium Sisamnis Otanem in eam sedem collocauit, ac iussit eum intuentem patris exuuias iuste iudicare, ne simili supplicio adficeretur. 2. Philip. Chron.

Augustus Cæsar.

Nihil in Principe laudabilius clementia, quam erga subditos, & quorum eius auxilium implorantes exerceat. Quare & grauiter & elegãter Augustus cuidam ipsi libellum trepide porrigenti, qui manũ nunc proferret nũc retraheret, Quid, inquit, an putas te assem dare Elephanto? Solet enim pueri minimos nummos Elephanto porrigere, quos ille non sine spectatorum admiratione probo cide sic corripit, vt pueri manum non lædat.

Anui cuidam pauperculæ Philippum appellanti, vt causam ipsius cognosceret, quum hac flagitatione frequenter obstreperet illi, respondit, sibi non esse ocium: quumque anus inclamasset, proinde ne Rex quidem esse velis: Philippus admiratus aniculæ liberam vocem, non illi solum præbuit aures, verum etiam alios audiuit. Erasm.

Alcamenem Telecri filium quum quidam interrogasset, cur munera a Messenijs oblata non accepisset? Respondit: Quoniam si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem. Quo dicto docuit, munera nequaquam esse accipienda, quæ legibus & Reipub. aliqua saltem ex parte obesse possunt.

Bocchyris Rex fuit Ægyptiorum, adeo incorruptæ in iudicandis litibus iustitiæ, vt si quem magnopere iustum iudicare vellent, Bocchyrim appellarent. Auctor Suidas.

Glauci etiam iustitia apud Lacedæmonios adeo fuit celebris, vt ad eum videndum multi alienigenæ Spartam conuenirent. Quem tamen amor auri eo impulit, vt de deposito negando cogitaret, vt in leptimo Præcepto indicatum.

Alexander Seuerus Imperator tanta fuit æquitate, vt nullas vnquam sanciret leges, nullam constitutionem sacraret, sine viginti Iurisperitis, & doctissimis ac sapientibus viris: nec vlla in re iudicium ferret, quin prius irer per sententias singulorum & scriberetur, quid quisque dixisset. Quum de iure, aut negotijs tractabat, solos adhibebat doctos & disertos. Si de re militari, milites veteranos & senes. Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret. Tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi choleram stomacho euomeret, toto vultu inardescente. Auctor Lampridius.

Auctor est Herodotus, Mycerinum Cleopis filium omnes Ægypti Reges æquitate & iustitia superasse. Si quis apud eum conquerebatur de re aliqua furto sibi sublata, sua ipse pecunia iacturam conquerentis resarciebat & iniuriam.

Aristides ab incorrupta æquitate Iusti cognomẽ apud Athenienses meruit. Idem interrogatus, Quid esset iustitia? Nihil, inquit, alieni desiderare.

Biantis in iudicando solicitudo.

Bias Philosophus dicere solebat, se malle inter inimicos quam amicos iudicare. Nam ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum fore.

Architas dixit, iudicem & aram idem esse, paritet enim ad vtrunq; confugiunt, qui iniuria afficiuntur. Sentiens tales oportere iudices esse, vt oppressis sint præsidio. Aristot. Rhet. 3.

Agesilaus Rex cum in causa quadam Iudex esset, & is qui accusabat recte dixisset, patronus vero male, qui tamen subinde repeteret, Agesilaum decere, vt legibus opituletur, perinde ac si optimam haberet causam: hominem reprehendes, ait: Si quis domum tibi oppugnaret, aut vestem arriperet, num expectares, vt architectus aut sartor tibi esset auxilium laturus?

Quo

Quo dicto indicabat, iudici nequaquam conuenire, vt opituletur ijs, qui contra leges aliquid delicti admiserunt. Plutarch. in Lac. apoph.

Ægyptiorum iudices.

Ægyptiorum Reges, iuxta regionis illius consuetudinem, iudices ad iusiurandum adigebant, vt etiamsi quid Rex iuberet eos iudicare, quod iustum non esset, ne iudicarent. Tanti referre putabant, vt populus iustos haberet iudices.

M. Anton Philosophus atque Imp. Rom. dicere solebat, priuatos quidem homines multos habere iudices. Principi autem nullum alium esse iudicem, quam ipsum Deum.

Deus Iudex Imperatorum.

Tales Milesius interrogatus, quo pacto quis optime iustissimeq; viueret? Si, inquit, quæ in alijs reprehendit, ea ne faciat ipse. In alienis enim erratis perspicaces sumus, ad sua quisque lusciosus est. Ideo finxit Æsopus singulos mortales binas habere manticas, hoc est, peras, alteram ante pectus, alteram a scapulis tergoque propendentem. Sed in priorem inquit, aliena vitia immittimus, in posteriorem nostra. Persius:

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Et Catullus:

Non videmus manticæ quod in tergo est.

Biantis humanitas & iustitia.

Bias damnaturus quempiam ad mortem, lachrymatus est, miseriã hominis, & merito deplorandam fotrunam animo versans. Verum quum dixisset quidam: Quid est, quod defleas, quum in tuo sit arbitrio, cõdemnare aut liberare hominem? Respondit Bias: Necessarium quidem esse naturæ condolere, a lege autẽ & iustitiæ regula discedere magis perniciosum.

Pericles cum rogaret eum amicus quispiam, vt in causa quadã sua gratia falsum deieraret: Δεῖ με ἔφη, συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν. Oportet me, inquit, commodare amicis, sed vsq; ad aras.

Demosthenes eos homines inprimis laude dignos pronunciauit, qui nullam anteponerent iustitiæ vtilitatem. Pecunias enim quisque possidere potest, at iustitiæ gloria pecunijs non emitur. Phauorinus Camers, Stobæus Isocrati adscribit.

Agis, parentibus eum rogantibus, vt sibi in re quapiam iniusta adesset, recusauit illis aliquandiu. Cæterũ cum instarent, hunc in modum respondit: Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam iustitię sententiam, verum vbi me patriæ tradidistis, patriæque legibus insuper & iustitiam & honestatem pro virib. docuistis, conabor huic magis obtemperare, quam vobis. Et quandoquidẽ hæc est vestra voluntas, vt quæ sint optima, faciam: optima vero sunt, quæ iusta sunt, cum priuato homini, tũ vero pręcipue principatum gerenti: quæ vultis, faciam, quæ dicitis, negabo. Narrant Agidem, puerum in summis delicijs fuisse educatum, sed simulatque adolescẽs etiamnum ad Reip. gubernacula admotus est, incredibili mutatione reiectis pristinæ vitæ voluptatibus huc totum animum adiecit, vt Spartam Barbarorum ac Græcorum moribus corruptissimam, ad pristinã frugalitatem reuocaret: quæ res illi fuit exitij causa. Vtinam autem cæteri Principes, quorum prima ætas fere luxu delicijsque corrumpitur, saltem cum Agide tum animum vertant ad bonã frugem, quum regni habenas accipiunt: atque hanc formam sequantur, quam præscripsit Agis, si quis quid petat ab ipsis, quod legibus & honesto aduersatur. Nec tamen egregius iuuenis morosa atq; aspera recusatione contristauit parentum animos, sed mira ciuilitate respondit, se magis hoc pacto obtemperare parentibus si faceret, quod illorum perpetua voluntas optabat, quodq; semper essent probaturi, quam si præsenti affectui indulsisset. Eras.

Agesilaus Lacedæmoniorum Rex olim interrogatus, vtra virtus esset

præstantior, Fortitudo, an Iustitia? grauiter respondit: Fortitudinis nullum esse vsum, nisi ad sit Iustitia. Quod si omnes essent iusti, nihil opus fore Fortitudine. Quo responso nihil præter æquum faciendum vbiq; putauit.

Idem cum a quodam diceretur: Decet Reges præstare, quicquid capite annuerint: Nihilo magis, inquit, quam eos qui reges adeunt, decet ea petere & loqui quæ iusta sunt.

Leon Eurycratidis Filius interrogatus a quodam, in qua demum ciuitate tuto viuere posset? In ea, ait, quam qui incolunt, neque plus possident, neque minus: & vbi iustitia viget. Grauiter admonuit, eam ciuitatem tuto habitari posse, in qua iustitiæ cura habetur. Plutarch.

Fridericus Romanorum Imperator, quum Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ Regem educaret, non defuerunt qui perdendum suaderent puerum, cuius vita ingentes molestias Cæsari, mors regna & opes maximas allatura esset. Ad quos ille, Ergo me, inquit, opulentum magis Regem, quam pium, quam iustum cupitis. At ego iustitiam bonumque nomen diuitijs cunctisque rebus antepono. Æneas Sylu.

Ad Rudolphum Imperatorem cum quidam venisset, qui Othaccarum Bohemiæ Regem, atrocem hostem, in venatione se occisurum promitteret, si facto præmium esset. Rudolphus, Etsi noster hostis est Othaccarus, inquit, non tamen id efficiet, vt iustitię & moderationis fines transeamus. Æneas Sylu.

Plato Philosophorum ille Deus, eam scientiam, quæ a iustitia remota est, calliditatem potius, quam sapientiam appellandam dicere solebat. Cicero 1. Offic.

Philemon eum virum iustum esse pronunciabat, non qui iniurius non esset, sed qui, cum esse possit, ne sit, cauet: neque qui parua non accipit, sed qui magna cum posset, abstinuit: neque qui omnia hæc seruauerit, sed qui incorrupta legitimaq; natura esse mauult, quam videri. Phauor.

Ex Indis, qui Pedalij vocantur, nil fere in sacrificijs a dijs immortalibus aliud exposcebant, quam iustitiam, arbitrati omnium plane compotes se futuros, si eam modo vnam forent consequuti. Cælius Rhod.

Hispani iudicu in iudicando dexteritas.

In turba cum esset homicidium cōmissum, & quis auctor eius esset, ambigeretur, Iudex Hispanus, cum multi simul rei agerētur, singulos nudari iussit pectora, eorumque corda palpauit, cumque maiorem cordis tremorem in vno sensisset, cum, etsi cæteris appareret confidentior, homicidij autorem esse prudenti coniectura Iudex intellexit, qui territus flagitium confessus est, & ad supplicium ductus.

Iudicis Bononiensis prudentia.

Difficile esse, dicebat Lutherus, virgini inuitæ vim inferre, cuius rei exemplum tale referebat:

Bononiæ puella quædam iuuenem apud Iudicem de stupro per vim sibi illato accusabat. Quod facinus cum frustra inficiaretur iuuenis, fidemque maiorē mereretur accusatio puellę, iuuenis damnatus est, grandemq; pecuniæ summam puellæ, ob violatum virginitatis decus, numerare iussus: Quam cum in præsentia Iudicum puellæ numerasset, iussit prætor, vt per vim eandem puellæ, si posset, eriperet. Quod cum ille frustra conaretur, nec enim extorqueri sibi oblatum semel argentum puella patiebatur: ibi Iudex tandem sententiam tulit, cum fortiter adeo pecuniā tueri puella potuisset, nec difficile ei futurum fuisse virginitatem tueri. Se itaque agnoscere, per vim nequaquam ei stuprum oblatum esse, simulque iussit iuueni pecuniam restitui.

DE IVDICIBVS INCAVTIS.

PTolemæus cum ad talos sederet, vt & alea luderet, assistens quidā, condemnatorum ipsi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat,

vt ille,

vt ille, quinam mortis supplicium commeruissent, decerneret. Berenice vero vxor eius, accepto libello e pueri manibus, non permisit, vt ad finem vsq; legerentur, dicens, non sic obiter aduertendum animum esse, cum de hominis salute disceptetur, sed cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse causam talorum & corporum. His auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neq; postea vnquam inter ludendum de capitalibus causis audiuisse. *Berenice.*

Philippus rex, Machetis cuiusdam pro tribunali sedens causam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem, itaque sententiam tulit aduersus Machetem. Verum cum is exclamasset, se ab ea sententia appellare, Rex iratus, Ad quem? inquit. Nam appellandi verbum Monarchis est inuisum. Hic Machetes, ad te ipsum, o rex, si expergiscaris, & attentius audias causam. Ac tum quidem surrexit rex, cæterum posteaquam causam apud se melius perpendisset, intelligeretq; Macheti factam iniuriam, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat Machetes, ipse persoluit. *Philippus Macedo.*

Quum aliquando Demosthenes quendam in causa capitali defenderet, ac iudices haberet parum attentos, sed dicenti obstreperent, ille, Paulisper, inquit, aures mihi præbete, siquidem rem narrabo nouam ac lepidam, atq; auditu iucundam. Ad quæ verba cum illi iam aures arrexissent, Adolescens, inquit, quispiam asinum conduxerat, rerum quiddam Athenis Megaram deportaturus. Inter viam autem, cum æstus meridianus ingrauesceret, nec inueniret, quonam vmbraculo Solis ardorē defenderet, depositis clitellis sub asino sedens, eius vmbra semet obtegebat. Cæterum id agaso non sinebat, hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini vmbram. Alter idem ex aduerso tendebat, asseuerans etiam sibi vmbram asini esse conductam. Atq; ita acerrima rixa in lōgum producta est, vt etiam ad manus venerint, hoc pertinaciter affirmante, nō conductam esse asini vmbram: illo pari contentione respondente, vmbrā etiam asini conductam. Demum in ius ambulant. Hæc loquutus Demosthenes, vbi sensisset iudices diligenter auscultantes, repente cœpit a tribunalibus descendere. Porro reuocatus a iudicibus, rogatusq;, vt reliquū fabulæ pergeret enarrare, De asini, inquit, vmbra libet audire, viri causam de vita periclitantis audire grauamini. Eraſmus. *De asini vmbra disceptatio.*

Honorius Imperator literis, quas suo nomine scribi iusserat, non lectis prius subscribere solebat. A qua consuetudine parum laudabili auocatura eum soror, literas scribi iubebat, in quibus Imperator affirmaret, se nuptui dare sororem suam cuidam ex infimæ sortis famulis. Quibus cū manu sua Imperator subscripsisset: soror assumptis secum literis istis Imperatorem accessit, supplexq; coram eo in genua prouoluta, de iniuria & contumelia, qua ab ipso afficeretur, dum infœlices adeo sibi pararentur nuptiæ conquesta est. Mox Imperatori vanas eas querelas esse contendenti literas manu ipsius subscriptas obtulit, vbi cum manum ille suam agnosceret, & prauam & parum tutam esse consuetudinem suam intellexit, & deinceps ea abstinuit. *Honorij Imperatoris in subscribendo facilitas.*

Quum Philippus Macedonum rex cognitionē exerceret, parū sobrius, ac perperam aduersus mulierem quandam tulisset sententiā, illa sentiens errorem esse vini, non regis, exclamauit: Prouocarem, inquit, ad Philippū, sed sobrium. Excussit regi muliebre conuitium temulentiam, adegitque, vt expergefactus causam eandem animo præsentiore cognosceret. *Philippus Macedo.*

Theodorus Cyrenæus Lysimacho regi mortem sibi minitanti, Enimuero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia Cantharidis vim assequutus es. Cumq; hoc dicto tyrannus accensus cruci eum adfigi iussisset, terribi- *Lysimachus crudelis & iniustus.*

lis hæc (ait) sit purpuratis tuis: mea quidem nihil interest, humine an sublime putrescam. Val. Max. lib. 6. cap. 2.

Cum Philippi regis, cognomento Pulchri, suasu & opera Clemens Quintus Pontifex templariorum equitum religionem damnasset, atq; eorum multos variis in locis supplicio affecisset, postremo vnus ad eum est deductus, natione Italus, patria Neapolitanus, qui minime intrepido animo se gerebat. Damnatus enim vt viuus, sicut ante alij, cremaretur, dum in Vasconibus in Burdegala vrbe ad supplicium deducitur, conspectis in fenestra Pontifice & Rege, magna voce in hæc verba prorupit: Sæuissime Clemens tyranne, posteaquam mihi inter mortales nullus iam superest ad quem appellem pro graui morte, qua me per iniuriam afficis, ad iustũ iudicem Christum, qui nos redemit, appello, ante cuius tribunal te voco, vna cum Philippo rege tanti mali suasore, vt ante eum intra annum diemque ambo appareatis, vbi causam meam exponam & ius sine prauo vllo affectu ministrabitur. Mirum profecto. Neq; enim tempus, quod dictum ab equite fuerat, abijt, cum Clemens repente morte est correptus, nec multo post Philippus quoq; interijt. Fulgos.

Ab iniusto ad iustissimum iudicem prouocatio.

Ex toto simile hoc fuit, quod sequitur, nisi quod citationis tempus breuius fuit, celeriusq; vires suas exercuit aduersus Ferdinandum Quartum Castulonensem regem, cum falsis criminibus proditionis duos equites Hispanos morti damnasset. Nam cum ab ingenti saxo præcipitaretur, frustraq; de innocentibus sumi supplicium exclamarent, tandem cum nihil proficerent, ad Iesum Christum appellarunt, qui viuorum & mortuorum iudex est, atq; vt intra triginta dies coram eo appareret, regem citauerũt, qui intra id tempus repente decessit. Fulgos.

Ferdinãdus Quartus Castulonensis rex.

Quod sequitur, suis factum temporibus scribit Campofulgosus. Cum Genuensium triremes aduersus piratas instructæ biremem Cathalanam cœpissent: interim dum extra Drepanum vrbem in Cathalanorum atque Siciliæ insulæ cõremptum, Genuenses biremis rectorem furcis noctu appenderent, & miser inique se id pati a Genuensibus quereretur, cum nunquam eos violasset, posteaquam perspexit frustra ea dici apud eos, qui plus adeo gentis quam hominis causa mouerentur, pro iniuria ad Deum appellauit, citato patrono Genuensium, eo penes quem grauior mortis suæ culpa videbatur, vt intra sextum Mensem coram Deo compareret. Intra quod tempus is patronus, quem citauerat, mortuus est. Ad hæc exempla quid aliud dici potest: Nisi vbi humanum deest subsidium pro iustitia diuinum a Deo mitti. Ibib.

Apud Constantium accusatus fuerat Amphilochius Tribunus, quod in eius vitam conspirasset: accusatoribus autem responderat Constantius, ne molesti ei essent, posteaquam res non constabat, sed sinerent, vt conscientia sua Tribunus torqueretur, se enim præsente, si in eo culpa esset, ipsos signa aperta visuros esse. Postero igitur die cum ludos spectaret, & præ lætitia inter spectantes motus fieret, suggestum, in quo e regione Cõstantij Tribunus erat, ad terram proruit, læsique leuiter qui in eo erant, solus Tribunus in eã ruina perisse inuentus est.

Amphilochius tribunus diuino iudicio punitur.

Rudolphus dux Austriæ captum equitem culeo insui & in aquas conijci mandarat, cumq; dux ipse spectator supplicij in domo vicina ponti, de quo nobilis deijciendus erat, astaret, Nobilis cum pedes culeo iam immitteret, clara voce, vt ab omnibus exaudiri posset, ad principem conuersus, dux Rudolphe inquit, Cito te, vt elapso hoc anno in valle Iosaphat ante horrendum tribunal Dei appareas, rationem ibi redditurus, cur immani adeo & lenta morte me excrucies. Ad quæ dux ridens, perge tu, inquit, comparebo. Ijsque dictis in aquas ille deiectus est. Elapso deinde anno, cum animi gratia in arcem quandam dux profectus esset, ibique

Rudolphus dux Austriæ citatur ad supremũ iudicem.

genio

genio indulgeret, a cœna febri correptus est, protinusq; cõscientiæ morsum sentiens, actum ait, est de vita mea, annus elapsus est, citor ad supremum iudicem. En quanta vis sit conscientiæ peccatum aliquandiu dormiens excitantis.

Miles iniusta iudicũ sententia damnatur.

Anno tricesimo septimo supra sesquimillesimum, miles in pago quodam, ob causam prorsus futilem comprehensus, & capitali supplicio affectus est. Ferunt nonnulli, iudices illius pecuniæ, quam mediocrem habuerit, inhiantes iniquam tulisse sententiam, qua mortis insontem damnarint. Sententiam latam cum audiuisset miles, intrepide prætorem & iudices his verbis alloquutus est: Iniqui & falsi estis iudices. Nam quod me damnatum capitali afficiatis supplicio, id vel in gratiam agitis eius, quem superiorem vestrum magistratum agnoscitis: vel quia exploratum habetis nonnihil mihi esse pecuniæ, ei inhiantes morti me destinatis. Quare pecuniam, quam habeo, omnem vos auferte, me autem liberum dimittite. Iureiurando me ipsum astringens vobis pollicebor me nunquã hoc facinus vestrum vindicaturum, nec vnquam dum vixero in hæc loca reuersurum. Vobis ipsis parcite, nec sanguinem innocentem effundite, sed iustum metuite iudicem, quem nihil eorum, quæ agitis, latet. Quibus verbis cum iudicum animos nihil moueret, vehementius commotus miles: Quoniam ergo, inquit, vestræ modo aures obturatę sunt, & iniusto vestro iudicio me damnatis, agite vos ad iustũ Dei tribunal in vallem Iosaphat voco, ibi o vos iniusti & auari iudices agnoscetis, quam iniusta hoc die me prematis sententia: quibus dictis ceruicem carnifici præsenti animo præbuit. Nequa quam autem diuina nemesis tardauit. Vere enim dictum est, Aspiciunt oculis Superi mortalia iustis. Nam annus antequam elapsus esset, quatuor ex iudicibus horrẽda morte absumpti sunt. Primus fulmine ictus perijt: secundus inter pocula confossus: tertius reus furti cum ageretur, suspensus est: Quartus ardentissima febri correptus, cum mortem iam ingruentem sentiret, Satan, inquit, cur cessas? quando animam e corpore tollis? Tibi hactenus seruiui, tuus igitur sum. Nolo in vallem Iosaphat duci ad militem.

EXEMPLA ET PRÆCEPTA DE *iudicio & iustitia.*

Ottonis in iudicando seueritas.

Boso vltimus Arelatensis rex, quum ob alapam Episcopo inter sacra impactam, accusatus apud Ottonem Primum, Romanorum Imperat. capitis damnaretur, Archiepiscopus vero vna cũ reliquis Episcopis, Abbatibus, Principibus intercederent, vt hoc sanguinis iudicium suspenderetur. Rex hoc audiens, Non æquum est, inquit, vt rectum Imperatoris iudiciũ executioni non mandetur, cum non conueniat, vel vllum verbũ ex Principis ore frustra egredi. Vide Munsterum lib. 2. de vrbe Arelato. Boso mitigata Imperatoris sententia, regno exutus in cœnobium detrusus est.

Constantinus Imper. priuatas Episcoporũ contentiones reiicit.

In Synodo Nicæna, cum multi Episcopi priuatas inter se accusationes Imperatori Constantino exhibuissent, Imperator obsignatas omnes asseruari iussit, dicens: Prius publicam causam agendam esse, deinde se de illis acturum esse. Hunc fasciculũ in exitu Synodi proferri iussit, & adhuc obsignatum in ignem coniici inspectantibus omnibus Episcopis. Et addidit hæc verba: Sacerdotum crimina non efferenda esse in publicum, quia talibus scandalis hominum animi a doctrina alienentur. Ac amnestian priuatarum offensionum sanxit. Et hortatus est, vt eandem vocem doctrinæ sonarent omnes, & Ecclesiarum concordiam tuerentur. Chron. Philip. Melancht. lib. 3.

Recitat alicubi Demosthenes iuramentum iudicum Athenienſium a

Iuramẽtum Atheniensiũ iudicũ.

Solone ipsis præscriptum: Feram sententias iuxta leges, nec suffragiũ feram, vt debita condonentur, aut agri aut domus locupletioribus eripiantur, nec reducam exules, nec liberabo damnatos aut reos, nec accipiam munera iudicii causa. Audiam pariter accusatorem & reum, pronunciabo de re, de qua proprie actio instituta est. Meminit Philipp. Melanchthõ. 2. Chronicorum.

Mali Principis Consiliarij.

Homulius Senator prudentissime Traiano dixit, cũ maiori vtilitatis ratione malũ Principẽ optari posse, qui permultos bonos haberet amicos, quam bonum, qui malorum multorum amicitiis vteretur: siquidem facilius foret, amultis bonum vnum malum ad bonitatẽ deduci, quam ab vno bono malos multos a malitia auerti. Fulgos.

Libri Consiliarij optimi.

Alphonsus Aragonum rex interrogatus, quibus Consiliaris maxime delectaretur? Libris, respondit, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret.

Præterea perabsurdum sibi videri dicebat, Reges ab alijs regi, & Duces ab alijs duci. Notauit autem Principes & Magnates, qui cum Imperij & Principatus titulos sibi vendicent, alieno tamen consilio regantur etiam nolentes, quo fit, vt sæpenumero cum magno Reipub. incommodo alienis oculis videant, alienis auribus audiant, alienis linguis loquantur. Et sic nihil minus sunt quam Imperatores, qui a Consiliariorum arbitrio ita pendent, vt plane horum sint mancipia.

Consiliarij a simulatione & dissimulatione alieni esse debent.

Fridericus Roman. Imperat. cum Consiliarios suos in curiam vocasset: Vtinam inquit, Consiliarij mei in palatij vestibulo duas res deponerẽt. Sic enim & ipsi recte consulerent, & mihi etiam inter consilia diiudicare facilimũ esset. Interrogatus autem quænam res illæ essent? Simulatio & Dissimulatio respondit. Docuit autem Princeps commodis publicis recte consulere non posse propter consiliariorum priuatos affectus.

Antipatere iudicum numero mouetur.

Philippus Macedonum rex quendam ex Antipatri amicis in iudicum numerum ascripserat. Verum post vbi cognouit, illum tingere barbam & capillos, submouit eum, dicens: Qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis non videri dignum cui fideretur. Fuco vtebatur in tingẽdis capillis, vbi non multum erat lucri: multo magis vsurus erat fuco in publicis negocijs, vbi dolus interdum ingens adfert emolumentũ. Et hanc oportet Regum præcipuam esse curam, vt cognoscendis causis viros præficiant incorruptos. Id qui fieri potest, vbi venduntur iudicandi munia, & is designatur iudex, non qui vir melior est, sed qui ad dandum prior aut largior? At apud Philippum nec Antipatri tantũ valebat auctoritas, quin suspectum e iudicum ordine moueret.

Traiani iustitia.

Traianus, Princeps iustus & sapiens, consilio & fortitudine in bellis excellens, Romæ leges & iudicia restituit, ius frequenter ipse dixit. Estq; Senatus decreto hic honos ei habitus, vt princeps optimus nuncuparetur. Præfecto prætorio tradẽs gladium, dixit, Hoc gladio pro me vtaris, donec iusta facio. Si iniusta fecero, contra me vtaris. Hæc verba si intelligantur de pulsione notoriæ & atrocis iniuriæ, iusta oratio est, præsertim ad Duces exercitus. Chron. Philip. lib. 3.

Post bellum Tarentinum insigne exemplum Romanæ iustitiæ narratur. Legio, quam nominant Campanam, præsidij causa in vrbẽ Rhegium collocata, Rheginos ciues interfecit, & eorum bona & agros occupauit. Romani igitur, vt ostenderent, se fidem socijs debitam non velle violare, punire suos milites decreuerunt, & potiti vrbe Rhegio, trecentos, quia nõ plures viui in consulis potestatem venerant, securi percusserunt. Cæteri sceleris socij in oppugnatione perierunt. Chron. Philip. lib. 2.

Alexander Seuerus ex Senatu & doctis viris elegit præcipuos, excellentes sapientia & virtute, quos ad consilia adhibuit, & ad domesticam fami-

liari-

liaritatem. Familiarissimus ei ex omnibus Iurisconsultus Vlpianus fuit, quem & cum milites in eum impetum facturi essent, texit sua purpura, & milites repressit. Thuronium Vetronium, quia solitus esset fumos vendere, id est, fingere responsa Imperatoris, accepta pecunia, cũ causas nunquam ad Imperatorem retulisset, fumo necauit, iussitque præconem clamare: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Compererat enim sæpe eum ab vtraq; parte pecuniam accepisse. 3. Chron. Philip.

Bias eam Remp. saluam iudicabat, in qua maxime leges, Rhetores vero nequaquam audirentur.

Athenienſiũ iudices.

Apud Atheniẽses interdicebat præco in cõcione dicturis, ne vel pῆatione vel affectibus vterẽtur, rẽ modo exponerẽt, ἄνευ παραμυθίων, καὶ παθῶν, ne videlicet verborum lenociniis & offuciis veritas in iudicando obscuraretur. Apud eosdem iudices, qui de causis capitalibus pronunciabant, tanta integritate exercebãt iudicia, vt noctu atq; in tenebris, nõ interdiu neq; luce causas cognoscerent: quo non dicẽtes, sed duntaxat quæ dicerentur, spectarent. Nec minor Thebanorum in iudicando fuit synceritas, apud quos imago iudicis in foro posita erat, carens manibus, Principis vero carens oculis. Quæ pictura indicabat, iudicem decere, ne muneribus se corrumpi patiatur: Principem vero ne personas respiciẽs, iustitiæ leges violet, iudicibusq; mandet, vt incorrupte causas cognoscant, & sententiam pronuncient, nec vel potentiorum fauorem, vel inopũ miseriam respiciant, sed firmiter æquitati & iustitiæ insistant.

Thebani iudices.

Cato Senior Magistratũ aut Iudicem dicebat, nec pro iustis orandum nec pro iniustis exoraudum. Sensit culpam esse iudicum, si vt iustis æqui sint, orandi sunt, cum oporteat vltro fauere bonis: pro iniustis orare fortassis humanitatis est, & exorari est a iustitia deflectentis.

Iudex amorem iustitiæ animo semper complectetur, vt causas non ex arbitrio suo, sed Legũ præscripto cognoscat & diiudicet. Leges enim proprijs opinionibus anteferendæ sunt. Cuius rei exemplum nobis apud Xenophontem proponitur. Exercebant iudicia adolescentes, & postea sententiarum rationem Magistro reddebant. Venerant autem in iudiciũ duo, quorum alter procerior detraxerat tunicam longiorem breuiori adolescẽti, & ei curtam tradidit. Cyrus puer audita vtriusque oratione, iussit procerũ tenere longam tunicam, alterum curtam. Propter hanc sententiam plagas accepisse Cyrus traditur, quia iustitia est æqualitas, non quæ nobis videtur, sed quam Lex ordinat. Huc referatur pictura elegantissima apud Pindarum in Olympij Ode 13. Vbi mater Themis iustitiæ & legum Dea a Poeta introducitur, cui attribuuntur filiæ, prima Eunomia, hoc est, bonarum legum constitutio. Secunda Dice, hoc est, Iustitia. Tertia Irene, id est, Pax. Rempubl. enim bene constitutam leges honeste ornant, Iustitia fouet, pax nutrit, beatamq; reddit.

MAGISTRATVS ET IVDICVM OFFICIVM circa veritatem tuendam.

QVi subditorum curam gerunt, iudicijsq; præsunt, ante omnia Deum timebunt, cogitantes se nequaquam hominis exercere iudiciũ, sed Domini. Quemadmodum Rex Iosaphat iudices hortatur. 2. Paralip. 19. 2. Docti erunt & doctorum familiaritate gaudebunt. Namvere dictum est: Nunquam imperitos viros iudicare sinas. Et indoctus Princeps statua potius est quam Princeps. Quod & Tacitus Imperator intellexit, Quis melius, inquiens, quam literatus imperat? 3. Multarum rerum vsum & peritiam habebunt, quã ob causam etiam

Senatores, Presbyteri, Consules, Iudices dicti sunt. Nam Principi æque necessaria est prudentia, atq; corpori vita, quemadmodum Plato ait. Idem Rempubl. eam saluam esse putabat, in qua aut Philosophi imperarent, aut Principes sapientiæ studio incumberent. Et Sapientia ipsa Prouerb. 8. clamat: Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.

4. Iuxta verbum Dei, & Ius scriptum ferent sententiam. Sic & Iosuæ præcipit Dominus: Confortare, inquiens, & esto robustus valde. Vt custodias & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moses seruus meus: ne declines ab ea ad dextram vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen Legis huius ab ore tuo: Sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges vitam tuam, & intelliges eam. Iosuæ 1.

5. Vtriq; parti, & accusatori & reo, aures præbebũt patentes. Quo nomine laudatur Alexander ille Magnus, qui orante accusatore, alteram manu aurem solebat occludere, defensori etiam dandum audiendi locum ratus.

6. Non cuiuis delationi fidem statim habebunt, nec in ferenda sententia erunt præcipites. Ad pœnitendum enim properat, cito qui iudicat. Et Srigelius eleganter canit:

Nil statuat iudex, etiamsi litiget actor,
Sit nisi delati cognita causa rei.

Et Germani nec delatori, nec iuranti facile fidem habendam, Prouerbio monent, Man soll gegen schweren klagen dicke Ohren haben.

7. Personam non respicient. Quod & sæpe Deus, Iudex iustissimus, prohibet. Vt Exodi 23. Pauperis quoq; non misereberis in iudicio. Et Deut. 1. Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Prouerb. 18. Accipere personam impij in iudicio non est bonum, vt declines a veritate iudicij. Nec enim Deus ipse vel in damnando, vel in miserendo personas respicit. Quem & iudices, qui Dij vocantur in Scripturis, imitabuntur. Saulus Rex a Deo reijcitur, & tum dignitate tum regno priuatur, eo quod personam Regis Amalecitarum Agag respexisset.

8. Non captabunt munera. Exodi 23. Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Prouerb. 17. Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij. Esaiæ 1. Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.

9. Non ex fauore & gratia causas dijudicabunt. Quod qui faciunt, vulgo fauorabiles vocantur iudices. Rex Darius in gratiam satraparum Danielem in lacum leonum deijcit: Herodes Agrippa in gratiam Iudæorum Iacobum gladio ferit, & Petrum comprehensum in carcerem compingit. Vterque iusti iudicis & boni Principis officium negligit. Per iniustitiam autem oppressis Deus succurrit. Nam & Daniel inter Leones conseruatur, & Petrus per angelum noctu vinculis liberatus e carcere educitur. Vere dixit Aristoteles: Amor, odium, & proprium commodum sæpe faciunt iudicem non cognoscere verum. Phocylides in suis carminibus:

Πᾶσι δίκαια νέμειν, μηδὲ κρίσιν ἐς χάριν ἕλκειν,
Μὴ βίψῃς πένιτα, ἀδίκως μὴ κρίνε πρόσωπον,
Ἦν σὺ κακῶς δικάσῃς, σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσσει.
Omnibus iusta tribue, neq; iudicium ad gratiam trahe,
Ne reijcias paupertatem, aniuste ne iudica personam,
Si tu male iudicaueris, te Deus deinde iudicabit.

Seneca:

Seneca: Vbi non est pudor, nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est.

Æschines: Nullam vtilitatem esse ciuitatis ait, quæ non habeat neruos aduersus delinquentes.

Euripides in Phœnissis:

Κρ. Πῶς; τ' αντεταλμέν' ȣ̓ δίκαιον ἐκπονεῖν;
Αντ. Οὐκ, ἢν πονηρά τ' ᾖ, κακῶς τ' εἰρημένα.

Creon.

An non est iussa Principum fas exequi?

Antig.

Non, si impia, iniusta, & male imperata sint.

Ouidius:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum iudex, alios quod iubet, ipse facit.

Verum complures parum iusti memores, quæ in alijs vindicarunt, ipsi commiserunt.

M. Lucinius Stolo, cum lege sanxisset, ne quis amplius, quam quingenta agri iugera possideret: ipse mille comparauit, dissimulandiq; criminis gratia, dimidiam partem filio emancipauit, quam ob causam a Marco Popilio Lenate accusatus, primus sua lege cecidit, ac docuit nihil præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperauit.

C. Licinius, cognomine Hoplomachus, a Prætore postulauit, vt patri suo bonis, tanquam ea dissipanti, interdiceretur: & quidem quod petierat, impetrauit. Sed ipse paruo postea tempore, mortuo sene, ampla ab eo relicta latifundia festinanter consumpsit. Val. Max.

Legum mutatio periculosa.

Demosthenes in Oratione aduersus Timocratem, nihil Reip. perniciosius esse ostendit, quam leges graui cōsilio sancitas temere mutare aut abrogare. Contra nihil esse vel laudabilius, vel conducibilius, quam leges & statuta firmiter tueri, & secundum ea ciuium mores & vitam regere. Adducitq; exemplum Locrensium, apud quos legum mutatio inprimis erat periculosa, quod quia peruenustum est, ex ipso Demosthene desumptum subijciemus:

Locrensium consuetudo circa ferendas leges.

Narrabo, inquit, vobis, iudices, quo pacto Locris leges ferre soleant. Nihil enim vobis nocuerit exemplum aliquod audiuisse, tale præsertim, quo laudata Respubl. vtitur. Nam illi vsque adeo censent veteribus legibus vtendum, & instituta patria seruanda esse, non ad cuiusuis libidinem & iniuriarum impunitatem leges ferendas: vt si quis legem nouam rogare velit, collo in laqueum inserto id facere cogatur. Quæ lex si honesta & vtilis videtur, auctor eius viuit, & abit: sin minus, perit, constricto laqueo. Proinde nouas rogare leges non audent, sed veteribus religiose vtuntur, ac longissimo tempore, iudices, vna lex apud eos noua perlata fertur. Nam cum ibi receptum esset, si quis excussisset alteri oculum, & ipsi oculus excuteretur, nec id supplicium vlla redimi pecunia posset: quidam comminatus fertur inimicus inimico, vnum oculum habenti, se illi eum vnum oculum excussurum. Eas minas luscus ille ægre ferens, cum sibi in cæcitate vitam morte acerbiorem fore putaret, fertur ausus esse ferre legem: si quis oculum lusco excusserit, illi contra vtrunq; eripiendum, vt pari calamitate vtrique conflictentur. Et hanc solum legem sanxisse feruntur Locrenses, amplius quam ducentis annis.

Grauiter apud Thucydidem lib. 3. Cleon inquit, Perniciosissimum autem ex omnibus est, si apud nos nihil eorum, quę decreueritis, stabile erit: nec intelligimus melius agi cum ciuitate, quæ malis legibus constanter vtitur, quam cum ea, quæ bonis, sed inconstanter: vtilioremq; esse imperi-

Imperitia cum modestia vtilior, quam peritia cum immodestia.

tiam cum modestia, quam peritiam cum immodestia: ac tardioris ingenij homines administrare commodius plerunque ciuitates, quam solertioris. Nam hi tum legibus sapientiores videri, tum semper excellere dicendo in consultatione Reipubl. volunt, tanquam nulla sit alia materia maior, vbi vim ingenij sui ostendant, vnde in multas calamitates ciuitates incidunt. Illi suæ peritiæ diffidentes, non abnuunt se legibus esse imperitiores, & cum inualidiores sint, quam vt bene dicentis orationem refellant, potius ex æquo sunt iudices, quam concertatores, ideoque eis plerunq; fœliciter cedit. Thucyd. lib. 3.

Magistratus viua Lex esse debet, omniumq; virtutum exemplum. Recte enim ex Claudiano dicitur:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et:

Talis est ciuitas, quales sunt Principum mores.

Ciues & subditi exacte Principis sui mores obseruant, eius virtutes imitari, & vitia æmulari gaudent. Ideo eleganter apud Claudianum Princeps sui officij his versibus monetur:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Apud eundem Poetam:

Tu ciuem patremq; geras, tu consule cunctis,
Non tibi, nec tua te moueant, sed publica vota.
In commune iubes si quid, censeue tenendum,
Primus iussa subi: tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi: Componitur orbis
Regis ad exemplum: Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Digni sane versus, quos omnes Principes, Reges, & Monarchæ aureis literis non solum parietibus, sed etiam cordibus suis inscribant, vt semper eos ob oculos habentes, omnem suam vitam, mores, studia, conatus eo dirigant, vt subditis honesto sint exemplo. Princeps enim cum vitam & Reipubl. administrationem prudenter instituit, commune bonum est: Rursus cum a recta via declinat, vel exorbitat, id non sine maximo multorum hominum fit detrimento. Quemadmodum & Nazianzenus ait: Sicut per Principem cum benefacit, plurimorum vitæ & saluti consulitur: ita & error Principis ad multorum perniciem pertinet. Et illud certe maximum præcipuumq; in Principe est Imperium, quo sibi ipsi imperat, suisque moderatur affectibus. Id quod idem Poeta indicat.

Tu licet extremos late dominare per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniqua
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Quam poteris Rex esse tui.

Cicero de Legibus: Non tantum mali est peccare Principes (quanquam est magnum per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum existunt. Nam licet videre, quæcunque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo secutam. Nobilium enim vita victuque mutato, mores ciuitatis mutari solent. Nec solum vitia concipiunt ipsi Principes, sed ea infundunt in ciuitatem: neque obsunt, quod solum ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpũt, plusq; exemplo, quam peccato nocent.

Iustitia virtus omnium est domina, & Regina virtutũ, vt ait Cicero: Et nisi ea rerum potiatur, omnia sane regna, nationes, ciuitates, nihil à latronum prædonumque differunt latibulis, nec imperium stabile & diuturnum esse potest.

Recte itaque Pompeius Magnus Phraati Parthorum Regi per legatos postulanti, vt Euphratem Romanæ ditionis terminum esse vellet: Imo, inquit, illud magis postulandum est, vt Romanorum fines à Parthorum regno iustitia dirimat.

Agesilaus Lacedæmoniorũ Rex, olim interrogatus, vtra virt⁹ esset præstantior, Fortitudo an Iustitia? Grauiter respondit: Fortitudinis nullum esse vsum, nisi adsit Iustitia. Quod si omnes essent iusti, nihil opus fore fortitudine. Quo responso nihil præter æquum faciendum vbique putauit.

Quibusdam Eleos hoc nomine prædicantibus, quod in certaminibus Olympicis essent iustissimi: Quid, inquit Agis, magni miríue faciunt, si intra quinque annos vno tantum die se iustos præstant? Non putabat vir sapientissimus, in eum competere iustitiæ laudem, nisi qui per omnem vitam in omnibus actionibus iustitiam coleret, nam ludi Olympiaci semel tantum intra quinquennium celebrantur.

Iustitiæ imago.

Iustitia oculatissima esse fingitur, oculo vegetissimo, acie perspicaci, & cuncta perspiciente. Chrysippus eam effingi solitam prodidit, aspectu formidabili, luminibus oculorum acribus, neq; humilis neq; atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Quæ pictura innuit, Principem erga subditos quidem humanum esse debere, sed in obseruanda eorum vita & moribus inprimis attentum & perspicacem, nec ad vllius, cuiuscunque sit conditionis, loci, aut ordinis, scelera conniuere. Nihil enim periculosius criminum impunitate, cum ea semper ad deteriora inuitet. Erasmus.

Antisthenes rogatus, quæ res portenderet ciuitatibus exitium, Cum in his, inquit, nullum esse potest bonorum ac malorum discrimen. Sentiens eam Rempubl. non posse consistere, vbi nec esset honos virtuti, nec pœna scelerosis. Hoc apud Homerum stomachatur Achilles, ἐν δ' ἰῇ τιμῇ, &c. Erasmus.

Episcopi Saltzburgensis iustitia in regendis subditis.

Episcopus Salzburgensis, Dux Boiariæ, tanto colebat studio Iustitiã, vt subditorum causas & querelas ipsemet cognosceret, omnibusq; se præberet affabilem, nec quenquam per ministros excludi, aut accessu prohiberi pateretur. Sæpe etiam mutato habitu rusticorum turbæ se immiscuit, vt quales se erga subditos gererent Præfecti & Prætores coram obseruaret, quod si quem minus fideliter officio sibi demandato præesse animaduerteret, protinus eum dignitate & officio deiecit. Aliquando assumpto rustici habitu macellum ingressus est, vbi cum laniorum magnam erga pauperes morositatem obseruaret, ipsemet quoq; libram carnis vitulinæ petijt, fingens domi grauidam sibi esse cõiugem, in cuius gratiam carnem istam comparare velit, verum exibilatus à lanijs repulsam passus est. Ob quam inhumanitatem omnes deinde lanios in carcerem coniectos seuere puniit. Qua sua industria & seueritate effecit, vt omnibus subditis tam ijs qui magna bonorum copia affluerent, quam qui tenuioris fortunæ essent, ex æquo ius diceretur, & de rebus necessarijs prospiceretur.

Quanta iustitia eluxerit in Camillo Phaliscos circumsedente, quam in Magistrum ludi pueros nobilissimos prodentem exercuit, in quarto Præcepto sub titulo De proditoribus patriæ indicatum est.

Timochares, seu, vt alijs placet, Nicias, Pyrrhi Epirotarum Regis Medicus, quum ad Fabricium accessisset, promisissetq; se pacta mercede præministraturum Pyrrho venenum: Fabricius non tantũ auersatus est facinus, at etiam Pyrrhum hostem literis monuit, vt à domesticis caueret insidijs.

Eadem iustitiæ laude claruit Cn. Domitius Tribunus plebis, qui cum M. Scaurum Principem ciuitatis in iudicium populi deuocasset, noctu ad eum peruenit seruus Scauri, multis & grauib⁹ Domini criminibus instructus, quem Domitius minime audire dignatus ad Scaurum duci iussit, iustitiæ potiorem, quam odij aut inimicitiæ rationem habens.

Nec aliter se L. Crassus in eodem iustitiæ experimẽto gessit. Cn. Carbonis nomen, infesto animo, vtpote inimicissimum sibi, detulerat, sed tamẽ scrinium eius à seruo allatum ad se complura continens, quibus facile opprimi posset: vt erat signatum, cum seruo catenato ad eum remisit. Valerius Maximus.

L. Sylla Sulpitium Rufum aduersarium infensissimum proscripserat, quem cum in villa latentem à seruo proditum comperisset, manumissum, parricidam, vt fides edicti sui extaret, præcipitari protinus è saxo Tarpeio, cum illo scelere parto pileo, iussit. Victor alioqui insolens, hoc imperio iustissimus. Ibidem.

Pittacus Mitylenæus, cum suffragijs communibus tyrannidem ei ciues deferrent, tum diu illud imperium sustinuit, quam diu bellum de Sigæo, cum Athenien sibus gerendũ fuit: postquam autem pax victoria parta est, continuo reclamantibus Mitylenæis depositus, ne dominus ciuium vltra, quam Reipub. necessitas exegerat, permaneret: atque etiam cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, auertit animum ab eo munere, deforme iudicans virtutis gloriam, magnitudine prædæ minuere.

In Zaleuco & Charonda ingens fuit iustitiæ rigor. vtriusq; in præceden tibus Præceptis facta mentio. Zaleucus legem tulerat, vt quicunq; in adulterio deprehensus esset, vtroque priuaretur oculo. Istius supplicij cum factus esset reus filius eius, & tota ciuitas in honorem patris adulescentulo necessitatem pœnæ remitti peteret, pater cuictus populi precibus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum vtriq; videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & iustum iudicem partitus.

Charondas Tyrius ad vim & cruorem vsq; seditiosas conciones ciuium pacauerat, lege cauendo, vt si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur: interiecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus, domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit, ab eoque, qui proxime constiterat, solutæ à se legis suæ monitus; Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro quod habebat, destricto incubuit: cumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus iustitiæ fieret. Val. Max.

Antipater cum à Phocione Athenien se petijsset, vt nescio quid iniusti suo nomine faceret: Non sum, inquit, tibi simul adulator & amicus. Amicus enim, quę iusta sunt, efflagitat ab amico, & is qui reuera amicus est, nõ obsecundat amico, nisi in his quæ cum iustitia & æquitate coniuncta sunt, Plutarch. in apoph.

Cato Quæstor.

Catulus Censor Catonem sibi arctissima vinctum necessitudine rogauit, vt quendam ipsius iudicio obnoxium (erat enim quęstor) missum faceret. Ille hunc in modum respondit: Turpe est nos, qui iuuentuti recte instituendæ auctores esse debemus, à lictoribus irrideri nostris. Negauit asperius, quod iniuste petebatur. Erasmus ex Plutarcho.

Aristides cognomento Iustus, semper suo vnius præsidio fretus, Rempublic. administrauit: à sodalitatibus & amicorum potentia abhorrebat, quæ ad iniuriam alijs inferendam adderent animum. Abhorruit autem ab omni factione & amicitia ideo, ne adigeretur ad aliquid faciendum,

quod

quod iustum nõ esset, aut cogeretur abstinere ab eo, quod iudicasset Reipublicæ conducere. Plutarch.

SENTENTIAE SECVNDVM IVSTITIAE NORMAM à censoribus, & iudicibus latæ.

CAmillus & Posthumius Censores, eos qui ad senectutem cœlibes deuenerant, in ærarium deferri iusserunt, eo quod natura, quemadmodum nascendi sic etiam gignendi legem scripserit.

In ærariũ referri, est onus conferẽdi in ærariũ tributa iustinere, omniũ præterea honorũ & munerũ publicorum esse expertem.

M. Valerius Max. & C. Iunius Brutus Bubulcus Censores, L. Antoniũ Senatu mouerunt, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito.

Portius Cato L. Flaminium è numero Senatorum sustulit, quia in prouincia quendam damnatum, securi percusserat, tempore supplicij ad arbitrium & spectaculum mulierculæ, cuius amore tenebatur, electo. Et poterat inhiberi respectu Consulatus, quem is gesserat, atque auctoritate fratris eius Titi Flaminij. Sed & Censor & Cato, duplici seueritatis exemplo eo magis illum notandum statuit, quod amplissimi honoris maiestatem tam tetro facinore inquinauerat.

Luxuria punita a Romanis.

Fabritius Lucinus Censor, Cor. Rufinum duobus Consulatibus & Dictatura speciosissime functũ, quod decem pondo vasa argentea cõparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum ex ordine Senatorio eiecit.

Marcus Antonius, & L. Flaccus Censores, Duronium Senatu mouerũt, quod legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam, Tribunus plebis abrogauerat. Valerius Max. lib. 2. cap. 4.

Publio Dolabella Proconsulari imperio Asiam obtinente, materfamilias Smyrnæa virum & filium interemit, cum ab ijs optimæ indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset, quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionẽ relegauit: quia ipse neq; liberare cædibus duabus contaminatam, neq; punire eam iusto dolore impulsam, sustinebat. Areopagitæ inspecta causa & accusatorẽ & ream post centum annos ad se reuerti iusserunt. Valer. Max. lib. 8. cap. 1.

Areopagitarũ sententia in nouo homicidy casu.

Cum Caius Ticinius Minturnensis Fanniam vxorem, quam impudicam de industria duxerat, eo crimine repudiatã, dote spoliare conaretur: sumptus inter eos Iudex C. Marius, in conspectu habita quæstione, seductum Ticinium monuit, vt incepto desisteret, ac mulieri dotem redderet. Quod cum sæpius frustra fecisset, coactus ab eo sententiam pronunciare: mulierem impudicitiæ sestertio nummo, Ticinium summa totius dotis damnauit: præfatus ideo se hunc iudicandi modum sequutum, quod liqueret sibi, Ticinium patrimonio Fanniæ insidias struentem, impudicæ coniugium expetisse. Valer. lib. 8. cap. 2.

Furti damnatus ob rẽ leuiculam.

Furti quidam damnatus fuit apud priscos Romanos, quod equo, cuius vsus illi vsque Ariciam commodatus fuerat, vlteriore eius municipij cliuo vectus esset. Quid aliud (inquit Valer. Max.) hoc loci, quam verecundiam illius seculi laudemus, in quo tam minuti à pudore excessus puniebantur?

Atheniẽsis populi iustitia.

Themistocles cum Persarum copijs Græcia pulsis, ruinas patriæ in pristinum habitum reformaret, in concione dixit, habere se rem deliberatione sua prouisam, quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil magis aut potentius Athenienſi populo futurum, sed eam vulgari non oportere, postulauitque, vt aliquis sibi, cui illã tacite exponeret, daretur: datus est Aristides. Is postquam cognouit eum classem illam Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum subducta erat, velle incendere, vt ea consumpta, dominatio maris ipsis cederet, processit ad ciues, & ipsis retulit, Themistoclem vt vtile consilium, ita minime iustum animo voluere, è ve

ſtigio vniuerſa concio quod æquum non videretur, nec expedire quidem proclamauit, ac protinus Themiſtoclem incœpto iuſſit deſiſtere.

Ceſelij conſtantia & ἀπαρρησία.

Ceſelius vir iuris ciuilis ſcientia clarus, nullius aut gratia aut auctoritate compelli potuit, vt de aliqua earum rerum, quas Triumuiri dederant, formulam componeret. Hoc animi iudicio victoriæ eorũ beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem cum multa de temporibus Cæſaris liberius loqueretur, amici ne id faceret monerent: duas res, quæ hominibus amariſſimæ videntur, magnam ſibi licentiam præbere reſpondit, ſenectutem & orbitatem.

Non factũ ſed animus in quæſtione deductus. Bunæ iudicium.

Metellus Celer Cn. Sergio Silo promiſſorum Matrifamiliæ nummorũ gratia diem ad populum dixit, eumque hoc vno crimine damnauit. Non enim factum tunc, ſed animus in quæſtione deductus eſt: pluſque voluiſſe peccare nocuit, quam non peccaſſe profuit. Valer. Max. lib. 6.

Quum eſſet controuerſia inter Calidonios & Eleos, vtrique rem ad arbitrium Bunæ detulerunt. Conuenerat autem vt à manibus temperarent, donec ille de negotio pronunciaſſet. Quod vbi ſenſiſſet Bunas, de industria audiebat quidem vtramque partem, cæterũ per fictas occaſiones rem in longum diſtulit, nec vnquam de lite voluit pronunciare. Eraſm. in Chilia. ex Mnaſea apud Zenodotum.

De iuſticia hunc ad modum ſcribit Campofulgoſius: Grauitati iuſtitiã annectemus profecto inſignẽ, neque vero hanc aut leges, aut id quod ad exercendas leges Magiſtratus gerunt, intelligimus: ſed vim ipſam æqui & honeſti, qua boni cauere ſolent, ne alteri faciant, quod ſibi fieri nollent. Cui ſemper pudor comes eſt, qui continere ab omni re hominem ſolet, quæ etiamſi lege permittatur, aut in ea vtilitatis ſpecies ſit, honeſtati tamen prorſus coniuncta non videtur.

Seruus heri proditor. Romanus populus ſerui ſuperbiam haud tolerat.

Auguſtinus etſi in Triumuiratu durus admodum habitus eſt, tamen in proſcriptione, cum eorum notaret nomina, quos proſcribere volebat, equeſtri dignitate ornauit Titum Iunium Philopœmenem, quod non ſine periculo patronum ſuum occultauerat, quanquã per Triumuirales leges grauem incurriſſet pœnam: Magis enim honeſtatem, quam leges inſpiciendas duxit. Lege enim Triumuirali ſeruo, qui herum proſcriptum prodidiſſet, libertas promittebatur, bonaq; herilia addicebantur.

Proſcriptus Atherius à ſeruo ſuo accuſatus eſt, qui Triumuirali lege liberatus, fortunas etiam patroni eadem lege conſequebatur. Seruus igitur cum patroni filios deſpectui haberet, & ipſi rei atrocitate, præſertim cum adhuc tenella ætas eſſet, territi lachrymantes, ſilenteſque eum ſequerentur, veluti ſæuam nimis illam rem omnis populus abominatus eſt, atque ea Triumuiris declarata, voluit, vt ingratus ſeruus denuo apud Atherij filios in ſeruitutem rediret, eiſq; patris boua reſtituerentur. Inter tam multa proſcriptionis infanda facinora, in quibus crudelitas quoque ingens oboriebatur aliqua iuſtitiæ imago, eiuſmodi in rebus ſuperuiuere adhuc oſtendebatur: ſiquidem veteri Prouerbio non inſipienter dicitur: Fieri nõ poſſe, vt illic homines diutius viuant, vbi omni ex parte iuſtitiæ reſpectus ſit extinctus.

Seruus Domino fidus a populo ornatur.

Eadem cauſa motus Romanus populus à Triumuiris petijt vt is ſeruus libertate donatus, præmium quoque acciperet, qui in ſpelunca, in qua eius latebat Dominus, ipſius loco ſe conſtituit, vt pro ipſo moreretur. Et mortuus eſſet ſeruato Domino, niſi à conſeruo detecta res fuiſſet, qui ob eam rem muneris loco, quod ei Triumuirali decreto debebatur, cruci affixus fuit.

Eodem modo Nerua quoque Cocceius iuſtitiæ cultorem ſe oſtendit, ſtatim, vt Domitiano occiſo ad Imperij ſucceſſionem vocatus fuit. Nam ſeruos omnes, à quibus ipſorum Dominos accuſatos inuenit, ceu ingratos

perfidoſ-

perfidosque iussit occidi. Vt exemplum omnibus illius ordinis constitueret, ne ingrate eos accusarent, quorum seruitutis iure acerrimi propugnatores esse debebant.

Vitellius hostis sui proditores interficit.

Vitellius in Germania à militibus Imperator creatus, aduersus Galbam Romæ imperantem, qui per id tempus ab Ottone interfectus fuerat, cum postea Ottonē in Bebriacis campis superasset, inter Ottonis scripta Commentarium inuenit, centum viginti virorum ab Ottone præmia poscentium, quod Galbæ morti, ad eā procurandā, interfuissent: quanquam autem ipse inimicus Galbæ fuisset, iniquum tamen arbitratus est, non modo eiusmodi hominib. præmia dare, sed ne perpeti quidem, vt viuerent, cum Principem suum precio occidissent. Quæsitos igitur diligenter omnes, quos nactus est, interemit.

Eadem iustitia vsus est & Maximinus, à quo Osdroeni rebellauerant, & Titum, siue, vt Herodianus ait, Quarcinum, Imperatorem elegerant. Nam Comiti eius Macedonio, qui Titum ipsum occidit, & in castra Maximino caput eius tulit, postea quam longa oratione gratias egit, quod hostem Romani Imperij occidisset, eum postea, quia socium suum proditione interemerat, iecuri percuti iussit.

Aurelianus Imperator, cū in Asia Tianam vrbem obsideret, quia vi capere eam non poterat, Heracleonis Tianæ ciuis, qui in ea vrbe opib. plurimum poterat, opera in vrbem admissus, tulit vt à militibus Heracleon occideretur. Quia eius, qui patriam suam occidisset, cōspectum ferre non poterat: Et ne auaritia id egisse videretur, quia vir ditissimus Heracleon erat, eius fortunas omnes liberis incolumes seruauit. Cum autem ad Mundum Chilonem, rem, vt gesta erat, scriberet, ostendit, à se proditores diligi non posse: Neque illis eum fidem vnquam seruaturum, qui patriæ non seruassent.

Artaxerxis insigne facinus.

Artaxerxes Longimanus Persarum Rex, semel rem iustissimā & omnibus exemplo futuram peregit. Nam cum Sathybarses à cubiculo pergratus eius ministeret rem ab eo enixe peteret, quam Artaxerxes iniustam esse perspiciebat, sciretque inde ad Sathybarsem Daricorum triginta millium munus peruenturum, perferre corā totidem quæstorem suum iussit, eaque Sathybarsi dono dedit: monens, hac summa data nihilo se pauperiorem fore. Cæterum si quod Sathybarses peteret, egisset, minus se iustum habitum iri: Et re & verbo vere regio Reges Principesque alios monens, quanto pluris iustitiam, quam amicos aut thesauros facere debeant, neq; eum largum ac liberalem dici posse, qui alienum largiatur.

Antiochi iustitia insignis.

Antiochus Tertius Asiæ Rex omnibus regni sui vrbibus scripsit, si quid in literis, quæ eius nomine scriberētur, esset, quod legibus aduersum videretur: crederent ignaro se eiusmodi literas scriptas fuisse, & propterea eis non parerent. Sanctissimum profecto verbum, & quod iusto Regi maxime conueniat, vt quemadmodum ipse populis præest, ita ipsi leges atq; æquitatem præesse intelligatur.

Episcopi proditores Domini sui.

Guntramus Burgundionum Rex, cum bellum gereret aduersus Gondoaldum, qui sub falso, tanquam eius frater esset, nomine, occupata Burgundiæ parte, regni titulum inuaserat, cum Sagittario, atque Monnialo Episcopis, quibus Gondoaldus ceu amicis plurimum vtebatur, Gūtramus rationem iniuit, qua Gondoaldus occideretur: quod cum fieret, ipsos quoq; Episcopos, quia ministri fuerant, interimi iussit, ne pessimum exemplum maneret, vt aliquis prodere eum auderet, quem semel Dominum agnouisset.

Sancius erga fratrem

Quam laudanda etiam Sancij Tertij Castulonensis Regis iustitia fuit, cum is voluit vt fraternus amor, & ipsa quoq; ambitio cederet, peculiare Principum pene omnium crimen ac venenum. Nam cum delatorum im-

pulsu,

Ferdinandum, & Pōtium Comitem iustus & humanus.

pulsu, qui seu præsentaneum venenum, amicitias Principumque aulas ac regna euertere solent, Ferdinandus Secundus Legionensis Rex, Pontio Comiti Minerbæ, veteri paterno amico bellum intulisset, multaque iam ademisset, Sancius re audita statim comparato ingenti exercitu aduersus fratrem profectus est. Is autem minime talem casum veritus, repētinoq; atque inexpectato hoste perterritus, in equum conscendens paucis comitantib. in fratris castra perrexit, seq; supremū ipsius ius agnoscere velle ostulit: arbitratus alia nulla ratione in tali casu suum se regnum seruare posse. Sancius autem vt iustus Rex, ac minime impius frater spretis omnibus quæ obtulerat, dixit: Non idcirco se arma mouisse, vt vel regni eius possessionem cuperet, vel eum ditioni suæ subigeret, sed id solum spectasse, vt Comiti Pontio ablata restituerentur, cum is communi parenti verus amicus fuisset, fortemque ei operam aduersus Mauros præstitisset: Quo facto retro vnde venerat in fines suos se recepit.

Ferdinandi erga nepotē pupillum iustitia.

Insigne quoque inter iustitiæ egregia facinora illud fuit, quod Ferdinandus patrauit, qui postea per creationem ad Aragonium regnum conscendit. Hunc Henricus frater Castulonensis Rex tutorem filio puero reliquit, is autem regnum tanta iustitia rexit, vt in magno Castulonensium conuentu actū sit, vt ad ipsum Hispaniensis regni titulus deferretur: Quem honorem cum se accepturum ostendisset, omnesque in locum rei agendæ designatum conuenissent, ipse ingentem chlamydem Regio more amictus, in qua nepotem puerum occultū tenebat, cum omnium sententiam postulasset, quæ eiusmodi fuit, vt ad ipsum Hispaniarum Regnum deferretur, repente nepotem paruum e chlamyde extulit, & cum collo suo imposuisset exclamauit: En Castulonēses Regem vestrū: Cui restituto postea regno, auctisq; omnibus rebus ostendit, quam in eum iustus fuisset.

Iustus quoque Tancredus Normādus fuit, qui cum apud Boëmundum patruum Antiochiæ Principem in Syria esset, patruo eius ab infidelibus in prælio capto, pro patruo tres annos principatum rexit, auctisque finibus, auctoque thesauro grandi precio patruum redemit, eiq; omnia restituit: Non minus in patruum ipse iustus, quam Ferdinādus in nepotem fuerat.

Cynnamus sponte regno cedit.

Cum Parthi ciuilibus discordijs regno Artabanum Regem deiecissent, & is Iazatæ Adiabenorum Regis armis adiutus, redire in regnum satageret, Parthi non modo propter imminens bellum, verum etiam alijs rationibus moti, cum depulsi Artabani eos pœniteret, ad ipsum atque Iazatem legatos miserunt, monentes, Libenter se ab eis optata facturos. Sed cum depulso Artabano ei Cinnamum in regno suffecissent, & ceu Regi fideles se fore iurassent, à iureiurādo discedere religio erat. Quam rem cum Cynnamus intellexisset, Artabano atque Iazati scripsit, vt venirent, quoniam Parthico regno Artabano cessurus esset. Hi autem cum conuenirent, Cynnamus Regia veste diademateque ornatus obuiam profectus est, & cum primum Artabano appropinquauit: ab equo descendens ita loquutus est: Cum Parthi te regno pepulissent, atque ad alium ademptum tibi transferre vellent, eorum rogatu illud accepi, sed postea quam cognoui, eis cordi esse, vt te verum propriumque ipsorum Regem, in regnum restituant, vnumque illud obstare, ne id inuito me ab eis agatur, non modo eis non obstiti, verum quemadmodum vides, sponte mea, neque ob aliam rem vllam regnum tibi restituo. Et cum hæc dixisset detractam capiti suo tiaram ipse Artabani capiti manu suâ composuit. In eo enim iustum se præbuit, propter quod mortales non modo iustitiam deserunt, verum omni quoque scelere manus nomenque maculare non reformidant. Fulg. lib. 6. cap. 5.

Archidamus arbi-

Archidamus Lacedæmonius Zeusippi filius, inter duos colligantes arbiter electus, cum ambos in Mineruæ Chalcidicæ templum deduxisset,

eos

eos iureiurando adegit, vt quod ipse iudicasset obseruarent. Quibus post præstitum iuramentum imperauit, ne eo templo excederent, priusquam positis discordijs mutuã beneuolentiam redintegrassent. Hac Sacramenti religione ambos vt lite discederent perduxit. *ter inter duos litigantes.*

Otto qui postea imperauit, cum adhuc priuatã ageret vitam, à duobus de finibus arbiter electus, agrum emit, de quo orta erat controuersia. Et alteri contendentium dono dedit, atque ita inter ipsos litem sustulit. Fulgos. lib. 6. cap. 5.

Antiochus ille qui bis exercitum duxit aduersus Persas, cum in venatu quodam feram insequeretur, aberrans ab amicis ac famulis in casam pauperum quorundam, quibus ignotus erat, introijt, atque in cœna iniecta mentione Regis, audiuit, quod cætera quidem probus esset, sed pleraque functiones mandaret amicis improbis, ipse ad eorum facta conniuens: tum quod immodico venandi studio frequẽter necessaria negligeret: Ad hæc tum temporis nihil respondit, nec quis esset prodidit: verum vbi diluculo satellites venissent ad casam, iamque agnoscerentur, allata purpura simul cum diademate: Age, inquit, ex quo vos indui, heri primum vera de me ipso audiui. Nam fere hoc studio est his qui viuunt in aulis Principum, ne quid audiant, nisi blandum auribus. Plutarch. in Regum apoph. *Antiochus in venatu a famulis aberrat.*

DE CLEMENTIA.

NIhil est laudabilius, nil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia, quæ ita probãda est, vt adhibeatur Reipub. causa seueritas, sine qua administrari ciuitas non potest. Cicer. 1. Officior.

Humanitas atque Clementia, quæ mortale hominum genus magna in parte à feris distinguit, in omni hominum ordine laudem suam meretur. Sed in Regibus atque alijs qui rerum potiuntur, eo clarior atque excellẽtior est, quod etiam pluribus prodesse potest. Idem enim iræ atque crudelitati eorum contingit, quæ plus virium, minusque ad compescendum fræni habens, plus etiam quam priuatorum iracundia perniciei malorumq; solet afferre. Campofulgos. lib. 5. cap. 1.

Cum in Cæsarea moraretur Agrippa Iudæorum Rex, resciit Hierosolymis se publice à Simone Iudæo criminatum, tanquam Iudaicæ legis esset euersor. Itaq; cum Simonem in theatrum spectante populo vocasset, assidereque sibi hominem iussisset, interrogauit, In quo Iudaicam legem violaret? & vt palam id loqueretur monuit. Simon Regis iram veritus, se ad eius abiecit pedes, veniamque errori petijt. Eum igitur supplicem manu sua Rex sustulit, neq; veniam modo pro crimine petenti dedit, verum mu neribus quoque affectum domum remisit. Sapiens profecto nedum clemens Agrippæ factum. quo enim pacto melius & sibi bonitatis nomen comparare, & detrectatorem à maledicentia reuocare potuit? *Agrippa erga Simonem clemẽs.*

Theodosius Iunior tam admirabili fuit ingenii lenitate, vt quum ab amicis rogaretur, quam ob rem neminem eorum, à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret, Vtinam inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatas iniurias oportet Principem esse facilem ad ignoscendum, in iis qui lædunt Rempublicam decet esse seuerum. Erasm. libro 8. apophth.

Quidam vxori Galieni Iunioris gemmas vitreas pro veris vendiderat: re comperta mulier flagitauit vindictam. Cæsar iussit hominem corripi quasi leoni obiecturus. Dein in caueam, dum impostor, & populus expectat terribilem leonem, prosiliit catus. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per Curionem dici iussit, impostura fecit & passus est. Eadem opera fefellit impostorem & irrisit vxorem. Trebellius Pollio. *Impostor eato obijcitur.*

CLE-

CLEMENTIA AVGVSTI.

Aper in Augustum irruit.

HVmanum persæpe Augustus se ostendit, sed tum maxime cum deambularet cum Diomede liberto suo. Effractis enim caueis aper proruperat, rectaq; ad Augustum tendere videbatur, itaq; libertus, in quo formidinis, quam prudentiæ plus erat, apprehenso Augusto, se post eum texit. Ea re (periculi enim permultum habuit, & fortasse haud paucos ad vlciscendum libertum impulisset) Augustus neq; iræ, neq; commoti animi aliqua signa ostendit, prudenter etiam aduertit eos qui pusillo corde sunt, vbi de vita agitur, omnis rationis iudicium amittere. Fulgos. lib. 5. cap. 1.

Seruus Pollionis Crystallinũ vas confringit.

Adeo autem clementi ingenio Augustus fuit, vt sibi similes amicos omnes optaret. Id patuit, cum eo apud Pollionem cœnante, seruus crystallinum vas confregisset. nam Domini iussu murænarum pabulo damnatus in viuarium perferebatur, qui cum ducentium manus effugisset, se Augusti pedibus prouoluit, id vnum petens, vt alio mortis genere periret. Augustus vt mortis genus causamq; intellexit, solui seruum iussit, virgulaq; omnia Pollionis crystallina perfregit, viuariaq; euertit. Se enim causam dixit adimere Pollioni velle, ne in animi perturbationem incideret, aut ob eiusmodi causam in posterum seruum aliquem tam crudeliter perderet, qui cuiuscunq; esset generis, in hoc ipso quod homo erat, pluris quam omnia, quæ terrarum orbis haberet vasa, faciendus erat.

Idem cum post Triumuiratum, apud eum Cinna Cn. Pompeij nepos accusaretur, in Gallia eius vitæ insidias tetendisse, vxoris Liuiæ quæ haud imprudens fuit, suasu, Cinnam solum in cubiculum acciuit, eique omnia patefecit, quæ de hac re acceperat. Quare Cinna perterritus, cum neq; deprecaretur crimen, neq; negaret, Augustus humanissime omne odium remisit, atque in sequentem annum Consulem designatum in familiarium amicorum numero habuit. O diuinam prorsus clementiam, ei qui vitę insidias tetedisset, honores illos impartiri, qui vix illis præstandi essent, qui periculo pro tuenda dantis salute vitam obiecissent.

Cum idem pari clementia obtrectatorum malignitatem perferret, atq; eius patientiam Tyberius carperet, hortatus vt ex eis aliquot vlciscereturque, respondit, Satis sibi esse, ne quis eum plusquam dicto lædere posset.

Idem cum Alexandriæ gladium vidisset, quo seipsum Antonius peremerat, secessit, lachrymisq; acceptum ex eius morte dolorem expressit, atque Regio honore ipsum Cleopatramq; simul tumulari iussit.

Crocota erat insignis in Hispania latro. Cui cum à principio ita fuisset infensus Augustus, vt dixisset, se ei qui Crocotam viuum cepisset, darum aureorum decem millia: postquam is vltro venit, non modo ei nullum damnum attulit, sed etiam pecuniã dedit, eumq; locupletauit. Dion Nicæus in Augusto.

Quum Alexandriam vrbem munitissimam vi cepisset Augustus, fugitum ascendit, & adiuncto sibi Ario Alexandrino ad ciues desperantes dixit, se ciuitati parcere, primum propter ipsius magnitudinem, deinde propter Alexandrum Magnum conditorem eius vrbis, tum propter Arium amicum optimum, cuius hæc patria esset. Raræ profecto Clementiæ fuit, non diripere ciuitatem, quæ tam pertinaciter rebellarat.

DE CALVMNIA ET OBTRECTATIONE.

APelles Ephesius Pictor celeberrimus, apud Ptolomæum regem coniurationis, quæ in Tyro auctore Theodota facta erat, ex calumnijs Antiphili, qui artis gratiæq; Apelleæ æmulus erat, reus esse insimulabatur, auctorque defectionis Pelusij. Rex non animaduertens Calumniatorem A-

pelleæ artis esse æmulum supra modũ excanduit, Apellem (qui nec Theodotam nosset, nec vnquam vel Tyrum vel Pelusium venisset) ingratum, rerum violatæ maiestatis, insidiatorem, coniuratum clamat. Ac nisi quispiam e socijs coniurationis, qui capti tenebantur, & audax Antiphili scelus stomachatus, & infœlicis Apellis misertus, nihil ei commune cum seditiosis fuisse probasset, dubio procul Tyriorum malorum pœnam capite mulctatus, soluisset, etiamsi nihil sibi male conscius. Ptolemæus igitur collecto animo sententiam mutauit, Apellem donauit talentis centum. addito in seruitutem Antiphilo Calumniatore. Apelles contra periculi memor, tali est imagine Calumniam vltus.

Calumniæ depicta.

Ad dextram considet quispiam auribus prælongis insignis, quales fere illæ Midæ feruntur. Manum porrigit procul accedenti Calumniæ. Circumstant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ac Suspicio. Adit aliunde propera Calumnia eximie compta, vultu ipso & gestu corporis efferã rabiem; & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tenentem, obtestantemq; immortalium Deorum fidem, rapit. Anteit vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorum minime hebeti, cæterum plane ijs similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facile conijcias liuorem esse. Quin & mulierculæ aliquot Calumniam sequuntur comites, quarum est munus, dominam hortari, instruere, comere: interpres picturæ aiebat insidias & Fallaciam esse. A tergo, lugubri habitu, pullata laceraque Pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo cum lachrymis ac pudore procul venientem Veritatem excipit. Hac Apelles tabula casus suos lusit, Calumniæque naturam graphice expressit. Lucianus de non temere credendo Calumniæ.

Stigelius:

---- *Omnia cedunt*
Iustitia & nescit sepeliri in puluere virtus.

Item:

Tu quod iura petunt, facias pietatis amore,
Nec metuas quenquam quisquis obesse velit.

Maximinus calũnijs Christianos insectatur.

Maximinus tyrannus non solum vi & tormentis Christianos è medio tollere conatus est, verum etiam calumnijs eorum religionem omnibus inuisam reddere omnibus modis studuit: Compositos & confictos libellos blasphemiam & maledicentiam omnem exuperantes, qui interrogationes Pilati & Seruatoris nostri continerent, per omnes Imperij ditiones spargi iussit. Mandatum etiam additum vt literatores librum talem pueris omnibus, in quo vt primis rudimentis se exercerent, teneramque memoriam veneno tali imbuerent, legendum proponerent. Hæc cum ita fierent, alius quidam, quem Romani Ducem vocare solent, circa Damascum Phœniciæ mulierculis quibusdam circumforaneis & flagitiosis vim afferens, plagas minitatus est, nisi testimonio scripto confiterentur, se aliquando Christianorum sacris initiatas, consuetudinem stupri cum eis, qui primæ apud nos fuissent dignitatis, habuisse, nefariaq; flagitia in sacris ædibus nostris fieri solita. Voces etiã eiusce modi in scriptũ relatas ille ad principem misit, quæ deinde de consilio eius in ciuitatibus & locis omnibus sunt propositæ. Cæterum non multo interueniente tempore, calumniarum talium artifex Dux ille, digna iniuriarum Christo contumelioſe illatarũ, sibi ipsi manus afferendo, præmia tulit. Euseb. lib. 9. cap. 5. Niceph. lib. 7. cap. 27.

Delatoris in sitũ præmiũ.

Imperante Commodo, Apollonium Christianæ veritatis assertorem strenuum, virum in omni genere doctrinæ & sapientiæ clarum, scelestus

quidam calumniator ad Tribunal protraxit, accusationemque cõtra eum instituit. Is porro delator quod non legitime actionem intendisset, Perennio sententiam ferente, cruribus eius fractis, debitas luit pœnas ex consuetudine quadam, quæ contra eos Romæ inualuit, qui rea tales ad iudices deferrent. Ipse autem martyr, quum in senatu Romano, iudice ita statuente, rationem professionis fidei iuxta oratione luculenta reddidisset, de sententia Senatus capitali affectus supplicio e vita migrauit. Eusebius lib. 5. cap. 21. Niceph. lib. 4. cap. 26.

Calumniæ Eustathium Episcopatu deyciunt.

Eustathius Antiochenus Episcopus vir rebus omnib. honestus bonusq;, & orationibus componẽdis facundia iucunda & copiosa, cũ Arrianorum hæresin impugnaret, illi per calumnias effecerunt, vt Episcopali dignitate deijceretur. Nam meretriculam subornarunt, quæ conuentu coacto, in quo ducenti & quinquaginta erant, progressa lactentem infantem vlnis gerebat, eum impudenter ex consuetudine Eustathij se concepisse & peperisse clamitans. Eustathius, si quem alium facinoris eius conscium, aut qui tale quicquam nosset, haberet, rogat. Quæ cum id negaret, iusiurandum ab ea iudices acerbi postulant: quod cum illa audacter præstaret, illi cet illi veluti contra mœchum calculos produxerunt: Episcopis alijs, qui insidias structas ignorabãt, frustra contra nitentibus, & non legitime virum damnatum esse contendentibus. Porro qui fabulam hanc concinnauerant, nulla interposita mora Imperatorem adeuntes, eique legitime persentiam Eustathium damnatum esse persuadentes, Episcopatu hominem deiecere, qui perplacide calumniã ferens, ex Imperatoris iussu, cum in Thraciam est deportatus. Deinceps vero infœlix illa mulierecula graui circumuẽta morbo, sycophantiæ eius actum cõfessa, tragœdiam omnem, vt edita fuerat, exposuit. Dixit enim Sacerdotes plurimos, qui eam pecunia corrupissent, flagitium id facere ausos: seipsam autem non omnino mendacem esse, quod scilicet ex Eustathio quodam illiberalis artis opifice puerum concepisset. Histor. Tripart. Et Nicephorus libro 8. capite 46.

Calumniæ aduersus Athanasiũ.

Ex iussu Imperatoris Constantini, anno Imperij eius trigesimo, Tyri congregata fuit Synodus, vt causa ibi Athanasij, quem grauissimis criminationibus, calumnijsque impudentissimis vexabant Arriani discuteretur. Ibi in conuentu Episcoporum, primum ab Arrianis subornata mulier in medio Concilio assistens, de stupro noctu sibi nihil tale metuenti per vim ab Athanasio, quem hospitio exceptum humaniter tractasset, illato conqueritur. Accersitus Athanasius, Presbyterũ quendam Alexandrinum Timotheum adduxit, is causam perinde atq; propriam in se recipiens (ita enim ei cum Athanasio clam conuenerat) Itane tandem, inquit, mulier à me tibi oblatum esse vitium dicis? Atque illa, An vero non à te? (ipsum digito demonstrans) dixit, tempore quoq; & modo, vt vis ei illata effecta, adiecto. Ita facile illud vt ridiculum crimen refutatum est, accusatorumque impudens mendacium innotuit.

Alterum, cuius eum insimulabant, crimen erat, quod Arsenium occidisset, eiusque manum amputatam secum haberet, per quam prodigia ederet: Istum porro Arsenium apud Presbyterum quendam, Patrinem nomine in monasterio quodam cum cura & diligentia occultantes, humanitate benignitateq; omni fouebant, vt tectus ibi maneret, & neutiquam in publicum prodiret. Verum diuina factum est prouidentia, vt tum clamen de manu Arsenij amputata in eum intenderetur, quin etiam manus produceretur, & accusatio iam non verbis, sed factis institueretur: Ille dextre admodum & prudenter criminationi obuiã ijt. Interrogauit namque,

que, an ex præsentibus quisquam Arsenium nosset? Atque nonnullis, nosse se eum, dicentibus: Arsenium in Concilium adduxit, sub veste manum vtramque tegentem. Et tandem, En vobis, inquit, mortuus præsto adest, atque vna illius, moxque altera producta manu: En, ait, Arsenium habetis, manus duas habentem: tertiæ autem locum vbi quis inueniat, accusatores mihi ostendant. Deus siquidem conditor in principio hominem prorius trimanum non creauit. Calumnijs his aperte ad eum modũ confutatis, doli architecti rerum suarum satagentes, turbæ se immiscuere, & fuga sibi consuluere. Verum nihilominus impia Synodus recepto Arrio Athanasium damnauit, qui ad Constantinum fugiens, Constantinopoli Synodum fieri impetrat, qua congregata, falsis rursus delationibus vir Dei apud Imperatorem accusatus, in exiliũ ad Treuiros relegatus est, vbi à Maximino Treuirorũ Episcopo honorifice susceptus, annos duos, & menses quatuor, cum à Constantino ad pœnam quæreretur, exuit latuit. Vide historiam Ecclesiasticam Eusebij, & Chronica Philippi, libro tertio.

Damnato, & in exilium acto Athanasio, Constans occidentis Imperator, duobus Episcopis, & Saliano duce quodam, pietate & iustitia claro viro, ad fratrem Constantium missis, per literas etiam Athanasium in locum pristinum restitui petijt. Literæ Laconice his verbis scriptæ erant: Vehit ad nos Athanasius, & ad se Episcopatum Alexandriæ pertinere probauit. Quapropter illium ope tua fac consequatur. Alioqui namque armis eum meis recuperabit. Hisce literis adactus Constantius, Athanasium publica disposita vectura ad se vocauit. Porrotum etiam nouis technis & calumnijs Athanasij reditum Arriani impedire conati sunt. Cum enim Antiochiam venissent Constantis legati pro Athanasio ad Constantium missi, Euphrates & Vincentius Episcopi cum Duce Saliano: Stephanus, qui rum Ecclesiam Antiochenam regebat: metuens ne Athanasius, cuius gratia maxime legatio ista missa fuerat, Ecclesias reciperet, per quendam propinquum suum animo simul & moribus ferocissimum, Onagrum nomine, ancillam è prostibulo mercede conductam, in Episcoporum hospitio collocat: deinde non longe ab eo loco improbissime insidias per homines seditiosos disponit, vt cum impetu in sanctorum virorum irruerent ædes. Quorum alter quum impudicæ illius aduenientis audiret strepitum, succinuit Psalmum, spectrum adesse ratus. Huius fabulæ & sycophantiæ, vnde & quomodo instituta esset, quæsitore ipso Imperatore, auctor repertus Stephanus, vt nefarij sceleris artifex exauctoratus est, & Leontius Antiochiæ Episcopus delectus. Hist. Tripart. & Niceph. lib. 9. cap. 23.

Narcissus Hierosolymitanus Episcopus tribus falsis testibus conuictus, iudicio cessit, & ad deserta se contulit loca, atque in Episcopatu alter fuit suffectus. Cum trium testium primus, dum testaretur, adiurasset; nisi vera essent, quæ testabãtur, vt comburi posset, incendio cum omnibus quæ habebat ablumptus est: reliquorum duorum cum alter imprecatus esset, vt lepra corripi posset, alter autem vt luminibus caperetur, nisi vera testaretur, intra paucos dies vterq; illis malis, quibus se adiurauerat, affectus est. Quibus prodigijs ceu crimine liberatus Narcissus, absolutus iudicio fuit, & in locum suum restitutus. Fulgos. lib. 3. cap. 1. In secundo Præcepto eadem historia fusius exposita.

Bellisarius ex Iustiniani Ducibus præcipuus, Persas, Gothos ac Vandalos deuicit, captosq; eorum reges ad Iustinianum misit, Siciliam, Africam, atq; Italiæ maiorem partem paruo militum numero, minoreq; impensa recuperauit. Militarem disciplinam longo post limínio legibus suis restituit. Post tot præclarissima facinora, per inuidiam falsaq; crimina erutis oculis, omnibus opibus spoliatus est, cumq; in publica via victum mendi

Literæ Constantis ad Cõstantiũ, pro Athanasio.

Stephanus pro Episcopo sycophanta.

Onager sycophantiæ minister.

Narcissus calumnijs cedere cogitur.

Bellisarium virtus extulit, inuidiæ imũ detexit.

caret, aiebat: Numum pusillum Bellisario date, quem virtus extulit atque in imum inuidia coniecit. Tantus igitur vir non solum exemplum est inconstantis fortunæ, sed etiam ingratitudinis aulicæ, de qua in Psalmo dicitur: Nolite confidere in Principibus neq; in filijs hominum.

Narses Italiæ exarchus.

Magna etiam Narsetis fuit virtus & auctoritas, qui sub Iustiniano Italiã rexit sedecim annos, & ex magnis calamitatibus vtcunq; eam recreauit. Sed & eum inuidorum hominum pressere calumniæ, nec dubio procul aliam, quam Bellisarius fortunam expertus esset, si Constantinopolim redijsset. Nam post Iustinianum, successorem ei misit Iustinus Longinum sceleratum hominem, & coniunx Iustini Sophia eum iussit redire ad pensa in gynæceo, exprobrans ei molliciẽ, quod Eunuchus esset. Sed ipse respondit, se telã exordiri, quam nõ posset ipsa superba mulier pertexere. Inuitauit enim Longobardos in Italiã, quorum auxilio antea aduersus Gothos vsus fuerat. Ac vt tutior esset, nõ redijt Cõstãtinopolim, sed priuatus Neapoli vixit, donec ibi mortuus est. Quę exempla docẽt, quãta mala calumniatores isti aulici creare soleãt, & quã plena res sit periculi, si Principes & Impp. sycophãtis aures patẽtes facile præbeãt. Vere enim Antisthenes: λώϊον inquit εἰς τοὺς κόρακας, ἢ τοὺς κόλακας ἐμπεσεῖν, ἐκεῖνοι γὰρ νεκροὺς, οὗτοι δὲ ζῶντας ἐσθίουσι, Melius est in coruos, quam adulatores & calumniatores incidere, illi enim mortuos, hi autem viuos deuorant. Idcirco & diuus Hieronymus prudenter monet: Noli habere aures prurientes ad audiendum alienas calumnias.

Iustinus Iustiniani successor.

Longinus Narseti successor missus.

Sophia superba mulier.

Attila Hunnorum rex Patauio capto Marulli Calabri Poëtæ Carmẽ de laudibus suis conscriptum, in ignem conijci iussit, quia licentia poëtica originem Attilæ ad Deos retulerat: arbitratus impudẽtem esse impudentiam, dum mortales homines se à Dijs immortalibus traxisse originẽ confingerent. Nicol. Olaus, cap. 15. de vita Attilæ.

Aristobulus Historicus librũ conscripserat de rebus ab Alexandro Macedone gestis, in quo multa supra veri fidem adulantissime affinxerat. Eũ quum illi in nauigatione recitasset, Alexander arreptũ è manibus librum in fluuium Hydaspen demersit, & ad Aristobulum conuersus: Tu, inquit, dignior eras, vt eodem præcipitareris, qui solus me sic pugnãtem facis, ac vel vno iaculo Elephantum interficis.

Diuus Hieronymus ad Celanthiam.

Adulatorum quoq; assentationes & noxia blandimenta fallaciæ, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est quod tam facile corrumpat mẽtes hominũ, nihil quod tam dulci ac molli vulnere animũ feriat. Vnde & quidam sapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autẽ interiora ventris.

Ibidem.

Mentiri atque iurare lingua prorsus tua ignoret, tãtusq; in te sit veri amor, vt quicquid dixeris iuratum putes.

Legitur de Beno Abbate, quod vitam suã ita instituerit, vt nunquã alicui irasceretur, neq; iuraret, neq; mẽtiretur. Vocem etiam temerariam, aut vanam & nihili, nunquam ex ore protulerit. Niceph. lib. 11. cap 34.

Diuus Paulus ad Ephes. 4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.

Seruator Christus diabolum patrem nominat mendacij. Quare omnes mendaces filij sunt diaboli, quemadmodum Ambros. ait: Omnes qui amant mendaciũ, filij sunt diaboli, filijs autẽ iuridice debetur hæreditas patris. Igitur hæreditas diaboli, scilicet infernus. debetur mendacibus. Diogeni Syracusis olera lauanti cum Aristippus dixisset, si Dionysio adulari velles, ista non esses. Imo inquit ille, si tu ista esse velles, Dionysio nõ adulareris. Valer. Max. lib. 4. cap. 3.

Demost-

Demosthenes adulatorē in hoc differre dicebat à coruo, quod hic mortuos, ille viuos deuoraret. Quod conuenit cum sententia Antisthenis supra posita.

Bion interrogatus quod esset animal omnium maxime noxium? si de feris, inquit, percontaris, tyrannus: si de mansuetis, est adulator.

Diogenes orationem blādam non ex animo proficiscentem sed ad gratiam compositam vocare solebat Melleum Laqueum, quod blande amplectens hominem iugulet.

Idem interrogatus, quęnam bestia morsum haberet omnium nocētissimum, respondit: si de feris interrogas, est obtrectator: si de mansuetis, est adulator. Nam obtrectator quidem præ se fert odium, adulator autem sub amici persona multo lædit grauius.

Interrogatus ob quę facta canis nomen vulgo sortitus esset: Quoniam dantibus blandior, inquit, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.

Aristippum Philosophum & Socratis discipulum vocabat regium canem, quod Dionysio Siciliæ tyranno adularetur. Est enim canis animal ad adulationem & assentationem promptissimum.

Epictetus audiens quendam adulatoribus facile suas aures prębentem: Corui, ait, mortuorum cadaueribus oculos euellunt, neq; id iniuria. Nullus enim vita functo luminis vsus est. At adulatores viuentium animos corrumpentes omnem illis visum adimunt.

Apollonius rogatus à Rege Babylonię, qua ratione quiete imperio frui posset? Respondit: Si paucis credideris. Voluit autem nihil aliud hoc indicare dicto, quam nihil in administrando regno deterius esse, quam si delatoribus & assentatoribus aures facile præbeantur.

Phocion Athenienſis, Antipatro petenti vt in gratiā suam faceret quiddam, quod cum iustitia non conueniret: Non potes, inquit, ó Antipater, Phocione simul amico & adulatore vti. Amicus enim non ad quiduis obsequitur, adulator autem in omnibus obsecundat.

Aristonymus sæpenumero dicere solebat: Ligna dum augent ignem, consumi ab ipso: opes dum alunt adulatores ab ipsis perire.

Constātinus Romanorum Imperator spadonum atq; assentatorum in Principum aulis tantus erat hostis, vt cos tineas atq; sorices palatij appellare crebro sit solitus.

Sigismūdus Imperator, assentatores se veluti pestes odisse cum diceret: Brunonius Neronensis respondit: Tamen nullum genus hominum magis amas quam adulatores: Tum Sigismundus: Vincis sane, inquit: Ita enim natura comparatum est, vt cum vitandos esse adulatores dicimus, tū maxime illis adhæreamus. Nam nec tu mecum tam diu fuisses, nisi meis moribus blandiri assueuisses.

Alphonsus Aragonum & Siciliæ Rex, adulatores lupis haud absimiles esse dicebat. Nam quemadmodum lupi titillando & scalpendo asinos vorare soliti essent, ita adulatores ad perniciem Principum blanditijs simul ac mendacijs intendere.

Thales Milesius interrogatus, quantū distaret à mendacio veritas: Quātum, inquit, oculi ab auribus. Sentiens ea demū esse indubitatę fidei, quæ contuemur oculis, rumoribus ac fabulis hominum haud tuto credi.

Diuus Augustinus summopere exosus maledicam calumniatorum linguam, mensæ suæ hoc inscripsit Distichon:

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensām vetitam nouerit esse sibi.

Frequēter etiam Episcopos, cum quibus magna ipsi intercederet familiaritas, asperis admodum verbis, quoties sinistram absentium mentionem facerent, reprehendit.

Monica dissidentes vicinas in concordiam reducere solita.

Inprimis memorabile est exemplum Monicæ, diui Augustini matris. Cum enim conceptis odijs dissidere, aut simultates fouere vicinas suas intelligeret, alteram earum accessit, eamq; placide monens, Miror, inquit, te vicinæ tuæ succensere posse, apud quam modo cum essem, eam tui mentionem quam honestissimam facere audiui, nec vel minimum irę aut odij signum obseruare potui. Quam hisce verbis vbi mitigatam sensit, mox alteram quoq; accessit, ijsdemq; vsa verbis, eius quoq; animum ab odio & simultatibus auocauit. Qua sane ratione multas sæpenumero grauibus distractas odijs, ignaras in concordiam reduxit.

Quanta malorum seges ex obtrectarorũ sycophantijs & calumnijs succrescere soleat, notissimum est. Bensyra sententia quarta, Ignis, inquit, ingentem frumenti aceruum consumit: Sic & maledica lingua totam regionem. Quare non est honesti viri, aliorum famam & carpere, eorumq; peccata in apricum proferre. Sed potius proximi sui crimen & dedecus vnusquisque teget. Quemadmodum enim peccat iste, qui sine Magistratus mandato, alium nondum sententia iudicum damnatum occidit: Pari modo nec iste à peccato immunis fuerit, qui proximi sui flagitia, quorum publice nondum conuictus est, apud alios proclamat.

Argo quidem oculatiores sumus in aliorum cognoscendis & iudicandis vitijs, in proprijs autem vel leberide cæciores, non videmus manticæ quod in tergo est.

Cum tua perspicias oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Refer huc parabolam Christi Seruatoris Lucæ 6. de eo qui trabem in oculo suo non obseruans, festucam ex oculo fratris vult extrahere. Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

Abbas quidam pietatis studio clarus, & ætate grandis, saccum grandiorem arena refertum de tergo suspendit, deinde sacculum perangustũ arena itidem refertum de collo suspensum pectori applicuit. Interrogatus à fratribus, quidnam sibi velit ista sarcina? Saccus, inquit, iste grandior à tergo propendens, mea designat peccata, quæ minus oculis meis incurrunt, nec animo veros dolores afferunt. Sacculus vero anterior proximi mei peccata denotat, quæ semper obuersantur oculis, in quibus obseruandis & iudicandis perspicax admodum sum & morosus.

Principes quamuis boni, per adulatores & syncophãtas corrumpuntur.

Inprimis elegans locus est Xenophontis, vbi libro primo de dictis & factis Socratis inter cætera docet, quod bonorum consuetudo virtutis exercitatio sit, malorum autem eiusdem exitium. In quo etiam Poëta nobis testimonio est, qui ait:

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸ ἐόντα νόον.

Virtutem tradet tibi consuetudo bonorum,
Fac sectere bonos, qui bonus esse cupis.
Quod si te fortuna malis inuoluerit, ante
Si quid erat mentis, scito perisse, bona.

Et grauiter inquit Seneca: Sumantur à conuersantibus mores. Quare non dubium est, si qua generosa animi vis sit in Principe, eam prorsus extingui, ex adulatorum & sycophantarum consuetudine.

Domitianus osor sycophantiarum.

Domitianus licet crudelis, occultator, diffidens, suspicax & insidiator, obscœnus & rapax fuerit, summam tamen humani generis pestem iudicauit delatores, sycophantas, & obtrectatores, quos vrbe eiecit, dicens: Princeps qui delatores non castigat, irritat. Idem cum homines mordaces atq;

male-

maledicos haberet odio, semper tamen eos dicere solebat peiores esse, qui maledicis aures præberent, neq; reprehenderent, quam ipsos maledicos.

Caligula commentarios ad matris fratrumq; suorum calumnias pertinentes, ne cui postmodum delatori, testiue maneret vllus metus, conuectos in forum, & ante clare testatus Deos, neque legisse se, neque attigisse quicquam, concremauit. Quin & libellum de sua salute oblatum non recepit: Cōtendens sibi nihil admissum, cur cuiquam inuisus esset. Negauit se delatoribus aures præbere. Hæc boni Principis videri poterant, nisi fingerentur. Erasm.

Magna laus est Alexandri Seueri, qui fumo necauit Thurinum Vetronium, de quo supra, eo quod fumos vendidisset. Compererat eum ab vtraque parte pecunia accepta responsa Imperatoris finxisse, & quidem deinceps in cauendis fumi venditoribus cautior fuit, nō passus vt de alijs quispiam male apud se loqueretur. In eos qui corrupti pecunia iniuste iudicarunt, duriter animaduertit, sæpe hunc versum recitans:

Ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Macrinus Imperator proditores & delatores, si quem accusassent, nec flagitij, cuius eum insimularant, conuicissent, gladio puniebat. Quæ eius seueritas laude fuit dignissima. Haudquaquam enim raro accidit, vt sycophantæ isti aulici, γλωσσογάστορες, & κομποφακελορρήμονες, optimis quibusque viris, quorum virtutes nec imitari nec æmulari possunt, suis sycophantijs apud Reges & Principes exitium machinentur pessimum, Principumq; animos sic effascinent, vt furiales pestes summo amplectantur fauore, beneficiisq; prosequantur maximis: Contra eos, qui suis consilijs optimis syncerisq; officijs toti consulunt patriæ, eijciant, bonisq; & dignitate omni spoliēt. Quod accidit Bellisario isti, optime quidem de Iustiniano Imperatore merito, sed calumnijs sic oppresso, vt è summo honorum gradu, ad quem virtus eum euexerat, ad afflictissimam calamitosissimorū hominum sortem deijceretur, quemadmodum supra latius indicatum. Itaq; tum sibi tum subditis quicunq; Principes bene consultum esse cupiunt, ij vt præsentissimam pestem, genus adulatorum & delatorum fugiēt, & ab ista pestilentissimorum hominum fæce tum aulas tum vniuersam Rempublicam quo poterunt studio & labore, repurgabunt.

DE DETRECTATORIBVS ET PRODITORIBVS.

SAulus Rex Israëlitarum Dauidi filiam suam despondet, non quod eius honori & dignitati consuleret, sed vt Philistorum furori obiectum proderet, eique exitium machinaretur. 1. Samuel. 18.

Amalecites sibi occisi Sauli decus mendaci ore arrogans, dum gratum se Dauidi nuncium allaturum sperat, Dauidis iussu interficitur, 2. Reg. 1.

Baana & Rechob filium Sauli Isboseth, dormientem super lectum in conclaui suo perfide trucidarunt, abscissumq; caput ad Dauidem attulerunt, qui loco præmij, quod exspectabant, eos vt proditores & sicarios iussit interfici, præcisisq; manibus & pedibus suspendi super piscinam in Hebron. 2. Regum 4.

Dauides cum heroicis virtutibus esset inprimis illustris, sui tamen ipsius oblitus fuit, cum Vriam, rapta eius coniuge, sub amicitiæ prætextu ad Ioabum ablegat, clam interim præcipiens in literis, quas in sui exitium ipsemet Vrias afferebat, eum hostibus obijci, & in acie, à suis destitutum interfici. 2. Regum. 11.

Haud dissimilem ad modum sub pacis osculo Ioabus Abnerum & Amasam interfecit. 2. Regum 3. & 20.

Elam Regem Israel temulentum occidit Zambri, Dux mediæ partis equitum. Domini sui factus & proditor & interfector, cumque septem diebus in Thersa regnasset, omnis Israël Regem sibi constituit Amri, qui cum Thersam obsideret, Zambri cum & armis & mœnibus diffideret, ingressus palatium succendit se cum domo Regia, & mortuus est in peccatis suis.

Pati vsus est perfidia Sellum filius Iabes, aduersus Zachariam Regẽ Israëlis, eo enim, facta aduersus ipsum coniuratione, interfecto, regnum ipse occupauit, quod cum vno mense tenuisset in Samaria, ipse vicissim à Manahe filio Gadi de Thersa interfectus est. 4. Regum 15.

Sanaballat fœdera & amicitiam simulans insidiose exitium Nehemiæ machinatur. Nehem. 6.

Princeps tributorum ab Antiocho in ciuitates Iudę missus, cum pacem dolose simularet, irruit super ciuitatem Ierusalem, direptamque succendit, grandemque plagam in populo edidit. 1. Mach. 1.

Ascimus Sacerdotio inhians populi sui fit proditor, locutusque verba pacifica, & iurans, se nullum fratribus suis damnum illaturum, sexaginta viros comprehendit, & in vna die occidit, per proditionem & periurium ad Sacerdotium, & tyrannidem viam affectans. 1. Machab 7.

Triphon Iudæorum Ducem Ionatham contra datam fidem circumuẽtum in vincula conijcit, trucidatis omnibus eius socijs. Dolose deinde pro redemptione Ionathæ centum talenta sibi numerari postulat. Quam pecuniam vbi accepit, altera quoque vice perfidus Ionatham eiusq; filios occidit. 1. Machabæorum 12. & 13.

Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia Prouerb. 11.

Huc referantur exempla in quarto Præcepto, sub titulo, De proditoribus patriæ, expositа.

Sp. Tarpeij filia. Romulo regnante Spurius Tarpeius arci præerat, cuius filiam virginem aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, vt armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus, quæ in sinistris manibus gerebant: erant autem his armillæ, & annuli magno ex pondere auri: loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necauit: perinde quasi promissum, quod ea quæ læuis gestauerant, soluit. Absit reprehensio, quia impia proditio celeri pœna vindicata est. Valer. Max. lib. 9.

Seruius quoq; Galba summæ perfidiæ: Trium enim Lusitaniæ ciuitatum conuocato populo, tanquam de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, electa & armis exuta, partim trucidauit, partim vendidit: quo facinore maximam cladem barbarorum magnitudine criminis antecessit. Ibidem.

Cn. Domitius iratus Bituito Aruernorum Regi, per colloquij simulationem accersitum, hospitioq; exceptum vinxit, ac Romam naue deportandum curauit. Cuius factum Senatus neq; probare potuit, neq; rescindere voluit: ne remissus in patriam Bituitus, bellum reuocaret. Igitur eum Albam custodiæ causa relegauit.

Viriati cædes duplicem perfidiæ accusationem recepit in amicis, quod eorum manibus interemptus est: In Qu. Seruilio Cepione Consule, quod is sceleris huius autor, impunitate promissa, fuit: victoriamque non meruit, sed emit.

Carthaginenses erga Verum vt ipsum fontem perfidiæ contemplemur, Carthaginenses Xãthippũ Lacedæmonium, cuius optima opera primo Punico bello vsi fuerant, &

rant,& quo iuuante Attilium Regulum ceperant,simulantes sese domum reuehere,in alto merserunt. Quid tanto facinore petentes? an, ne victorię eorum socius supereſſet? Extat nihilominus, & quidem cum opprobrio, quem ſine vlla gloriæ iactura inuiolatum reliquiſſent. *Xantippum ingrati.*

Hannibal porro Nucerinos hortatu ſuo cum binis veſtimentis vrbem inexpugnabilibus muris cinctã egreſſos, vapore & fumo balnearũ ſtrangulando, & Aceranorum Senatum eadem ratione extra mœnia euocatũ, in profundo puteorum abijciendo,nonne bellum aduerſus populum Romanum & Italiam profeſſus,aduerſus ipſam fidem acrius geſſit? mendacijs & fallacia quaſi præclaris artibus gaudens? Quo euenit,vt alioqui inſignẽ nominis ſui memoriam relicturus:in dubio, maiorne, an peior vir haberi deberet,poneret,Val.lib.9.cap.6. *Hannibalis perfidia.*

Non tantum ingratitudinis,verum etiam perfidiæ crimen incurrit Romanus populus,cum Pub. Scipionem Africanum, deinde etiam Scipionẽ Aſiaticum optime de patria meritos,peculatus reos agerent. De quibus in quarto Præcepto, De ingratis.

Contra immortalis eſt gloria Fabricij,cum & proditorem perfidum, & proditionem auerſatus fuit. Cum enim Rex Pyrrhus populo Romano bellum vltro intuliſſet, cumq; de Imperio certamẽ eſſet cum Rege generoſo ac potente, perfuga ab eo venit in caſtra Fabricij, eique eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe vt clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum,& eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum, idque eius factum a Senatu laudatum eſt. Cicero tertio Officiorum. *Fabricij virtus.*

Sulpitium Rufum a Sylla proſcriptum ſeruus prodiderat. Proditor vt edicti fides extaret, manumiſſus eſt, protinus autem parto pileo cum illo ſcelere e ſaxo Tarpeio præcipitatus. Val.lib.6.cap.5.

Hadrianus Quartus malitioſis artibus & inſidijs Friderico Barbaroſſæ varijs modis exitium machinatus eſt. Poſt cuius mortem ſubornarunt Itali Morionem fictitiũ, Muſices peritum,a quo Imperator, niſi per feneſtram ſe in præterlabentem amnem præcipitaſſet, occiſus fuiſſet. Morio deprehenſus,per eandem feneſtram præcipitatus, gulam fregit. Hinc intoxicatorem Arabem, qui fræna, calcaria, annulos, nolas, & alia id genus infecerat veneno, vt ſolo contactu eum occiderent. Sed & is proditus ſuſpendio mulctabatur. *Hadrianus Quartus Pontifex.*

Idem Imperator cum aduerſus Agarenos,& Soldanum Ægypti Regem bellum magna virtute & gloria gereret: Pontifex Alexander Tertius, qui Hadriano maſca deglutita ſuffocato, immanior adhuc beſtia ſucceſſit, faciem eius a pictore coloribus expreſſam ad Soldanum,per ſecretum nuncium miſit,literisq; ipſum monuit,vt ſi quietus viuere vellet,illum per inſidias necaret. Soldanus acceptis his literis, cum expreſſa boni Imperatoris imagine,ſtuduit maligno huic mõſtro gratificari, & ſe vlciſci de aduerſario. Sed occaſio in caſtris aut conflictu nunquam obtulit ſeſe ad explendam proditionem Pontificiam. Cum vero potitus Hieroſolyma exercitum reduceret Cæſar,ſecurus partiebatur copias in ſuos ordines,vt eo commodius emenſum iter remetiri poſſent. In Armenia autem cum ſemel ex calore Solis, atque itineris difficultate æſtuaret, nihil eſſe periculi in ea nemorum ſolitudine ratus, cum paucis equitibus & ſuo ſacellano ab exercitu diſceſſit. Non admodum procul equo deſcendit,& vt ipſe cum ſacellano in amne lauaret, ad reſtinguendum corporis æſtum, equites iuſſit ab amne recedere. Ibiq; ſtatim benignus Imperator, equitibus ignorantibus, cum ſuo ſacellano, ab inſidiatoribus capiebatur, ac per nemora abducebatur ad Soldanum. Ad quem perductus Imperator ſimulauit ſe Imperatoris eſſe Oſtiarium. Soldanus de facie,ex imagine a Pontifice accepta,cognoſcens *Alexandri Tertij perfidia erga Fridericũ Barbaroſſam.*

gnoscens eundem illum esse, iussit simulachrum eius proferri, ac literas a Pontifice missas coram eo legi. Imperator ad istam proditionem obstupefactus, vidensque negationi non esse locum, fatebatur verum, & supplex misericordiam petijt. Soldanus autem, postquam de rebus multis cum eo colloquutus esset, atq; intelligeret ex eius dictis ac factis, virum esse optimum, in quo nullam virtutē desideraret bono Principe dignam, & cuius prudentiam, candorem, fidem, & integritatem admiraretur: cogitauit se ex eius dimissione plurimum sibi gloriæ & honoris comparaturum. Itaque conditiones ei pacis proposuit, atque vt numerata mulcta, obsides daret, humaniter obtulit: Illumque tandem ea lege dimisit, vt secum fœdera perpetuæ pacis sanciret, ac numeraret millies centum ducatos, relinqueretque obsidis loco suum illic sacellanum vsque ad solutionem. Vide Histor. Eccles. Caspar. Hedion. lib. 10. cap. 8. Variant circa hanc Historiam auctores. Vide Funccij Chronologiam, & librum quartum Chronicorum Philippi Melanchthonis.

Theodorus Santabarenus Monachus nomen nefarium. Leo Imperatoris filius Monachi præstigias auersatur. Monachi erga Leonē perfidia.

Cum Basilij Imperatoris Constantinopolitani filius Constantinus ex morbo obijsset, pater mortem eius grauiter ferens omni consolatione repudiata illum sibi viuentem offerri cupiebat. Fuit autem quidam Monachus Theodorus, cognomento Santabarenus, Imperatori ob summam de ipsius virtute persuasionem, vt etiam Miracula edere crederetur, familiaris, is fertur Imperatori defunctum filium ostendisse viuentem. Cum effecisset, vt Constantinus equo insidens patri occurrere videretur, quem cum amplexus & deosculatus esset, nō amplius viderit Imperator. Quo & alijs similibus factis Santabarenus Imperatore in admirationem adducto, effecerat, vt is totus ex ipso penderet, neque vlla in re ei diffideret. Sed Leo filius eius iam adultus, & Martinacij filia vxore ducta, a patre Imperator salutatus, Santabareno non delectabatur, sed eum venificum appellabat, & præstigiatorem, & Imperatoris deceptorem. His ille veluti spiculis quibusdam ictus, ad vltionem insurgit, simulataque erga Leonem beneuolentia: Cum sis, inquit, adolescens, Imperator, & patrem tum in venatione tum alibi comiteris, pugio etiam tibi ferendus est, quo & contra feram vtaris & patri porrigas, cum res tulerit, aut etiam insidiatores eius vlciscaris. Is dolo non animaduerso, pugionem, vt ille suaserat, in calceo fert. Eo pugione Santabarenus ad vltionem Leonis vsus, Imperator, inquit, filius tuus tibi insidiatur, indicio illud est, quod in venatu pugionem occultum gerit. His auditis, venatum exit BASILIVS, Leo patrem comitatur, inuentus est pugio in calceo Leonis occultatus. Visus est vera dixisse delator. Rei defensio non admittitur, ardet iracundia pater contra filium: in quodam Imperatorio cubiculo eum concludit, & vt quidam tradunt, ei oculos eruere in animo habebat, Santabareno ad id instigante, idque omnino futurum fuisset, nisi patriarcha & Principes Senatus multis precibus Imperatorem a sententia deduxissent. Et ira durat, Leo in custodia tenetur, lōgum tempus intercedit, donec Imperator quibusdam Senatorib. in conuiuio adfuit, id quod veteri quadam consuetudine certis temporibus fiebat. Erat autem in ijs ædibus, vbi cōuiuium agitabatur, psittacus in corte suspensus, qui, vt id genus auium ad imitationem prōcliue est, cum quendam continenter Leonem deplorantem, & appellantem audiuisset, vocem imitatus subinde clamabat: O Leo, Leo. Ex ea vocis voce conuiuæ occasione arrepta pro Leone deprecandi, e conuiuio surrexerunt, & oppleti lachrymis dixerunt: An non ista volucris nos accusabit, Imperator, cum ipsa dominum suum appellet, nos autem potentiæ tuæ epulis fruentes illius iam longo tempore inclusi obliuiscamur: O mitte iram Domine, contra illum conceptam. Deme illi custodiam, placa doq; eū ac potius paterno animo aspicito. His verbis ira mitigata Imper-

tor

tor, cum filio in gratiam redijt, dignitate pristina restituta. Zonar. lib. 3. annalium.

Cum Henricum Quartum vndique Pontificum exagitarent furię, domesticorum etiam perfidia & proditio ei negotium facesſebant. Regingerus siquidem ex Pontificis Episcoporumque instinctu Imperatorem Dominum suum fictis calumnijs aggrauabat, belli semina spargens inter ipsum & Rudolphum Sueuiæ Ducem, Bertholdumque Zaringiæ Ducē. Suæ autem proditionis pœnas dignas luit. Nam cum calumnijs suis fidē struere conaretur per singulare certamen, quod vel cum ipso Imperatore vel alio quouis, qui Imperatoris honorem tueri paratus esſet, initurum se gloriabatur, & iam prope Moguntiam in Rheni Insula certamini locus designatus esſet, diesque dictus, Imperatorisque partes tuendas suscepisſet Vlrichus a Cosheim: Regingerus proditor, & sycophanta cum iam prælium meditaretur, furore correptus est Satanico, & intra paucos dies extinctus. Iob. Fincel. lib. 2.

Regingerus Imperatoris proditor.

Circa annum sexagesimum supra milleſimum ducenteſimum Episcopus Colonienſis ciuium libertati insidiatus, varias inibat rationes ciuitatem priuilegijs spoliatam sibi subijcere. Eodem tempōte duo Canonici catulum leonis in honorem Episcopi educabant, cumque æstuarent odio aduersus Consulem ciuitatis Hermannum Gryn, sub prætextu amicitiæ eum ad prandium inuitarunt, venientemque honoris & delectationis gratia ad lustrum leonis famelici deduxere, incautumq; & nihil tale meuentem subito impulsu leoni obiecere. Consul in quo versaretur periculo intelligens, ilico sinistram pallio inuolutam rictui bestiæ adsilientis immisit, dextra autem bestiam iugulauit, incolumisque inde euasit. Missis deinde lictoribus duos illos Canonicos comprehedit, & ad trabem iuxta Cathedrale monasterium suspendit.

Duorum Canonicorū erga Consulem Coloniē sem perfidia

Cum armis dimicarent pro possessione Ducatus Limburgensis, Dux Brabantiæ, & Comes Geldriæ, victoria tandem penes Ducem Brabantiæ stetit, captusq; fuit Episcopus Colonienſis, qui Duci Geldriæ tulerat suppetias, septemque annis apud Comitem Montensem in captiuitate detētus fuit. Tandem cum per omnia votis Comitis respondisſet, liberatus est Episcopus, qui ad sua reuersurus rogauit Comitem, vt ad vicum vsq; Tuitionem e Regione Colonię in Rheni ripa situm se comitaretur. Quod officiū cū haud grauatim Episcopo Comes Montēsis præstaret, Rhenumq; cum eo traijceret, ingens equitatus ex fraude Episcopi latēs subito in Comitem impetum fecit, captumque ex iussu Episcopi abduxit, qui eum in vinculis ad dies vitæ detinuit, quin & ferream illi caueam parauit, in quā melle prius inunctam æstiuo tempore miserum Comitem vestibus spoliatū intrusit, vt a muscis & vespis punctus cruciatus sæuiores sustineret. Quæ crudelitas num digna Episcopo fuerit, alij iudicent: Quæ enimhic præcepti illius habetur ratio, quo Christus mandat, vt inimicos diligamus, ijsque benefaciamus?

Colonienſis Episcopi erga Comitem Montenſem perfidia & crudelitas.

Cum de Henrico Ottonis Saxonię Ducis filio, qui Auceps postea dictꝰ fuit, e medio tollendo cōsilia agitaret Rex Conradus, visus est ei ad hanc rem maxime idoneus Moguntinæ sedis Episcopus, Hatto, cuius consilio & Adelbertus Babēbergensis deceptus est. Hic prędictum Ducē aggressus dolo, torquem aureū ei fabricari iussit, eumq; ad conuiuiū vocauit, quippe quem sub prętextu amicitiæ magnis muneribus ornaturus esſet. Interea contemplandi operis gratia ad aurificem Episcopus contendit, visoq; torque ingemuit. Gemitus catſam cum aurifex requisiuisſet: respondit, dolere se, quod optimi sibique chariſſimi viri Ducis Henrici sanguine torques ille intingendus esſet. Aurifex audita silentio texit, operęque perfecto & reddito, obuius Duci Henrico factus, quæ audiuisſet exposuit. Qui-

Hatto Moguntinæ sedis Episcopus.

bus ille auditis vehementer commotus Episcopi legatum vocat, qui iam pridem inuitandi eum gratia aderat, & ait: Vade, dic Hattoni, quod durius collum non gerit Henricus quam Adelbertus, quodque consultius nobis videtur, domi sedere & de eius seruitio tractare, quam comitatus nostri multitudine eum grauare. Et statim reuersus omnia quæ iuris ipsius erat, in Thuringia & Saxonia occupauit. Hatto Episcopus videns sua consilia detecta, tristitia ac morbo pariter non post multos dies confectus interijt. Fuerunt qui dicerent, quod fulmine tactus eiusque ictu dissolutus, post tertium diem defecisset. Anno Domini 917. Chron. Abb. Vrspergens.

Fridericus Romanorum Imperator, quum Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ Regem educaret, non defuerunt, qui perdendum suaderent puerũ, cuius vita ingẽtes molestias Cæsari, mors regna & opes allatura esset. Ad quos ille: Ergo me, inquit, opulẽtum magis Regem, quam pium, quã iustum cupitis. At ego iustitiam bonumque nomen diuitijs cunctisq; rebus antepono.

Sura Thracius.

Nerua Cocceius Princeps iustus & beneficus fuit, iniuste damnatos sub Domitiano restituit, & Sycophantas quosdã occidi iussit, inter quos fuit & Sura Philosophus.

Leonem Thracium suis potissimum suffragijs ad Imperatoriam dignitatem euexerant Aspar & Ardaburius, qui quanquam Gothi erant, & Arriani, tamen inter patricios asciti fuerant. Verum iidẽ postea Imperatoris vitæ insidiabãtur, dicentes, Φάσωμεν τὸν λέοντα πρὶν ἡμᾶς φαγεῖν. Itaque iussu Leonis interfecti dignas suæ proditionis & perfidiæ pœnas luerunt. lib. 3. Chron. Philip.

Godebertus. Bertarius. Grimoaldi perfidia.

Ariberto nono Longobardorum Regi successerant duo filij Godebertus regnans Ticini, & Bertarius Mediolani: Orta autem inter fratres discordia, Godebertus accersit Grimoaldum Ducem Beneuentanum, vt haberet auxilia contra fratrem: Grimoaldus veniens Ticinũ, perfide Godebertum, cui auxiliaria arma promiserat, & eius filium interfecit, & sese Regem Longobardorum fecit. Bertarius fugit primum ad Chaganum Regẽ Hunnorum, postea ad Regem Francicum Dagobertũ, & abfuit exul, donec regnauit Grimoaldus, annos nouem. Inusitato autem mortis genere perijt Grimoaldus, suæ perfidiæ & impietatis, quam erga Ariberti filios exercuerat, pœnas pendens. Nono enim die, posteaquam Medicis curantibus, in lacerto venam aperuerat, cum arcu columbam peteret, aperta repente vena, tantum effudit sanguinis, vt cum sanguine vitam quoque ageret.

Non ingratum modo, sed etiam perfidum erga Cunibertum Duodecimum Longobardorum Regem se præstitit Alachisus Dux Tridentinus. Eum enim cũ Bertarius Cuniberti pater interfecturus esset, seruauerat Cunibertus, quem ille postea regno eiecit. Cum autem crudelitatem in Sacerdotes exerceret Alachisus, reducitur Cunibertus, & cum prælio Alachisum vicisset, caput & pedes ei præcidit.

Adalgisij erga Imperatorem perfidia.

Ludouicus Secundus filius Lotharij, statim vt a patre fuit ascitus in societatem Imperij, cum exercitu descendit in Italiam, profligaturus Saracenos ex agro Beneuentano, contra hos dimicauit fortiter ac fœliciter, auxilio potissimũ fratris Lotharii: sed exercitu magna ex parte peste & alijs morbis absumpto, defensione Beneuẽti commẽdauit Adalgisio Longobardo, Salerni Principi, qui Imperatore absente Græcorum promissis illectus, desciuit ad Græcos cum omnib. Samnii, Campaniæ, & Lucaniæ oppidis. Hanc perfidiam Ludouicus vlturus rediit in Italiam, & receptis oppidis, quæ defecerant, Capua vero quæ repugnabat, ad deditionem ad-

acta

acta, ab Adalgisio fraude circumuentus iurauit, se nec Beneuentū vnquā venturum, nec perfidiam vlturum: sed absolutus a iuramento auctoritate Pontificis Iohannis, Adalgisio fuga elapso in Corsicam insulam, de socijs Adalgisij supplicium sumpsit. Chron. Philip. lib. 4.

Manuelis Comneni perfidia.

Manuel Comnenus Imperator Constantinopolitanus, Princeps infid' & perfidiosus, Cunradum Sueuum Imperatorem cum ad fœdus & amicitiā inuitasset propter affinitatem pollicitationibus blandissimis, postea fiducia amicitię securius se transmisso Hellesponto Asiæ committentem, insigni perfidia pene grauius hostibus ipsis afflixit, ferro, fraude, & veneno exercitū depopulatus. Magnam enim partem eius perdidit, submissis panibus, qui parati erant ex farina infecta cōmoliti gypsi tenuissimo puluere. Huius perfidię pœnas Rogerius Siciliæ Rex bello persequutus, Corcyra, Ætolia, Acarnania, Corintho, & Acrocorintho, partim vi, partim de ditione captis, atque direptis, classem Regiæ vrbi admouit, & impetu in eam facto suburbia flammis iniectis exussit, ægre sese cum Imperii titulo intra mœnia Imperatore conseruante. Huius Manuelis Comneni supra etiam facta mentio in quinto Præcepto de Tyrannis.

Arrianorū aduersus Athanasium calumniæ.

Athanasium (de quo etiam supra) non vitæ sanctitas, non doctrina protexit, quin apud Constantium Augustum a multis Episcopis Arrianis ceu Magus atque veneficus accusaretur: nam cum insuper adderetur, ab eo mutilatum brachio Arsenium, vt ex eo veneficia conflaret, conuocato Tyri concilio, ostensoque Arsenio incolumi, tamen non effugit, quin iudicum odio atque iniquitate damnatus, per totum Orientem persecutionem pateretur. Campofulg. lib. 8. cap. 1.

Britius Turonensis Episcopus.

Similem iudicum peruicatiā Gallia in Britio Turonensi Episcopo perspexit. Nam cum eius serua peperisset, Britio partus crimini dabatur. Quā quam ad purgandam eius innocentiam, adiuratus infans, qui nōdum trigesimum excedebat diem, plane Britij crimen, ortum suum non esse respondisset. Id enim culpæ suspicionem auxit, siquidem prēterea Magum esse eum insimulabant: illud quoq; ad purgandam suspicionem non valuit, quod ignes illæsa veste deferret. In exilium enim actus fuit. Sed postremo innocentiæ locus fuit, cum iam duo ei successissent Episcopi: nam septimo anno post restitutus fuit.

Clericus ob sorore damnatur.

Iuuenis Arrasiensis clericus, cuius in deterius ibant mores, cum domi suæ hominem occidisset, vna cū sorore eum sepeliuit, re detecta ad supplicium deducebantur damnati, vt ambo viui cremarentur, qui in eo confessi, Christiano more fateri crimina sua, & a Deo veniam petere voluerant. Soror quæ innocens eius criminis erat, cum fratre collachrymabatur, quod innocens comburi deberet. Itaq; cum iam supplicii instaret, & diuinitus monita lustrare animam confessione decreuisset, fratri, vt idem faceret, suadebat, sed frater prorsus rem abnuebat. Ipsa igitur sola Ecclesiastico Sacramento satis fecit: cum autē intra pyram vna ducti essent, vt combureretur, quia iustiora Dei iudicia sunt quam hominum, Deo ita agente succensa pyra, clericum solum, incolumi atque ex omni parte illæsa sorore, combussit.

Soror Clerici innocēs diuina bonitate seruatur.

Gangolphi Burgundionū vxor.

Quemadmodum vitæ suæ atque famę innocentiam Tucia prodigio defendit, dum perfosso cribro e Tiberi aquā tulit: Ita Kunigunda Augusta Henrici primi coniunx falso adulterii insimulata, innocentiam suam purgauit: quin etiam se Veneris nesciam probauit, cum quindecim passus super candens ferrum nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset. Gangolphi autem Burgundionis vxor, adulterio commaculata, cum probare vellet innoxiam se esse, in frigido fonte demersa manu adiurauit, ne eam sine prodigij specie, si culpam ferret, inde posset leuare: mira, & a Deo res facta fuit, cum a fonte manum tolleret: deiccatam extraxit, non aliter

quam si in medijs eam ignibus tenuisset. Itaque ob prodigium a viro separata fuit. Ibidem.

Architas dicebat: Quemadmodum, si etiam summam diligentiam adhibeas, tamen piscem sine spinis non inuenias; Sic neq; hominem inueniri posse, qui non dolosum spinosumque quiddam habeat admixtum. Ælian. lib. 10.

Cõradi Sueui conatus pulcherrimi perfidia amicitiam simulantiũ impediti.

Anno quadragesimo octauo, supra millesimum cẽtesimum, Conradus Sueuus Imperator copias in Palestinam duxit, vt Hierosolyma, vicinasq; regiones e Saracenorum Turcarumque tyrannide liberaret, Christianoq; orbi recuperaret, sed euentu parum prospero. Perfidia enim Imperatoris Orientalis grauissimas clades perpessus est, qui exercitum eius pene grauius hostibus ipsis afflixit, ferro, fraude, & veneno eum depopulatus. Magnam enim partem eius perdidit, submissis panibus, qui parati erant ex farina infecta commoliti gypsi puluere. Verum superatis ijs difficultatibus in Palæstinam delatus, maximis ibi rebus interfuit & præfuit. Infeliciter autem tentata oppugnatione Damasci, vna cum Ludouico Fracorum Rege, & Balduino Hierosolymitano, domum re infecta redijt. Non solum autem sceleratam Orientalis Imperatoris Manuelis Comneni experta est perfidiam, sed etiam in oppugnatione Damasci Assyrij cuiusdam sceleris & proditione in extremas deductus fuit angustias. Nam cum difficillima esset vrbis expugnatio, Christiani, vt hostes aquarum penuria ad deditionem cogerent, omnes aquarum ductus in ciuitatem labentes alio deriuabant, & iam victoriæ spes aliqua affulgebat, cum Assyrius quidam, qui Balduino alias fidelem semper locarat operam, pecunia corruptus, auctor est Regibus, vt motis castris ex alia parte, vbi faciliorem fore vrbis expugnationem ostendebat, ciuitatem obsiderent. Reges Assyrio fidem habent, eius obtemperant consilio, moxq; in eas ipsi rediguntur angustias, in quas ante Damascenos redegerant. Sic optimi optimorum Principum conatus ex perfidia & proditione eorum qui fidem & amicitiam simulabant, in nihilum rediere.

Imperator Philippum Austriacũ dolo superat.

Anno sexagesimo quarto supra millesimum trecentesimum, in bellum exarserant Carolus quartus Imperator, & Philippus Dux Austriæ. Instructæ iam vtrinque erant acies, cum armis suis diffidens Carolus, (nam suis & maiores & instructiores Philippi Austriaci copias esse animaduertebat) rem astu aggressus est, memor præcepti illius, assuendam esse pellem vulpinam, vbi leonina desit. Tres itaq; ferierũ ductores ex Ducis Philippi exercitu clam ad se accersitos grandibus promissis muneribus impellit, vt Duci Austriaco qua possint arte timorem injcerent, eumq; ad fugam capessendam hortarentur: Accipiunt illi conditionem & in castra sua reuersi apud Ducem suum simulant, se clam hostium castra obijsse eorumq; copias explorasse, quas triplo maiores suis copijs esse offendissent, quod si prælio decernẽdum sit, sibi omnibus, inquiunt, internecinam cladem imminere. Dux perfidiæ eorum ignarus, Si nullam, inquit, in nostris armis spem habetis, nec alia modo nisi quam fuga monstrat nobis salutis sese exhibet ratio, agite fugæ occasionem, quæ se commodissima offeret, arripiamus, aliamque fœliciorem belli fortunam expectemus. Nec enim decorosa iudicari poterit fuga, qua longe potentiori cedimus. Hunc ad modum deceptus suorum perfidia Dux Philippus, noctu collectis armis nemine persequẽte fugit, & in suam terram retrogressus est. Promissa deinde munera cum ab Imperatore peterent tres illi proditores, Imperator numerari illis iussit adulterinam aureorum monetam, quæ in valore vicesimam non haberet. Quibus illi acceptis, nec fuco intellecto, læti discessere. Et iam expendere conati deceptos se esse animaduertunt, reuersi itaque ad Imperatorem, quæstorem, & monetarium, quorum fraude mone-

Proditores adulterinã pecuniam præmij loco accipiunt.

tam

tam accepissent adulterinam, incusant. Quos Imperator auersatus vultu ad grauem indignationem composito: Apagite, inquit, hinc proditores sceleratissimi, merita proditionis, nisi statim ex oculis euanescatis, accepturi præmia. Nec enim alio auro quam adulterino vestra digna est perfidia. Quibus verbis confusi proditores, ex omnium oculis in latibula abierunt. Albert. Crantz. lib. 9.

Anno Christi quadragesimo octauo supra millesimum, trecentesimum, Henricus cognomento Ferreus, Comes Holsatiæ, apud Regem Angliæ ob heroicas virtutes, & fidelissimam, quam illi multis annis nauarat operā, in summo habebatur precio. Angli inuidiæ agitati stimulis, indignabātur exteræ nationis hominem indigenis præferri. Itaque varias ex insidijs aduersus eum torquebant machinas, sed sua ille industria & arte omne superabat periculum. Nam & virtus & prudentia, quæ in ipso peculiaris erat tum militare robur, inprimis autem Deus ipse, qui generosam animi magnitudinem innocentiamq; tuetur & adiuuat, eū facile ex insidiantium manibus liberabant. Angli quidem nouas quotidie ad regem querelas de ipso deferebant, rex autem maleuolentiam eorum facile agnoscens, eas omnes repulit. Tandem cum rex grauioribus occupatus negotijs peregre profectus esset, curamq; arcis & Reginæ & Comiti Henrico commisisset: ibi ex regis absentia arrepta occasione sycophantæ aulici, varijs criminationibus in odium vocare Henricum apud Reginam conati sunt, Ignobilem, inquiunt, istum Saxonem plurimis illustrissimo natis genere in Anglia rex noster prætulit, non sine graui & gentis & patriæ nostræ dedecore. Qui enim adduci possimus vt credamus nobili eum prognatum genere, qui tot annos in alieno se patiatur detineri seruitio? Cumq; Leo in Regia alerētur, qui credebatur, eos, qui de nobili essent prosapia, dignoscere, illisque parcere, suggerunt Reginæ, vt per Leonem illum nobilitatis Henrici istius periculum faceret. Solebat autem Comes Henricus ante lucem auras captare, & intra arcem obambulans scrutari portarum claustra. Quæ comitis consuetudo cum aulicis non ignota esset, nocte quadam non sine consensu Reginæ Leonem e cauea emittunt: Mane insidiarum nescius Comes de more amictus pallio, manuque tenens gladium in arcis aream descendit, protinusque rugientem leonem obuium sibi habuit, quo ille conspecto stetit impertritus, Quiescе inquiens, quiesce ferox canis. Ad durius hoc verbum leo pedibus eius prosternitur. Quod non sine summo stupore & dolore clam in senestris latentes aulici harum insidiarum auctores obseruabant: Comes vero leonem obsequentem & mitem in caueam reduxit.

Henricum Holsatium Leo nobile agnoscit.

Ferunt alij stantem aliquando ad cancellos leonis cum Anglicis Henricum dixisse: Agite si quis ex vobis illustre stemma iactitat, meum is factum sequatur, quibus dictis ad leonem ingressus crinale suum ei imposuit, rursusq; haud respiciens, incolumis inde egressus est, leone ipso ob virtutem eius obstupescente. Ibi denuo nobiles istos Anglos affatus Comes, Si quis, ait, ex vobis est, qui in sua ausit nobilitate confidere, is referat crinale, quod intuli. Illi rubore suffusi abierunt. Tandem cum nullum insidiarum & maleuolentiæ modum esse Comes animaduerteret, a rege dimissionem petijt, Nequaquam, inquiens, sperassem, rex serenissime, me ob locatam tibi operam, fidemq; tibi præstitam, a canibus tandē hinc eiectum iri. Cum itaq; intelligam ieiunos omnino maleuolentia Anglorum esse animos, consultissimum esse duxi, eorum furori cedere. Rex cum frustra eum varijs oblatis conditionibus retinere studeret, magno donatum auro ad sua remisit. Albert. Crantz. lib. 9. cap. 24.

Simile in Curia Matthiæ regis Hungariæ cum leone accidisse ibidem refert Crantzius.

Erat Polonus, inquit, regi militans, viribus insolens, & qui iactanter sæpe Hungaros ad luctã, ad pugnam, ad hastã euocaret, multosq; sæpe vicisset, sed iactantia fecit illum odiosum. Stabat in ferratis claustris immanis leo, Quis est, inquit, Polonus, qui famelico leoni ausit carnem auferre, quã ore comprehenderit? Quum nemo præsumeret, Cernetis, inquit, quod dico. Illi fame per diem excruciant leonem: postera die quem proiciũt quadripartitam. Leo immurmurat apprehensæ carni incubans: Polonus ingreditur, & leonem iã vorantem diuaricatis cruribus includit, pugno ferit in os, dicens, Offam dimitte canis. Vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemq; visu solo sequitur. Audax facinus, quum ad regem perferretur, non probauit, euocatumq; Polonum pro more donatum domo sua iussit excedere, vt qui venalem ita vitam circumferret, non necessario, sed ad iactantiam obijciens se periculo: quid non ausurum, proposito præmio?

Anno Christi sexagesimo quarto, supra millesimũ trecentesimum, ciues Magdeburgenses perfidiæ seditionem miscentes, Episcopum Burchardum, virum optimum, innoxium interfecerunt. Decanum, cum vocatus coram Senatu non appareret, nouo exemplo per lictores & carnifices raptatum carceri incluserunt, perpetuoq; deinde multarunt exilio.

Nec minor sæuitia & perfidia fuit Barlinensium ciuium, quam erga Theodorici Archiepiscopi Magdeburgensis Cancellarium exercuerunt, qui cum Ducem Saxoniæ sequutus, in palatio Principis mensæ assideret, ciues magna vi & sæuitia vsi, irrumpentes, pertractum inde per lictorum turbam ad supplicium publico percusserunt gladio, non ob aliam causam, nisi quod ante paucos dies ingressurus balinium obuiam sibi matronam humaniter salutasset, eamque familiariter per iocum inuitasset, vt secum balneo vteretur, quod cum illa negasset, cum risu iocabundus eam dimisserat. Hanc tam atrocis pœnæ causam habuit plebs insana, quæ furibundo impetu, cum viribus munita est, per fas & nefas cæca ruit. Crantz. lib. 9. cap. 35.

Nicostratus Argiuorum Imperator, cum ab Archidamo multis præmijs pollicitationibusq; ad proditionem tentaretur, respondit, Archidame, te ab Hercule genus non ducere satis intelligo. Hercules enim malos pœna affecit, Archidamus vero eos, qui probi sunt, malis afficere solet. Notans his verbis, Archidami fraudes, qui proditionem hostibus imponere tentabat.

Æsopus insons præcipitatus.

Æsopus Phrygius fabularum scriptor, cum Delphos veniisset, a maleuolis hominibus furti accusatus est, scelerisque per proditionis scelus innocens ipse conuictus (Nam argenteam phialam in supellectili eius absconderant) & de rupe præcipitatus est. Plutarch. de sera numinis vindicta.

Quærebatur aliquando ex Martino Luthero, si quis in sacra peccatorum confessione homicidium a se perpetratum Sacerdoti confessus esset, idem deinde si per alios ad Magistratum dimanaret, Sacerdosque vt testis adhiberetur, num teneatur tum Sacerdos, id quod per confessionem dicisset, reuelare? Respondit Lutherus, Nequaquam, quæ enim Sacerdoti hoc modo reuelantur, non ad politicum, sed ad diuinum tribunal pertinent. Nec enim peccata sua Sacerdoti, sed Christo peccator confessus est. Et vere Sacerdos dixerit, Non se, sed Christum cõfitentis peccata audiuisse. Addebat & hoc exemplum de muliere quadam & Monacho: Apud Venetos mulier quædam iuuenem, cum quo rem habuerat, clam interfectum in aquas abiecerat, deinde peccatum suum Monacho confessa, ab eo schedulam in testimonium absolutionis petijt; quam cum ei tradidisset Monachus, nihilominus deinde pecunia corruptus eam prodidit. Mulier deprompto absolutionis ab ipso Monacho sibi communicatæ testimonio se excusauit. Sententiam itaque tulit Senatus, qua ignis supplicio

Sacerdos prodit quæ in confessione audiuerat.

addixit Monachum, mulierem vero exilio mulctauit. Quod Senatus prudentissimi iudicium Lutherus eximiis ornauit laudibus.

Non virtute & armis, sed proditione Harminium Romani vicerunt. Harminius iste Dux Gheruscorum & Lõgobardorum, vt Velleius narrat, id est, harum regionum inter Albim & Syluam Hirciniam, quæ nunc proprie nomen habent Saxoniæ, seu regionis Meideburgensis, Goslariensis & Brunsuicensis, deleuerat tres Romanas legiones. Quintilius Varus dux earum sibi ipsi mortem consciuit. Romæ ideo tanta consternatio fuit, vt Augustus sæpe exclamaret: Quintili redde legiones, quia metuebant Harminium recta in Italiam transiturum esse, vt olim Cimbri fecerant. Sed arte repressus est Harminius, quia aduersus eum vicini cõducti sunt, ab altera parte Boiemi, ab altera Sueui. His hostibus domitis, creuit Harminij potentia, cum iam teneret has regiones cõtinuas, quæ nunc nominantur VVestphalia, Harcinia. Saxonia, Marchia, Missnia, & Bohemia, quarum, si sint coniunctæ & concordes, magnum robur esse manifestum est. Cum autem annos 12. post deletas Quintilij legiones patriam & vicinas regiones victor tenuisset, & non solum virtus eius, sed ætas etiam formidabilis esset, dolo Tiberij Imperatoris cognati ipsius conducti, domi eum interfecerunt. Et narrat Tacitus interfectum esse anno ætatis 37. Fuit igitur singularis naturæ præstantia, cum iuuenis res tantas gesserit. Tantum enim triennio superauit Alexandri ætatem. Chron. Philip. lib. 3.

Romani proditione & perfidia Harminiũ perimunt.

Qua perfidia quibusque criminationibus, calumnijs, & proditionibus Pontificum rabies in Imperatores virtutibus animi & pietate illustres sæuierit, nemini ignotum est, nisi qui nullas vel Imperatorum vel Pontificum historias perspectas habet.

Fuit Philippus Imperat. natura bonus, sapiens, moderatus, acer, & magnanimus Princeps. Conatus autẽ eius optimos Põtificię furię nouis semper criminationibus, & perfidia impedierunt, nouisq; semper bellis ciuilibus inuolutum diuexarunt. Tandem superatis maximis difficultatibus, & rebus qua potuit arte & virtute compositis, Imperator Bambergam cu randi corporis causa secessit. Ibi cum die quodam phlebotomia medicationis causa vsus, semotis cæteris, cum vno Henrico Druchesio VValpurgẽsi hilarioribus colloquiis se inuitaret, Otto VVitelbachius cognomento Iunior, frater illius qui a Friderico Bauariam consequutus erat, in conclaue dolo dissimulato ingressus, occasione captata ex improuiso pugionem, quem sub veste occuluerat, in iugulum imperatoris adegit, ex quo vulnere mortuus est. Parricida auxilio Ecberti Episcopi Bambergensis, & fratris eius Henrici Andechsiani Histriæ Marchionis filiorum Bertholdi Ducis Meraniæ elapsus, tandem ab Henrico Calarino Marescallo trucida tus est. Causa cædis hæc fuit: Imperator Ottoni spem fecerat de nuptijs filiæ Cunigundæ, hanc postea mutata voluntate dedit in vxorem VVencesłao Ottocari Boëmici regis filio, quod Otto propter iniustam cædem in magnam incurrisset infamiam, & Imperator duceret indignum filiæ nuptijs eum, qui iniusta cæde pollutus, & humano sanguine conspersus esset. Dissimulauit dolorẽ Otto, donec vlciscendæ contumeliæ occasiones opportunas consilio & ope Episcopi Bambergensis arripuit. Anno Christi 1208.

Philippus Imp. ab Ottone VVitelbachio perfide interficitur.

Constantinus Magnus Princeps fuit iustus & seuerus, sed domesticas duas calamitates insignes habuit, Filium præstantem virũ Crispum natũ ex prima coniuge Mineruina, quem iam Cæsarem nominauerat, falso accusatum a nouerca, interfici iussit. Fuit autem nouerca Fausta, filia Maximiani Herculei, quæ ad suos filios transferri imperiũ volebat. Postea Constantinus deprehensa calumnia, & coniugem Faustam in balneas ardẽtes coniectam iussit necari, Chron. Philip. lib. 3. Chron. Abbat. Vrsperg.

Fausta Constãtini vxor

Ouo Hungarorũ rex.

Circa annum 1044. electo propter tyrannidem rege Petro, Ouonem hominem confidentem, & irrequietum sibe regem constituerunt Hungari. Petrus exul ad Imperatorem Henricum confugit. Ouo interim contia pacta & fœdera clam conscriptis copijs, hostili agmine Boianiam inuadit, incolumiq; exercitu cum ingenti præda, & captiuorum numero in Hungariam reuertitur, interim non expers cladis ab ea parte, qua fulminam rerum ducibus commiserat. Ab his principijs, cum & Boiorum & Hungarorum irritati essent animi, proditionis occasionem duo germani fratres Bernulphus & Machthunus Boij hanc arripuere. Erant duo isti obscuris crepundijs apud Boios occidentales Reginoburgij orti, verum per nefas fasq; ditati ingentes cumularant opes, in aulamq; freti auctoritate fratris sui Nitgeri Episcopi Fruxinensis irrepserant. Et vt natura mortalium auida potentiæ, & splendoris, præceps est ad explendam animi cupidinem, iuxta quam cuiquam imperito credibile sit; ambitæ præfecturas (quod tum eis per nobiles nondum licebat) frustra cœperunt. Proinde ab Vngaris id ipsum se assequuturos sperantes, clam Ouonem literis hortantur, vt simulata pactorum solutione, Henricum cum paucis aduenientem fiducia pacis, circumueniat, nihil mali suspicantem obtruncet, regnum Boiorum inuadat, se Reginoburgium tradituros: sin illic non veniat, nihilominus Boiariæ arma inferat, suum studium, suam operam offerunt. Ouo literis acceptis ipsos callaudat, præmijs onerat: alteri ducatum, alteri præfecturam Boiorum promittit, in cœptis perseuerare hortatur. Illis iuxta impensius, quam exigebatur, operam promittentibus, eorum consilia exequi studet. Verum domestica seditione afflictus ab incepto supersedere coactus est. Qua sopita cum semel cœptam proditionem persequi studeret, ab Imperatore victus, fuga salutem sibi quærere coactus est. Restituto deinde in regnum Petro, Ouo ab omnibus desertus, communi sententia Hungarorum & Boiorum condemnatus, supplicium capite luit. Bernulphus quoque, & Machthunus, proditis eorum consilijs, fidei quam violarunt, meritas pœnas soluerunt, cruci ex Imperatoris mandato affixi. Auentinus lib. 5.

Manuel Imp. insidijs suorum petitur.

Manuale Cõstantinopolitano Imperatore circa partes Antiochiæ contra Turcas cum exercitu morante, vnus de seruis Palatij, Caniclinus videlicet, quem nos cancellarium dicere possumus, Principi suo fraudem molitus est. Tres siquidem audaciſſimæ temeritatis iuuenes, infinita corruptos pecunia, ad occidendum Imperatorem pellexerat. Ipseq; statuta die, quando id facinus patrari debuerat, ad occupandum apud vrbem simul cum Imperiali palatio imperium magnis instructus copijs præstolabatur. Tantum regis periculum cum Imperatrici per occultum indicem reuelatum fuisset, illa magnitudine sceleris perterrita, quam velociſſime marito proditionem significat. Sicq; detecto dolo comprehensis sicarijs præuento criminis auctore & capto, de omnibus condigna sumuntur supplicia. Caniclinus etenim primo effossis oculis, lingua perforato gutturi transmissa, sine miseratione miserabili morte vitam finiuit. Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici Primi, lib. 1. cap. 47.

Proditorum pœna immanis.

Obsidentibus Albam Græcam Turcis milites quidam de vrbe tradenda, auri spe facta, consilium cepere. Eos Paulus Kinisius, in ferioris Hungariæ præfectus, comprehensos, se mutuo deuorare coegit, singulis diebus singulos assos socijs apponens. Qui ordine vltimus erat, famis rabie seipsum dentibus laniasse fertur. Bonfin. lib 3. Decad 5.

Anno 1471. Mahometes Secundus Eubœam Insulam, quam Nigropontem hodie vocant, Chalcidemq; ciuitatem, ex proditione Thomæ cuiusdam Liburnici occupauit. Horribiliter in ea vrbe sæuitum est, ne vllus Italorum & Venetorum (sub quorum imperio insula fuerat) qui annum

vicesi-

vicesimum attigisset, seruaretur, sed omnes palis infigerentur: Græcos vero omnes sub hasta vendi præcepit. Irritatum enim clade suorum fuisse constat, cum supra quadraginta millia hominum diuersis circa mœnia prælijs amisisset.

Proditioni affinis est calumnia, quę multos præclaros viros in extremũ vitæ discrimen conjecit, vt aliquot exemplis ostensum est.

Memorabilis est vox Thamidæ cum gladium cote acueret, rogatus a quopiam, num esset acutus? Acutior, inquit, calumnia: grauiter innuens rem omnium rerum nocentissimam esse calumniam.

Medius ex Alexandri pæasitis vnus solebat alios adhortari, ne meruerent quoduis crimen in quemuis intendere. Adiecit scelerato præcepto causam appositam. Vt maxime inquit, sanet vulnus qui delatus est, manet tamen cicatrix. Non arbitror (inquit Erasmus) quęquam esse diabolum tam impium qui rem magis nefariam possit suggerere. Et quo mœdius est crimen, hoc tenacius hęret apud multos criminis suspicio, vel in innocentissimum.

Cum Philippus Melanchthon ab Eobano Hesso peteret, vt carmẽ optimum de re pessima scriberet, scripsit carmen omnium pulcherrimum de Calumnia, quod vt habere potuimus, subnectere hic visum est.

Dicere quos habeat vesana calumnia mores,
Me breuibus numeris docte Philippe iubes.
Obsequor, & merito, quis enim tam recta monenti
Non etiam iustas pareat ante preces?
Sed breuibus numeris, & paruo carmine dici
Tanta lues nulla conditione potest.
Interea Solymi requiescant carmina vatis,
Dum canitur Musis Eumenis ista meis.
Pinximus hanc olim dum nos populosa tenerez
Subdita Sarmaticis Trussia sideribus.
Hac vulgata suas pinxere volumina frontes,
Nec tanti lateat clausa figura mali.
Pinxisti hanc celebri Pegnesidos vrbis in aula,
Nuper honor patriæ Pyrgicamere tuæ.
Pinxerat ipse suis hanc nuper in ædibus omni
Sturtiades nobis digna honore cani.
Sed tamen inuentor quis primus imaginis huius
Extiterit, forsan, quem fugit, ille roget:
Cous apud Regem falso accusatus Apelles,
Indignum tabula vindice pinxit opus.
Considet in solio velut rex, auribus amplis,
Videris, auritum dixeris esse Midam.
Hic est ille Midas, quem falsa Calumnia verbis
Auersum vero credere falsa facit.
Huic geminæ adsistunt dextra lęuaq; puellæ,
Consona quæ propriis nomina rebus habent.
Prima loco molam tenet Ignorantia mentem,
Altera Suspicio credere falsa docet:
Tum velut Alectus armata Calumnia flammis,
Insontem tacita circuit arte virum.
Circuit & captum rapit ad regale tribunal,
Et sontem falsi criminis esse facit.
Hanc ternæ comites a tergo pone sequuntur,
His sua pro rebus nomina conueniunt.

Inuidia siquidem compulsa Calumnia fraudem
Aduocat, hæc tacitas excitat Insidias.
Hæc sunt arma quibus miseros male perdit Erinnys,
Qua furiosa nihil tartara peius habent.
Tost Metanœa sequens tristi circundata palla,
Quod cito crediderit pœnituisse docet.
Namq; vbi de tenebris emerserit Alethea,
Omnia, ceu tenebras, discutit orta dies.
Hactenus expressa est depicta causa tabella,
Si capere immensum parua tabella potest.
Nam quis in explicitæ queat omnia nomina pestis
Edere? quis varias explicuisse vices?
Quæ tot imaginibus, tot deformata figuris,
Totius immensas obsidet orbis opes.
Quot nec Apelleam poterit manus vlla per artem,
Dædala nec Rhodij pingere cura senis.
Nam quos non aditus, quæ non subit atria Regum?
Quæ fora, quæ non hæc limina pestis adit?
Repti & occulto subit in penetralia lapsu,
Et nisi principibus non amat esse comes.
Raro etenim vulgo plebeias occupat aures,
Et minus hic rabies ista nocere solet.
Summa petit, semperq; alta, quos prendit, ab arce
Non secus ac rapidi fulminis igne ferit.
Hoc peior, quod aperta nocet minus, omnia turbat
Improba seu quadam sub pietate latens.
Friuola commodiore loco fortuna ferenda est,
Opprimit illa latens, hæc manifesta nocet.
Noxia nulla magis miseris illuserit Ate,
Deijcit illa bonos, hæc ferit vlta malos.
Non hæc blanditiæ, non assentatio demens,
Quamuis sint sociæ, plus nocuisse queant.
Inuidia infælix minor hæc si sola fuisset,
Et minor insonti pœna futura fuit,
Deniq; quacunq; est aliquem metuenda per orbem,
Huic bene conferri pestis acerba nequit.
Omnibus intolitat furiosa Calumnia terris,
Et vacuum de se non sinit esse locum.
Non habet hæc pensi quicquam, quo nomine, quaue,
Dum premat, insontes opprimat arte viros.
Atq; vt facta volens velut hæc generalia mittam,
Res est in species ista secanda suas.
Prima loco sancta sub religione moratur,
Atq; ista sedem legit in arce sibi.
Inde quot obruerit sacratæ fulmine dextræ,
Idem est, & stellas enumerare labor.
Inde quot assidue scelerata per arma trucidet,
Tam facile est dici, quam sine voce loqui.
Aspice Pontifices Petrina in sede tyrannos,
Et quotuplex ista fulmen ab arce cadat.
Non aliam dices habitare, Calumnia, sedem,
Non alia potui latior esse domo.
Quisquis enim non ista, Dei ceu numen adorat,
Plumbea Romani fulmina Pontificis:

Hunc

Hanc rapit ardentes accensa Calumnia vultus,
Sistit & auritum protinus ante Midam.
Proximus hic vitio, quantumuis purus & insons,
Occidit, & pœnam pro pietate luit.
Nunquam illo Metanœa loco se ostendere visa est,
Vsq; adeo nihil hic pœnituisse potest.
Sint scelerata licet, sint deformissima dictu,
Quæ fiunt illic, vt pia facta probant.
Namq; nec Alethea illic scelus vlla refellit,
Vsq; adeo falsum gens facit ista nihil.
Decipit incautas nulla ignorantia mentes,
Hæc alibi, non hac seruat in aree locum.
Tam faciunt, quicquid faciunt, prudenter, vt ipsum,
Si liceat, possint fallere fraude Deum.
Quattuor at reliquis Dea sæua instructa ministris,
Omnia pro solita conditione gerit.
Suspicio siquidem quæ non sunt credere cogit,
Inuidia officio non sinit esse locum.
Ducit in insidias fraus semper auara nocendi,
In facinus causas fingere docta suas.
Præcipitant demum insidiæ, si sorte potestas
Sit data, si non sit, qualibet arte nocent.
His armis aggressa pium furia ista Lutherum,
Conata est auida perdere sæpe manu.
Gratia seruauit ne perderet obuia Christi,
Solus hic infamis non timet arma Deo.
Ecquid enim sacram turbare tyrannida Papæ
Audet ab Arctoa turbidus iste plaga?
Ecquid vt ad redeat priscos Ecclesia ritus,
Hic noua peruersa dogmata mente serit?
Hic nihil in totam concita Calumnia sectam
Sæuiat? hic placidæ nomina pacis amet?
Non ita, nam caræ generosa palatia Romæ
Plena dolis linquens, inferiora petit.
Atq; ita Pontificum sedes aggressa minorum,
Nulla non miserum circuit arte gregem.
Hic agit innumeros Regina Calumnia motus,
In sibi contemptæ vilia membra domus.
Hinc fremit arma sacra ceu relligionis in hostes,
Non hæc nata suæ gentis in arma manus.
Hinc ita sæuit atrox, ita degrassatur in omnes,
Quos premit, vt paci non sinat esse locum.
Hinc tormenta, cruces, laqueos, incendia, flammas
Aptat, & innocuo vulnera mille gregi.
Sicut nostra nouo viderunt secula ritu,
Pontifices auidas cædis habere manus.
Quando alios sæuis hausere incendia flammis,
Hinc alij medijs obruerentur aquis.
Innumeri laqueo, & gladijs periere cruentis,
Quando etiam Reges ista tyrannis agit.
Limina quando Ducum, quando alta palatia Regum,
Tam sine fine nocens ista Megæra colit.
Non tamen omnigenum, nam sunt qui fortiter istis
Laudibus heroes nomina prima tenent:

A quibus ista procul scelerata Calumnia prostat,
Et quibus est veræ cura salutis opus.
Subrepit tamen illa nocens & friuola pestis
Undiq;, & insidias hic & vbiq; struit.
Nec quisquam nisi forte latens, & nomine cassus
Effugere hanc furiam qualibet arte potest.
Omnia peruolitat, perrumpit, & omnia furtim
Rimatur, nullo se tenet illa loco.
Præcipue tamen in sacri pia dogmata verbi
Sæuit, in hæc totis viribus acta furit.
Vsq; adeo, vt rari, quos nulla Calumnia turbet,
De populo fidei Christidos arma ferant.
Vt nulli possint, veræ pietatis honorem
Adserere, in quos non sæuiat ista lues.
Sic premit insontes, sic euehit illa nocentes,
Vt vis sassa dolum non sit iniqua magis.
Hoc periere modo tot millia tempore nostra,
Qui nisi quod saperent non habuere nefas.
Nec tamen exemplis libet hic mordacibus vti,
Liuor ab exemplis sæpe venire solet.
Notior est pestis, vulgatior ista tyrannis,
Quam sit vt exemplis inuenienda fides.
Si tamen vlla fuit tempestas dira per orbem,
Hac nostra nunquam durior vlla fuit.
Quam tot iniqua modis tot & artibus afflixisset,
Tartareo pestis nomen ab hoste trahens.
Quam tibi dum breuibus numeris describere conor,
Crescit in immodicum cura laboris opus.
Tam late tam regnat vbiq; & sauit in omnes,
Hoc paradisiaco sæuius angue malum.
Nec vinces ratione alia, non arte leuabis,
Quam pestem hanc animo si patiente feras.
Sola potest tantam Patientia vincere cladem,
Non nisi de superis sedibus illa venit.
Hæc istam curare luem medicina potens est,
Cui comes in superos est generosa Fides,
Verus amor, spes fixa Deo, sincera voluntas,
Miscent hæc Medica pharmaca certa manu.
Istius amidati vires obiecerit hosti,
Per mala tot Christo Principe victor eris.
Sic non vlla suis nociusse Calumnia telis,
Nec poterit quicquam fraudis obesse tibi.
Hactenus hæc breuibus tibi scripta Philippe Camænis,
Qua mea consuesti dexteritate feres.
Non, quia non, si cuncta sequi voluisse putemur,
Copia in hanc causam longa futura fuit.
Non, quia non etiam fuerit bona temporis ipsa,
Si voluissemus conditione frui.
Sed quia natura vitium sic omnia nostræ
Reycit, in partes præcipitanda moras.
Nunc tamen ista leges subitis properata lituris,
Quando satis præsens nulla Camæna fuit.
Sic tamen, vt noris, si qua hic non forte probaris,
Iudicio tolli Carmina posse tuo.

Aut

Aut tibi si qua minus faciant, satis omnia curæ
Præscripta vt reddant conditione mihi.
Maior vt accedat reuocatæ copia Musæ,
Et cultus possit splendidiore legi.
Viue diu, mihi tam longa dignissime vita,
Quam diu adhuc aliquas Albia habebit aquas.

DE DISQVISITIONE PER TORMENTA.

PEruersa & tyrannica prætorum & Iudicum nihil fere pensi circa capitalium causarum dijudicationem habentium est consuetudo, qua ob leuissimas causas temere captiuis tormenta adhibent, & contra leges & iura per Carnifices ea quærunt, quæ confitenti mortem, neganti tormenta morte acerbiora afferunt. Persæpe enim accidit, vt tormentis adacti ea cõfiteantur homines, quæ patrare in animum nunquam induxerant: & rursus multi ad tormenta quasi effascinati nunquam ea quæ commiserunt, proferant. Itaque haud immerito cæca & improba habentur indicia, quæ nullis alijs probationibus quam confessionibus per tormenta extortis innituntur. Qua de re exempla quædam referemus.

M. Agrij Argentarij seruus, Alexandrum Titi Fannij seruum occidisse insimulatus est, eoque nomine tortus a Domino admisisse id facinus constantissime adseuerauit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est: paruo deinde tempore interiecto ille, cuius de nece creditum erat, domum redijt. Val. lib. 8. cap. 4.

Fannij seruus Alexander.

Contra Fannij seruus Alexander, cum in hanc suspicionem C. Fl. equitis Romani occisi venisset, septies tortus, pernegauit ei se culpæ affinem fuisse: sed perinde atque confessus, & a iudicibus damnatus, & a L. Calpurnio Triumuiro in crucem actus est.

Philippus Fului Flacci seruus.

Item Fuluio Flacco causam dicente, Philippus seruus eius in quo tota quæstio nitebatur, octies tortus, nullum omnino verbum, quo Dominus perstringeretur, emisit: & tamen reus damnatus est, cum certius argumẽtum innocentiæ vnus octies tortus exhiberet, quam octo semel torti præbuissent. Ibidem.

Herodes in filium Alexandrum sæuit.

Cum Herodes Iudæorum Rex, Alexandrum filium suspectum haberet, & ob eam rem Tyronem ministrum eius in vincula coniecisset, quia tonsor quidam fatebatur, ab eo se inuitatum, vt Herodem occideret, vt eo defuncto Alexãder filius eius regnaret: Tyro diu vna cum filio cruciatus est, cum tonsor coram esset, amborum corporibus crudelem in modum dilaniatis, Tyronis filius siue nimis ad dolorem recens, siue quod patris commiseratio eum moueret, cum ei promissum esset, tormentis finem impositum iri, fassus est, sæpius patrem decreuisse, vt Herodem occideret, cum vt solum adoriri possent, occasionem aucuparentur, & id ob eam rem tantum, vt Alexander post eum regnaret. Illius igitur confessione quæ postea falsa est inuenta, motus Herodes, Alexandrum filium interemit. Campofulg. lib. 8. cap. 4.

Aretaphila Nicocratis vxor, qui Cyrenis tyrannidem exercuerat, cum plus eam patriæ charitas, quam viri amor moueret, vt patriam tyrannide liberaret, aduerso fato detecta est consilium iniuisse, Nicocratem virum veneno tollendi. Itaque varijs ac longis cruciatibus affecta, a Caluia socru, quanquam res pene manifesta esset, adeo constanter tormenta pertulit, atque ita eam rem semper excusauit, vt tanquam innoxia, in primum honoris gradum, apud virum restitueretur, quem tamen ipsa haud multo post interemit.

Contra autem Farion Ægyptius, tormentorum metu, ea latrocinia fas-

sus,quæ nunquam patrarat,Alexandriæ dum deduceretur ad locum,vbi securi percutiendus erat,forte in Apollonium Tyaneum Philosophum incidit,cum is vel diuino nutu, vel magica arte(id enim non constat) innocentem eius criminis Farionem deprehendisset esse,dedita opera eum remoratus est. Cum autem cæteri iam a ministris capite mulctati essent, Farion reuocatus est,cum noxij quidam in disquisitione, quæ de eis habebatur,ipsa illa hora,innocentem Farionem eius criminis esse dixissent.

Adulterij falso insimulat maritus vxorē.

Vercellis,quemadmodum Hieronymus scribit, a viro vxor adulterij accusata, dum torqueretur, constanter crimen semper negauit. Iuuenis autem,quo cum adulterasse dicebatur,tormentorum impatiens,quod non patrarat,patrasse se fassus est,atque ob eam rē, ambobus a Cōsule,in quo rigoris plus quam iustitiæ erat,morte damnatis, prodigio veritas detecta est. Iuuenis enim mēdax,g.. dio percussus,caput semel ictus amisit: septies autē cum fœmina gladio percussa esset, non cæsim modo verum etiā iugulo punctim petito,ferrum retro a beius carne veluti a silice semper resilijt,præterquam in extremo ictu. Seruandæ enim illius animæ gratia percussa,pro mortua vt sepeliretur elata fuit,atq; tunc viua inuenta,cura to vulnere cum demum iudicio absoluta esset,verum inuentum est.

Basileæ cum crebris iurgijs & cōtentionibus maritus cum vxore digladiaretur,vxor iniuriarum impatiens a viro aufugit,& latens apud amicos suos eorum opera virum sibi reconciliari petiit. Forte ijsdem diebus mulier quædam in Rheno suffocata ibidem in ripam eijcitur, eodem amictu vestita,quo fugitiua illa mulier,cumq; facies saxis illisa & contusa minus agnosci posset,protinus coniecturis suis importuna plebs hanc esse fugitiuam illam mulierē,& a marito suo occisam incerto rumore clamitat. Magistratus non satis prouidus fugitiuæ maritū parricidij reum agit,qui tormentis excruciatus facinus,quod non patrarat,patrasse se fassus est,& vt parricida crudeli supplicio affectus. Tertio deinde die vxor eius fugitiua redit,sese viro reconciliaturā,quem vbi vt parricidam falso iudicio insontem damnatum esse cognouit,plorabunda cum magno clamore & eiulatu in Curiam irrumpit,viri sui innocentiam testatur,iudices iniustitię insimulat,sed illi sero rigorem & iudicii præcipitationem damnantes, quę suis sententijs perdiderant,votis inanibus reuocare haud poterant.

Præceps improuidorū iudicum sententia.

De patre qui a filio impio falso accusatus,flagitium ,cuius reus nō erat, tormentis victus confitebatur,in secundo Præcepto historia est expositā.

Erphordię in domo viduæ cuiusdam duo se absconderant latrones,vitæ eius,vt pecunia potirentur,insidiātes. Itaq; vt viduam a thalamo elicerent, capram,quam in stabulo concluſam inuenerant, vellicarunt, vt clamore eius mota vidua ancillam, quam habebat vnicam,visum,quidnam infestaret capram,mitteret. Quam ex insidijs cōprehensam latrones protinus interficiunt. Deinde & vidua ipsa cum frustra aliquandiu,& nō sine admiratione ancillam expectasset,egreditur,& in latronum manus incidens interficitur. Perpetrato parricidio,domoque direpta, latrones,antequam lucesceret,inde se proripuerunt. Mane cum nec vidua,nec ancilla e domo prodiret,domoque clausa manente catelli incluſi vlulatus audiretur,tandem a vicinis fores effractæ sunt,homicidiaque perpetrata patuere. Cæcoque protinus iudicio quendam æditiuum,cui magna familiaritas cum vidua intercesserat,& a qua magnis ille beneficijs cumulatus fuerat, tanti facinoris reū esse improuida plebs suspicatur. Magistratus vanis innixus coniecturis,æditiuum comprehensum per tormenta immaniter examinat,quibus ille victus,quod nunquam ei in mentē venerat,flagitium se patrasse fatetur. Ciues ingratum execrantur hominem, Magistratusq; sententia damnatum pessima morte insontem afficiunt. Latrones supplicij spectatores astitere. Qui paulo post propter alia quędā facinora in vin-

Æditiuus insons homicidij reus agitur.

cula

cula coniecti, tormentisq; examinati, inter alia flagitia & hoc parricidium se patrasse confessi sunt, ædituique innocentiam manifestarunt.

Comes proditionis insimulatus.

Iohannes Capistranus Iudex à Rege Ladislao constitutus, cum ex iussu Regis Comitem quendam proditionis insimulatum, adhibitis tormentis examinaret, conuictumque capitis damnaret, vna Comitis filium, Rege ita mandante, capitis supplicio addixit, sed eo tantum animo, vt & ille terrore perculsus, aliquid de patris sui consilijs si forte eorum conscius esset, proderet, sin insons deprehenderetur, vt tum ei parceretur. Itaq; ad locū supplicij ambo deducuntur, vbi cum mulctari capite patrem suum filius vidisset, sibique idem supplicium destinatum esse certo crederet, subito perculsus terrore exanimis concidit. Quo improuiso eius fato iudex vehementissime perturbatus, relicto secularis vitæ statu, pro superstitione istius seculi, in monasterium se abdidit.

Mercator insons parricidij reus agitur.

In Metensi Lotharingiæ ciuitate, mercator quidam cum abesset peregre, noctu in domus eius cellam carnifex clam se insinuauit, primoque ancillam cum allatum vinum ex iussu heræ suæ descendisset, interficit, hinc ijsdem insidijs heram, cum & illa mirata ancillæ moram descenderet, exceptam trucidat, & securus deinde scrinia rimatur & spoliat. Mercator reuersus, vbi atrocem suorum interitum, domusque direptionem offendisset, animo perturbationis & mœroris pleno rem ad Senatum refert, cum varij de nefario homicidio sermones spargerentur, ipse quoque carnifex in curia turbæ se immiscens, hæc verba subinde alijs immurmurat: Cum manifestum sit, frequētibus conflictatos esse rixis mercatorem, eiusque coniugem, facile inde cuiuis apparere, neminem præter ipsum mercatorem homicidiorum, quæ in domo eius perpetrata sint, auctorem esse: Et sane facile, inquit, verum ex eo extorserim, si mihi examinandus tradetur. Quibus alijsque similibus verbis tantum effectum est, vt mercator cō prehensus in vincula conijceretur, immanibusque subiectus tormētis, & crudelem in modum à carnifice distractus, se quamuis insons, parricidij commissi auctorem fateretur, horrendoque supplicio afficeretur. Iam securus & otiosus in vtramuis aurem dormire videbatur carnifex, cum diuina vigilante iustitia scelus eius proditur. Argenteum namque scyphū æris egens carnifex, Iudæo oppignerabat. is cum mercatoris supplicio nuper affecti signum ei insculptum animaduerteret, scyphum Magistratui offert, & mercatoris se in eo agnoscere insignia indicauit. Nec mora & carnifex ipse in vincula conijcitur, quæstionibusque subiectus, vndenam cyathi istius hæres factus esset interrogatur. ibi rem omnem vt gesta erat, parricidiumque à se commissum confessus est. Hunc ad modum detecta mercatoris innocentia, carnifex dignas sceleris pœnas sustinuit.

Persęs negauit tormentis opus esse ad explorandā rei veritatem: vino enim id rectius fieri dicebat. Sensit autem vir prudentissimus, tantam esse vini immodice sumpti potentiam, vt proferat ea, quæ crudelissimis tormentis ex homine sobrio elici non possint.

Historiæ hactenus expositæ docēt rem plenā esse periculi, temere eos, qui ex cōiecturis flagitij alicuius insimulātur, tormētis subijci, & ex cōfessione tormētis extorta præcipitare sentētiā. Ideo merito laudātur Lacedæmonij, qui plures sumebāt dies ad cognoscendū in causis capitalibus, quin etiāsi quis esset absolutus, nihilominus obnoxius erat legi, idq; ea de causa faciebāt, inquit Alcamenes, quoniam si in capitis discrimine errauerint, nō est corrigendi consilij potestas. Oportet autē a causa liberatum obnoxium manere legibus, quod fieri potest, vt secundū eandē legem, liceat alii quid rectius de reo statuere. Hoc temperamēto prouisum est, ne vel occidatur innocēs, vel effugiat nocēs: qui quāuis errore iudicū sit absolutus, potest eadem lege denuo conueniri, pœnasque dare legibus.

DE IIS QVI ADVERSVS TORMENTA fuere inuicti.

ÆGyptij mortem iudicant potiorem, quam tormentis succumbere, & arcana prodere.

Plinius libro septimo, Patientia, inquit, corporis, vt est crebra fors calamitatum, innumera documenta peperit. Clarissimum in fœminis Lænæ meretricis exemplū, quæ torta no indicauit Harmodiū & Aristogitonem tyrannicidas. In viris Anaxarchides, qui simili de causa cū torqueretur, præcisam e dentibus linguam, vnamq; spem indicij in tyrannos expuit, c. 23.

Zeno Eleates cum esset in disicienda rerum natura maximæ prudentiæ, in que excitandis ad vigorem iuuenum animis promptissimus: Præceptorum fidem exemplo virtutis suę publicauit, patriam enim ingressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obtutum, perijt, tanta fiducia ingenij, ac morum suorum fretus, vt speraueric & tyranno, & Phalaridi vesanæ mentis feritatem à se diripi posse, postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilij salubritatem valere animaduertit, nobilissimos eius ciuitatis adolescentes, cupiditate liberandæ patriæ inflammauit, cuius rei cum indicium ad tyrannum manasset, conuocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit: subinde quærens quosnam consilij participes haberet: at ille nec eorum quempiam nominauit, & proximum quenque, ac fidissimum tyranno suspectum reddidit, increpitansq; Agrigentinis ignauiam, ac timiditatem effecit, vt subito mētis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo vnius oculeo impositi, non supplex vox, nec miserabilis eiulatus, sed fortis cohortatio totius vrbis animum, fortunamque mutauit. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3.

Eiusdem nominis Philosophus, cum à Nearcho tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur, supplicij pariter, atque indicandorum gratia conscriorum, doloris victor, sed vitionis cupidus, esse dixit, quod secreto audire eum admodum expediret: laxatoque oculeo, postquam insidijs opportunum tempus animaduertit, aurem eius morsu corripuit, nec ante dimisit, quam & ipsa vitā, & ille corporis parte priuaretur. Ibidem.

Talis patientiæ æmulus Anaxarchus, cum à tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec vlla vi inhiberi posset, quo minus amarissimorū eum maledictorum verberibus inuicem ipse torqueret, ad vltimum amputationem linguæ minutanti, Non erit, inquit, effœminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis, protinusque dentibus abscissam, & commanducatam linguam in os eius ira patens expuit. Ibidem.

In Theodoro quoq; viro grauissimo Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigauit. Rupit enim verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum, laminas extinxit prius, quam efficeret, vt tyrannicidij conscios indicaret. Quin etiam satellitem, in quo totius dominationis summa quasi quodam cardine versabatur, falsa criminatione inquinando, fidum lateri eius custodem eripuit, beneficioque patientiæ, non solum, quæ occulta fuerunt, texit, sed etiam tormenta sua vltus est: quibus Hieronymus, dum inimicum cupide lacerat, amicum temere perdidit. Ibidem.

Serui Barbari ingens factum.

Illud tamen non minus admirabile, quod seruilis animus cœpit. Seruus Barbarus Asdrubalem, quod Dominum suum occidisset, grauiter ferens, subito aggressus interemit. Cumq; comprehensus omni modo cruciaretur, lætitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore constantissime retinuit. Ibidem.

Marcus Antonius clarissimus Orator, incesti reus agebatur, cuius in iudicio accusatores seruum in quæstione perseuerantissime postulabant,

quod

quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prælatam contenderent: erat autem is etiam tū imberbis, & stabat coram, videbatque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille vero, vt domum vētum est, Antonium hoc nomine vehementius cōfusum, & solicitum vltro est hortatus, vt se iudicibus torquendum traderet, affirmans nullum ore suo verbum exiturum, quo causa eius læderetur, ac promissi fidem mira patientia præstitit, plurimis etiam laceratus verberibus, eculeoque impositus, candentibus etiam laminis vstus, omnem vim accusatoris, custodita rei salute subuertit. Argui fortuna merito potest, quod tam pium, & tam fortem spiritum seruili nomine inclusit. Valerius Maximus lib. 6. cap. 8.

Æsopus seruus Demosthenis. Agathoclis socij.

Æsopus Demosthenis libertus, diu discruciatus, nūquam ad patronum fateri voluit pertinere aduiterij culpam cum Iulia, nisi prius multorum testimonio conuictus Demosthenes, ipse crimen fassus esset. Fulg. lib. 8. c. 4.

Agathocles, qui postea in Sicilia regnauit, cum adhuc priuatus Syracusis viueret, & mare clam prædaretur, nunquam à comitibus, qui cum eo capti fuerant, quanquam grauiter discruciati essent, accusatus fuit. Itaque etsi crimen exploratum habebatur, constans comitum animus, singularisque eorum patientia, id in purgādo Agathocle effecit, vt iudicio tanquam innocens absolueretur.

Cum Hermolaus Donatus, Venetijs, inter Decemuiros principū vnus haberetur, atque is forte in vinculis adolescentem haberet, impudicitiæ reum, qui tormentis nullis, vt crimen fateretur, adduci poterat, contigit, vt adolescentis amator (fortasse sperans, ita se amatum adolescentem liberaturum) Hermolaum post secundam à Solis occasu horam, à palatio domum regredientem, vno solo comitatum, extincto eius lumine, vno vulnere occideret. Cum autem casus illius atrocitas vehemēter Senatum Venetum perculisset, & cædis auctor ignoraretur, coniectura eius facti veritatem disquirere decreuerunt. Itaque cum in mentem redijsset, inter Hermolaum atq; Iacobum Fuscarum, qui vnctus Francisci Fuscari, eo tēpore Venetorum Ducis, filius erat, graues olim contentiones fuisse: arbitratus Senatus Iacobum patris honore fretum illius cædis auctorem fuisse, in vincula poni eum iussit: qui illic varijs acerbisque tormentorum generibus discruciatus, quanquam nihil fateretur, tamen cum pertinaciter Senatus in sententia maneret, ab eo Hermolai cædem procuratam fuisse, & tamen inconfessum morte mulctare nō posset, tandem in Cretam eum relegauit. Cum autem haud multo post Iacobus in exilio decessisset, qui cædem eam patrauerat, cum se religioni dicasset, morti proximus, rem gestam à se fassus est. Quæ res satis aperte monet, non esse magnopere tormentis credendum. Persæpe enim tormenta eos, qui in dolore recentiores sunt, etiam quæ non egerunt, fateri cogunt: quosdam quoque veneficio à sensu alienatos vidimus, tormentis, ceu in lecto iacerent doloris expertes, indormire. Nullam ergo de morte hominis, quæ peracta irreuocabilis est, cunctationem nimis longam ducere debemus: neque enim abs re Romanarum legum conditores statuerunt, solam criminis confessionem, quæ per tormenta extorqueatur, ad damnationem non sufficere, si cum ea ad probandam rem, aliud nihil conueniat. Contra etiam tormentorum patientiam, si in contrarium probationes essent ad absolutionem satis non esse, sed prudentia in vtraque re opus esse, censuerunt. Fulgos. lib. 8. cap. 4.

Finis exemplorum octaui Præcepti.

EXEM-

EXEMPLA NONI ET DECIMI PRÆCEPTI.



IN nono & decimo Præcepto exigit à nobis æternus Deus, ne quis concupiſcat, neue proximi ſui domum, vxorem, ſeruos, ancillas, deſideret, aut dolo vel impoſtura, & ſub ſpecie recti ad ſe pertrahat, ſed in omnibus erga proximum ſe apertum ſincerumq; exhibeat, nec ei, quod ſibi fieri nolit, ipſe faciat. Qua de re ſubiecta exempla ob oculos ſibi ponat Chriſtianus lector, quæ oſtendunt, quinam Præcepti huius normam obſeruent, contra qui eandem negligant, iram Dei aduerſus ſe prouocent, pœnaſque ſuis cupiditatibus ſibi cumulent.

Cainus fratris ſui Abeli fœlicitatem, & diuinam, quæ ei fauebat, benedictionem, iniquis intuebatur oculis, prauaq; ductus cupiditate eum interficiebat. Quam ob cauſam profugus in peccatis ſuis mortuus eſt.

Idem primus externarum rerum ſplendori inhians ciuitatem condidit, non autē Abelus. Nec enim locum manentē in his terris pij ſibi ſomniant, mundi autem huius filij terrenas opes inexplebili cupiditate aucupantur.

Abrahā quatuor Reges victores perſecutus, oēs captiuos, ſpoliaq; reduxit, acceptaq; benedictione à Melchiſedecho, cūcta Regi Sodomorū reddidit, nec ex recuperata præda, oblatiſq; munerib. vel minimū à filio ſubtegminis, vſq; ad corrigiam caligæ ſibi retinuit. Gen. 14. Idē niſi precio Ephroni numerato, ſpelucę duplicis poſſeſſionē ſibi vſurpare noluit. Ge. 23.

Rex Abimelechus Abrahami vxorem Saram, quam eius ſororem eſſe putabat, rapuerat, ſed noctu à Deo monitus intactam Abrahamo reſtituit, eum muneribus ornat, & hoſpitij iure donat. Geneſ. 20.

Ioſephi admiranda & diuina fuit continentia, qua nullū prauæ concupiſcentiæ, aut libidini locum dans, heræ ſuæ illecebras repulit. Geneſ. 39.

Inſigne tum abſtinentię tum pietatis exemplum in fratribus Abrahamo & Lotho nobis proponitur, qui vltro, ne rixæ inter paſtores concitaren-

tur,

tur, alterq; alterius obstaret commodo, à se inuicem discessere. Vnde etiam plenior indies in rebus omnibus Dei benedictionem experti sunt.

Tanta fuit Israelitarum in conferendis muneribus ad tabernaculi exstructionem promptitudo, vt Moses præconis voce plura contribui prohiberet. Israelitarum ista liberalitas magna laude digna, sed Mosis continentia, qua plura contribui vetuit, tanto maiorem meretur laudem, quanto virtus hæc est rarior, præsertim in Principibus, qui aggrauãdis expilandisque subditis modum omnino nesciunt. Exod. 36.

Filii Samuelis auaritiæ dediti, acceperunt munera, & peruerterunt iudicia. Quæ res causam præbuit filiis Israel, vt mutato Reipub. statu, Regem sibi eligerent.

Samuel integritatis suæ, & continentiæ sibi conscius, non dubitat ipsum populum suæ iustitiæ & integritatis testem vocare: Loquimini, inquiens, de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt, non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. 1. Regum 12.

Rex Dauides in Area Arafnæ Iebusæi constituturus altare Domino, cã gratuito ab Arafna oblatam recipere noluit, sed precio numerato. Non of feram, inquit, Domino meo holocausta gratuita. Adeo alieni Rex nõ fuit appetens, vt nec gratis oblata sibi vendicare voluerit, nisi prius numerato precio. 2. Regum 24.

Contra impius Rex Achabus impiæ & sceleratę suæ coniugis Iezabelis instinctu & consilio Nabothum falsi criminis subornatis testibus conuictum lapidibus operit, eiusque vineam, quam vendere non sustinebat, eo quod ex paterna hæreditate illam accepisset, per vim occupat. Huius suæ impietatis pœnas quas sustinuerint, sæpius expositum est. 3. Reg. 21.

Propheta Helisæus sanato Duce Assyrio Naëmane, munera sibi oblata vt acciperet, nullis precibus adigi potuit. Contra Giezi Prophetæ famulus clam Domino munera venatur, quibus ditatus, lepra perpetua ipse & omnes eius posteri percussus est.

Rex Zedechias vt Præcepti huius violator à Prophetâ Ieremia vigesimo secundo capite reprehenditur, dum non sine grauamine subditorum & pauperum ædes & arces magnificas extruit.

Iudæi cum legem Domini dereliquissent, grauiter afflicti fuere. Occidit enim de Iuda in die vno Romalias centum viginti millia. Deinde filij Israel cœperunt de fratribus suis è domo Iuda, ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam. Per Prophetam autem Obedum obiurgati, quirgtauem iram Domini ipsis denunciabat, captiuos cum præda in Iudæam remittunt. 2. Paral. 28.

Rex Belsazar cum ob prophanata sacra vasa manum in pariete scribentem verba ignota vidisset, terroreque perculsus Danielem, vt scripturam portentosam interpretaretur, accerseret, grandia ipsi offerebat munera; quæ repudians Daniel ait, Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da. Daniel. 5.

Triphon sub amicitiæ prætextu Ionatham muneribus cumulabat, sed iis deceptũ, & in insidias inductum, perfide deinde interfecit. 1. Machab. 11. *Ionathas muneribus decipitur.*

Iason per munera, quæ Regi Antiocho promittebat, summum adipiscebatur Sacerdotium, sed eodem deinde priuatur, succedente ei fratre Menelao, qui ampliora quam Iason, munera Regi offerebat. 2. Machab. 4. Sic vbi lucrum, & non religio hominum obsedit corda, ipsa quoque Sacerdotia redduntur venalia, & qui sacris præesse debebãt, corradedis inhiant pecuniis, fiuntq; populi sui deprædatores & proditores. Quemadmodũ & *Sacerdotiũ venale.*

Alci-

Alcimus proditor apud Demetrium in odium vocans calumnijs Iudæum Machabæum, sacerdotium summum, quo dejectus fuerat, sibi recuperare conabatur, regijs Demetrio oblatis muneribus. 2. Machab. 14.

Simon Magus & sacra & prophana argento auroque venalia esse ratus, diuo Petro pecuniam offert, sibi potestatem hanc dari petens, vt impositione manuum Spiritum sanctum alijs largiri possit. Cui Petrus: Pecunia tua sit tecum in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsq; ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Isaiæ 5.

Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem non reddet ei. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spaciosa: Qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitq; sinopide. Ierem. 22.

Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum, vnde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. Mich. 2.

Nolite spetare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal. 62.

Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Psal. 36.

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Ibid.

Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum, nõ minuentur omni bono. Psal. 34.

Omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. 1. Tim. 6.

DE ABSTINENTIA ET CONcupiscentia.

BArtholomæus Apostolus Polemio Indiæ rege offerente sibi Camelos, argento auroq; oneratos, eo quod filiam eius ab immundo spiritu liberam reddidisset, nihil prorsus accipere voluit, sibi his nequaquã opus esse dicens, ueq; ob hoc se venisse, vt munera acciperet, sed vt in Christo credentibus viam adipiscendæ salutis monstraret. Matul. lib. 1. cap. 7.

Iudas etiam Thaddæus, cum Abgarum gentis vltra Euphratem positæ regem graui valetudine laborantem, solo tactu sanitati restituisset, magnam vim argenti atq; auri pro eo sibi oblatam cõstanter recusauit. Si nostra, inquit, derelinquimus, quomodo accipiemus aliena? Itaq; tantum diuitiarum contemptum in tam paupere viro rex admiratus, non ita cupidepaulo ante expetiuerat sanitatem, vt tunc Christi suscepit fidem. Neq; enim dubitauit veritatem ab eo syncere prædicari, à quo aberat captatio lucri. Ibidem.

Hilarion Abbas, Orioni, à quo legionem dæmonũ Christi virtute pro-

pulerat,

pulerat, dona immodica secum allata porrigenti, nonne legisti, ait, quid Giezi, quid Simon passi sint? Quorum alter accepit precium, alter obtulit, vt ille venderet gratiã Spiritus sancti, hic mercaretur. Cumq; Orion fiens diceret: Accipe & da pauperibus, respondit, Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio auaritiæ est, misericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reseruat. Ibidem.

Idem Candidato cuidam Constantini Imperatoris, quem itidem spiritu nequitiæ vexatum sanum fecerat, decem auri libras dono offerenti, hordeaceum porrexit panem, dicens: Quod qui tali cibo aluntur, nõ pluris aurum æstiment, quam lutum. Ibid.

Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, post diui Hieronymi in Domino dormitionem, ad Augustinũ scribens, tradit, fuisse monasteriũ quoddã in Thebaidis partibus ducentarum fere fœminarum, sanctarum vtiq; si non auaritiæ fœditate sanctitatis decorem polluissent. Consuetudo pessima apud illas inoluerat, nullam in collegium admittẽdi, quæ certum pecuniæ numerum non afferret. Cuidam ex ijs, cuius Deo deuotus animus a tam prophana negociatione abhorrebat, apparuit in somnis Hieronymus, iubens vti cæteris pergeret nunciare, nisi actutũ pœnitentes ab ea exactione destiterint, vltionem à Deo paratam iam ipsarum capitibus imminere. Cumq; hæc in conuentu omnium narrata fuissent, ridiculo excepta sunt, existimãtibus deliramentum esse mulierculæ aniliter desipientis, nec vera (vt erant) referẽtis. Altera deinceps & item tertia nocte eadem visa rursum coram replicantem, iam odio habitam probris agitantes eiecere. Deo pro illa disponente, ne scilicet Loth cum Sodomis disperiret, iustus cum impijs. Vix etenim mulier septa monasterij egressa fuerat, cum monasterium ipsum terribili fragore funditus concussum reliquas oppressit ruina, vt ex tanto numero, ne vna quidem saltem extremum in mortem anhelitũ ducens, post casum illum sit inuenta. Itaq; contusis miserabiliter artubus vna omnes tam paruo temporis momento extinctæ, tunc demum auaritiæ cum vita finem fecere. Ibid.

Moniales auaritia pollutæ.

Modestus Imperatoris Valentis præfectus Basiliũ Cæsareæ Episcopum blandis verbis hortabatur, vt tempori cedens Eudoxij reliquorumq; Arrianorum communionem amplexaretur, pollicebaturq; se ei amicitiam Imperatoris conciliaturum, beneficiaque multis alijs inde euentura prædicat. Cui diuinus ille vir, Pueris, inquit, hæc quidem oratio conuenit, si quidem illi ac sui similes eiusmodi verba auide arripiunt: at qui in Sacris literis sunt educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed pro istorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur. Quod autem ad Imperatoris amicitiam attinet, eam cum pietate coniunctam magni æstimo: sed si ea careat, perniciosam esse dico. Ac cum præfectus grauiter commotus esset, diceretque eum amentem esse: tum diuus Basilius, Me, inquit, hanc semper amentiam opto habere. Postea vero quam egredi iussus erat, & quid sibi agendum sit secum deliberare, posteroque die suam declarare sententiam, & huic etiam orationi minæ adiunctæ: fertut vir ille omni laude cumulãdus respondisse: Ego quidem certe, idem qui iam sum, cras ad te redibo: tu vero ne mutes sententiam, sed minis vtaris velim. Omnes mundi huius opes & honores, ipsiusq; Imperatoris amicitiam vir sanctus diuinæ veritatis confessioni posthabuit. Vide Theodoretum lib. 4. Ecclesiast. Histor. cap. 16.

Basilius generose munera & externos honores respicit.

Achemenidem, qui & Hormisdes, virum admodum illustrem & locupletem, rex Varanes ob Christianæ religionis confessionem opibus & di-

Achemenidis vel Hor-

gnitate

missa cõstãtia, & in respuendis muneribus generositas.

gnitate priuauit, nudumq; & subligari tantum præcinctum, aulici comitatus camelos ducere iussit. Quas ærumnas cum magno animo aliquandiu Hormisdes sustinuisset, Rex eum calore Solis adustum ad se accersiuit, cumq; iam mitigatum eum crederet, vel nunc tandem, inquit, errore priore repulso, fabri filiũ ex animo tuo eijce, ipsumq; linea veste indutũ in priorem dignitatem restituere parabat. Ibi ille exardescens, tunicam illã abscissam abiecit, & voce magna, Si huius, inquit, gratia, me religionem longe optimam mutaturum putas, en munus tuum tibi cum impietate habe. Rex autem tam forti illum animo esse cernens, nudum Regia exegit. Niceph. lib. 14. cap. 20.

Diuus Martinus cum Christi virtute domum quandam à peste liberasset, centum ei argenti libras pro honorario munere obtulerunt, quas cum recipere detrectaret, discipuli eius id ægre ferentes, suæ dicebãt, inopiæ ea pecunia succurri potuisse, nec temere munus tantum sibi egenis fuisse abijciendum. Ad quæ respondit ille: Ecclesia Christi nos vestit & pascit. Gratis accepistis, gratis date. Seuerus Sulpitius in eius vita.

Diuus Nicolaus Episcopus ex Patara Lyciæ ciuitate oriundus, honestis ac opulentis natus parentibus, à teneris statim, quod aiunt, vnguiculis Christianarum virtutum deditus erat exercitio, & inprimis liberalitate sua pauperibus succurrere gaudebat. Cumq; vir quidam bonorum suorũ, quæ habuerat ampla, iacturam fecisset, atq; egestate compulsus tres filias suas nubiles quæstus gratia prostituere animum iam induxisset: Diuus Nicolaus vbi id resciuit, noctu clam in thalamum eius per fenestram, marsupium auro plenum reposuit. Quo ille mane inuento impium mutauit propositum, suaq; & filiarum vitæ & famæ consuluit. Vnde inoleuit consuetudo, vt in profesto Nicolai, infantes & pueri muneribus exhilarentur, & pietatis simul colendæ moneantur.

Contentio inter duos fratres, de piscoso lacu.

Gregorius Neocęsarienſis Episcopus, orta inter duos fratres contentione, ob possessionem piscosi lacus, quem vterque sibi vendicabat, cum fraternæ charitatis vterq; oblitus arma caperet, crebrisq; conflictibus multi occumberent: fusis ille ad Deum precibus, lacum siccum aridumq; reddidit, sublataque contentionis causa fratres ad mutuum amorem reduxit. Meminit Euseb. & Nicephorus.

Mẽdicus se mortuum simulans, vere moritur.

Duo quidam mendici Epiphanium Cypriorum Episcopum aliquo abeuntem aucupati, hoc agebant, vt ab eo plusculum aliquid auferrent. Itaque eorum alter cum se humi extendisset, iacebat scilicet mortuus: alter assistens plorabat, qui videlicet & socij lugeret mortem, & simul paupertatem accusaret, ob quam ne sepelire quidem illũ posset. Epiphanius iacenti requiem imprecatus est, & quæ ad funus necessaria forẽt largitus, lachrimanti sepulturam, inquit, procura mi fili, & plorare desine, neque enim resurget nunc. In hoc enim casu, id quod est ineuitabile, & prorsus fatale, generoso animo perferre oportet. Atq; hic quidẽ his dictis transiit. Cum autem nemo iam in conspectu esset, tũ pede iacentẽ mouẽs ille qui astabat, ac simul collaudans, quòd perquam euidenter mortuum expressisset: Erige teipsum, inquit, vt ex laboribus tuis hunc lætum consumamus diem. Cæterum cum ille consimiliter iaceret, & nihilo magis vel clamantem audiret, vel cunctis viribus obuoluentem sentiret: effuso cursu Sacerdotem assecutus, impostura suæ certiorem facit, ac plorans, & capillos vellicans obsecrat, vt socium resuscitet. Atqui Epiphanius hominem hortatus, ne id quod actum erat, molestè ferret, ab se dimisit. Sozom. lib. 7. cap. 26.

Comes impudenter

Otto Imperator cum Brisacum Alsatiæ oppidum obsidione premeret, multique ex Episcopis eius regionis perfide ab eo deficerent: Comes quidam, qui suis copijs Imperatoris exercitum inprimis ornabat, ratus Imperato-

peratorem in graues redactum angustias nihil sibi negaturum, petijt ab eo Abbatiam Laurensheimij sibi attribui. Imperator Comitis postulata minis quam petitioni similiora esse animaduertens, ei coram reliquis Ducibus & Consiliarijs hunc ad modum respondit: Deo magis obediendum quam hominibus. Quis enim crassi adeo fuerit iudicij, qui non agnoscat, te minabundum potius, quam officij memorem Abbatiam istam petere? Cum autem scriptum sit, canibus sacrum non esse obijciendum, iudico sane, me, licet mysticus sit verborum istorum sensus, cani Sacrum obijcere, si reditus monasteriorum ex piorum hominum liberalitate in vsum Ecclesiæ consecratos tibi tuique similibus tribuerem. Itaque non solum huic impudenti tuæ petitioni locum do nullum, verum in nulla etiam re alia, quam à me petes, te compote voti tui fore affirmo, & profiteor. Quod si & tibi decretum est cum reliquis, qui fidei immemores à me desciuere, meas partes deserere, quo citius id facturus es, eo rem gratiore mihi præstabis. Iis auditis Comes perterritus, pudoreque suffusus, protinus ante pedes Imperatoris prostratus, suam dementiam damnauit, impudentiæque suæ veniam petijt. Historia Ecclesiastica Caspari Hedionis, libr. 2. capite 18. *Abbatiam petit.*

Xerxes Leonidæ scripserat: Si desinas cum Dijs bellare, & meis te copijs adiunxeris, potes fieri Græciæ Monarcha. Huic ita respondit Leonidas, Si nosses quæ in vita mortalium essent iusta & honesta, abstinuisses iam diu a concupiscendis rebus alienis. Ego malim pro Græcia mori, quam contra iustitiæ leges in populares meos tenere Monarchiam. Plutarchus.

Anaxander Eurycratis filius, roganti cuidam, cur Spartani nõ colligerent pecunias in ærarium publicum: Ne, inquit, corrumpantur, qui facti fuerint illarũ custodes. Quã male consulunt integritati suæ, qui priuatim pecuniarũ vim in arcam recondunt, si vir prudens ciuium suorum moribus timuit à pecunia publica, cuius tantum erant custodes futuri, non domini. Plutarch. *Pecuniarũ custodes.*

Eucritus Chius quærenti ex eo, vter esse mallet, Crœsus an Socrates? respondit: Viuens malim esse Crœsus, è vita autem decedens Socrates. Indicauit autem beatam esse Philosophorum post hanc vitam conditionem. Diuites autem licet bonis omnibus in præsenti vita abundent, post mortem tamẽ ob inique paratas opes, ac male collocatas, cruciandos dæmonibus dari. Stobæus.

Epicurus Gargethius dicere solebat, ei, cui pauca non sufficiunt, nihil omnino satis esse. Item, se paratum esse de fœlicitate etiam cum Ioue certare, si aquam & offam haberet. Laudauit frugalitatem his dicteriis: Quo animo autem voluptatem laudauerit, ex alijs discès. Ælian. libro 4. & Stobæus. *Epicuri frugalitas.*

Sic & diuus Paulus 1. Tim. 6. Magnus quæstus pietas cum sufficientia.

Aiunt Biblium fuisse virum tãtæ integritatis, & abstinentiæ, vt cum inter eundum reperisset aliquid alienum, omnino intactum præteriret.

Hermes Ægyptius tanta fuit æquitate & iustitia, vt quum quid emeret, iustum semper exolueret precium, cuiusque emeret, quam venditor æstimaret.

Epimenides Cretensis cum Atheniẽsibus aduersus pestem perutile dedisset consilium, illi, ne beneficij immemores viderentur, grande ei munus miserunt, quod Epimenides recipere non sustinuit. Plato libro 1. & 3. de legibus.

Cum opera Xenocritæ Cumeæ Aristotimus, qui vir eius erat, & Cumas tyrannide premebat, occisus fuisset, vellentq; eam ciues honore commodisq; cumulare, quod ipsa ob patriæ charitatẽ, & marito, a quo diligeba-

tur, & Principatu se priuasset, præ modestia animi, omnibus quæ offerebantur, spretis, solum Aristotimi sui corpus ad sepeliendum voluit. Fulgosus.

Alciabides ambitione quadam munificus, cum plura magnaq; munera Socrati misisset, & Xanthippe miraretur donorum amplitudinem, eaq; cuperet eum accipere, Socrates dixisse fertur: Imo nos certemus liberalitate cum Alcibiade, & ea quæ mittuntur non capiamus quadam munificentia. Ælian.

Obiurgatus Socrates ab vxore Xanthippe, quod multa missi tantibus amicis, nihil acciperet, dixit: Si omnia quæ dantur, statim acciperemus, ne si peteremus quidem in posterum, vt darent, habituri essemus.

Apollonius Tyanæus, cum grādia ei à Vespasiano mitterentur munera, ea recipere detrectauit, Auaris, inquiens, hominibus: qui harum rerum indigent, esse tribuenda.

Alphonsus Aragonum rex, Ludouico Podio (quo propter eius singularem diligētiam ac fidem perpetuo fere Oratore in Italia vsus est) renunciante, pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus esset, plus quam decentia millia aureorum extorqueri posse, respondit: Pacem dare se, non vendere solitum esse.

Ferunt Alexandrum, cum Diogenem in cranio sedentem pro dolio accessisset, ita fuisse locutum: Adsum o Diogenes tibi subuenturus, quando quidem video te multis egentem. Cui Diogenes: Vter nostrūm pluribus eget? Ego qui vltra peram & pallium nihil desidero: an tu, qui non contētus patrio regno, tot periculis temere te obijcis, vt latius imperes: adeo, vt vix totus orbis tuæ cupiditati videatur satis futurus.

Si quando egebat pecunijs Diogenes, eas ab amicis accipiebat: at fugillantibus eum, quod prēter Philosophi dignitatem peteret, quod esset mēdicorum. Imo, inquit, non peto, sed repeto, ἐκ εἰμὶ τῶ ἀλλ' ἀπαιτῶ. Repetimus enim mutuum aut depositum. Amicus autem egenti amico dans nō donat, sed reddit quod debebat. Quisquis enim in tali casu pecuniam seruat, rem alienam detinet.

Epaminondæ Regia munera repudiat.

Cum Artaxerxis tria Daricorum millia Epaminondæ Thebanorū Duci per Diomedontem misissēt, Epaminondas Diomedontem asperius increpauit, quod tantam nauigationem suscepisset corrupturus Epaminondam, eumq; iussit hæc verba ad regem referre: Si faueat commodis Thebanorum, quod habiturus sit Epaminondam amicum gratis: sin minus, hostem. Quid hoc animo incorruptius, non alio spectante, quam ad patriæ commoda.

Insignis quoq; abstinentia fuit, respōsumque ingenij ac bonitatis plenum, quo Phocion Athenienſis cum Alexandri Oratoribus vsus est. Qui cum centum auri talenta ad eum tulissent, priusquam aliquid ab eis diceretur, petijt: Quam ob rem Athenas ad solum se munus deferrent? Qui cū respondissent, id ab Alexandro agi, quod solum bonum iustumq; Athenis ipsum esse iudicabat, dixit: Sinite eum me esse, videriq; quem Rex vester iudicat, & aurum vestrum ad eum referte.

Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac iam Epitoticis armis languentibus, beneuolentiam populi Romani mercari, quia virtute debilitare nequiuerat, cupiens: pene totum regiarum opum apparatum in vrbem Romanam transtulit. Cæterum cum & magni precij & varij generis, à legatis eius, tam virorum quam fœminarum, apta vsui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono ianua patuit. Valerius Maxim. libro quarto, capite tertio.

Tamburla-

Insigne exemplum abstinentiæ Persarum & pene totius Orientis Rex

Tamburlanus ostendit. Nam quodam tempore cum iter per Syriam faceret, obtulit se cuidam arator, qui tunc in ingens vas aureæ monetæ arando impegerat. Cum autem omnes, qui cum Rege erant, Regis aurum illud esse dicerent, quoniam inuenti, qui occultantur, thesauri, fisci putantur: iussit Rex agricolam monetam ad se deferre, qui iam omni spe retinendi inuenti auri decciderat. Inspecta moneta Rex ab astantibus petijt, Putarētne patris sui imaginem esse, quam pecunia impressam habebat. Cui cum respondissent, Romanorum Principum effigiem esse, Rex dixit: Si ergo hæc pecunia maiorum meorum non fuit, aratori eam, relinquamus, ad quem Deus eam detulit.

nus alienū thesaurū sibi vendicare noluit.

Imperator Aurelianus cum Heracleomenem, ob perfidiam eius & proditionem interfici iussisset, omnia eius bona, quæ sane ampliſſima erant, liberis intacta reliquit, ne videretur pecuniæ potius inhiasse, quam perfidiæ proditionisq; scelus vindicasse.

Alphonsus Rex Aragonum, cum Antonium Caudolam debellasset, par taque ingenti præda vxorem eius & liberos cepisset, omnes pro animi sui magnitudine liberos dimisit, thesauros bello partos vxori Antonij donauit, sibiq; ex tanta præda nihil præter vitreum poculum reseruauit. Panor. lib. 3. de rebus Alphonſ.

Iulius Higinus in libro de vita, rebusq; illustrium virorum, sex legatos dicit à Samnitibus ad C. Fabricium Imperatorem populi Romani venisse, & memoratis multis magnisque rebus, que bene ac beneuole post redditam pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniam, orasseque vt acciperet, vtereturque: atque id facere Samnites dixisse, quod vi deterent multa ad splendorem domus victusque defieri, neque pro magnitudine dignitateque lautum paratumq; esse. Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porro ad ventrem imum deduxisse, & legatis ita respondisse: Dum illis omnibus membris, quæ attigisset, obsistere atque imperare posset, nunquam quicquam defuturum. Propterea pecuniam, qua nihil sibi esset vsus, ab ijs, quibus eam sciret vsui esse, non accipere. Gellius lib. 1. capite 14.

Philippus Rex Macedonum, pater Persei, in ipso apparatu belli, quod aduersus Romanos moliebatur, mœrore quodam extinctus est, cum filium Demetrium excellentem virtute resciuisset à fratre Perseo falso accusatum, & dolo interfectum esse. Cum enim Demetrius antecelleret virtute, & opinio esset, Perseum non esse natum ex patre Philippo, insidias Demetrio struxit Perseus, metuens eum in regno successorem fore. Mortuo patre furijs vltricibus eum impellentibus, vt pœnas parricidij daret, & incitatus ab improbis, bellum Romanis infert, Thessaliam & vicina loca vastat, duobus prælijs Romanos vincit, & læta ei initia tanti belli fuerunt. Anno itaque belli eius quarto, Lucius Paulus Æmylius, filius Pauli Æmylij, interfecti in Cannensi pugna, Consul iterum factus est, anno sexagesimo suæ ætatis, vt aduersus Macedones Dux idoneus mitteretur. Hic mense Septembri acerrimo prælio vicit Perseum, trucidatis viginti millibus peditū. Rex Perseus ex fuga retractus est, & ad Æmylium adductus cum filijs, Philippo & Alexandro. Hi postea cū patre Perseo in triumpho ante currum ducti sunt. Perseus & filius Philippus non diu superstites fuerunt. Alexander scriba Magistratuum Romanorum factus est. Ex Regijs thesauris, qui fuerunt amplissimi, dedit Æmylius stipendia militibus. Reliquam pecuniam in ærarium inferri curauit. Macedoniæ deditis vrbibus tributum imposuit dimidio minus, quām [illegible] regibus dederant. Ex thesauris regijs libros regios iussit filijs [illegible] attribui. Facultates eius, vt Plutarchus narrat, non [illegible]

Pauli Æmylij insigne abstinētia.

[illegible] triginta millia coronatorum, & septem millia,

cum in ærarium intulerit plus quam quinquagies centum millia coronatorum. Adeo præstantes ciues tunc magis augere Remp. quam priuatas opes studebant. Chron. Philip. lib. 2.

Constãtini liberalitas, & ab alieno abstinentia.

Tiberius Constantinus ascitus ad Imperiũ à Iustino adhuc viuente propter eximias virtutes, Princeps fuit iustus in gubernatione, placidus sine πολυπραγμοσύνῃ, sine auaritia. Noua quædam tributa aboleuit. Adeo multa distribuit ad alendas pauperes familias, vt à Sophia Iustini vidua reprehenderetur. Sed Deus ei vicissim & opes auxit, & victorias egregias donauit. Dum enim auream crucem marmori insertam in terra leuari iubet, nolens eam pedibus calcari, magnos thesauros sub ea reperit. Peruenerũt etiam ad eum thesauri, quos Narses ex Italia miserat. Sic quo plura inter pauperes distribuit, eo amplioribus à Deo ornatus fuit diuitijs. Cum Longobardi sub Papa Benedicto Italiã vastarent, grauiq; fame Romana vrbs affligeretur, Tiberius vasorum aliquot millia, quæ frumento essent onusta, ex Ægypto nauibus Romam perferri curauit, suaq; liberalitate & misericordia afflictis succurrit. Contra Persas misit ducem Mauritium Cappadocem, qui fœliciter victis Persis Mesopotamiam recepit. Captiuos vestitos Tiberius in Persiam remisit. Mauritio reuerso dedit filiam Constãtinam vxorem, eumque viuens Imperatorem fecit laudatũ oratione sua apud exercitum. Chron. Hedion. Item Platinæ, & Philip. Melanch.

Titus Vespasianus Princeps laudatissimus, propter iustitiam & beneficentiam nominatus est Amor & Deliciæ generis humani. Neminem aliquid petentem voti sui non compotem à se dimisit. Reprehensus aliquando ab amicis, quod plura polliceretur interpellãtibus, quam præstare posset, respondit: Non oportet quenquam à colloquio Cæsaris tristem discedere. Super cœnam aliquando recordatus, quod eo die nemini quicquam præstitisset, memorandam illam meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi.

Tit. Sempronij Gracchi abstinentia & iustitia.

Tit. Sempronij Gracchi quanta fuerit abstinentia & iustitia, ex oratione patet, quam (vt Gellius testatur) ex Sardinia reuersus ad populum habuit. Versatus sum, inquit, in prouincia, quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. Nulla apud me popina, neq; pueri eximia facie stabant. Sed in cõuiuio liberi nostri modestius erant, quam apud Principem. Et paulo inferius: Ita versatus sum in prouincia, vt nemo possit vere dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse, aut mea opera quenquam sumptũ fecisse. Biennio fui in Prouincia. Si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiuspiam seruulus propter me solicitus fuit, omnium postremissimũ, nequissimumq; existimatote. Cum à seruis eorum tam caste me habuerim, inde potestis considerare, quomodo me putetis cum liberis nostris vixisse. Atque paulo post: Itaque Quirites tunc cum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas è prouincia manes retuli. Alij vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argenti plenas domos reportarunt.

Hic est ille Gracchus, qui cum geniali thoro duos angues quondam reperisset, responsumq; esset periturum ex ipsis coniugibus, cuius sexus anguis esset conceptus, marem illico necari iussit. Ita vxori pepercit, ipse paulo post obiit diem.

Idem Scipionem Asiaticum, quamuis inimicum, duci in carcerem non est passus.

Henricus eallide Boiaria impetrat.

Ludouicus Pius dictus, filius Caroli magni, post mortem coniugis Irmengardin, filiam duxit Ethiconis, Domini de Rauensberge, Iudittam, cuius frater Henricus, cum Imperatori inprimis charus esset, per iocũ ab Imperatore perebat, tantum sibi terræ in feudum tribui, quantum vnius diei spacio aurea quadriga circuire posset. Imperator cum risu verba ista

excipi-

excipiens, annuit. Qui lætus quadrigas sibi adduci iubet celerrimas, opportunisq; locis equos nullo adhuc cursu fatigatos constitui præcipit, currumq; conscendens, & subinde fessos equos mutans recentibus, magnam Boiariæ partem obit, in gremio interim gerens quadrigam auream. Qua arte Ducatum Boiariæ à Cæsare impetrauit, dictus ab hoc strategemate, Dux aurei Currus, descenditq; ab eo Ducum Boiariæ propago vsq; ad Hēricum Leonem. Chronic. Albert. Crancij lib 2. cap. 26.

Dux aurei currus.

Lycurgus percontanti quam ob rem hostium cæsorum cadauera spolia reuerti esset, Ne, inquit, dum spolijs incumbunt, pugnam negligant, sed paupertatem vna cum ordine seruent. Vt vir ille sapiens vbique ciuibus suis metuit à diuitijs, tanquam a fonte plurimorum malorum, cum apud hominum vulgus nihil expetatur auidius, quasi in his sint præcipua fœlicitatis humanæ præsidia.

Idem cum inductis nouis tabulis debitores æris alieni liberasset, iam & ea quæ quisque priuatim in ædibus habebat ex æquo partiri tentauit, quo funditus ex ciuitate tolleret discrimen opum & inæqualitatem: sed quum cerneret eos ægre laturos manifestam rerum abolitionem, idem occultiore via facere aggressus est. Monetam auream simul & argenteam abrogauit, institutitq;, vt ciues ferreo duntaxat numo vterentur, & quatenus postulabat vsus ad huius permutationem, totius substantiæ modum præscripsit. Hoc facto omnis iniustitia exulabat à Lacedæmone. Neq; enim iam furari, neq; largitionibus corrumpere, corrumpiue, neq; fraudare dolo, neq; rapere per vim quisquam poterat, quod nec celari valeret, nec parare magnificum esset, nec vti periculo vacaret, nec importare, aut exportare tutum foret. Hac arte vir solertis ingenij, quibus diuitiarum contemptū persuadere non potuit, diuitiarum vsum subtraxit, ac reponendi studium, negotiantiq; materiam ademit. Plutar. in Laconicis.

Dionysius superior, cum audisset quendam è ciuibus aurum habere domi defossum, id ad se deferri iussit. Verum posteaquam is suffuratus auri paululum in aliam vrbem commigrasset, ibiq; mercatus esset agrum, reuocato Dionysius totum aurum reddidit, vt qui iam diuitijs vti cœpisset, desijsset q; rem vtilem inutilem reddere. Satis declarauit, se non aurum alienum appetijsse, sed hominis morbum sanare voluisse: simul vsum auri legitimum demonstrauit, si in agricolationem impendas potius, quam in vsuram.

Guntramus Rex Francicus erga pauperes cum esset admodum benefi-
cus, suæ liberalitatis ex diuina benedictione fructum sensit mirificū. Nam
cum aliquando venationi intentus per nemus vagaretur, forte à socijs a-
uulsus, vno tantum comite, cuius fidem præ reliquis perspectam habebat,
ad aquæ gelidæ riuulum delatus est. Vbi cum so por grauis eum opprime-
ret, reclinato in serui sinum capite obdormijt. Ibi rem mirandam seruus
animaduertit: Ex dormientis siquidem ore bestiolam vidit prorepere, &
recta ad riuulum tendere, quem cum frustra omni conatu transire labora-
ret, seruus euaginatum gladium riuulo imposuit, per quem cum facile be-
stiola euasisset, in foramen proximi montis irrepsit, & post horam inde re
grediens, eadem via in os Regis reuersa est. Experrectus deinde Rex seruo
narrauit, quod sibi per somnum visus esset ad ripam ingentis fluminis de-
latus esse, & per ferreum pontem transijsse, inde ad mōtem peruenisse, in
quo grande auri pondus latuerit: Quod cum seruo suo exposuisset Rex, &
vicissim ex illo audiuisset, quid se dormiente monstri acciderit, ambo ad
montem istum tendunt, ibiq; defossam ingentē auri vim reperiunt. The-
sauros istos Ecclesiæ vsibus Rex delegauit, & prægrande poculū gemmis
ingentis precij ornatum fieri iussit, quod sacris dicatum Hierosolyma ad
sepulchrum Christi mittere destinarat. Verum cum impeditus id perfice-

Guntramus liberalitatis suæ fructus percipit.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

re non posset, beati Martyris Marcelli sepulchro in vrbe Cabilona illud dicari iussit. Anno quingentesimo, octuagesimo quinto.

Tripus aureus.

A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam iactum emerat: extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controuersia est: illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunæ ductus emisse dicente, qua contentione propter nouitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad vniuersum eius ciuitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit, illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret, his verbis Græcis:

Ἔκγονε μιλήτου τρίποδος πέρι φοῖβον ἐρωτᾷς.
Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἀν δῷ.

Tunc illi consensu Thaleti mensam dederunt, ille cessit eam Biāti: Bias Pittaco: is protinus alij: deincepsq; per omnium septem sapientum orbē, ad vltimum, ad Solonem peruenit, qui & titulum amplissimæ prudentiæ, & præmium ad ipsum Apollinem transtulit. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

Cn. Martius Patritiæ gentis adolescens, Anci Regis clara progenies, cui Corioli Volscorum oppidum captum cognomen adiecit, cum editis conspicuæ fortitudinis operibus à Posthumio Comminio Cos. accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri centum iugeribus, & decem captiuorum electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoq; quantum sustinere valuisset, donaretur: nihil ex his, præter vnius captiui salutem hospitis, equumq;, quo in acie vteretur, accipere voluit. Qua tam circūspecta animi moderatione, nescias vtrum maiore cum laude præmia meruerit, an reiecerit. lib. 4. cap. 3.

M. Curius exactissima norma Romanæ frugalitatis, idemq; fortitudinis perspectissimum specimen Samnitum legatis agresti se in scamno assidentem foco, ac ligneo catino cœnantem (quales epulas apparatus indicio est) spectandum præbuit. Ille enim Samnitum diuitias contempsit. Samnites eius paupertatem mirati sunt. Nam cum ad eum magnum auri pondus publice missum attulissent, benignis verbis inuitatus, vt eo vti vellet, vultum risu soluit, protinusque, Superuacuæ, inquit, ne dicam ineptæ legationis ministri, narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem, atque istud vt preciosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, & mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. Idem cum Italia Pyrrhum Regem exegisset, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum vrbemq; ditauerat, attigit. Ibidem.

Fabricius Lucinus honoribus & auctoritate omni ciuitate temporibus suis maior censu par vnicuiq; pauperrimo, à Samnitibus, quos vniuersos in clientela habebat, decem æris, & quinq; pondo argenti, totidemq; seruos sibi missos, in Samnium remisit, continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædiues, sine vsu familiæ abunde comitatus: Quia locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus eius, quemadmodum ære & argento, & mancipijs Samnitum vacua, ita gloria ex his contemptis parta referta fuit.

Q. Tuberoni Consulatum gerenti cum Ætolorum gens omnis vsus vasa argentea, magno pondere exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerāt, fictilia se in eius mensa vasa vidisse, monitos ne continentię, quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iussit. Quam bene Ætolicis domestica prætulerat, si frugalitatis eius exemplum posterior ætas sequi

voluisset,

voluisset, nunc quo ventum est? a seruis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua vti Cos. non erubuit.

Perse Rege deuicto, Paulus cum Macedonicis opibus veterem atq; hereditariã vrbis Romanæ paupertatem eo vsque satiasset, vt illo tempore primum pop. Rom. tributi præstandi onere se liberaret, penates suos nulla ex parte locupletiores fecit: præclare secum agi existimans, quod ex illa victoria alij pecuniam, ipse gloriam occupasset. *Paulus Æmylius.*

Quemadmodum miranda fuit Xenocratis continentia, qua ergo Phrynen nobile Athenarum scortum vsus fuit, de qua in septimo Præcepto: Sic non minorem meretur laudem ea abstinentia, qua munera ab Alexandro missa repudiauit. Nam cum legatos ad eum cum aliquot talentis Alexander misisset, Xenocrates eos in Academiam perductos, solito sibi, id est, modico apparatu, & admodum paruulis copijs excepit, postero die interrogantibus, euinam pecuniam adnumerari vellet? Quid vos, inquit, heri aeterna cœna non intellexistis, ea me non indigere? Ita Rex Philosophi amicitiam emere voluit, Philosophus Regi suam vendere noluit. *Xenocrates munera & amicitiam Alexandri repudiat.*

Valerius Publicola post quatuor clarissimos Consulatus, in ea decessit paupertate, vt patrimonium ne ad exequiarum quidem impensam sufficeret, ideoque publica pecunia ductæ sunt.

Nec alia fuit Menenij Agrippę conditio, qui ita pecuniæ inops decessit, vt sepulturæ honore caruturus fuerit, nisi à populo collatis in capita sextãbus funeratus esset. Nempe publicam, non priuatam rem ampliare viris istis studio & cordi fuit.

DE CVTIDINE REGNANDI.

HÆc est illa Ate, quę vniuersum genus humanum perturbat & euertit, & omnium ferme Principum, Regum, Imperatorum, Pontificum vitæ exempla huic loco suppeditant. Nos autem breuitati studentes, aliqua tantum, eaq; summatim in medium depromemus.

Abimelechus, vt solus regnaret, septuaginta fratres interfecit. Iudic. 9.

Zambri, vt Regno potiretur, Dominum suum Ellam interficit, deinde septem diebus Regno potitus, cum hostiles eum premerent copiæ, Regia incensa seipsum & sua cremauit.

Zachariam Israelis Regem interficit Sellum, cumq; vno mense regnasset, a Manaho filio Gadi & regno & vita priuatus est.

Senachetibium Assyriorum Regem sui interfecere filij, imperio hoc parricidio, sed conatu irrito insidiantes. 4. Regum 19. *Senacheribij filij.*

Tryphon, cum iter faceret cum Antiocho Rege adolescente, dolo occidit eum, & regnauit loco eius, & imposuit sibi diadema Asiæ, & fecit plagam magnam in terra. 1. Machab. 13.

Ptolomæus Dux Hierichuntis, cum & diuitijs abundaret, & gener esset summi Sacerdotis Simonis, superbia & ambitione intumuit, itaq; vt summam rerum sibi vendicaret, socerum Simonem, duosq; eius filios ad conuiuium vocatos inter pocula fraudulenter obtruncat. 1. Machab. 16.

Archelaum Macedoniæ tyrannum amasius ipsius Crateuas, qui nõ minus imperium deperibat, quam tyrannus amasium, interfecit amatorem suum, ea spe, quod credebat se tyrannũ beatumq; in posterum fore. Atqui cum vix tres aut quatuor dies imperium tenuisset amasius, ipse rursus ab alijs per insidias circumuentus & occisus est. Aptissime sane quadrat huic Macedonico dramati versus ille: *Ælianus lib. 1.*

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ δὶς ἑῷ κακὸν ἥπαλι τεύχει.
Qui struit insi dias alij, sibi damna dat ipsi.

Nam perhibent Archelaum ei despõdisse vnam ex filiabus: quam cum alij elocasset, indignatione commotus Archelaum occidit.

Phraates Orodem patrem suum, Parthorum Regem, & fratres omnes, ex regnandi libidine interfecit.

Orodes deinde Phraatis filius, paterni sceleris imitator, Mithridatem fratrem suum Babyloniæ obsedit, factaq; deditione in cõspectu omnium quamuis supplicem interfecit. Deus te perdat ambitio, Quæ fratres armas in fratrum viscera, quæq; Securum à nato non finis esse patrem. Rauis-

Sceleratum Tulliæ facinus erga patrẽ, & maritum suum, ex scelesta ambitione profectum, in quarto Præcepto de impietate liberorum expositũ est. Amulius Numitorem, Artabanus Xerxen, Athalia vniuersum Dauidis genus interfecerunt, vt apud suos dominarentur.

Bellum ciuile inter Pompeiũ & Iulium gestum, quo totus fere terrarum orbis concussus fuit, ex solo ambitionis crimine, & regnandi cupiditate conflatum fuit. De quo in quarto Præcepto.

Gymnosophistæ Alexandrũ humanæ sortis commonefaciunt.

Alexander Magnus iubebat Gymnosophistas, quicquid vellent, à se petere: Tum illi, Da nobis immortalitatem, eam siquidem omnibus alijs rebus prætulerimus. Ad quos Alexander: Cum ipse mortalis sim, qui vos immortales effecero? Quibus auditis Gymnosophistæ, Cum ergo te mortalem, inquiunt, agnoscas, cur non paterno acquiescis regno? Cur omnium hominum odia aduersus te vnum concitas, dum orbem terrarum tibi sub ijcere satagis?

Iugurtha fratres suos, Hiempsalem & Adherbalem, morti dedit, vt Numidarum regno solus potiretur.

Martina Cõstantinum priuignum suum, cum iam quatuor menses imperasset, veneno interemit, vt cum filio suo Heracliona regnaret. Chronic. Philip. lib. 3.

Philippicus, qui & Bardanius, Iustinianum Imperatorẽ iugulat, & post eum annis duobus regnat: anno 712. Sigebertus.

Constantinus Pogonotus Imperator, fratres suos suspectos habens ne corregnarent, nares eorum abscidit. Anno 671.

Desiderius vltimus Rex Longobardorum, cum feruens ambitione Italiæ Imperium affectaret, & eo quod habebat regno exutus est, captiuusq; relegatus Leodium.

Henricus Superbus cum Imperium sibi certo polliceretur, & aduersus Conradum Imperatorem arma caperet, in extremas redactus angustias, mœstitiaque extinctus est. 4. Chron. Philip.

Michael Theophili filius matrem Theodoram, cum qua annos tredecim imperarat, priuatam omni potestate relegauit in monasterium, à Basilio deinde Macedone, quem Cæsarem crearat, interfectus.

Ludouicus Sfortia, fratris sui Galeacij duos relictos filios, vna cum tutoribus, & honestissimo viro Francisco Calabro interfecit, vt hoc modo Mediolanensem ducatum sibi suisque liberis vendicaret. Verum Deo ita disponẽte, à Rege Gallorum captus est, & nec ipse, nec liberi regno, quod affectarat, gauisus est.

Otto Magnus cum Imperator electus esset, initia gubernationis, quæ difficilia habuit, & periculorum plena, exorsus est à bellis domesticis, quæ vndique se commouerant tanta, vt videatur tum Europa in caput perniciemq; Ottonis conspirasse. Arma aduersus eum expedierant Tãguardus frater Ottonis ex concubina, & Eberhardus Dux Franconiæ, qui in belli societatem pertraxerant Giselbertum Lotharingiæ Ducem, simulata pollicitatione inductum in spem regni. Eberhardus armatus suis & sociis auxiliis subsidio venturus Tanguardo obsesso Heresburgi, vel vt alii malũt, Brandeburgi à copijs Ottonis, in itinere, expugnata arce, quam Scriptores

nomi-

nominant Basilicum, cœpit Henricum Ottonis fratrem, & captiuum abduxit. Occupato etiam Heresburgo copias Ottonis crebris eruptionibus afflixit. Magnis itaq; Otto conscriptis copiis seditiosos intra mœnia Brādenburgensium obsidet, & dedentibus se Brandēburgensibus Tanguardus a militibus in templo, in quod confugerat, interficitur. Eberhardus interitu Tanguardi, & Imperatoris successu territus, Henricum spe regni incensum dimisit. Conspirarunt ergo in Imperatorem Henricus frater, Eberhardus Francus, & Giselbertus Lotharingus, Imperij decus sibi promittentes. Sed male ipsis cessit ambitio. Vicit enim fortuna Imperatoris, Eberhardo ad Andernacum oppidum in acie cæso, Giselberto submerso in Rheno, Henrico fratre coniecto in fugam. Adest enim ordinariæ & legitimæ potestati Deus, & hanc tuetur, huius dirigit & fortunat consilia, conatus & industriam: cumque scriptum sit, qui potestati resistit, deo resistit: non dubium est, sicut & hoc Ottonis exemplum testatur, seditiosos puniri diuinitus etiam in hac vita. Vide Crantz. lib. 3. cap. 14. & sequentibus. Chron. Philip. lib. 4.

Quam fœdum sit ambitionis crimen, incommoda ex eo promanantia satis testantur. Ottonis Magni filius Otto Secundus, cum domesticis bellis distentus esset, interea Lotharius Francię Rex natus ex sorore Ottonis Magni Gerberga spe ampliandi regni sui Lotharingiam aimis sibi vendicare contendit, & improuiso aduentu suo Imperatorem Aquisgrani cum vxore degentem ferme oppressit. Quo fuga ægre elapso milites Franci vrbem diripiunt, prædaque diuites retro in Galliam recesserunt. Irritatus hac ignominia Imperator magnis conscriptis copijs Lotharium insequitur, castra e conspectu Lutetiæ Parisiorum ponit. Erumpentibus ex vrbe ciuibus, multi vtrinque cæduntur, & inter eos Imperatoris nepos. Qua cæde suorum vehementius commotus Otto suburbia incēdijs vastat. Lotharius assumpto Hugone Magno, & Henrico Duce Burgundiæ collectis copijs Imperatorem ad flumen Isaram sequitur, ibi conserto prælio inter Reges cognatos tanta clades exercitus attriuit, vt fluuius ex coniectis in alueum cadaueribus se per agros diffunderet. Quis non miretur tantam esse vim ambitionis, vt coniunctissimos alioquin cognatorum & fratrum animos adeo distrahat, vt ad internecionē vsque alter alterius & opes & vitam opprimere nitatur. Tandē pace inter Reges facta Lotharingia Rex Franciæ cessit, quam imperio iunxit Ottho, reclamantibus multis regni Proceribus Franciæ. Crantzius lih. 4. cap. 18.

Ferrarienses cum Roberto Caroli Secundi filio Regi Neapolitano seditiosis animis armisque se opponerent, suo tandem periculo docti sunt, quę sequantur incommoda ambitionis crimen. Complures enim ex ciuibus per equites subito immissos confossi sunt, tum viginti octo Estenses imperio inhiantes suspensi suæ temeritatis pœnas penderunt. Platina sub Clemente Quinto.

P. Valerius Publicola ne aliquem ambitionis crimini locum dare videretur, fasces securibus vacuos fecit, & in concione populo summisit, numerum quoq; eorum dimidia ex parte minuit, vltro Spurio Lucretio collega assumpto, ad quem, quia natu maior erat, priores fasces trāsferri iussit. Quin etiam ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere videbantur. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

Numerianus cum in Imperio Caro Narbonensi patri suo successurus esset, nam propter nobilitatem, optimos mores, eruditionem, & patris memoriam a Senatu & exercitu diligebatur: occidit eum Arius Aper socer eius, vt imperium in se transferret. Id cum comperisset exercitus, in concione accusato Apro Imperatorem eligit Diocletianū, qui mox Aprū palam inspectante exercitu interfecit. Vide Chron. Philip. lib. 3.

Aper socer insidias.

Popilius Macrinus præfectus Prætorio, post Bassiani necem factus est Imperator ab exercitu, qui in Assyria erat, ne milites tam procul ab Italia sine Principe essent. Regnauit menses quatuordecim. Fuit libertinus, & factus est tabellio sub Commodo. Fecit Cæsarem filium Diadumenum. Initio imperij, sibi & Reipub. consulens, pacem emit a Parthis data pecunia. Deinde Antiochiæ ludis deditus venit in odium militum propter asperitatem & tenacitatem. Inter cætera eius facta hoc narratur: Cum duo milites hospitam vi compressissent, inclusit eos in duos boues, exertis capitibus, vt colloqui possent, donec extincti sunt. Quia autem Bassiani memoria grata fuit militibus, & filius Bassiani dicebatur esse in Syria, qui postea nomē habuit Heliogabali, exercitus pecunia corruptus ab auia Heliogabali ad eum defecit, & mox seditionem mouit aduersus Macrinum, qui post infœlicem pugnam fugit in Bithyniam. Ibi cum audiuisset filium Diadumenum interfectum esse, latitans in suburbano quodam Macrinus & ipse interfectus est. Hic fuit exitus eius, cum non multo ante scripsisset ad Senatum, se nolle Imperium accipere nisi volente Senatu. Quia multi mallent interfici Imperatores, quam viuere non potiti hoc summo fastigio honorum. Quod & ipsi accidit. Chron. lib. 3. Philip. Melanch.

Regnandi cupido lanienas inter mortales excitat.

Varius Heliogabalus filius Bassiani, vt existimabatur, Mæsæ Auiæ calliditate & largitionibus factus est Imperator. Regnauit bienniū & septem menses. Superauit turpitudine omnes, qui in historijs infames sunt propter libidines. Nominatus est Sardanapalus, sed multo fuit cōtamination. Fecit Cæsarem Consobrinum Alexādrum, persuasus a matre & Mammęa, quæ metuebant oppresso isto, Imperium peruenturum ad alienum. Sed postea misit milites, qui Alexandrum trucidarent. Hoc cum Prætoriani resciuissent, qui Alexandri mores probabant, ipsum Heliogabalum in cloaca, in quam cōfugerat, interfecerunt. Postea tractum per carnifices in Tibrim abiecerunt. Deinde & matet Soæmis, & multi celerum ministri interfecti sunt. Ibidem.

Theodericus Rex Visigothorum, & Fridericus, fratrem suum Thurismundum, vt in regno ei succederent, interfecerunt. Theodericus deinde, cum tredecim regnasset annis, rursus a fratribus suis interfectus est. Chro. Sigebert.

Perseus Philippi Macedonum Regis filius, qua perfidia fratrem suum Demetrium, cum per eius virtutem regnum sibi præreptum iri vereretur, interfecerit, & ipsius deinde patris vitæ insidias struxerit, quas tamen ille morte præuentus euitauit, in præcedentibus expositum.

Volat. lib. 18. anthr.

Perpenna spiritibus vanis ob natalium splendorem elatus, aduersus Qu. Sertorium ducem clarissimum, eius gloriæ inuidens, coniurationem mouit, eumque ad cœnam multis precibus vocatum inter pocula incautum opera coniuratorum obtruncat. Breui deinde post a Cneo Pompeio Perpenna obtritus, captus & interfectus est, qui cum polliceretur se literas Pompeio ostensurum Principum vrbis Romę manu exaratas, quibus Sertorium in Italiam acciuerant: Pompeius Epistolas illas & codicillos Sertorij omnes collectos concremauit, eosque neq; ipse legit, neque permisit alium, vrbem magno metu hoc suo facto liberans.

Volat. lib. 23. anth.

Stauratius Nicephori filius a Michaele Curoplate sororio suo, cum pater Nicephorus & ipsi annis imperassent nouem, imperio deturbatur, tonsisque capillis monasterio includitur.

Attila fratrem suum Bledam Regem Hunnorum fraude interimit, eiq; succedens totus in excidium orbis animo fertur. Anno. 449.

Ælius Antonius Gordianus Tertius Imperator electus tātis virtutibus illustris fuit, vt a Romanis Amor & Deliciæ humani generis vocarentur. Qui cum aduersus Persarum Regem duceret exercitum, profligatisque

eius

eius copiis Antiochiam recuperasset, Philippum Arabem præfectum prætorio fecit. Is erga Imperatorem optimum ingratus & perfidus, concitata seditione eum natum annos duos & viginti interficit, datisque ad Senatum Romanum literis, Gordianum morbo interiisse fingit, seque ab exercitu Imperatorem electum & salutatum esse. Senatus verbis eius fidē habens Imperium ei confirmat. Qui cum annis quinq; regnasset, defecit ab eo Decius, qui regebat exercitum in Illyrico, vbi cum Imperator nominatus esset, aduersus eum expeditionem Philippus suscipit, sed Veronæ a suis militibus interficitur, Romæ etiam filius eius Philippus annos natus duodecim a Prætorianis trucidatus est. Qui dolo & vi imperiū rapuerat, eodē rursus vna cum filio vi & armis priuatus est. Decius autem ab eo filium sibi Cæsarē addens, secūdo imperij sui anno in bello aduersus Gothos interfectus est: Anno Christi 256. Adeo rara est in Imperij fastigio, regnandiq; libidine fœlicitas. Vide Auenti. lib. 2. & Chron. Philip.

Philippi Arabis erga Gordianū perfidia.

Post mortem Constantini Magni, filia facta diuisione Imperij patri successerunt. Cōstantinus natu maximus tenuit Hispaniam, Galliam, Alpes, & Britanniam. Constans Italiam, Africam, Græciam, & Illyricum. Constantinus minimus natu Orientem tenuit. Verum non passa est ambitio, vt quiete diu regnarent. Cum enim maximus natu Constantinus superbior & inquietior esset cæteris, non contentus suis Prouinciis fratri Constāti bellum intulit, vt Italiam occuparet. Sed cum ad Aquileiam peruenisset, prælio victus est a Constantis exercitu, & cum equus vulneratus Constantinum excussisset, multis ictibus confossus est, anno ætatis vicesimo quinto, Imperij nondum finito triennio. Accesserunt Constanti omnes prouinciæ, quas frater Constantinus tenuerat. Constans sublato Imperij æmulo, cum propter morbum articularem deditus voluptatibus gubernationem negligeret: In vrbe Augusta Rhetica contra eum factus est Imperator Magnentius, qui tunc præerat Rheticæ. Hic interfecit Cōstantem quiescentem in cubiculo, quæ mors eius eo fuit insignior, quod Magnentium antea in Illyrico ipse seruauerat tectum sua purpura, cum milites eum interfecturi essent. Audita Constantis cæde Constantius Tertius frater, vt puniret Magnentium, septuaginta millia hominum aduersus eum duxit. His occurrit in Illyrico cum exercitu triginta millium Magnentius, confisus robore Gallico & Germanico. Etsi autem victor fuit Constantius, tamen cædes tanta facta est, vt in eo prælio vires Romani Imperij ita cecidisse dictum sit, vt peregrinę gentes, quæ postea in Galliam & Italiam infusæ sunt, reprimi non potuerint. Magnentius victus Lugdunum fugit, vbi cum necasset amicos, quorum ei fides suspecta fuit, postea sibi ipse mortem consciuit, quin & frater eius Ducētius, quem Imperii consortem Magnentius assumpserat, ne in hostium manus peueniret, laqueo sibi vitam finijt. Vide Auentinum Chron. lib. 2. & Chronica Philippi Melancht.

Filij Constantini Magni.

Amalasuntha Theodorici Regis Italiæ filia, mater Almarici, Tendium sobrinum suum in spem successionis adoptarat. Is nō expectata fatali die Amalasuntham in balneo suffocandam curauit. Cumque annis septendecim regnasset, in cędem suam Gottos accēdit, habitus histrionici deformitate, quem palam passimque gestabat. Ritius lib. 1. de Reg. Hispan.

Almaricus erga Amalasuntham ingratus & perfidus.

Sanctius Quartus Hispaniæ Rex patrem suum Alphonsum Decimū e Germania redeuntem, occupato regno non admisit. Quatuor millia hominum trucidari iussit, quod in tumultu quodam Alphonsum fratris sui filium Regem appellassent. Rauis.

Sanctius impius & crudelis.

Henricus II. Alphonsi eius nominis XI. filius, frater Petri nothus, interempto Petro regno potitus est. Ritius lib. 3. de Reg. Hisp.

Victericus Rex Hispaniæ, antecessore suo Luyba cæso regnum occupa-

uit, adeptoque per fraudem dominatu septem potitus annis, eodem lethi genere perijt, quo Luyba. Rit lib. 1. de Reg. Hispan.

Henricus Sextus Apulos Siculosq; defectionem molientes prælijs cõpescuit, & in auctores exquisitis supplicijs animaduertit, quibusdam excoriatis, alijs excæcatis, & in palos actis, nonnullis, qui regnum affectarant, ignita corona redimitis. Propter hanc suppliciorum atrocitatem, Asper est cognominatus.

Plura exempla pete ex titulo de Superbia & Ambitione.

DE AVARITIA IN VECTIGALIBVS.

RHebeamus Solomonis filius cum stultis adolescentibus de regno cõstituendo temere deliberans, non solum nihil de oneribus populi remittere dignatur, sed grauiora etiam, quam a patre Solomone perpessi essent, minatus, populum alienat. Ideo tribus ab eo decem ad Ierobeamum deficiunt, ipse tribus duas Iudæ & Beniaminis tantum retinet. In conuentu Sichemensi Quæstor eius Adoramus lapidibus prosternitur, ipse populi irati furorem vix declinat. 3. Reg. 12.

Tiberius Cæsar cum deprehendisset Æmilium Rectum, quem Ægypto præfecerat, nimium a populo exegisse, super ea re iratus, rescripsit: Se tonderi velle suas oues, non deglubi. Solent autem Principes deglubere oues, cum grauiores exactiones subditis imponunt, quam vllo pacto ferre possunt.

Alexander Magnus cum occupandis regnis sine modo intentus esset, & pro Deo haberi vellet, Scytharũ legati immoderatam eius cupiditatem reprehendentes: Si inquiunt, Deus haberi desideras, non alijs sua eripere, sed bona largiri debebas. Sin autem homo es, humanæ condit. memor esto.

Agis Rex Spartanus, omnes vsurariorum tabulas in ignem coniectas comburebat.

Cato omnes fœneratores e regno Siciliæ eiecit. Vterque ab immoderatis grauaminibus, quibus subditi grauarentur, alienus, fœneratoribus in Republica bene constituta locum esse noluit, eo quod suis vsuris, quauis exactione grauius, inopem plebem pessundare soleant.

Imperator Seuerus adeo a grauandis subditis alienus fuit, vt beneficentia nihil prius, nihilque antiquius duceret, ideoque peculiares haberet codicillos, in quibus eos, quos afficeret beneficijs, consignaret, & si quem reliquis virtutibus præstare audiret, eum vltro ad petẽdum aliquid inuitaret, ne eius esset debitor.

Artaxerxes Xerxis filius, cognomento Longimanus dicere solebat: Regalius esse addere, quam adimere. Sentiens Principe dignius esse, honorem & opes eorum quibus imperant, augere potius, quam imminuere.

Refert Philippus Comineus, Mahometem Imperatorem Turcicum in Testamento nihil deplorasse vehementius, quam quod parum decentibus tributis & exactionibus subditos grauarit.

Id Cyri præcipuum erat studium, vt subditos suos ditaret. Quare & Persæ eum patrem nominabant, eo quod paternam exerceret erga suos ciues beneficentiam. Contra Darium negotiatorem vocabant, vt qui congerẽdis pecunijs vnice esset deditus.

Traianus Imperator initio procuratores habebat rapaces, qui prouinciales calumnijs expilabant. Quorum vnus fertur, vnumquemq; diuitum sic conuenire solitus: Quid habes? vnde habes? Hæc vbi dixerat, addebat tertium: Pone quod habes. Sed admonitus a Pompeia Plotina vxore, cohibuit eiusmodi vexationes prouinciarum, addens vocem optimo iure laudatam: Fiscum esse lienem, quod eo crescente, reliqui artus contabe-

Fiscus est lien.

scant:

scant. Sensit optimus Princeps iniquum esse, sic explere fiscum vnius, vt nihil habeant subditi, præsertim quum boni Principis sit, quicquid habet populus.

Sigismundo Cæsari allata erant ex Hungaria aureorum quadraginta millia. Cum autem aduesperasset, eaque in thalamo regio recondita fuissent, in cubiculum veniens Cæsar, dum cogitat in quemnam vsum eam pecuniam conuertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubicularijs: ite (inquit) ocyus, comitiarios ducesque omnes militum huc accersite. Vocati proceres media nocte trepidi (timebant enim, ne quid aduersi accidisset) imperatorem celeriter adeunt, & quæ causa sit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator confestim aperta arca, inter eos, qui aduenerant, pecunia distributa: Ite, inquit, secure tranquilleq; nobis dormi reliceat. Nam quod mihi somnum ademerat, iam procul aberit a periculo. Æneas Sylu.

Nicephorus dictus Generalis, auaritiæ cum esset inexplebilis, nouas vsque exactionum & corradendæ pecuniæ, non sine maximo subditorum grauamine, rationes exquisiuit. Inopes prouinciarum militare iussit, eisq; a finitimis arma & stipendia præberi, & inopum vectigalia exigi a locupletibus quę constitutio allolengyon, quod alij pro alijs sponderent, appellata est. Designauit & inspectores, quibus mandauit, vt publica vectigalia augerent, & pro Chartistico in singula numisinata binæ siliquæ poscerentur. Illi etiam fundos optimos quosq; dominis ereptos, fisco assignarunt. Ab ijs etiam, qui quomodocunque e pauperibus diuites euaserant, tanquam thesauros reperissent, pecuniam exigi iussit. Quos vel mercatores, vel officinarum Magistros pecuniosos esse norat: ijs maxima parte ademta perexiguum quiddam relinquebat, vt cuidam cereorum venditori fecit, quem cum magnę pecunię dominum esse cognouisset, accersitum, manu illius suo capiti imposita, iuratum dicere coegit, quantum auri haberet: illis, ducentum libras affirmante, vt eas afferret, hominem hortatus est. Ijs allatis, Non tibi opus est (inquit) tanto auro, & decem libris illi relictis; ipse reliquas sibi vendicauit, eumq; suę mensæ adhibuit, vnum Imperatorium prandium XC libris auri non sponte mercatum. Zonar. lib. 3. Casp. Hed. lib. 6. cap. 24.

Sylla Dictator tantam erga ciues Romanos tyrannidem exercuit, vt citra eius voluntatem, nemo vel vnius assis dominus esse, imo nec vita nec patria frui posset.

Iulianus aduersus Persas expeditionem suscipiens, grauissimis exactionibus eos, qui Christo nomen dedissent, premebat: reditus etiam Ecclesijs eripuit, ne possent ali docentes & discentes, & virulentos locos addidit. Se facere expeditiores ad regnum cœleste spoliatos facultatibus, quia in ipsorum libris scriptum sit: Beati pauperes, quia eorum est regnum cœlorum. Hist. tripart.

Constans filius Constãtini Iunioris, cum ob auaritiam odium suorum aduersus se concitaret, in Sicilia perfusus feruente aqua in balneo strangulatus est. Anno Christi 670.

Carolo Francorum regi eius nominis Septimo quotannis pendebant subditi decies bis centena millia Francicorum: Filius autem eius istis reditibus minime acquiescens, tributum sic auxit, vt quotannis quadragies centena millia coronatorum ei penderentur.

Pisistratus Athenienſium tyrannus decimas exigebat ab Athenienſibus eorum, quæ in agris prouenissent. Itaq; quum aliquando obambularet, videretq; senem quendam in saxis quibuldam (hoc est, loco petricoso) laborantem, rogabat quosnã fructus inde colligeret? At is respondens, Dolores, inquit, & spinacelos: atq; horũ decimas exigit Pisistratus. Porro tyrannus

Sphacelus.

rannus admiratus hominis libertatem, decimas Athenienſibus remiſit. Sphacelus autem morbi genus eſt, quod ex immodica defatigatione ſolet accidere. Quidam putant eſſe tormina articulorũ, quidam oſſium tabem. Heſychius indicat, quemlibet dolorem grauem ſphacelum dici.

Achæus rex Lydiæ, cum noua tributa a populo vellet extorquere, in factione populari ſuſpenſus eſt, pedibus ſurſum erectis, & capite in aquas Pactoli demiſſo. Ouidius:

More vel intereæ capiti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer aurifera reſte pependit aqua.

Antigonus rex Macedonum in extorquendis pecunijs acer erat ac rigidus. Cuidam itaque dicenti, At non talis fuit Alexander: Merito, inquit, Nam ille metebat Aſiam, ego culmos lego. Sentiens opulentiſſimã Aſiam prius ab illo ſpoliatam, ſibi a ſpoliatis corradendum quod eſſet. Plutar.

Antoninus Caracalla Imperator obiurgatus a matre Iulia, quod magnos pecuniarum aceruos per fas & nefas adeoq; per vim congeſtos temere dilapidaret: ſtrictum ei oſtendit gladium: O mater, inquiens, ne eſto ſolicita, hunc quandiu vibrare nobis licet, pecunia nos haud deſtituet. Vox hæc fuit conueniens Tyranno, cui quicquid libet, licet.

Iuſtinianus Iunior tanta fuit cupiditate, vt ciuibus & ſenatoribus aurum & argentum extorqueret, quod capſis ferreis ad hunc vſum factis includebat.

Cyrus eius fuit beneficentiæ, vt nullis exactionibus Perſas grauare ſuſtinuerit.

Darius pater Xerxis cum noua exactione ſubditos preſſiſſet, præfectos accerſitos interrogauit, iuſtone grauior ſubditis videretur exactio, qui cũ reſponderent, nihil inde iniqui grauaminis ad ſubditos permanare: nihilominus Darius exactionem mitigans, tantum dimidium tributi pendi iuſſit. Qua ſua beneficentia omnium ſubditorum animos & ad pendenda tributa faciles, & nouo quaſi beneficio deuinctos ſibi reddidit.

Licinius Gallorum præfectus.

Licinius Iulij libertus, ab Auguſto Gallorum præfectus cum conſtitutus eſſet, Gallos nouis ſubinde exactionum tributorumq; moleſtijs vexabat. Cum enim ſingulis menſibus tributum pendere Galli cogerentur, ille in quatuordecim Menſes annum diuiſit. Vnde cum graues querelæ de inſatiabili eius auaritia ad Auguſtum deferrentur, Licinius pecuniam per fas & nefas corraſam ei dono obtulit, offenſumque ita Imperatorem argenteis haſtis expugnatum ſibi placauit.

Peſcennius Niger, rogantibus eum Palæſtinis, vt ipſorum cenſitio leuaretur; eo quod regio eſſet grauata; ſatis inclementer reſpondit, Vos terras veſtras leuare vultis, ego etiam aerem veſtrum cenſere cuperem.

Pontificum Romanorũ auaritia.

Bonifacius Neapolitanus corradendæ potius pecuniæ, quam Eccleſiæ ſaluti intentus, nouis exactionibus ſubditos, adeoq; orbem terrarum vexauit. Legem tulit: Non licere cuiquam Sacerdotij, ad quod promoueretur, beneficium adipiſci, priuſquam primos anni prouentus Apoſtolico fiſco aut Pontificiæ Cameræ perſolueret. Volaterranus lib. 22. anthrop. Quo nomine male audiunt, Innocentius Octauus, Alexander Sextus, Xiſtus Quartus, adeoque plerique omnes. Nec enim alibi magis regnat auaritia, quam Romæ inter Cardinales & Pontifices, vbi auro omnia ſunt venalia.

Iugurtha cum pecunia Romanos exagitaſſet, iuſſuſque tandem eſſet a Senatu paucis diebus Italia decedere: poſtquam Roma egreſſus eſt, fertur ſæpe tacitus reſpexiſſe, & poſtremo dixiſſe: O vrbem venalem, & mox perituram, ſi emptorem inuenerit. Quod paulo poſt euenit. Romani quippe, antea cum inuicti eſſent, ſola auaritia victi ſunt, & antiquum nominis decus plane amiſerunt.

Romani auaritia victi.

Alexan-

Alexander VI. cum omnes excogitaret vias ad corradendã pecuniam, nouum etiam Scriptorum breuium instituit collegium, numero octoginta, quorum loca singula septingentis quinquaginta aureis veniere.

Cyri erga amicos & subditos beneficentia.

Nihil in Principe laudabilius beneficentia, qua subditorum potius salutis, quam fisci sui rationem habens ab exactionum tributorumque grauaminibus abstinet. Cuius virtutis nomine inprimis celebratur Cyrus rex Persarum, qui dicere solitus est, Similia esse boni Pastoris, & boni regis opera. Nam pastoris munus requirere, vt post eaquam iumenta fortunata reddidisset, deinde eis vteretur (quæ quidem pecudũ est fœlicitas) itemq; regem vrbibus & hominibus, quos ipse beasset, vti debere. Nihil mirum igitur ipsum, qui in hac esset sententia singulari contentione conatũ esse homines vniuersos obsequijs superare. Præclarum certe documentum dedisse Crœso perhibetur, quum is admoneret ipsum, fore vt in multa largitione pauper fieret, quum vni hominum ipsi liceat thesauros auri plurimos domi recondere. Quæsiuisse tum Cyrus dicitur: Et quantas opes habiturum me iam fuisse arbitraris, si quemadmodum tu iubes, aurum collegissem; ab eo tempore, quo cum Imperio sum? Respondisse Crœsum: Magnum quẽdam numerum. Et subiecisse Cyrum: Age vero, Crœse, mitte quendam cũm hoc Hystaspa, cuicunq; tu plurimum fidei es habiturus. Tu autem Hystaspa, inquit, circumito ad amicos, ac dicito, mihi quodam in negotio esse opus auro; iube copiam pecuniæ mihi quisq; suppeditet, quantum possit, eamq; describtam & consignatam literis Crœsi ministro ferendam tradat. Cumq; hæc quæcunque dixerat, etiam mandasset literis atq; obsignasset, dedit eas Hystaspæ ad amicos ferendas, adscribens ad omnes etiam, Hystaspam ipsum tanquam amicum suum exciperẽt. Is cum circuisset, & Crœsi minister literas adferret, inquit Histaspas: Etiam mecũ, rex Cyre, tibi agendum erit, vt cum diuite. Nam cum multis tibi muneribus adsum propter literas tuas. Et Cyrus: Ergo iam hic etiam thesaurus vnus est nobis, Crœse, tu cæteros considerato, ac rationes subducito, quantę nobis pecuniæ paratæ sint. Crœsus initis rationibus multo plura reperisse fertur, quam habiturum in thesauris fuisse Cyrum dixerat, si eas collegisset. Quod vbi patuit, dixisse Cyrus traditur: Videsne Crœse, mihi quoque thesauros esse? Tu vero me iubes eos colligentem inuidiæ metuet atque odio exponere, ac mercenarios custodes præficientem, his ipsis illos credere. Sed ego amicos locupletatos arbitror mihi thesauros esse, custodesque tum meis ipsius, tum bonorum nostrorum fideliores, quam si præsidiarios mercede conductos eis præficerem. Xenophon. lib. 8. pæd. Cyri.

Antonini philosophi erga subditos amor.

M. Antoninus Philosophus aduersus Marcomãos, Quados & Sarmatas bello suscepto, cum eximanito fisco pecunijs se destitutum videret, omnia sua Keimelia, mũdumq; vxoris muliebrem in foro Traiani publice vendidit, victis deinde hostibus bello reuersus, emptoribus reddita pecunia suos recepit thesauros, nec vllus eorum difficilem hac in re se præbuit. Hac arte humanitatis & beneficentiæ plena nouorum tributorum inrogationem Imperator optimus vitare voluit. Quin etiam victor reuersus erga omnes de Rep. bene meritos suam liberalitatem declarauit. Tributa aliquot prouincijs iam olim imposita remisit, monumenta fiscalium titulorum in foro comportata cremauit, legibusq; asperioribus mitigatis omnibus modis subditorũ animos sibi deuinxit, qui tanto eum amore prosequuti sunt, vt si quis imaginem eius domi repositam non haberet, læsæ Maiestatis crimen incurrisse vulgo iudicaretur.

DE CENSV AB AVGVSTO INDICTO.

AVgustus Imperator, anno ante Christum ex Virgine natum 28. vt exteris præsertim Germaniæ populis terrorem Romani nominis magnitu-

dine incuteret, Romanorum ciuium egit censum, ferunturq; censa fuisse quadragies centena & sexaginta quatuor millia Romanorum ciuium.

Anno deinde vrbis Romæ 751. iam incipiente, Herodis vero Iudæorũ regis 34. postquam Antigonum pepulerat: Census primus actus est in Syria sub Cyrenio, de quo Luc. 2. Cyrenij istius, quem Romani Pub. Sulpicij Quirinũ vocant, collega fuit M. Valerius Messala. Et facta est illa descriptio eo eo anno, quo Christus ex Maria virgine nasci dignatus est.

Anno deinde Christi 11. Cyrenius alterum censum egit in Syria anno 37. post bellum Actiacum, in quo Antonius ab Octauiano Cæsare victus est. Hic intelligitur quare dicat Lucas Euangelista: Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrenio, videlicet vt illam, in qua Christus natus est, ab hac discerneret.

Tributarias quoq; reddidit sibi Augustus cermaniæ gentes, per Tiberium & Drusum Germanicum. Cheruſci inter Salam & Hercyniam Syluam, Saxones cis Veseram, vbi iam VVestphalia, certum equorum numerum Romanis penderunt, Sueui inter Albim & Salam morantes certum auri argentique pondus: Sicambri & Frisij tauros, taurorumque & aliorum animalium pelles.

Fuit etiam peculiare apud Romanos tributum, quod vicesimariũ vocabant, eo quod vicesimus numus exigeretur. Quam pecuniã in templo Saturni reconditam adseruabant, nec nisi extrema vrgente necessitate ea vtebantur. Prægrandis auri argentiq; vis in isto Romani populi ærario reponebatur. Refert Plinius, inuenta ibi esse Sex. Iulio, L. Aurelio Coss. septem annis ante bellum Punicum tertium, auri pondo DCC. XXVI. argenti nonaginta duo millia, & extra numerum, CCC. & LXXV. millia. Item Sex. Iulio, L. Martio Coss. hoc est, belli socialis initio, octingenta XLVI. auri pondo, C. Cæsar primo introitu vrbis in ciuili bello suo, ex ærario protulit staterum aureorum XXVI. millia, & numero pondo CCC. Nec fuit alijs temporib. Resp. locupletior. Intulit & Æmilius Paulus Perseo regẽ Macedonico deuicto prædam pondo trium millium, a quo tempore populus Rom. tributum pendere desiit. Plin. lib. 33. cap. 3.

Aistulphus Nonus decimus Rex Longobardorum, Tyrannus crudelis & timidus, magnã erga Romanos exercebat crudelitatem, cosq; armis eo adigere conabatur, vt de singulis capitib. singulos sibi penderent aureos. Aduersus hunc Stephanus Pontifex Pipini Francici regis implorauit auxilium. Qui vt publicę paci consuleret, bis ingressus est Italiam. In prima expeditione Aistulphus cum in faucib. Alpium infœliciter pugnasset, fugit in vrbem Ticinum, ibi metuens obsidionem, promisit pacem, & dedit obsides. Redit igitur Pipinus in Galliam, sperans Italiam periculo liberatam esse. At Aistulphus post abitum Pipini contra pacta ad vrbem Romam accedit, facit magnas vastationes, & suburbana incendit. Rursus opem implorat Pontifex a Pipino, qui rediẽs non cõtentus promissis, cogit Aistulphum relinquere Rauennam, & alias vrbes Italiæ, quas partim Pontifex, partim Exarchi tenuerant. Aistulphus deinde cum regnasset annos octo, post factam pacem res nouas moliens, Apoplexia in venatione extinctus est. Vide Platinam in vita Zachariæ 1. & Stephani 11. Chron. Philip. li. 3.

Anno 1351. VVilhelmus Dux Bauariæ, Comes Hannoniæ, Selãdiæ, Hollandiæ, Phrysiæ, filius Imperatoris Ludouici Bauari, cum omnis erga afflictos subditos expers misericordiæ nouis eos subinde tributis & exactionibus grauaret, illi Tyranni matrem Imperatoris coniugem, vt legitimã harum regionum hæredem implorabant, quæ missis legatis per literas filiũ ab immani & impia tyrannide dehortabatur, sed & matrem & matris castigationes filius impius spreuit. Mater ergo collectas copias per fluuiũ Mosam aduersus filiũ educit. Vnde Hollandia in factiones distracta, lon-

go tem-

go tempore seditionibus est conflictata. Victa mater in Angliam aufugit. Filius tandem citra vllam sobolem in peccatis suis mortuus est. Hed. lib. 4. Chron. Philip. lib. 5.

Iustinianus Imperator pecuniam & temere profundebat, & per fas & nefas comparabat annua sub ipso tributa exaggerabantur, & noua excogitabantur. Quin ipsa etiam Imperatrix maritum longo interuallo, potentia superabat, & nouos eosque varios quæstus ingeniosissime reperiebat. Quibus de causis grauis aduersus eum seditio Constantinopoli exarsit, in qua non solum præclarissima tum vrbis tū Imperij monumēta incendijs ex furore præliantium excitatis consumpta sunt, verum etiam ciuiū quadraginta millia cæsa feruntur. Zonar. lib. 3. *Iustiniani auaritia.*

Diuinitus constituti sunt Principes, vt iustitiæ sint præsides, tutumque præbeant subditis hospitium. Quare dum suis exactionib. eos exhaurīūt & expilant, diuinitus etiam male administrati imperij pœnas ipsis irrogari, infœlicemq; eorum esse gubernationem nequaquam est mirandum.

Benedictus VIII. rogatus ab Henrico Imp. vt templum, quod Bambergæ struxerat, in cathedralem consecraret Ecclesiam: ea lege annuit postulatis, vt quotannis ea Ecclesia Romano Pontifici census loco numeraret centum argenti marcas, cum equo albo ac phalerato. At Leo IX. posiea Beneuentum vrbem ab Imperatore impetrauit, cui vicissim annuum censum a Bambergensi Ecclesia soluendum remisit, eiusque Episcopum pallio donauit Benno.

De Vectigali quod dicunt Ecclesiasticorum Sleid. hæc scribit. Augescēte indies Pontificū potentia, inter alias colligendæ pecuniæ rationes, hæc etiam inuenta fuit, vt Epis. & id genus alij proceres pro magnitudine ac modo annui prouentus, Romano Pontifici certam pecuniæ summam dependerent: vulgo vocāt Annatas, & vacantiarū reditus. Inuentū hoc alij tribuūt Ioanni XXII. alij Bonifacio IX. Titulus erat specioſus atq; popularis, nimirum, vt in bellum cōtra Saracenos atq; Turcas semper esset paratus thesaurus. Et quoniam id temporis erat sacrosan. Pōtificum authoritas, facile persuasum fuit omnibus. Angli soli, quantū ad minora sacerdotia pertinet, recusabant. Porro valuit ea lex ad Concilium vsq; Basiliēse. Tunc enim cū ex diuersis locis multæ deferrentur querimoniæ, decretum est factum, ne posthac aliquid exigeretur. Verum Eugenius Quartus irritū fecit Concilium illud, & qui sequuti sunt eum Pontifices, quū sibi nihil detrahi vellent, Episcopis ac reliquæ turbæ nō alio pacto Sacerdotia confirmarunt, quā si tributum illud persoluerēt. Sic adeo res in hoc vsq; tempus continuatur, quanquā non sine crebris & magnis offensionibus. Nam & anno 1500. quo tempore Cæsar Maximilianus inter alia de bello Turcarum, Imperij conuetus agebat Augustæ, decretum fuit, mittendā esse legationem ad Pontificem Alexandrum VI. vt Rempope consilioq; iuuaret, & prouentus illos hac potissimū de causa concessos olim, in hunc vsum contribueret Cæterum Archiepiscopis, aut Metropolitanis. vti vocant, insigne quoddā honoris arq; dignitatis cōfert Pontifex, e lino confectum atque lana: id vocant PALLIVM: redimitur autem magna vi pecuniæ, & quidem intra spacium trimestre, sicut ipsorum leges habent, neque licet Archiepiscopis inaugurare aliquem Episcopatui, nisi prius accepto pallio, cuius est vsus in peragendis sacrificijs atq; Missis: non traditur autem nisi fidem & obedientiam quis promittat per iusiurandum. Antiquæ vero, quas diximus, inde nomen habent, quod qui recens in demortui locum succesſit Episcopus aut Abbas, Pontifici Romano fructus integros vnius anni persoluere tenetur ex eo Sacerdotio. Sleid. lib. 4. Vide plura apud eundem lib. 22.

Sub Eugenio IIII. Romanis impoſita tributa duplicabantur, nouū et-

iam e vino instituebatur vectigal. Quam ob causam, cum post varia bella & tumultus Romam reuersus Eugenius postridie magna Cardinalium aulicorumque ministrorum corona septus ad Basilicam S. Petri ab hexaphoris deportaretur, populus aduersus Pontificem murmurare cœpit, cumq; seditioni res proxima esset, Pontifex indicto silentio, nouas ista vectigalia damnauit & abrogauit; protinusque læto populi plausu exceptus est, ijs, qui diris paulo ante eũ deuouerant, alta voce clamantibus: Viuat Eugen.

Themistotles quum apud Andrum argentum peteret, Duos, inquit, ad vos adduco Deos, Vim ac Suasionem: significans si minus impetret suadendo, se vi erepturum. At illi respondérunt, apud se quoque duas magnas esse Deas, Inopiam & Impossibilitatem, per quas non liceret dare quæ petebat.

Autor exactionis sero consilium suum deplorat.

Ostenditur Lutetiæ in foro frumentario os cloacæ, in qua sepeliri se iussit quidam, quem tero pœnituit mali consilij. Viderat regem tristem ac solicitum. Causa mœroris erat angustia rei pecuniariæ. Is quo regem subleuaret, suasit vt ex minutis etiam rebus, quas rustici deferunt in vrbem, vnum aut alterum æreum numulum exigeret, idq; in biennium duntaxat. Ex eo cum viderent in vrbe frequentissima colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt. Qui dederat consilium, quum videret se non idem authoritatis habere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, quo de se ipso pœnas sumeret inconsulti consilij, simulq; moneret alios, ne ad eundem impingeret lapidem, testamento cauit, vt in ea cloaca sepelirétur, in quam totius illi fori sordes confluunt, in quo manet etiamnum in hunc vsque diem exactionis executio. In lingua Erasmi.

Antoninus Pius tanta diligentia subiectos sibi populos rexit, vt omnes prouinciæ sub eo florerent. Otiosis salaria subtraxit, dicitans, nil esse crudelius, quam Rempub. ab ijs arrodi, qui nihil in eam suo labore cõferunt.

Huius filius Antoninus Philosophus, cum bellum aduersus Marcomannos, & Quados, vt supra dictum, gerendum suscepisset, ne populum tributis & exactionibus affligeret, principalem supellectilem, cum pecunia in stipendium deesset, subiecit.

Præfectos qui prouincias spoliassent, supplicio affecit, eorumque bona liberis quidem reliquit, sed ea lege, vt prouincijs ablata restituerent.

Eandem laudem meruit sua erga subditos beneficentia, dum ab omni auaritia fuit alienus Hadrianus Augustus, qui tabulas, in quibus debita continebantur, quibus prouinciæ publico ærario obstrictæ erant, & Romę in foro Traiani, & passim in prouincijs cremauit.

Barnabæ Mediolanensis Vicecomitis in grauandis subditis tyrannidem Paulus Iouius in eius vita describit, vbi inter cætera, Euaserat, inquit, Barnabas inexpiabile odium populi, se ipso acerbior & sęuior, durum & atrox eius ingenium senecta nihil molliente: quippe qui inopia rapax, in famis auaritiæ nomen immani crudelitate cumularet: Nam præter perpetua iniuria etiam atque atrocissimã lege promulgata, inquiri comprehendiq; eos iusserat, qui quinquennio ante cõtra vetus edictum apros occidissent, aut ex his vel in aliena mensa comedissent, vsque adeo inexorabili denunciatione, vt supra centum ex miseris agricolis laqueo suspenderentur, reliqui vniuersa substantia multati exilio solum verterent: Diuiserat enim per pagos venationibus opportunos multa millia venaticorum canum, grauissimo incolarum sumptu alenda curandaque, cum vicatim per familias distribuerentur, & præfecti venatorio apparatui multis cum ministris passim regiones circuirent, termendo super ea censuræ instituto singulos canes ex Indicis volumine inspectantes, vt insolenti iudicio, quos vellent,

verbera-

verberibus pecuniaque punirent, cum pari mulcta damnarẽtur, qui strigosos & graciles, tanquam inedia maligne eneruatos, & contra obesos tãquam nimia pinguedine inertes factos, aut impexis villis male curatos produxissent. Tyrannus hic a Iohanne Galeacio Vicecomite captus, & in Tritianam arcem ab se ædificatam deductus, septimo carceris mense, cum regnasset annos triginta, vixisset sexaginta sex, veneno extinctus est. Paulus Iouius Tomo primo Virorum illustrium.

Carol. IIII. tributum a ciuitatibus exigit.

Anno Christi 1373. Carolus IIII. cum ab Imperij ciuitatibus tributum exigeret, VImenses promisere septuaginta duo aureorum millia, Iudæi eiusdem ciuitatis viginti duo millia. Ciuitas VVerda, Nordlinga, Dunckelspuhl, Boppfingen, Eslinga, & octo trans Albim ciuitates, contribuerunt septuaginta millia: Memmingenses duo millia: Augustani triginta septẽ millia, Iudæi vero eiusdem ciuitatis decem millia. Quæ ante ista tempora, inaudita fuit exactio. Sequenti deinde anno Imperator Moguntiam versus tendens, Rheni ciuitates ad tributum pendendum cogere animum in ducebat, sed in eas redigebatur angustias, vt saluum ab Episcopo conductum petẽs trepida fuga Noricabergam peteret, nec vel æreum numulum a Rheni ciuitatibus acciperet. Chronica Sebastiani Franci.

Idem Carolus Quartus primus inter Germanos Imperatores filio suo VVenceslao emit imperium, quem anno millesimo, trecentesimo septuagesimo sexto, nõ nisi Principum animis multo expugnatis auro, quod de vectigalibus publicis diuenditis, atque ita reditibus Imperij vniuersis exhaustis atq; profusis in largitiones ambitiosissimas, ad Imperium euexit.

Anno 955. Hungarorum Rex Taxis cum maximas secum ducẽs copias Italiæ vniuersæ minaretur exitiũ, Berengarius misso ad ipsum filio decem argenteorum numorum medimnos ei offerens impetum eius auertit.

Mauritium Imperatorem excellentem & gloriosum, auaritia tandem perdidit, eumq; & vita & imperio exuit. Cum inducię inter ipsum & Caganum Regẽ Auarum factę essent, breui post violatæ sunt, Duceſq; Mauritij trucidarunt triginta millia Auarum, Sclauorum, & Gepidarum, & ceperunt tredecim millia hominum, quos Mauritius ad Caganum remisit. Deinde Caganus cepit duodecim millia Romanorum militum, seu Ducis Commentioli Thracis perfidia, seu alio casu. Caganus Pestilentia exercitũ eius infestante domum redire properans, offendit posse redimi captiuos, & pro singulis vnum aureum petit. Negat Mauritius seu auaritia, vt scribitur, seu pertinacia, se redempturum esse captiuos. Iratus igitur Caganus omnes trucidari iussit. Horum interitus cum magnum dolorem multis adferret, orte sunt in reliquis exercitib. seditiones, præsertim, quia & Petrus frater Mauritij Dux stipendia indigne pendebat, & in tantum odium venit Mauritius, vt in die natali Christi ingrediens in templum pene lapidibus obrutus sit. Cumq; varij essent in vrbe & in castris tumultus, milites ad Istrum Centurionem Phocam virum Thracium sublatum in clypeum iubent Imperatorem a toto exercitu nominari. Hic cum turbæ militaris acclamationibus nominatus esset Imperator, properat Constantinopolim, vbi eum in suburbano coronat Patriarcha Cyriacus. Ingressum in vrbem populus recipit. Et quia ad Chalcedonem Mauritius ægrotus cum coniuge & paruis filijs & filiabus fugerat, sequi eum Phocas Tyrannus iussit. Sunt q; in portu spectante Phoca primum duo iuniores filij Mauritij necati, deinde tres filiæ, post has mater Constantina filia boni Principis Tiberij. Spectauerat Mauritius filiorum & filiarum neces mirando silentio. Sed cum videt sanctam coniugem etiam feriri, hanc edidit confessionem suorum delictorum: Iustus es Domine, & rectum est iudicium tuum. Postea & ipsi Mauritio caput præcisum est, Cadauera in littore abiecta sunt, vt a populo conspicerentur, quæ [illegible] ab Eunucho quodã in Tẽplo

plo sepulta sunt. Hæc aliaque atrociſſima mala auaritiam Mauritij ſecuta ſunt. Chron. Philip.

Mauritij ſomnium.

Refert Zonaras & Paulus Diaconus Mauritium paulo ante mortem tali fuiſſe territum ſomnio: Putabat magnam turbam inſiſtere effigiei Seruatoris noſtri, quę ſupra æream portam eſt, & contra imperatorem vociferari, audiriq; vocem ex imagine, quæ Mauritium adeſſe iuberet, eumq; ſtatim adductum interrogari, vtrum in loco facinoris in captinos admiſſi pœnas dare maliet, in hac vita an in futura? Eum dixiſſe, in hac miſericors Domine, & audiſſe vocem, quæ diceret, Tradite eum ergo cum omni familia Phocæ militi. Quod eius ſomnium minimę vanum fuiſſe oſtendit exitus.

Phocæ ſcelera & pœna.

Nec vero diuinam vindictam Tyrannus effugit. Cum Mauritium interfici iuſſiſſet, mox crudelitatem in eius amicos exercuit. Poſtea toto imperij tempore vt homo ignobilis iniuſte nactus potentiam tantum ea ad priuatam vſus nequitiam & crudelitatem, deditus luxui & libidinibus rapuit aliorum coniuges, multos innocentes interfecit, exhauſit prouincias tributis. Domi igitur temulentia & ſtupris retentus ſinebat imperium alibi a Perſis, alibi ab Hunnis & Cagano vaſtari, ac ſceleratus exercitus, qui conſperſus fuit languine Mauritij, mox in Oriente pœnas dedit. Victor enim Cosroes duobus magnis prælijs, truc idata magna multitudine, reliquos abduxit captiuos. Cum igitur Tyrannus Phocas in odio eſſet, non ſolum populi, ſed etiam Principum, coniungunt ſe Priſcus, qui Mauritij tempore inter præcipuos Duces fuerat, & tunc Phocæ iener factus erat, & Heraclianus Africæ præſes, & Photius, cuius vxorem Phocas rapuerat, resque ita inſtruitur, vt eodem tempore Priſcus Thracium exercitum, & Heraclianus Africanum ad Conſtantinopolin adducant, & Photius cum parte militum Regiam occupet. Quanquam autem prętoriani arcere venientes conati ſunt: tamen Africanus exercitus trucidatis paucis temulentos illos diſſipauit, & vrbem ingreſſus eſt. Photius occupata regia cepit Phocam, & ad Heraclium filium Heracliani Ducem Africani exercitus adducit. Ibi milites adducto Phocæ brachia & pedes mutilarunt. Scribunt & execta eſſe pudenda, poſtea caput præciſum eſt. Hic fuit exitus Tyranni, qui antea Imperatorem ſuum Mauritium interfecerat, & poſtea multa ſcelera addidit. Agnoſcatur ergo & in hoc exemplo ira Dei, denunciata in his regulis: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Item, Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Chron. Philip.

Alagiſus ingratus, iniuſtus, auarus.

Immoderata auri cupido Alagiſum etiam Tyrannum perdidit. Alagiſum iſtum Ducem Tridentinum, cum interfecturus eum eſſet Bertharius Rex Longobardorum, filius eius Cunibertus ſua interceſſione ſeruauit. Deinde poſt mortem Bertharij regno expulit Cunibertũ ſceleratus Alagiſius. Qui regno potitus multa crudeliter & ſcelerate egit, cumq; aliquando numerandæ pecuniæ intentus eſſet, ſorte ei numiſma in terram de mẽſa decidit, ibi aſtans Abdonis filius ſublatum numiſma Tyranno reddidit, qui ad puerum conuerſus, Ingens, inquit, huius monetæ parenti tuo eſt copia, ſed, breui, ſi vixero, ea quoq; potiar. Hæc ita Tyrannus proferebat, a puero minus ea intelligi ratus. Verum ea cum ex filio ſuo intellexiſſet Abdo, Brixienſis protinus cum fratre Grauſone conſilio inito, rem eo deduxit, vt Cunibertus clam in vrbem Ticinum, dum venatui Alagiſius indulget, reciperetur, paternumq; regnum recuperaret. Quæ vbi reſciuit Alagiſius ingenti concitus furore per Placentiam, aliasq; Italiæ ciuitates exercitum colligit, votum faciens, ſi pulſo Cuniberto rerum potiatur, ſe in Sacerdotes & Clericos, quorum vehementi flagrabat odio, ita ſæuiturum, vt eorum teſticulis puteum impleat. Verum Alagiſum prælio vicit Cunibertus, eiq; caput & pedes præcidit. Caſp Hed. lib. 4. cap. 8 & 9.

Mammæa Alexandri Seueri filia, mulier auara, cum expilaret Prou in-

cias,

cias, & impediret liberalitatem filij erga milites, in causa fuit, vt Alexãder in odium militum veniret, qui facta coniuratione ad Maximum Thraciũ delato imperio, Moguntiæ Alexandrum cum matre Mammæa trucidarũt. Fuit alias magnis virtutibus insignis Imperator Alexander, Disciplinam militarem seuere rexit. Cum fustibus subijciebantur milites, qui socios iniuria affecerant, iussit præconem clamare, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hæc mandata Tribunis militum dedit: Si vis Tribunus esse, imo si viuere vis, manus militum contine: Nemo segetes atterat: Nemo salem, oleum, ligna auferat: Nemo cuem alterius rapiat: Annona sua miles cõtentus sit, ex præda hostium, non ex lachrymis prouincialium habeat. Stipendia constituit non solum docentibus literas & artes: sed etiam discentibus pauperum ingenuorum filijs. In templa aurum inferri vetuit, recitans Persij versiculos ex Satyra secunda:

Mammæa perdit auaritia.

Dicite Pontifices: in Templo quid facit aurum?
Quin superis iustos mores, castosq; dicamus.

Vide Chron. Philip. facta quoq; eius mentio in 8. Præcepto.

Theodosius Imperator in bello aduersus Maximum & Eugenium, Gotorum sibi adiunxerat auxilia, & stipendia eis dederat. Hæc cum deinde Arcadius & Honorius pendere nollent, bellum contra eos mouerunt. Erat autem Stilico ortus ex gente Heneta, inimica Gottis: Ideo contra Gottos & Francos attraxit in Galliam Burgundos, & Sueuos, Alanos, & alias gentes littori Baltico vicinas. Hæ fuerunt occasiones bellorum Gotticorum, & Vandalicorum, quibus in Occidente imperium dilaceratum est. Chronica Philippi.

Tiberius Imperator præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus scripsit: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere: hoc est, lanam non pellem detrahere.

Idem ab amicis interrogatus, cur raro Magistratus & Præfecturas mutaret? Respondit, se data hæc opera semper fecisse. Natura enim omnes, qui rerum administrationi præsint, pecuniæ esse cupidos, plurimumq; studij ad rem magis magisque augendam eos collocare. Cæterum si diutius in Magistratu versentur, segniores ad quæstum faciendum fieri. Muscas enim, si longius corporum vlceribus insideant, minus graues & molestas fieri, quippe sanie vlcerum ad satietatem vsque refertas: & eum qui vlceribus scateat, durius acceptum afflictumq; iri, si saturis iam repulsis, famelicas alias ad vulnera admittere velit.

Carolus Magnus testamentum ante triennium, quam decederet, fecit: Gazam omnem atque regiam supellectilem, Cæsareum cultum, aurum, argentum, gemmas, vestimenta, tragula, preciosissima rerum & vestium: vasa preciosæ artis vniuersa, ædium palatinarum instrumenta, æramenta, ferramenta, arma, discos, pocula, pateras, cantharos, trullea, pollubra, in duodecim partes more veterum diuisit. Nam, vt ait Varro, multa antiqui duodenario numero finierunt. Liberos duntaxat ex vncia hæredes instituit. Itidem vnciam legauit aulico famulitio: pauperibus atque egenis dextantem, nempe reliquas partes largitus est. Auream quoque mensam, item tres argenteas, in quarum vna Nea Roma, in altera Vetus Roma, in tertia orbis terrarum descriptus erat, quas magno pretio comparauit, vendi, precium pauperibus distribui iussit per Archiflamines, iuxta quorum numerum, legata pauperibus in vnum & viginti portiones diuisit: Quippe tot primariæ vrbes, quas Græci Metropoleis vocant, in imperio Caroli erant. Auent. lib. 4.

Caroli Magni testamentum.

Cum primo bello Punico ærarium esset exhaustum, nec impensis Respublica sufficeret, libræ pondus æris imminutũ est, constitutumq;, vt asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinq; partes factæ lucri, dissolutum-

que æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis. In triente vero & quadrante rates, quadrãs ante truncis vocatus a tribus vncijs. Postea Hannibale vrgẽte, Quinto Fabio Maximo dictatore asses vnciales facti, Placuitq; denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita Respublica dimidium lucrata est. Plin. lib. 33. cap. 3.

Interfecto Pertinace, Sulpitianus præfectus vrbis, socer Pertinacis, & Didius Iulianus palam & impudẽter mercati sunt Imperium. Sulpitianus promisit singulis prætorianis quingentos coronatos, videlicet sestertia viginti. Iulianus promisit sexcentos coronatos, & viginti quinque, videlicet sestertia viginti quinque. Ita vincit Iulianus, qui tenuit Imperium duos menses, & dies quinque. Cumq; esset heluo & aleator, nec daret promissa militibus, statim venit in odium, nominatoq; Imperatore Seuero interfectus est. Sic auaritia corrupti milites non quid e maiestate esset Imperij, sed vnde maxima lucri spes affulgeret, spectarunt. Vnde paulatim ruina Imperij secuta est.

Romanus Argyrus, cum initio gubernationis beneficum se & iustum exhiberet omnibus, paulo post mutatis moribus, facultates priuatorum, immoderatis & acerbissimis exactionibus exhausit. Cum annos imperasset quinq; morbo contracto ex veneno, quod vxor propinarat, toto corpore intumuit. Sic affectus cum ingrederetur in balneum, insidijs adulteri capite in dolium aqua plenum demersus, & cum iam expiraturus esset retractus, atq; in lectulo collocatus vitam finijt.

Ægyptij neminem in iudicum ordinem cooptarũt, nisi qui iam decem annos ab omni lucro sordido, & vsura immunis fuisset.

Alexandro Magno, cum Ægyptum occupasset, reditus indicabantur, sex millia talentorum.

Crates Thebanus Philosophus ingens auri pondus in mare abiecisse fertur, addita tali imprecatione: Apagite diuitiæ pessimæ, satius est, vos a me, quam me a vobis submergi: Innuens, haud fieri posse, & Philosophiæ & pecunijs simul operam dare.

Imperatori Claudio de penuria pecuniæ conquerenti, quidam consulebat, vt duobus se libertis, quibus vtebatur quæstoribus, collegam aliquandiu adiungeret, quæstorum in defraudandis Dominis, & corradenda pecunia notans malitiam.

VXOREM PROXIMI NON CONCUPISCENDAM.

FVisse tetras libidinum confusiones in Tyrrhenia, narrat Timæus. Occasio autem, qua Celtæ & Senones in Tyrrheniam adducti sunt, hæc fuit.

Lucumon tutoris rapit coniugem.

Adolescens nobilis Clusinus Lucumon, tutoris coniugem rapuit. Tutor hoc iusto dolore incensus, inuitauit Celtas, vt sedes quærerent in ea parte Italiæ vbertima, & scelus Lucumonis punirent. Ita cum Deus vniuersæ gentis Tyrrhenæ sceelera puniturus esset, egressi ex horridioribus locis Celtæ & alij, Tyrrhenos oppresserunt. Chron. Philip. lib. 2.

Pausaniæ Spartani, qui Dux ad Platæas fuit, tãta fuit modestia in victoria, vt cum eum adhortarentur quidam, vt capita interfectorum Ducum Persicorum affigeret cruci, sicut Persæ caput Leonidæ simili pœna affecerant, respondẽrit, se mortuos nulla cõtumelia affecturum esse, ac satis sibi esse, si iusta faciens & dicens Spartanis suis placeat. Fecit & alia modeste. Remisit captiuam nobilem ad suos. Sed idem Pausanias, cum postea Byzantium Græci occupassent, factus superbus & crudelis rapuit filiam præ-

Pausaniæ filiam Ci-

cipui

cipui ciuis Byzantij, & hanc noctu in subita consternatione interfecit. Id cum fecisset, ex statua editus est hic versus, pœnam denuncians.

uis Byzantij rapit.

Στεῖχε δίκης ἄσσον μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Deinde cum Persis fœdera facere conatus est, hac conditione, vt daretur sibi vxor filia Xerxis, & vt adiutus auxilijs Persicis Rex Gręciæ fieret, eamque Persico imperio subijceret. Reuocatus igitur ex Byzantio cum ephori eum deprehensuri, & in carcerem ducturi essent, fugit in Templum. Ibi cum audissent ephori ipsum fatentem crimē, inclusus fame perijt. Et mater Alcithea, cum muro fores obstruerentur, primum lapidem in ea obstructione locauit.

Xerxes post bellum Græciæ illatum reuersus in Asiam, cum fratris vxorem & filiam amaret, fratrem interfecit. Sequuta est igitur pœna incestas libidines, & crudelitatem, iuxta diuinas regulas: Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Item, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Aliquanto enim post Xerxes ab Artabano interfectus est.

Xerxes libidini seruit.

De incestis Xerxis amoribus Herodotus hunc in modum refert:

Sardibus agens Xerxes adamabat vxorem Masistis fratris sui, quę & ipsa illic erat. Ea cum potiri non posset, neq; donis missitandis, neque vi, quam afferre nolebat, fratris Masistis respectu: Quæ res & mulierem retinebat, probe gnaram, non se coactum iri vi: ibi Xerxes cętera prohibitus huc euasit, vt filio suo Dario in matrimonium daret filiam huius mulieris ac Masistis: existimās si hoc fecisset, commodius se illa potiturum. Cōtracto matrimonio, alijsque ex consuetudine celebratis, Susa profectus est. Eo postquam peruenit, & vxorem Dario domum duxit, ita demū ab vxoris Masistis amore cessauit, adamata, ex familiaritate, nuru Masistis filia, cui nomē erat Artayntę. Qua cum potiretur, processu temporis res patefacta est hūc in modum: Amestris vxor Xerxis, amiculū quod ipsa texuerat, grande atq; distinctum & spectatu dignum viro donauit. Quo ille delectatus atq; amictus ad Artayntam se confert, atq; vbi se oblectauit cum ea, iussit a se petere mulierem, quæ optaret sibi fieri in remunerationem obsequij. Omnia enim quę peteret impetraturam. Ad hoc illa respondens (debebatur enim toti familiæ infortuniū) Dabisne, inquit, mihi, quicquid a te petiero? Xerxes omnia alia potius eam petituram ratus, cum iureiurādo promisit. Qui postquā iurauit, mulier intrepide amictū poposcit. Xerxes enimuero recusare nō ob aliud, quam quod vereretur Amestrim: ne sic illa rem, quæ agebatur, iampridem suspicata deprehenderet: offerre & vrbes, & immensam vim auri, & copias militum, quibus nemo præter illam esset pręficiendus. Eximium autem donum est apud Persas exercitu donari. Verum cum non posset persuadere mulieri, amiculum dedit. Quod dono illa supra modum lęta, illo gestando supra modum gestiebat. Amęstris vbi mulierem habere amiculum sciuit, & rem gestam, non in puellā concipit odium, sed in illius matrem, penes quam culpam, & quam huius rei auctorem esse eredebat, exitium machinatur. Obseruato itaq; tempore, quo vir suus Xerxes regalē instrueret cœnam, quę cœna semel quotannis eo die, quo Rex creatus est, instruębatur. Cœnæ nomen Persice Tycta, Græce τέλειον, id est, perfecta. In qua Rex solū caput ornatur, Persasq; strenis donat. Hoc die obseruato, Amestris a Xerxe petijt, vt se Masistis vxore donaret: Xerxes id indignū factu nefariumq; arbitrari, vxorem germani dono dari, eamq; insontē negotij illius, cuius causa eum flagitaret. Tandem huius precibus euictus, & instituto, quo nefas est, Regia cœna apposita, orantē non exorare, inuitus admodum annuit, germanoq; ad se accersito ita inquit: Masista, tu Darij filius es, idemq; mihi frater, pręterea vir eximius, tamen cum ista muliere, cum qua cōtubernium habes, noli habere: in cuius locum dabo tibi filiam

meam, cum qua cōtubernium habeas. Iſtam autē, quam in matrimonio habes (non enim mihi videtur habenda) miſſam facies. His verbis ſtupefactus Maſiſtes: Domine, inquit, quam tu mecum orationem habes importunam, qui vxorem, ex qua liberi mihi ſunt adoleſcentes & filiæ, quarum vnā tu filio tuo duxiſti vxorē: iubes me relinquere, quę mihi eſt ex animi mei ſententia, vt filiam tuā vxorem ducam? Equidem Rex etſi magnifico me dignari coniugio filię tuę, tamen neutrū iſtorum faciam. Tu vero, qui nequaquā neceſſe habes, noli me cogere: alius nō inferior me exiſtet maritus filiæ tuæ. Sine me meæ vxoris conſuetudine frui. Hæc ille cū reſpondiſſet, percitus ira Xerxes: Atqui, inquit, ita tecum Maſiſta agetur, vt neq; iam tibi filiam meam nuptam dem, neq; tu cōſuetudine tuæ diutius fruaris, vt dicas accipere oblata. Maſiſta his auditis abijt, hactenus locut⁹, Domine nondum interemiſti. Hoc interim tempore, dum Xerxes cum fratre colloquitur, Ameſtris accitis ſatellitibus Xerxis, vxore Maſiſtæ excarnificat, mamillas præcidit, easq; canibus obijcit, præcidit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam remittit domum. Harum rerum cum nihil audiſſet Maſiſtes, metuens tamen aliquid ſibi eſſe mali, curſu ſe domum propiebat. Vbi vero mutilatam vxorem vidit, cofeſtim inito cum liberis conſilio, abijt Bactra cum illis, & alijs quibuſdam, tanquam prouinciam Bactriam ad defectionem inducturus, & plurimum mali Regi facturus. quod & contigiſſet (vt mihi videtur) ſi occupaſſet ad Bactrios & Sacas aſcendere. Etenim præſes erat Bactriorum, a prouincialibus que diligebatur. Sed hæc eum perpetraturum Xerxes audiens, miſſis aduerſus hominem copijs, & ipſum, & liberos, & copias in itinere trucidauit. Herod lib. 9.

Bellum inter Artaxerxe & Cyrū.

Ne inter fratres de regno certamina orirētur, Darius Nothus ante ſuā mortem filium natu maximum Artaxerxem Regem conſtituit. Tradidit autem ſecundo filio Cyro ſine regio nomine gubernandā Lydiam & Ioniam. Sed poſt mortem patris Cyrus ſiue a matre incitatus, quæ oderat coniugem Artaxerxis, ſiue alioquin ardens cupiditate dominationis, bellum fratri intulit, & magnum exercitum ex minore Aſia aduerſus fratrē vltra Euphratem duxit. Interea & Artaxerxes contraxit magnum exercitum, & cū Cyro dimicauit. Eo prælio victo & interfecto Cyro, captus eſt in caſtris Aſpaſia, mulier Ionica, quā Cyrus magis amauit quam cæteras cōcubinas. Adeo enim & forma & ingenio excelluit, vt nominata ſit ſophè kē calē. Hanc captam Artaxerxes valde amare cœpit. Cum autem filium Darium Regem creaſſet, & conſuetudo eſſet, vt die, quo pater filium Regē renunciauerat, liceret filio donū petere a patre, quodcunq; vellet, idq; patrem largiri oporteret, filius Aſpaſiam petiuit. Etſi dolebat eam pater a ſe abduci, dedit tamē. Nec multo poſt rurſus eripuit. Inde inter filiū & patrem orta ſimultate, filius incitatus, & adiutus a Tiribazo, conſtituto tempore cum armatis irrumpit in cubiculum patris, vt eum interficiat. Sed præmonitus pater effugit inſidias, & ibi Tiribazus, & cæteri comites armati a patris ſatellitibus interficiuntur, Filius Darius capitur, & poſtea re iudicata in principum conſilio (quia pater ſolus de filio Rege ſtatuere noluit) interficitur.

Aſpaſia cōcubina Cyri

Pœna inceſtæ libidinis.

Hæc pœna ſequuta eſt inceſtas libidines. Duxit autem pater vxorem filiam Atoſſam. Et cum iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arſamen ipſe interfecit. Alteri fratri tantum incuſſit terrorem, vt ipſe ſibi mortem conſciuerit. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui poſtea cū filijs perijt. & Cyri poſteritas prorſus extincta eſt. Et calamitas filiorum Artaxerxis Mnemonis inceſta conſuetudine polluti oſtendit, peccata in ſemine poſtea in ſobole puniri. Chron. lib. 2. Philip. Melanch.

Antonin⁹ Baſſianus Caracalla crudeliſſim⁹ & inceſtus. Initio imperij

fratrem

fratrem Getam natum ex Iulia, quem pater voluerat fratris collegam esse, interfecit, pendentem de collo matris Iuliæ, & clamãtem: Mater opem fer mihi, interficior. Ac mater non tantum sanguine filij respersa est, sed etiam vulnus in manu accepit. Hęc tamẽ postea priuigno Bassiano nupsit, & quidem inuitans eum. Cum enim quasi per negligentiam coram eo nudasset sinum, & ille diceret: Vellem si liceret. Illa contra ait: Si libet licet, An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Publice igitur eam duxit, & vxoris loco habuit.

Bassianus vxorem ducit suam nouercam.

Tandem cum multa turpiter & crudeliter fecisset, consilio Macrini prę fecti prætorio à satellite Martiali, cuius fratrem interfecerat, occisus est. Cadauer missum est nouercę, & vxori, Iuliæ, quę Antiochiæ erat. Illa supra corpus Bassiani iacens sibi mortem consciuit. Hic fuit exitus incestæ consuetudinis.

Sub Imperio Theodosij II. & Valentiniani, Romæ inter præcipuos erat viros Maximus, ex eius Maximi stirpe quem Theodosius ante annos aliquot bello vicit. Huic Maximo cum in ludo annulum detraxisset Valentinianus, mittit eum ad Maximi coniugem, & eam, simulans maritum hæc agere, vocat ad coniugem Imperatoris. Hac fallacia adductam in aulam Maximi coniugẽ vim comprimit. De hac iniuria cum apud maritum illa quereretur, cœpit is & de Imperio rapiendo, & de Valentiniano necando cogitare. Alienat eius animum ab Aetio, quem fingit appetere Imperium. Falsa igitur suspicione motus Valentinianus, iubet interfici Aetium optime meritum, vt Alexander Parmenionem interfecit. Postea cum interrogaret Valentinianus quendam: an existimaret iuste interfectum esse Aëtium, Nescio, inquit ille, an iuste eum interfeceris. Hoc scio te dextram tuam sinistra præcidisse. Nec multo post incitat Maximus duos milites Aëtij, vt Valentinianum Imperatorem interficiant. Ita pœnas dat libidinum, magiæ & necis Aëtij Valentinianus Tertius. Deinde Maximus rapit imperium, & ducit vxorem Eudoxiam secundam, quæ fuerat coniunx Valentiniani Tertij. Apud hanc cum iactaret Maximus, se amore ipsius, & spe huius coniugij morum interfecisse priorem maritum Valentinianum, irata mulier accersit Genericum ex Africa Romam. hoc aduenient Maximus cum fugere conaretur, interficitur à Romano milite Vrso. Chron. Philip. lib. 3.

Valentinianus rapit coniugem Maximi.

In Historia Heraclij considerandа etiam est incesti coniugij pœna. Prior coniunx Heraclij fuit Fabia Eudoxia, ex qua natus est filius, qui nominatus est Constantinus Iunior, cuius posteri aliquot retinuerunt Imperium, quanquam nouerca ipsum veneno necauit, vt Imperium ad filium natum in coniugio incesto transferret. Nam Heraclius post mortem Fabiæ duxit fratris filiam Martinam, ex qua natus est Heraclionas. Hunc vt faceret Imperatorem mater, veneno tollit Constantinum, sexto mense postquã patri Heraclio successerat. Adiuuit hæc consilia Pyrrhus Patriarcha, qui oderat Constantinum recte sentientem. Tenuerunt Imperium Martina, & filius Heraclionas non toto biennio. Nam Senatus eos cœpit, & matri linguam præcidit, ne oratione populum concitaret. Filio nares præcisæ sunt, & missi in exilium in Cappadociam, ibi in carcere mortui sunt. Pyrrhus Patriarcha ex fuga retractus interfectus est.

Heraclionas ex incesto coniugio natus.

Romanus Argyrus vxore priore relicta, alteram Zoen Constantini filiam duxit vna cum Imperio, ipse sexagenarius, Græcarum literarum, doctrinæ legum, Philosophię, ac plurimarum rerum cognitione excellens, & natura moderatus, quinquagenarium procacissimę & intemperatissimæ libidinis fœminam. Cumque paulo post apud impudicam coniugem venisset in odium, quæ Paphlagonem quendam Michaëlem deperire cœperat, morbo cõtracto ex veneno, quod vxor propinarat, toto corpore intu-

Zoë procax mulier.

muit. Sic affectus cum ingrederetur in balneum, insidijs adulteri capite in dolium aqua plenum demersus, & cum iam expiraturus esset, retractus, atq; in lectulo collocatus, vitam finijt, postquam imperasset annos quinque, menses sex. lib. 4. Chron. Philip.

Romani Sabinorum filias rapuit.

Romani cum Sabinorum filias rapere ausi essent, graue inde bellum inter vicinos populos exarsit, cumque ex proditione filiæ Tarpeij Romana arx Sabinis esset tradita, acre prælium, in quo vtrinque multi cecidere, in foro Romano inter Sabinos Romanosque ortum est, quod tandem interuentu mulierum fuit diremptum. Liuius 1.

Appius Claudius Virginij ciuis honesti filiam rapit.

Appius Claudius Decemuir Virginiam ingenuam puellam Virginij honesti & strenui ciuis filiam Icilio iuuen egregio iam desponsatam non ex Virginio, sed ex liberti sui seruo natam esse asserere audens, Virgini diem dicit, insanoque erga eam amore incensus, per vim sub iuris tamen prætextu, frustra Virgineo patre, sponsoq; Icilio, omnib. eorum amicis, & quotquot honestatis amantes erant ciuibus rei indignitatem fœditatemq; deplorantibus, ad stuprum rapere conatur. Cumque tyrannidi & viribus Decemuiri, iustitia, leges, & honestas cederent, & nihil vsquam auxilij videret Virginius, Quæso, inquit, Appi primum ignosce patrio dolori, si inclementius in te ium inuectus: deinde sinas hic coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit? vt si falso pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam. Data venia, seducit filiam ac nutricem prope Cloacinę ad tabernas, quibus nunc Nouis est nomen, atque ibi ab lanio arrepto cultro, Hoc te vno, quo possum, ait, modo filia in libertatem vindico. Pectus deinde puellæ tranfigit, respectansq; ad tribunal, Te inquit, Appi, tuumq; caput sanguine hoc consecro. Clamore ad tã atrox facinus excitus Appius, comprehendi Virginium iubet. Ille ferro quacunq; ibat viã facere, donec multitudine etiam prosequentiũ ruente ad portã perrexit. Icilius, Numitoriusq; exangue corpus sublatum ostentant populo, scelus Appij, puellæq; infœlicem fortunã, necessitatem patris deplorãt. Orto deinde & in vrbe & in castris tumultu, Decemuiri Magistratu se abdicare coacti sunt, ciuitati libertas restituta, & Appius in carcere morte sibi consciuit, & post eum Sp. quoque Oppius collega Appij in carcerem coniectus, ante diem iudicij finem sibi vitæ fecit. Bona vtriusq; à Tribunis publicata sunt. Reliqui eorum collegæ exilij causa solum verterũt, bona publicata sunt. Magister Claudius, Appij libertus, assertor Virginiæ die dicta damnatus, ipso remittente Virginio vltimam pœnam dimissus Tybur exulatum abijt: manesq; Virginię mortuæ, quam viuæ fœliciores per tot domos ad pœnas petendas vagati, nullo relicto sonte tandem quieuerunt. Liuius lib. 3.

Taberna Noua.

Alexãder Magnus, cum puella excubia iam nocte veniisset cum eo dormitura, rogauit Rex, cur tam sero venisset? Illa cum respondisset, se expectasse, donec maritus cubitum isset: Alexander ministros accitos acriter obiurgauit, quod aditum dedissent: Reducite, inquit, hanc, ne adulterij ansam mihi præbeatis. Egregium sane castitatis exemplum, tum in iuuene, tum in Rege.

Aiax Oilei, vt Poëtæ canunt, ob stupratam in templo Mineruę Cassandram, misere in fluctibus perijt.

Hippodamiam Pirithoi vxorem rapuerãt Centauri, quæ causa fuit cruenti belli apud Poëtas decantati.

Gramo in Dania regnante, Phinnorum Rex erat Simblus, inter quos cum de regni Sueciæ finibus orta esset contentio (obtinebat autem Sueciæ regnum Gramus) iamq; vtrinq; instructis aciebus armis decernendũ esset, ambo Reges colloquio instituto, nũ qua pacis ratio depositis armis iniri posset, consultabant. Erat autem Simblo Phinnorum Regi filia nubilis, liberali forma, honestisq; moribus prædita, qua conspecta, sic eius amo-

re Gra-

re Gramus exarſit, vt contra ritum gentis, de repudianda, quam habebat, vxore, & Simbli filia ducenda cogitaret, itaque ea lege pacem Simblo promittit, ſi filiã, quã haberet nubilem, ſibi deſponderet. Simblus armis ſuis diffidens facile oblatæ cõditioni acquieſcit, & vtrinq; ab armis diſceſſum fuit. Prius autem quam celebrarentur nuptiæ, Norvegiam bello Gramus petijt, & in tantas ſe difficultates coniecit, vnde difficulter ſe explicaturus videbatur. Qua vſus opportunitate Simblus filiam ſuã Henrico Saxonum Regi deſpondet. Cumq; nuptiæ regifico luxu apparatæ iam celebrarẽtur, omniaq; plauſu & lętitia reſonaret, ecce nemine quidquam turbarum aut mali ſuſpicante. Gramus de improuiſo, poſthabitis rebus Norvegicis in Phinniã copias ſuas ducit, tãta vſus celeritate, vt famã præuertens nuptias ſubito aduentu interturbaret, ſponſoq; Henrico Saxonum Rege interfecto, & Sponſam, & Simblum Regem captos inde abduceret. Crantius lib. 1. cap. 2.

Famoſa eſt Meſſalinæ libido, & obſcœnitas, qua adeo fuit quaſi veneno quodam dementata, vt non horruerit luſtra ſubire, & cum ijs quæ ex proſtitutis ancillis eſſent famoſiſſimæ, Veneris certamen inire. Hæc cum C. Appij Syluani Romani ciuis nobiliſſimi forma capta eſſet, nec eum, vt turpi ſuæ libidini ſatis faceret, adducere poſſet, ſe ab Appio de illicito cõcubitu ſolicitatam eſſe fictis criminationibus apud Claudium Imperatorem conqueritur, & inſonti capitale machinatur exitium. Xiph. in Claudio.

Diocletiani cõtinentia.

Diocletianus Imperator cum bello vxorem filiaſque Narſei Perſarum Regis cepiſſet, magna earum pudicitiam diligentia incolumem ſeruauit. Ea autem continentia non minus magnum ſibi apud hoſtes, quam armis nomen peperit. Quæ res Perſas mouit, vt quod ante de Romano Imperio occupaſſent, reſtituerent, atque in Romanis pluris virtutem, quam arma facientes pacem ab eis peterent. Fulg. lib. 4. cap. 3.

Franciſci Sforţiæ continentia.

Franciſcus Sforţia Princeps illuſtriſſimus, qui multarum virtutum ætate noſtra ſingulare exemplum fuit, cum Florentini populi copiarum Dux eſſet, vi capto Caſa noua oppido: quidam milites inſigni forma puellam captiuam ducebant clamantem, vt ad primarium Ducem deducerẽtur. Ad eum perducta, interrogante Franciſco Sforţia, quam ob rem ad ſe venire cupiſſet? reſpondit, vt eius voluntati obſequeretur, modo incolumem eam a militum iniuria ſeruaret. Cum forma inſignis videretur, & ætatis flos ipſe eſſet, parum ſe erraturum Franciſcus putauit, ſi volente ea potiretur. Itaque in lectum eam noctu adhibuit: & cum appropinquare, atque eam amplecti vellet, puella lachrymarũ plena, ad virginis Dei matris imaginẽ conuerſa (quam lecto è more affixam Franciſcus ſingulari veneratione colebat) rogauit, vt per illius, quæ in tabella erat venerationẽ, itẽ per famam, quę de ipſius bonitate apud omnes erat, ne eam virginitatis honore priuaret, ſed marito intactam potius reſtitueret, qui cum alijs captiuis in vinculis cuſtodiebatur. Adeo ingẽs Franciſci cõtinentia fuit, vt quanquam & formoſam & puellam in bello captã, nudam, prope ſe in lecto ſentiret, pudicitiæ eius conſpecto ſtudio, ſtatim e lecto proſilierit, maneq; accerſito ad ſe viro eam publice reſtituerit, adiurans nihil cum ea ſibi fuiſſe. Ibid.

Lacæna continentia.

Quidam Lacænam miſſo nuncio ſolicitauit, num aſſentirerur, vt ipſi ſui faceret copiam. Cui illa reſpondit: Quum eſſem puella, parenti obedire didici, idque feci, mulier autem facta viro. Itaque ſi me muitat ad honeſta, viro meo primum rem aperiat.

Cyri continentia.

Cyrus abſtinebat à conſpectu Pantheæ, & Araſpo dicenti, mulierem eſſe inſigni forma, dignam Regis oculis: Ob iſthuc ipſum, inquit, magis eſt illa abſtinendum. Etenim ſi nunc tuo obtemperans conſilio illam adiero, quum vacat, fortaſſis illa mihi perſuaſura eſt, vt ad ipſam frequenter

commeem,etiam cum non vacabit, eique assideam,neglectis seriis negotijs.

Alexander Magnus cum inuitaretur, vt Darij filias, quas habebat captiuas, inuiseret (prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma) noluit ire,dicens: Sibi non committendum, vt cum viros vicisset,à mulierib. vinceretur.

Rosimunda Alboini filia.

Alboinus Primus Longobardorum Rex,ex deuicti à se Cunimundi Gepidarum Regis cranio poculum sibi fecerat, cumque capto Ticino victor reuersus Veronam solenne instituisset conuiuium, iussit poculum illud afferri, coegitque coniugem suam Rosimundã Cunimundi filiam ex patris cranio bibere. Illa tũc dissimulato dolore, postea hortatur Helmechildum nobilem Longobardorum, vt Alboinum interficiat, & promittit ei regnum. Helmechildus dormientem Alboinum interfecit, deinde coactus fugere cum Rosimunda coniuge Alboini accessit Rauennam ad Longinum, vbi cum aliquandiu fuissent, Longinus nouas spes concepit potiturum se & muliere Rosimunda, & Longobardorum societate,quam adeptus velit se nominare Regem Italiæ, persaudet mulieri, vt venenum det Helmechildo, eiq; promittit coniugium. Illa præbet marito egredienti ex balneo venenum,quod cũ auide hausisset, veneni vim sentiens cogit Rosimundam reliquum haurire, quæ simul cum Helmechildo extincta est.

Fuit Anastasij tempore, Persarũ Rex Cabades, id est,glorioſus, cui Persæ,quia legem tulerat,ne adulteria sine violentia facta punirentur, regnũ ademerunt,eumque in carcerem incluserunt. Cum autem eius coniunx aditum ad eum peteret, tandem custos carceris ea conditione promisit se aditum concessurum esse,si secum concumberet. Illa marito hoc significat,qui spe liberationis iubet vxorẽ voluntati custodis parere. Quod cum faceret,mulier postea familiariter intromissa virum tandem liberauit, indutum muliebri veste. Qui cum euasisset,adiutus ab amicis regnum recuperauit,& fratrem,qui biennio regnauerat,interfecit. Philip. Chro. lib. 3.

Laidis meretrix.

Lais cum Eubatam Cyrenensem aspexisset,ardentissimo in eum amore cœpit flagrare, & de contrahendis inter se mutuo nuptijs, sermonem eidetulit. At ille metuens eius insidias, recepit sese id facturum. Nec tamen rem cum illa habuit Eubatas, sed caste sobrieque se gessit. Sponsio vero his conditionibus facta est, vt post ludos certamenque deberet rata esse. Cum igitur victor abiret è certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga fœminam, pictam Laidis imaginem deportauit secum Cyrenam, inquiens, se Laidem ducere, & pacta nõ præterire. Quam ob causam, mulier, quæ ipsi nupserat, maximam statuam Cyrenæ ponendam curauit, sic remunerari volens ipsius castitatem & modestiam. Aelian. lib. 10.

Apud Gortynios adulteri pœna.

Adulter Gortynæ in ciuitate Cretæ deprehensus, & in iudicium adductus,criminisq; conuictus,lana coronabatur. Ipsa vero coronatio eius redarguebat mollitiem,timiditatem,mulierositatem, & æstimata est ei publice quinquaginta staterũ summa: atq; ad turpissimã infamiam redacto omnes ad gerendã in Repub. dignitatẽ viæ sunt intercluſæ. Aelian. lic. 12.

DE CONIVGIO.

VIr vnius vxoris maritus erit. Quare & Adam, Hoc, inquit, os est ex ossibus meis,& caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum,& matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Genes. 2.

In arca Noæ, singulis maribus singulæ addebantur fœminæ, vt & specierum,& libidinum vitaretur confusio. Genes. 7.

Illustre coniugalis amoris & fidei, tum vxoris erga maritum obseruan-

tiæ ex-

tiæ exemplum historia Abrahami & Saræ ob oculos nobis ponit, in Genesi.

Ebrius & stolidus Nabal, vxoris suæ, quæ tam forma quã virtute excellebat, prudentia seruatur cum vniuersa domo sua, quam se euersurum iurejurando Dauides obstrinxerat. 1. Reg. 25.

Helcana vxorem suam Annam, cum dolore ob sterilitatem conficeretur, consolans coniugalem ei commendat & inculcat amorem, Nunquid non, inquiens, ego melior tibi sum, quam decem filij? 1. Samuel. 1.

Sara filia Raguelis, quod animo & affectu ad coniugium animus applicandus sit, in suis quas ad Deum fundit precibus ostendit: Tu scis, inquiens, Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. Tobiæ 3.

Angelus ad Tobiam, Audi, inquit, me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namq; qui coniugium ita suscipiũt, vt Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tob. 6.

Pia & sancta est doctrina, qua parentes filiam suam Saram cum marito abitum parantem informant, iubentes eam honorare socros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere. Tob. 10.

Propter stupra vitanda suam quisq; vxorem habeat, & suum quæq; virum habeat. Vxori vir debitam benevolentiam reddat, similiter autem & vxor viro. Vxor proprij corporis ius non habet, sed maritus. Similiter & maritus proprij corporis ius non habet, sed vxor. Ne frauderis vos inuicem, nisi fi quid ex consensu pro tempore, vt vacetis ieiunio & precationi, & rursum in vnum conueniatis, ne tentet vos Satanas propter intemperantiam vestram. 1. Cor. 7.

Augustinus. Quemadmodum mundus sine Sole, sic matrimonium sine prole.

Sara tanto liberorum desiderio angebatur, vt ancillam Agar Abrahamo viro suo copularet, spe suscipiendi ex ea sobolem. Genes. 16.

Filiæ Lothi cum excidio Sodomorum territæ nullos iam viros, ex quib. sobolem susciperent, superstites esse arbitrarentur, patrem inebriarunt, & spe conseruandæ posteritatis ex eo conceptos sustulere. Gen. 19.

Cernens Rachel, quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo, Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa, Habeo, inquit, famulam Bilham: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. Gen 30.

Anna suam sterilitatem deplorans, precibus suis ardẽtissimis ad Deum fusis filium ab eo impetrat. 1. Samuel. 1.

Eliseus Propheta, vt gratum se erga hospitam Sunamitidem, quæ sterilis erat, exhiberet, ei a Domino impetrauit filium, quem deinde mortuum resuscitauit. 4. Reg. 4.

Pretiosissima ornamenta esse matronis liberos, apud Pompeium Rufum Collectorum libro sic inuenimus. Cornelia Gracchorum mater, cũ Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima seculi illius ei ostenderet: traxit eam sermone, quousq; e Schola rediret liberi: & hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Val. Max. lib. 4 cap. 4.

Tuisco primus Germanorũ rex adulteria præsenti pœna cohibuit, nulla publicata pudicitiæ venia: ab paruulis duriciæ ac labori studere sobolẽ *Trifcorum Germano-*

præce-

rum disciplina.

præcepit, vt qui diutissime impuberes permanerent, maximam inter suos ferrent laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires, neruosq; confirmari putabat. Intra annum 20. fœminæ notitiã habuisse, in turpissimis haberi iussit rebus, quo sera iuuenum ætas, eoque inexhausta pubertas foret: nec virgines festinarentur, sed eadem iuuentus, similis proceritas, pares, validique miscerentur, ac robora parentum liberi referrent. Auent. lib. 1.

Veteres Germani coniugalem fidem sanctissime colebant. Corpore infames, quemadmodum ignauos, & imbellos, cœno ac palude, iniecta insuper crate mergebant. Dotem apud eos non vxor marito, sed vxori maritus afferebat. Intererant parentes, & munera probabant, non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comeretur, sed boues, scutum cum framea & gladio. In hæc munera vxor accipiebatur, atq; inuicẽ ipsa armorum aliquid viro afferebat. In ipsis auspicijs matrimonij nupta monebatur venire laborum periculorumq; socia, idem in pace, idem in prælio ausura passuraq;. Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciabant. Paucissima erant adulteria. Adulteram accisis crinibus nudatam coram propinquis maritus expellebat domo, & per omnem vicum verbere agebat. Cornel. Tacitus.

Disciplina hæc Priscorum Germanorum omni laude digna est, a qua posteri quantum degenerarint, arguit experientia. Fœda mollities iam laudi datur, scortationes & adulteria pro ludo habentur.

Socrates viros dicebat oportere ciuitatis parere legibus, vxores autem maritorum, quibus cum viuunt moribus. Norma coniugis vir est, quæ recte viuit, si ille publicis legibus obtemperet.

Theano Pythagoræ vxor rogata, quando mulier esset munda à viro: respondit, A suo semper, ab alieno nunquam.

Phocionis cognomento Probi vxor dicere solebat, suum mundum esse præclara gesta mariti: Ita frugalitatem suam excusauit, alijs matronis obijcientibus, quod parum pro dignitate culta esset. Eras. lib. 6. Apoph.

Cleobulus ęqualem vxorem ducendam esse suadebat. Si enim ex superiori familia duxeris, inquit, non affines tibi, sed dominos comparabis.

Antisthenes consulẽti cuiusmodi vxorẽ ducere expediret, Si formosam duxeris, inquit, habebis communẽ, sin deformẽ, habebis pœnã: iucundius id eloquẽs Græce, quibus quod ad voces attinet, minimum interest inter κοινὴν & ποινὴν, quod ad rẽ attinet, plurimum. Suadebat itaq; media stataq;, vt vocant, forma, ducendam, quæ nec fastidium viro moueret ob deformitatem, nec ob insignem formam peteretur ab adulteris. Aulus Gellius hoc dictum Bianti tribuit: Eras. lib. 7. Apoph.

Democritus dicebat, eum qui bonum generum nactus sit, inuenisse filium: qui vero malum, simul & filiam perdidisse.

Aureolus Philosophus rogatus, pauperne an diues vxor ducenda esset? Pauperem ait, alere difficile est, diuitem vero ferre, tormentum. Bruso.

Lycurgus cuidam percontanti, quam ob causam lege cauisset, vt sine dote virgines elocarentur: Vt inquit, neq; propter inopiam vllę relinquerentur innuptæ, neq; ob diuitias expeterentur, sed vt iuuenum quisq; ad puellæ mores respiciens, ex virtute faceret electionem. Eadem de causa fucos & ornamenta, quibus aliæ formam vel fingere vel commendare solent, ex vrbe submouit.

Lacæna quędam virgo paupercula roganti quam dotem sponso esset allatura? Pudicitiam, inquit, à maioribus traditam. Generose professa est, eã esse pulchre dotatam, quæ mores incorruptos afferret ad nuptias.

Chilo Lacedæmonius dicere solebat, vxorem humilem modico apparatu ducendam esse, ne pro coniuge dominam in domum accersas: sat enim

nim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum affert.

Adolescés quidam Atarnetes Pittacon consuluit, vtra sibi e duabus ducenda esset vxor. Nam duæ offerebantur: altera par opibus & genere: altera vtroque superior. At ille sublato scipione quo nitebatur, admonuit, vt pergeret ad tritia ciuitatis, quo pueri lusus causa conueniunt: eos consuleret, & quod illi dedissent cõsilij, id sequeretur. Pueri ex Prouerbiali cantione respondérunt: Æqualem vxorem esse ducendam. Itaque adolescés altera prætérita duxit æqualem. Est autē puerorum, τὴν ἴσην ἄγειν τέλλε æqualem tibi ducito, sumpta allegoria à turbine puerili, qui flagellis circumagitur. Agebat enim quisq; pro suis viribus turbinem sibi congruentem. Erasm. in Chiliad.

Pericles Athenienſium Imperator, duobus filiam eius ambientibus, quorum alter diues ac imperitus erat, alter vero pauper & studiosus, elocauit eam pauperi, inquiens, illum qui diues fieri possit, meliorem esse, quam qui iam sit. Stob.

Olympias Alexandri mater quum accepisset, adolescentem quendam aulicum duxisse vxorem eleganti quidem forma, sed famæ parum secundæ: Ille, inquit, non sapit, qui vxorem oculis non etiam auribus duxerit. Forma cernitur oculis, fama auribus deprehenditur. Quidam autem nec a uribus, nec oculis, sed digitis ducunt, solam spectantes dotem. Erasmi.

Themistoclem vnicę filiæ pater consulebat, vtrum eam pauperi, sed ornato, an locupleti, sed parum probato collocaret? Malo inquit Themistocles, virum pecunia, quam pecuniam viro indigetem. Quo dicto stultum monuit, vt generum potius, quam diuitias generi legeret. Val. Max. lib. 7. cap. 2.

Coniugum Castitas & Concordia virtutes sunt vere diuinæ, quarum exempla aliquot in sexto Præcepto exposita sunt.

Illustris apud Poetas est fama Penelopes, quæ nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adduci potuit, vt absente per viginti annos marito Vlysse castitatem corrumperet.

Nec minor gloria est Alcestidis, Euadnes, Laodamiæ, Deianiræ, Tyrûs, quæ morte sua, qua pietate coniugalem fidem castitatemq; coluerint, testatæ sunt.

Darius existimans vxorem suam ab Alexãdro victore fuisse interfectã, eiulatibus impleuit castra, atq; in hæc verba prorupit: Quid ego tantum nefas comminiſi Alexanderi Quem tuorum propinquorum necaui, vt hanc vicem sæuitiæ meæ reddas? Odisti me non quidem prouocatus. Sed finge iustum intulisse te bellum: Cum fœminis ergo agere debueras? Quibus verbis conijcere est, quantus fuerit Darij amor in vxorem. Rauis.

Publius Rubrius Celer vixit cum Cara Ennia vxore sua annos 43. menses 8. sine vlla querela.

Albutius vixit in coniugio cum Terentia Valentiniana annos viginti quinque, sine vllo iurgio.

Æmilius adolescens seipsum interfecit, quod delitescentem in vepribus vxorem pro fera interfeciſſet. Idem quoq; fecit Cyanippus Thessalus propter vxorem à canibus dilaniatam.

Iulia Cæsaris filia, & vxor Pompeij, quum vidisset vestem mariti sui infectam sanguine quorundam, qui iuxta Pompeium mutuis vulneribus se læserant, subito pauore consternata, & exanimis collapsa est, ex eaq; turbatione partum edidit immaturum. Plutarch.

Tescha Dionysij soror nupta Polyxeno, posteaquã maritus metu tyrãni profugerat, & rex Sororem accusaret, quod conscia fugæ mariti non indicasset, Adeone, inquit, Dionysi, me vilem, abiectiq; animi fœminam iudi-

cas,

cas, vt si sensissem illū moliri fugam, non me illi nauigationis, & omnium fortunarum comitem additura fuerim? Erasmus.

Repudium inter vxorem & virum à condita Vrbe vsq; ad vigesimum & quingētesimum annum nullum interceſſit. Primus autem Spurius Carbilius vxorē sterilitatis causa dimisit, qui quanquam tolerabili causa motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatē quidem liberorum coniugali fidei præponi debuisse arbitrabantur, sed quo matronale decus verecundiæ munimento tutius esset, in ius vocanti matronam corpus eius attingere non permiserunt, vt inuiolata manus alienæ tactu stolæ relinqueretur. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Henricus Imperator cognomento Sanctus, vxorem habuit Cunegundam Framoniæ stirpis Palatinam. De huius Cunigundæ cōtinentia & castitate plurima leguntur literis, monumentisq; prodita, multis affirmantibus, quod virginitas eius nunquam violata fuerit. Vide 6. Præceptum.

Pulcheria Theodosij soror, excellens fuit ingenio, eruditione, & pietate, & inprimis Pudicitiæ laude insignis. Hæc mortuo Theodosio, Martianum iam ingressum senectam, quod propter militiam non solum antecelleret auctoritate, sed etiam propter iustitiam & pietatem, ad coniugium, & Imperium inuitauit, sed hoc pacto ne eam attingeret, quia iam grandiuscula moritura esset virgo. Chron. Philip. lib. 3.

Dei donum esse liberos, Constātia, Henrici Sexti Imperatoris vxor, suo etiam docet exemplo. Anno Christi 1186. Fridericus Imperator ante discessum ex Europa consensu Procerum, Imperio præfecit filium Hēricum primogenitum, & despondit ei Constantiam filiam Rogerij Siculi, e monasterio eductam, quæ ad eum Siciliæ regnum attulit. Constantia etsi putaretur nūquam paritura esse, quod quinquagesimum annum attigisset, tamen grauida facta, & anno Christi 1193. 7. Calend. Ianuar. Panormi enixa est filium Fridericū Secundum, in sacello publico, quod vt spectari partus posset, extrui Henricus curarat, ne existimaretur esse suppositius. 4. Chron. Philip. Melanchth.

Ostenti loco habitum est, quod à virginis partu, trecentesimo quarto decimo supra mille, cum in Germania Lucelburgensis Henricus imperaret, Margareta Hollandiæ Comes, qua parte Rhenus Oceanum illabitur, trecentos ac sexta ginta filios viuos, ita, vt Baptismi characterem acciperēt, vno partu edidit. Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Anno Christi 1024. in Altaich inferiore, in Boiaria, mulier simul enixa est quinque filios. Auentin. lib. 1.

Babonis Comitis ab Abensperg filij.

Eadem tempestate Babo ille, qui adhuc canitur, Comes ab Abensperg, & Rōr, ex duabus legitimis vxoribus triginta filios, vel (vt fama adhuc est) duos & triginta, atque octo filias sustulit, educauit: totque simul liberos viuos, superstites reliquit. Fuit autem is Babo filius Baponis Schirorum Principis, frater Ottonis primi Schirensis Satrapæ, & Procurator Dominæ Cunigundæ Augustæ, præfectus vrbis Reginoburgensis, clarus in orbe tum Romano. Eundem diuus Henricus Secundus Imperator Augustus, tum Reginoburgij habitans, secum venatum, (vt mos est Germanorum Principum) cum paucis proficisci iussit. Babo sperans se tempus opportunum nactum, quo tantam sobolem Principi maximo commendaret, iuuenes iam puberes, scitos admodum & elegantes, cultu quoque & arte ornat, vnicuique comitem adiungit, cum tali prolis globo venatum procedit ad Imperatoreem. Ille visa tanta multitudine, Babonem accersit: sciscitaturque curnam cum paucis aduenire iussus, tot equites adduxerit. Babo respondet, cum vno equidem duntaxat famulo, sanctissime Pater, præsto sum. Qui igitur alij sunt, inquit Augustus? Suscipit Babo, & tui, inquit, Principum optime, famuli, filij mei, quos tuæ Maiestati exhibeo, co-

mitto,

mitto, quod bonum, faustum, fœlixque sit, talem electorum iuuenum & fratrũ cohortem, in pace decus, in bello præsidium dono do, vt ingenuam deceat sobolem maxima cura tibi educaui. Adolescentes solertes sunt, spero te dignos, & vtiles Reipubl. fore. Gratissimũ munus tale iuuenum fratrum examen Augusto fuit, singulos adolescentum benigne appellat, dextra & osculo excipit, filios nuncupat, secum in aula consistere iubet. Vniuersos paulatim præfecturis, vicis, prædijs stipendiarijs, castellis, parochijs locupletauit. Vnde plerosq; nobilium Narisciorũ, Vindelicorum, Noricorum, Charionum, Boiorum, Francorum, Rhenensium genus trahere, auctor est Auent. lib. 5.

Anno Christi 598. cum Hunni Auaresq; Italiam & Germaniam deuastarent, & Rex Auarum occito Sigulpho Duce forum Iulij obsideret: Rhomylda vxor Sigulphi capta amore Cacani, pacta eius nuptias, Forum Iulij Auaribus prodit. Hostes vrbem incendunt, infantes impuberes, & mulieres captiuos in Pannoniam superiorem abducunt, viros trucidant. Rhomylda quoq; cum liberis abacta non amplius vna nocte regis Auarum potita est. In campo enim Cacanus palo confixit, quæ patriam, liberos, cõiugem prodidit: haud alio (inquit) digna est marito. Eius duæ filiæ, Appa & Gela, longe matri dissimiles, pudicitiæ consuluere, crudæ carnis fœtore, quæ fascia pectorali mamillas cohibente, à virginibus ob castitatẽ seruandam posita, calore computruerat. Barbari natura fœtere ita Longobardorũ mulieres opinati, intactas reliquere. Ipsæ venditæ Boijs & Sueuis postea sunt. Appa Sueuorum, Gela Boiorum Regulo nupsit. Auent. lib. 3.

Rhomylda patria prodit.

Cum aliarum virtutũ simulachra brutis animalibus sunt impressa, tum etiam castitatis, & fidei coniugalis in Columbis & Ciconijs exempla habemus. Punitæ impudicitiæ exemplum inter Ciconias celebratur, quod in pago quodam Boiariæ Teigen accidisse perhibent. Ibi cum par Ciconiarum in tecti fastigio nido constructo ineubaret ouis, auolante quæ masculi sexus erat ciconia, vt pabulum disquireret: altera interim fœminei sexus ciconia in nido remanens, cum adultero ciconia, quotidie dum maritus abesset, aduolante, mixta est, statimq; à coitu, ne odore scelus proderetur, in fonte cãpestri se toto submersam corpore abluit, deinde reuersa quasi nullius sibi flagitij conscia oua pro more fouit. Id cum ex agricolis quidã obseruasset, & quotidie fieri miraretur, fontem, in quo mundare corpus adulterio cõtaminatũ solebat ciconia, obstruxit. Quod vbi factũ, adultera anxie circumuolans tandẽ mœsta corpore non mundato in nidum remeauit. Hinc altera Ciconia maritus eius subsequens, protinus corpus coniugis adulterio pollutũ sensit, eam nido eijcere nititur, qua reluctante, non reuersurus auolat. Relicta itaq; mater adultera pullos sola enutrire cogitur, donec inclinante se æstate, quo tempore Ciconiæ abitum parãtes vndiq; conuolant, & hæc suis comitata pullis reliquorum cœtui se aggregat. Ibi dictu mirum adulteræ maritus cum magno Ciconiarum agmine aduolare visus est, quę in adulterã impetu facto, eam vna cum pullis discerpserunt.

Castitatem in coniugio diuina comitatur benedictio. Rursus adulteria infinita sequuntur mala.

Bellum Troianum quod ex adulterio prognatum est, incidit in tempora Sampsonis Israelitarum iudicis. Laomedon rex Phrygiæ annos regnauit triginta tres, huic successit Priamus qui 40. annos regnauit. Cuius sororẽ Hesionen cum Græci rapuissent, interfecto patre rege Laomedonte, Priamus iniuriam sibi illatã vindicaturus, & par pari relaturus, filium suum Paridem Alexandrũ classe & iuuenum flore instructum in Græciã mittit, frustra illud dissuadentibus eius liberis, Hectore, Heleno, Cassandra, quæ vaticinabatur ex Paridis expeditione Ilij totiusq; regni Phrygiæ,

plurimorumq; virorũ secuturũ excidiũ, quod etiam Sibylla Erythræa suis canebat oraculis. In Græciam delatus Paris, Menelai regis vxore Helenam mulierem eius temporis formosissimam, violato iure hospitij, raptam in Phrygiam secum auexit. Qua irritati iniuria Græci magnis conscriptis copijs in Asiam expeditionem susceperc, decimoq; belli anno, per proditionem Ilium noctu occuparunt, ciuitatem diu eptam incendijs deuastarunt, cumque in omnes sæuirent, à solo Æneа, & Antenore ius omne belli abstinuerunt, nec tamen in patria terra sedem manentem eos eligere passi sunt: Helenus cum vxore Andromache captus in Græciam à Pyrrho abducitur, regnumq; Chaoniæ adeptus est. Nepe ob vnius mulieris raptum exitiali bello Europa & Asia collisa est, & innumeri incerta victoria vtrinq; periere. Quin etiã capta & diruta vrbe Græci victores variis iactati casibus misere interiere. Agamemnon domum reuersus ab vxore Clytemnestra, & adultero Ægysthо perfide & crudeliter interfectus. Patris deinde sui mortem vlciscens Orestes, Ægysthum matremq; suã Clytemnestram occidit, adiuuante eius conatum & consilia sorore Electra. Iisdem Nestor amisso omni comitatu domum redijt. Diomedes exul in Iapygia, quæ est pars Apuliæ, sedem sibi legit, cum regnũ eius obsideret aduleter Sthenelus, qui & vxorem eius Ægyale aduleram duxerat. Teucer in patris conspectum prodire ob Aiacis mortem, qui furore percitus, proprio incubuerat gladio, ausus non fuit. Vlysses amissis omnibus socijs domum sub habitu mendici post annum vicesimum in patriam prodcorum insolentia afflictam redijt, & a filio deinde Telegono occisus est. Achilles cum nuptias Polyxenæ Priami filiæ iam sibi polliceretur, ex insidijs à Paride in templo Apollinis Tymbræi sagitta confixus est. Filius eius Pyrrhus nuptias parans cum Hermione Menelai Regis filia, ab Oreste Agamemnonis filio in templo Apollinis Delphici trucidatus est. Menelaus in Ægyptum vsque ventorum impetu delatus, post exhaustas multiplices ærumnas tãdem in patriam reuersus est, vbi ex cæde Agamemnonis omnia turbarum & luctus plena offendit. Aiax Oilei fluctibus submersus perijt.

Cadmea victoria.

Ex Assyrijs Regibus vltimus Monarchiam tenuit Sardanapalus, quem aiunt fucis pinxisse faciem, & in Cynæceis omissa imperij cura, obscœnis voluptatibus deditum fuisse. Propterea duo Principes, præfectus Babylonicus Phul Belochus, & Arbaces Medus, bellum aduersus eum mouerunt. Narrant quidam ab Arbace Medo interfectum esse. Sed Duris scripsit, eũ incensa regia Babylonica sese & mulieres, & reliquam turbam, quæ ibi fuit, incendio perdidisse. Et quidem intendium duravisse dies quindecim, Chronicorum lib. 2.

Pugna Leuctrica, quæ ob raptas & crudeliter interfectas Scedasi filias Lacedæmoniorum vires contriuit, in sexto Præcepto exposita est.

Antiochena calamitas sub Theodosio.

Calamitas Antiochena, qua septem hominum millia interfecti fuere, ex turpi Aurigæ facinore, quod adolescentem ad stuprum rapuisset, promanauit. Historia supra posita.

Tenedij lex in adulteros.

Rex olim Tenedius Legem tulerat in adulteros, vt vtriusq; corpus secundi conciderctur, cuius deinde legis exemplum etiam in filium edidit. Proinde in numismata insculpi iussit, altera ex parte securim, altera duos vultus ex eadem ceruice prominentes. Heraclid. in Ponticis. Steph. de Vrbib.

Pœna adulterij apud Ægyptios.

Apud Ægyptios ei, qui mulierem liberam violasset, virilia execabãtur, quoniam vno crimine tria haud parua scelera complexus esset: Iniuriam, Corruptelam, & liberorum confusionem. In adulterio spontaneo deprehensus virgis cædebatur ad mille plagas. Mulier naso mutilabatur.

Rudolphus Gonzaga cum esset in castris, vxorem parum pudice agere certior factus est, itaq; inde profectus ad ea loca, in quibus vxor cum adultero erat, ambos manu sua occidit, cum ante vxoris faciem adulteri san-

guine

guine respersisset, non sine graui verborum contumelia, nulla quod nobilissima gente orta esset habita ratione. Fulgos. lib. 6. cap. 1.

Ludouicum Gonzagam in adulterio deprehensum Mantuani capite truncauerunt. Rauis.

Pragæ in Bohemia anno Christi 1530. Iudæus, qui cum Christiana rē habuerat, dolio picato per foramen virile pudendum indere iussus, serrato & obtuso cultro iuxta oppositum, cū vi caloris torqueretur, sibi ipsi partes, per quas peccauerat, amputauit: cumque cruentus fugeret, immissis atrocissimis canibus laceratus est. In Theatro vitæ.

DE CONIVGIO ITERATO.

OLim apud Romanos infames habebantur, quæ mortuo marito alteri facile nuberent. Quæ laude digna fuit morum grauitas, & disciplina. Luctui tempus destinatum erat decem mensium. Hoc vero seculo ea morum inoleuit leuitas, vt non expectato funere, iam marito decumbente, de alto, cui nubat, sit vxor solicita. Itaq; vt viduarum quod sit verum decus, & quanta sit facile nec iusto expectato tempore, coniugium iterantium fœditas innotescat, exempla quædam tum coniugalis constantiæ, tum leuitatis subnectere visum est.

Iuditta post mortem viri Manassæ secundas nuptias perpetuæ castitatis amore vitans, annum quintum & centesimum attigit, illustre tum pietatis tum pudicitiæ in toto Israele exemplum.

Nec minus illustris gloria est in historia noui testamēti Annæ filiæ Phanuelis, quæ cum viro annis septem à virginitate vixerat, deinde precationibus & ieiunijs vacans, alteri marito nubere non sustinuit. Luc. 2.

Inter illustres matronas, quæ nuptias iterare parum duxerunt laudabile, non postremas sibi vendicant Nathalia, Martyris Hadriani vxor, Paula Romana, Galla Romani Cōsulis vxor, Euphraxia, quæ Imperatoris etiam Theodosij nuptijs exilium prætulit. Quarum facta est mētio in sexto Præcepto. Vide Marul. lib. 4. cap. 8.

Coniugalis fidei & amoris exemplum insigne cornices & turtures nobis exhibent. Cornix cum sua priuatur compare, nunquam alij se coniungit, sed omnem, quæ ipsi restat, ætatem in statu viduo transigit. Turtur, omissa coniuge, nec frondenti ramo insidet, nec aquam limpidam, sed pedibus prius turbatam haurit. Qui mos etiam lyncibus ineſſe traditur.

Dido, ne post mortem Sichæi mariti sui Hiarbæ Getulorum Regi nube re cogeretur, seipsam interfecit. Nam quæ de eius amore erga Æneam feruntur, fabulosa sunt, qua de re extat Epigramma Græcum ab Ausonio Latinitate donatum, in Didonis imaginem conscriptum: *Didonis castitas.*

Illa ego sum Dido vultu quam conspicis hospes,
Assimilata modis pulchraq; mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens,
Vita nec inceſtis læta cupidinibus.
Namq; nec Aeneas vidit me Troius vnquam,
Nec Libyam aduenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens atq; arma procacis Iarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, casus quod pertulit ensis,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse iuuat, vixi sine vulnere famæ,
Vlta virum positis mœnibus oppetij.
Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret vt nostra damna pudicitiæ?

Vos magu historicis Lectores credite de me,
Quam qui furta Deûm concubitusq; canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisq; Deos assimilant vitijs.

Antonia Drusi vxor amorem mariti sui egregia fide pensauit: quæ post eius excessum, forma & ætate florens, cubiculum socrus pro coniugio habuit, in eodemq; thoro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. Val. Max. lib. 4. cap 3.

Cum laudaretur apud Portiam minorem mulier quædam, quæ tamen iterarat matrimonium: Fœlix, inquit, ac pudica matrona non nubit, nisi semel. Non passa est illam inter bene moratas numerari, quę citra necessitatem alciscerct alterum virum. Nam multas huc cogit egestas. Porro coitus gratia nubere, non est vere pudicarum. Eoq; dixit, fœlix, excusans necessitatem.

Martia Catouis filia minor, quum diutius lugeret maritum, rogata quę esset habitura diem luctus vltimũ: Respondit, quem & vitæ. Sic illa ethnica magno sane cum dedecore plurimarum Christianarum, quæ viro nondum elato iam nupserunt. Erasm. in Apoph.

Apud Priscos Romanos, quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipuæ matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile in publicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experietiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.

Annia, propinquis admonentibus, vt alteri nuberet: esse enim illi & ætatem integram, & faciem bonam, quorum alterum spem faceret prolis, alterum promitteret amorem mutuum: Nequaquam, inquit, hoc facia, si enim bonum virum nacta fuero, nolo timere ne perdam: Sin malum, quid necesse est, post optimum perpeti pessimum.

Valeria Messalarum soror, rogata cur amisso Seruio viro, nulli vellet nubere: Quoniam, inquit, mihi semper viuit maritus Seruius.

Martia rogata cur à morte mariti nollet iterum nubere: Quoniam, inquit, non inuenio virum, qui me magis velit, quam mea. Non probauit coniugium, quod non conciliaret amor mutuus. Quæ ducitur dotis causa, conductum habet concubium verius quam coniugem.

Barbara Imperatrix lasciua mulier.

Barbara, quę Sigismundi Cęsaris vxor, & eo fatis functo vidua superuixit, cum diceret ei quidam imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito, perpetuam castitatem seruauit: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres iubes, cur non columbas potius, passeresq; proponis?

Mater Dionysij vetula.

Dionysius matri suæ præter ætatem nubere cupienti: Ciuilia, inquit, ô mater iura violari possunt, naturæ ius nequaquam. Significans contra naturam esse, si vetula, quæ parere non potest, nubat.

Rhodogune Darij filia, mortuo marito, nutricem dedit morti secundas nuptias suadentem.

Aurelia Iouiani Pontani filia natu maior, amisso Paulo marito, cum pater eam ad secundas nuptias hortaretur, Cur tu, inquit, pater, nuptias secundas non inis? (erat enim is etiam viduus.) Quia, respondit, nullam matri tuæ similem me reperturum confido. Eadem cura (respondit illa) me quoq; versat pater, quod mihi placiturum Paulo æque similem sperem neminem. Adrian. Barlandus.

Eudocia Constantini Ducæ vxor

Constantinus Ducas ante mortem Imperium commendauit Eudociæ coniugi, iuramento obligatæ, ne id cuipiam concederet nisi natis ex ipso filijs Micaeli, Andronico, & Constantino. Eudocia ergo susceptа administratione, etsi vt erat ingenio astuto & solerti, temporibus tranquillis Imperium filijs impuberibus conseruare potuisset, tamen quod ingruentem

vndiq; vim hostium pertimesceret, & lacero ac ruēti Imperio videret strenuo propugnatore opus esse, oblita iuramenti, quo marito viduitatē spoponderat, maritum sibi delegit alterum, natum ex familia militiæ laudibus celebri, Romanum Diogenem sex post obitum prioris mensibus, & aliquot diebus elapsis. Romanus Diogenes propter connubium Eudociæ Imperio potitus mox contra datam fidem exclusa Eudocia suo consilio & arbitrio omnia administrare cœpit. Moto deinde aduersus Turcas bello, ipse tandem ad Theodosiopolin pugnans, equo ex lethali vulnere collapso venit in hostium potestatē. Adductum ad sese Axan Sultanus honorifice tractauit, & pactus cum eo fœdus certis conditionibus, sanciendum connubijs liberorum, incolumem ac muneribus ornatum dimisit. Interea quod in odio esset apud Eudociam coniugem & liberos ex priore marito natos, Byzantini absenti Imperium abrogatum Micaeli natu maximo Constantini Ducæ filio tradiderunt, qui Diogeni reduci præter iurisiurandi fidem capto, oculos eruit, ex qua re, cum vulneris curatio negligeretur, capite toto intumescente & verminante, misere mortuus est, post annum tertium & mensem octauum Imperij. Chron. Philip. lib. 4.

Constantinus Leonis filius vxore repudiata aliam ducit. Equeis vxorem repudiatam recipit.

Constantinus Leonis Quarti filius, cum septem annos, inuita matre Irene regnasset, mater nacta occasionem, quod filius vxorem dimiserat, & in monasterium incluserat, & aliam duxerat, mittit certos homines, qui filium caperent. Hi capto effoderunt oculos, qua ex re post paucos dies dolore extinctus est. Chron. Philip lib 3.

Domitianus Augustus, equitem Romanum iudicij honore priuauit, quia vxorem quam vt adulteram repudiauerat, in cōiugalem thalamum recepisset. Fulgosus lib. 2. cap. 4.

Refert diuus Hieronymus, Romæ quēdam ætate grandem, cum viginti vxoribus, quas ordine, altera post alteram fatis concedente, duxerat, superstes fuisset, vicesimam primam duxisse vxorem, quæ & ipsa vetula iam nouendecim viris, quibus ordine nupserat, superstes erat. Quę res cum nō minimam omnibus admirationem moueret, maritus tandem isti quoq; vetulæ, quæ tot maritis superfuerat, cum superstes esset, imposita capiti corona, triumphantis ritu funus eius sequutus est.

DE HVMILITATE.

ABrahamus coram Domino se humilians: Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Genes 18.

Iacob coram fratre Esauo se humilians, eius, quem & iratū & immitem fore metuebat, gratiam & animum vere fraternum expertus est. Gen 33.

Moses coram Domino se humilians, Dux populi Israelitici esse horret. Sed à Domino confirmatus, eius se voluntati fideli & obedienti animo submittit.

Gedeon ab omni ambitione alienus, Ecce, inquit ad Angelum, vt dux esset populi, diuinitus iubentem, familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Iudicum 6.

Idem cum Principatus ei à populo offerretur: Non dominabor, inquit, vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. Iud. 8.

Saulus cum in Regem à Propheta Samuele vngendus esset: Nunquid nō, inquit, filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima, inter omnes familias de tribu Beniamin? Idem domi se abscondit, cum eum populus quæreret, vt Regem eum crearet. Iud. 9.

Dauid cum ei Saulis Regis filia despōsanda esset: Quis inquit, ego sum, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis?

Miranda eiusdem & humilitas & patientia fuit, in perferendis maledictis Simei. 2. Reg. 16.

Mephiboseth, serui sui Sibę contumeliam qua tulit patientia? dū coram Rege se humilians, non fuit, inquit, domus patris mei, nisi morti obnoxia Domino meo Regi: Tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ. Quid ergo habeo iustæ querelæ? aut quid possum vltra vociferari ad Regem? 2. Reg. 19.

Ochoziæ Dux ille quinquagenarius, humilitate sua & suā & quinquaginta suorum militum animam saluat, cum duo priores Duces superbius Prophetam alloquentes igne cœlitus demisso absumerentur. 4. Regum 1.

Nabuchodonosor propter superbiam eiectus è Regno in solitudinem syluestrem fugit, & bouis pabulo vtitur, cœli tempestatibus sub dio obnoxius, & mente atq; sensu, animante bruto nihil senior. Ad sanitatem post annos septem rediens, in solium regium rursus collocatur, qui post id tempus animo humili gratoque Deum colit, & eius bonitatem admirabilem suis edictis prædicat. Daniel. 4.

Cum Sesac Rex Ægypti munitissimas Iudæ ciuitates cepisset: Semeias Propheta ingressus est ad Roboam, & Principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem, fugientes Sesac: dixitq; ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. Consternatiq; Principes Israel & Rex dixerunt: Iustus est Dominus. Cūq; vidisset Dominus quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboq; eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Secundo Paralipom. duodecimo.

Qua humilitate Deo Israëlis seruierit Esther Regina, in suis ad Deum fusis precibus declarat, cum inquit: Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & nō portem in diebus silentij mei. Esther. 14.

Cornelius cum prostratus adoraret Petrum: Petrus erexit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Actor. 10.

Cum incolæ ciuitatis Lystræ & Derbes, Paulo & Barnabæ diuinos exhibere vellent honores, illi conscissis vestibus suis insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: Viri, cur ista facitis? Nos quoq; ijsdem, quibus vos obnoxij malis sumus homines. Actor 14.

Iohannis Baptistæ humilitas.

Iohannes, quo non surrexit maior inter natos mulierum, insigne est humilitatis exemplum, dum Messiæ honorem sibi oblatum minime recipiens, se non dignum esse ait, qui soluat corrigias calciamentorum Christi, Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Iohan. 1.

Virgo mater misericordiam Dei humiles extollentis, & superbos de sede deijcientis in hymno suo celebrat. Luc. 1.

Centurio coram Seruatore Christo se humilians, Domine, inquit, non sum idoneus vt tectum meum subeas. Matth. 8.

Quantæ humilitatis Spiritus in muliere illa Cananæa viget, dum canibus se comparari non solum moleste non fert, sed inde noua spe auxilij à Christo sibi præstandi erigitur? Matth. 15.

Omnium humilitatem superat Christus æterni Dei æternus Filius, qui nequaquam rapinam arbitratus se Deum esse, seipsum exinaniuit, seruiliq; assumpto schemate ad mortem vsq; crucis obedientiam æterno Patri præstitit.

Humilitatem animi vobis infixam habete, propterea quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliemini igitur sub potenti

manu

manu Dei, vt vos extollat, cum erit opportunum, omni cura vestra coniecta in illum. Nam illi cura est de vobis. 1. Pet. cap. 1.

Ammoniũ Ægyptium Monachum cum quidam inuitum creare vellẽt Episcopũ, ille cum nullis rationibus ijs, vt ab incepto desisterent, persuadere posset, sibi ipsi auriculam præcidit: Me deinceps, inquiens, ne volentem quidem lex Sacerdotem creari permittit. Nam neminem, qui non sit integris membris, Sacerdotem debere constitui. Itaq; hac re audita discessere illi quidem, sed vbi intellexere, hæc esse Iudęis solum obseruanda, Ecclesiæ autem Christi membra Corporis minime curæ esse, sed vt Sacerdos duntaxat sit integris moribus, reuerterunt denuo, virum comprehensuri. At ille se obstrinxit iureiurãdo, si vim ei afferre conarentur, linguã quoq; excisurum. Quę Ammonij humilitas laude digna esse videri queat, si non & fastus & hypocrisis sub ea lateret. Ecclesiast. hist. Socrat. lib. 3. cap. 18. Sozom. lib. 6. cap. 30.

Thomas Cătuarensis Archiepiscopus quotidie tredecim pauperes domi conuocabat, sedere iussis genuflexus pedes lauabat, discũbentibus ministrabat, abeũtes cum dono dimittebat, singulis eorum quatuor numos largitus, ita vt liberalior an humilior fuerit, non facile discerni queat. Matul. Spalatens. lib. 1. cap. 5.

Gallicanus Constantini gener factus Monachus.

Gallicanus Monachus, qui & Consul & victor, & Constantini Augusti gener fuit omnibus pro Christo contẽptis, tã ardenter in monasterio seruiit, functus est officio, quam prius in castris Imperatoris ac Ducis. Nec magis olim militaris gloriæ auidus fuit, quã postea humilitatis. Operæ precium erat videre pauperum lauantem pedes, Monachorum manibus aquas dãtem, mensas concinnantem, pauimenta verrentem, & reliqua id genus exercentem, paulo ante tot clientium patronum, tot seruorũ dominum, tot militum ductorem, quot conuenire potuit Principi viro, Cæsaris genero, Romani exercitus præfecto, sæpe victoria potito, nunquam victo. Tãtam status mutationem efficere nequiuisset fortuna, quantam ille sua sponte suscepit, haud iguarus multo maiorem certioremque fœlicitatem esse seruire Christo, quam dominari mundo. Quoniam (vt Esaias inquit) à seculo non audierunt, neq; auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te. Ibidem.

Elisabetha Pannoniæ Regis filia, & Lãdgrauij Thuringię vxor, extremę humiliationis officia amplectens infimæ sortis hominum, qui & paupertate pressi, & morbis fastidium cuiuis facile parientibus affecti essent, curam suscipere haud est verita, eosque labores subire non horruit, quos vel infimæ sortis ancilla perferre vix sustinuisset. Quo nomine & Brigeda Abbatissa commendatur. Ibidem.

Antalcidas quum in Samothracia initiaretur, rogatus à Sacerdote, quid egregium patrasset in vita: Si quid, inquit, mihi tale peractũ est, sciunt ipsi dij: existimans ineptum commemoratione suorum gestorum se dijs commendare, qui siue prędicaret, siue sileret, nihilominus nouerant. Plutarch. in Lacon.

Porus Rex Indiæ potentissimus, ab Alexandro Magno victus cũ esset, fortunæ inconstantiam, humanarumq; rerum fragilitatem altius animo perpendens, se deinceps Regem vocari passus non est. Tanta enim Regis istius fuerat potentia, vt nunquam persuaderi sibi passus esset, fore, vt ab Alexandro, vel ab alio quouis vinceretur. Sed diuersum reipsa edoctus fastum omnem animo eiecit. Alexand. ab Alexand. lib. 19.

Cassander quoq;, licet ab omnibus Rex salutaretur, eius tamen dignitatis titulum sibi vendicare noluit. Ibidem.

Alphonsus Rex Aragonum, Neapolis & Siciliæ potentissimus, cum per Campaniam iter faceret, forte in agasonem incidit, cuius iumentum fa-

rina onustam cum in luto hæreret, nec vllis viribus se inde extrahere posset, agaso autem prætereuntium implora ret auxilium, ipse Rex equo descendens, suam in asino ex luto extrahendo operam agasoni locauit, qui vbi Regem agnouit, in genua procidens veniam petijt, quem ille placidis verbis a se dimisit. Parui quidem momenti res, sed quæ nonnullos Campaniæ populos Regi conciliauerit. Panormit. lib. 1. de rebus gestis Alphōsi: & Pontanus de beneficentia.

Ludouicus Secundus Gallorum Rex, Caroli Septimi filius, gloria, regnoq; atq; inprimis liberalitate, quantum vllus superiorum Regum ingens, multis victorijs clarus, Cum alij Reges auro sericoq; amicirentur, lana aut bombyce induebatur, asinumq; pro equo nonnunquam in vsum adhibebat, & quo preciosiore veste, vt fulgerent, alij curauerant, ipse vt viliore amictus cōspiceretur, operam dabat. Fortasse ob eam causam, vt cū inter Christianos Reges omnium maximus liberalissimusque haberetur, qui viderent eum, habitus humilitatem mirarentur. Fulgos. lib. 3. cap. 6.

Philippus Macedo.

Post eaquam apud Cheroneam Macedo Philippus Athenienſium profligauit opes, fœlicitate nimia efferri aliquantum cœpit, sed ita, vt rationis tamen limites nec transcenderet, nec proculcaret. proinde ad iustitiam, aut victorum ludibria & subiectorū iniurias nec prolaberetur. Id ne fieret quandoque, vti fuqt plerunq; hominum ingenia in peius mutabilia, sic propemodum cauit: Nam ex pueris vni muneris id modo iniūxit, vt ad Solis exortum ingressus inclamaret: Meminisset hominem esse se. Id ab eo constanter adeo seruatum ferunt, vt nusquam omnino vel progrederetur ipse, vel familiarium quempiam, aut aliorum Regis operam requirentium admitteret, quam quot diebus puer intonuisset ter: Philippe anthropos ei. Cæl Rhod. & Ælian.

Recte itaque respondit Thales Milesius, cum percontanti cuidā quid esset difficile: Seipsum, inquit, nosse. Atqui hoc vulgus putat esse facillimum. Aliena rectius perspicimus quam nostra, & sibi quisque adulator est. E cœlo descendit γνῶθι σεαυτ.

Agathocles patre natus figulo, ex infima sorte ad Regiæ dignitatis fastigium euectus, tam moderate, tamq; fortiter prosperiore m tulit fortunæ afflatū, vt sine fictili opere non fere vnquā cœnaret, ac misceret opes pauperiēq; simul, vti de eo cecinit Ausonius, cuius & sequētes sunt versus:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe oneraſſe luto.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Siciniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

Post mortem Primislai Polonorum Regis, qui & Lechus Primus vocatus est, cum successor in regno legitimus deesset: Regni proceres de Rege eligendo tale inierunt consilium: Im campi planicie metam erexerunt, dieque constituto omnes versicoloribus equis vecti, ad eam tendere decreuerunt, ea conditione, vt quem fortuna primum ad metam detulisset, eum omnes Regem agnoscerent. Ibi Lecheszekus, homo vafer & callidus, postridie eius diei, quo ad metam conueniendum erat, noctu acuta ferramenta per agros passim occultauit. Qua fraude effectum, vt cum cæteri fraudis ignari læsis ferramentorum acie equis tardius aduentarent, ipse aliam ingressus viam primus metam attingeret, eamque amplecteretur, Regiamq; dignitatem fraude sibi conciliaret. Forte autem plebeius quidam iuuenis, cum spectandi gratia ante certamen à Proceribus initum ad metam cum sodali suo temere curreret, leuiterque vulneratus insidias

occul-

occultatas sensisset, & ipse deinde, cum res serio ageretur inter Primores regni, eorum se certamini immiscuit, cauteq; euitatis insidijs, proximus a Lecheszeko metam attigit. Ibi cæteri omnes detecta fraude aduersus Lecheizekum insurrexere, eumque doli insimulatum interfecere, & in minutas partes dissecuere. Quo e medio sublato concordibus suffragijs regni coronam ad plebeium illum iuuenem, qui proximus a Lecheszeko stadium emensus fuerat, detulere. Is oblatum regnum accipiens, Lechus Secundus dictus fuit, & magna cum virtute regno præfuit, & ne sortis suæ prioris obliuisceretur, vestes suas squalidas, quibus, priuatus cum esset, amictus fuerat, in Regio palatio suspendit, vt eas quotidie in conspectu habens, seipsum pristinæ fortunæ admoneret, & a superbia auocaret. Chron. Polonorum lib. 1. cap. 8. *Lechus II.*

Mortuo Croco secundo Bohemorum Duce, filia eius Libussa, velut vna ex Sibyllis habita, post obitum patris. fauente populo, pluribus annis prouinciam gubernauit, donec muliebris Imperij pertæsi Bohemi, vt virum sibi eligeret Libussa, qui præesset regno, postularet. Ibi Libussa, vocata cõcione, Virum, inquit, qui vobis præsit, qui suo arbitratu capita vestra iudicet, vobis dabo. Ite, equum meum albicantem sternite, atque in campos late patentes abducite, liberum effrænemq; ibi dimittite, sequentes eum quocunque ierit. Curret equus aliquandiu, denique ante virum subsistet, in mensa ferrea comedentem. Ille mihi coniunx erit, vobis Princeps. Gratus sermo concioni fuit. Emissus equus decem millia passuum percurrit. Postremo ad flumen Bieli ante aratorem constitit, nomine Primislaum. Securi Proceres popularesque, postquam stantem equum, & aratori blandientem, adulantemque viderunt, accedentes propius: Salue, inquiunt, bone vir, quem nobis Superi dederunt Principem: Solue boues, atque ascenso equo nobiscum venito. Libussa te virum, Bohemia Ducem poscit. Primislaus, quamuis agrestis: nuncios benigne excipit, facturumq; postulata respondit, inuerso deinde vomere, pane caseoque appositio, viam quasi grandem facturus cibum sumpsit. Ea res Bohemorum animos confortauit, mensam ferreã, de qua Libussa vaticinata fuerat, in vomere cognoscentes. Stupentes edentem circumstant, saturum equo imponunt, iubentq; festinare. Inter eundum interrogatus Primislaus, cur nam calceos querno robore factos secum afferret? Seruandos in arce VVisengradensi respondit, ostendendos posteris, vt scirent omnes, primum, qui principatum inter Bohemos accepisset, ex agro fuisse vocatum, neque insolescendum esse, qui ex humili fortuna solium ascenderit. Seruati calcei diu apud Bohemos, religiose habiti, ac per Sacerdotes templi VVisengradensis ante Reges delati, dum pompa coronationis educitur. Æneas Syluius Hist. Bohemicæ cap. 6.

Cum Pylij decretum edidissent, quo Theopompo tribuebantur summi honores, rescripsit: Mediocres honores ipsum tempus auget, immodicos abolet. Hoc animo quid excellentius? Quod alij sibi aut vendicant arroganter, aut ambiunt inepte, hoc vltro delatum reiecit, simul & suam declarans modestiam, & amicos admonens, in omni re modũ esse optimum. Quin & illud acute perspexit: Quæ subito crescunt in altum, non esse diuturna, quod genus sunt betæ & cucurbitæ. Cæterum quæ paulatim augescunt, ea ferre ætatem, veluti quercum & buxum. Plut. in Lacon.

Admonere solebat Aristoteles, neminem debere de se prædicare, vel in laudem, vel in vituperationem: Quod illud esset hominis vani & inanis, alterum stulti aut vecordis. Quod & Cato in suis Distichis monet.

Nec te collaudes (inquiens) *nec te culpaueris ipse:*
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Frontinus vetuit sibi extrui monimentum his verbis: Impensa monimenti superuacanea est, memoria nostri durabit, si vita meruimus. Excelsi animi est, quum præclara gesseris, gloriam contemnere.

Plotina Traiani Imperatoris vxor, cum post Traiani electionem primũ in Capitolium iret, multique essent, qui Imperij fœlicitatem omnib. modis precarentur, cum adhuc in gradibus esset, conuersa ad multitudinem: Talis, inquit, huc ingredior, qualem me exire cupio. Quo dicto innuere voluit, se non minus in Imperio, quam cum extra Imperium esset, omnibus optime velle. Vnde sic se in principatu gessit, vt omnino iusta reprehensione caruerit. Xiphilin. in vita Traiani.

Cuidam apud Lysandrum iactanti, quod ipsum & laudibus veheret, & aduersus obtrectantes tueretur: Duo, inquit, mihi sunt boues ruri, tacentibus ambobus, tamen certo noui vter sit ignauus, vter ad laborem strenuus. Sensit veram virtutem nõ egere laudibus humanis, cum ipsa secum ducat suam laudem ac decus. Cæterum qui nihil gerunt præclari, his opus est præconibus.

Quodam tempore cum Hippodromo vehementer a Græcis applauderetur, multaq; magnifica acclamarentur, in quibus illum æquabant Polemoni: Ille Homerico versu respondit. Τί με ἀθανάτοισιν ἐποίεις; Quid me immortalibus æquas? Simul & candidi hominis laudem auferens, qui Polemonem tam præclaro testimonio ornarit, & modestiæ, qui laudem inuidiosam repulerit.

Pescennius Niger, cum quidam ei panegyricum in ipsius laudem conscriptum recitare vellet, dixit: Scribe Marij laudes, vel Hannibalis, aut alterius Ducis egregij vita functi, vt eum nos imitemur. Nam viuos laudare irrisio est, præsertim Imperatores a quibus speratur, qui timentur, qui possunt necare, qui possunt proscribere. Adiecit illud, se viuum placere velle, mortuum laudari. Ælius Spart.

Lucas Medicus, vir disertissimus, cum oratione membris omnibus absolutissima, Alphonsi Regis innatas virtutes decantasset, Rex hęc audiens dixisse fertur: Si vera sunt, Luca, quæ de me prædicas, Deo Opt. Max. gratias ago: sin aliter, vera & isthæc faciat oro atque obsecro. Innuens maxime decere Reges, vt laudibus dignos vbique se præbeant. De rebus gestis Alphonsi.

V Villigisus Archiepiscopus Moguntinensis.

V Villigisus patre natus plaustrario, factus Archiepiscopus Moguntinẽsis, in cœnaculo suo rotam depictã habuit cum hac inscriptione: V Villigise memineris, quid sis & quid olim fueris. Hæc rota postea insigne Archiepiscopatui Moguntino datũ & confirmatum est ab Henrico Secundo Claudo. Fuit primus inter Archiepiscopos Moguntinos Elector, inchoauit nouam Basilicam S. Stephani, in qua & anno Christi 1011. sepultus fuit.

Optimo iure laudibus vehitur illa vox Traiani, qui amicis incusantibus, quod parum memor Imperatoriæ maiestatis, nimium esset omnibus expositus, respondit: Talem præstabo Imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. Excellens quidem eorum est gloria, qui rerum gestarũ magnitudine cognomen Magni sibi pepererunt, vt Alexander, Pompeius, Carolus, Otto Magnus, sed illustrior in huius vitæ societate laus est Traiani, qui sua humanitate & iustitia, Optimus dici meruit.

Romani, vt maxima Africani Superioris merita, parib. ornamẽtis decorarent, voluerunt illi statuas in Comitio, in Rostris, in Curia, in ipsa deniq; Iouis Opt. Max. Cella ponere: Voluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam, Capitolinis puluinaribus applicare: voluerunt ei continuum per omnes vitæ annos consulatum, perpetuamque Dictaturam tribuere: quorum sibi nil, neque Plebiscito dari, neque Senatusconsulto decerni patien-

ni patiendo, pene tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum ege rat in merendis. Val. Max. lib. 4. cap 1.

Caius quoque Claudius Nero inter cætera præcipuæ moderationis exempla numerandus est. Liuii Salinatoris in Asdrubale opprimendo participeps gloriæ fuerat, & tamen eum triumphantem equo sequi, quã triumpho, quẽ ei Senatus æque decreuerat, vti maluit, quia res in prouincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triũphauit. Eo quidẽ clarius, quod illius victoria tantummodo laudabatur, huius etiam moderatio. Ibid.

Fabius Maximus cum a se quinquies, & a patre, auo, proauo, maioribus que suis sæpenumero Consulatum gestum animaduerteret, in comitiis, quibus filius suus summo consensu Consul creabatur, quam potuit constanter cum populo egit, vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti daret, non quod viribus filij diffideret, erat enim illustris, sed ne maximum Imperium in vna familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius aut valentius? quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur, superauit. Ibidem.

Ælius Pertinax sexagenario maior, cum varia eaque maxima gessisset bella, interfecto Commodo inuitus ad Imperium, cuius nomen vt inuidiæ plenum auersabatur, euectus est. Imperatoris possessionibus nomen suum inscribi prohibuit, dictitans non esse illas proprias imperantium, sed communes Romanorum & publicas esse. Cum Senatus eum hortaretur, vt vxorem suam Augustam, filium Cæsarem nominaret: Satis, inquit, esse, quod ipse inuitus imperem. Qui cũ Imperio esset dignissimus, a præfecto prætorij, Læto, conscio Didio Iuliano, sexto Imperij mense in palatio suo interfectus est. *Ælius Pertinax Imp.*

Modestiæ laudisque immensæ plenus is pudor fuit, quo Gotifredus Bilioneus vsus est, cum a toto exercitu, qui ad Hierosolymitanam expeditionem profectus erat, Rex salutatus fuit: aureo enim diademate recusauit ornari, quod iniquum esse diceret, Seruum mortalemq; hominem ac pecatorẽ, auro gemmisq; confectam coronam eo in loco gestare, vbi Christus Dei filius, qui cœlum & terram condidit, vita nobis culpam auferret, acutissimis spinis ad contumeliam confectum diadema tulit. Fulg. lib. 4. cap. 5.

Agesilaus Rex, quoties audiebat aliquos ab alijs laudari aut vituperari, existimabat non minus esse discendos eorum mores, qui loquebantur, quam eorum de quibus loquebãtur. Sensit vir prudentissimus, qui auide obtrectant alienæ laudi, magis prodere morbum suum, quam detegere mores alienos, & qui ob res parum honestas laudant quempiam, aut ob laudabiles vituperant, indicare stultitiam suam, peruersumque iudicium.

Eundem cum interrogaret quidam, qua ratione perpetuam sibi gloriã parare posset? Si mortem contempseris, inquit. Nihil enim præclaræ rei gerere cum, cuius animum mortis metus occupauit.

Antagenes dicebat, ita viuendũ esse hominibus, vt viui laudabiles sint, mortui autem beati iudicentur. Idem cum audisset quantum ab hominib⁹ subinde laudaretur, dixit: Cum multi me laudãt, tum me nullius precii esse duco, cum pauci, bonum & egregium virum me esse puto. Anton. in Melissa.

Hector Neuianus, a patre laudatus, ob singulares animi virtutes: Lætus sum, inquit, laudari me abs te pater, laudato viro. A malis enim laudari, non laus, sed dedecus esse putatur. Cicero Luceio.

Antisthenes Athenien sium Philosophus, cum audiuisset a quodam, ab improbis quibusdam se laudatum esse: Vereor, inquit, ne quid imprudens fecerim mali. Sentiens, a talibus neminem laudari, nisi ob insignia malefacta. Laert.

Polyænus audiens quendam laudare præsentem, clam obiurgauit laudatorem, præsentem nec vituperandum, nec laudandum esse dicens: quādoquidem illud inimicitiam gerit, hoc assentationem.

Menedemus cum audisset, quod frequenter ab Alexino laudaretur: At ego, inquit, illum semper vitupero: declarans se non posse corrumpi laudibus, quo minus eum reprehenderet, qui reprehensione dignus erat.

Alexinus iste Sophista inter ambulandum multa dixit in Stilponem Megarensem: cæterum vbi quispiam eorum qui aderant dixisset: Atqui ille te nuper laudauit: Per Iouem, inquit, vir optimus est & præstantissimus. Tam facile ex obtrectatore factus est laudator, non ob aliud, nisi quod ab eo laudatus esset.

Cum Sophista quispiam appararet recitare librum, & Antalcidæ percontanti, quod esset argumentum, respondisset, Herculis encomium. Quis, inquit, illum vituperat? Superuacaneum existimans in eo laudando sumere operam, quem vno ore prædicarent omnes. Hercules autem apud Spartanos religiose colebatur.

DE AMBITIONE ET SVPERBIA.

SVperbia & ambitio Satanam cum omnibus ipsi adhærentibus Angelis cœlesti æternaq; priuatum gloria in tenebrarum abyssum deturbauit. Non contentus erat ea gloria, qua inter reliquos Angelos præminebat, sed ipsius Dei gloriam sibi vsurpare volebat spiritus iste superbus, quare in æternum a facie Dei abiectus æternis pœnis destinatus est.

Pari exemplo, sed euentu minus atroci (nam redemptorem inuenit) primus homo concidit. Qui cum Dei se similem fore speraret, omni sua excidit gloria, quique ad imaginem Dei conditus erat, larua factus est Satanæ, & tum se tum vniuersam posteritatem misere perdidit.

Posteri Nohæ vt famam nominis sui per vniuersam terram dilatarent, facinus aggressi sunt maximum & audacissimum. Nimirodo enim Duce turrim & ciuitatem ædificare instituerunt: Cuius operis amplitudo per omnes terræ fines, a posteris ipsorum laudibus celebraretur. Atque sic omissa gloria Dei, quam præ omnibus vnam quæsiuisse decebat, propriam ac interituram famam impiis factis extendere conati sunt. Quam ob rem Deus iustam ad irā prouocatus, sermonis idioma, quod tum apud omnes simplex & vnum erat (Hebræū scilicet, quod & in pii patris Hebri familia tantūmodo remansit) in diuersa dispersit idiomata, ita vt confusis omniū linguis neuter alterum intelligeret. Hac deniq; coacti necessitate, in suas quisq; mundi regiones cum suis familiis decessit. Beros. & Funcius.

Agar ancilla cum vterum ferens insolentior fieret, heramq; Saram despiceret, e domo Abrahæ eiecta est. Genes. 16

Præfractæ ceruicis Pharao fastu inflatus ipsum Deum eiusq; populum impugnauit, sed in mari rubro submersus sero didicit vanam esse hominū superbiam Deo resistentium.

Dathan, Chore & Abiron arrogāter se Moysi opponunt, cuius superbię suæ & contumaciæ pœnas luunt grauissimas. Terra enim aperta ipsos cū vxoribus, liberis, seruis, supellectile, tentoriis, in profundum absorbet.

Saulus insigni primum humilitate præditus, amissos quærebat asinos, rex creandus dispiciēs latebras se abse ondebat. Ad Regium deinde fastigium euectus, cum superbia dementaretur, cum omni sua stirpe extinctus est.

Abimelechus ex nefaria ambitione, vt solus ipse regnaret, omnes fratres suos interficit, tandem autem & ipse ex ictu lapidis, e turri, quam oppugnabat, a muliere deiecti, misere perijt.

Dauides etiam cum superbia adductus populum iuberet numerari, grauissimas insolentiæ pœnas expertus est.

Seba aduersus Dauidem superbo spiritu insurgēs, sibiq; regnū in Israële quærens, temeritatis suæ capite ceruicibus auulso pœnas luit.

Athalia vt sola imperaret, omnem stirpem regiam extinxit, sed & ipsa tandem diuinæ iræ magnitudinem euitare non potuit. 4. Reg. 11.

Hamanum intolerabili fastu tremendum, mala ea, quæ genti Iudæorum machinabatur, perdiderunt. Ester. 5.

Nabuchodonosor rerum gestarū & potētiæ magnitudine elatus, cum humanæ suæ conditionis obliuisceretur, ex hominū consortio electus est.

Balthasarem filium eius superbia & regno & vita priuauit.

Goliathus viribus & vastitate corporis confidens, dum fortissimum quenq; ad certamen prouocat, a Dauide adolescente inermi armatus ipse ferritur & interficitur.

Rehabeamus Salomonis filius cum iunioribus de regno constituendo temere deliberans, populum alienat leuitate & superbia, & decem ab eo tribus ad Ieroboamum deficiunt.

Ieroboamus vt suam augeret gloriam coram Israëlitis, & liberi esset a metu defectionis, quę ingruere videbatur, si festa solennia Ierosolymæ celebrarent Israëlitæ, pessimæ autor idololatriæ, vitulos aureos in duob. Regni finibus erigit, pios & synceros Sacerdotes, ciuesq; moris veteris retinentes agit in exilium. Quamobrem eius nomen e libro vitæ eradicatur, & cum omni posteritate e medio tollitur.

Benhadadas Syrię rex insolenter extremum Samariæ exitium minitās, virtute Dei, copijs eius turpi fuga dilapsis, & cęsis repi mitur. 3. Reg. 20.

Sanheribis vrbes turritas luduę obsidet, & ad expugnandā Ierololymā omnes vires intedit, atrocia etiam in ipsum Deum cœli terrarumq; creatorem, per Rabsacen insolenter euomit. Verum vna nocte exercitus eius maximus ab Angelo extinguitur, in qua clade Rabsaces audax ille cōuiciator simul perit. Imperator cum dedecore Ninum vibem imperialem rediens, ad reparandum numinum fauorem, superstitione crudeli duos paruos filios immolat, ideoq; a duobus natu maioribus, Adramelecho & Sarisiare, inter sacra immanissima ferro transfoditur.

Antiochi, Demetrij, Nicanoris, &c. aliorumq; cōplurium, quorum in libris Machabæorum fit mentio, tristis exitus, quam detestabilis superborum hominum sit impietas, ostendit.

Antiochus Magnus, cum templa quædam spoliare nostu aggreditur, incolarum concursu in sacrilegio interimitur. Huius filius Antiochus Epiphanes, cum tyrannide & fastu intolerabilis extrema genti Israëlitarum minaretur, ex Ægypto re male gesta rediens, in itinere excussus ab auriga, morbo fœdissimo affligitur, ita vt vermes e corpore putrefacti erepterent, & carnes ossibus defluerent. In qua miseria extra patriam in agro moritur, cum regnasset annos duodecim.

Antiochus Eupator Epiphanis filius, noua insolentia Iudęos infestans, ijsq; tantis viribus bellum inferens, quantis ante hac Græcorū nemo ferebat, anno Regni sui secundo a militibus capitur, & ab agnato suo Demetrio interficitur.

Demetrius Seleuci filius, Roma vbi obses fuerat, fugiens Antiochum regem suum patruelem interficit, Alcymo proditori sacerdotiū decernit, per Nicanore & Bacchidem in Iudæos prēter omnem modum sęuit. Cum annis vndecim superbe & impie regnasset, victus a Iudæis Alexandro Syro se cōiungentibus, & regno & vita spoliatur. Nam in palude viginoia & profunda cum equo hęsitantem, milites telis & missilibus obruunt.

Nicanor Demetrij in Romana custodia socius, & mox in bello legatus,

ad gentem Iudęorum extirpandam cum alijs coniurat, rem initio insidijs, deinde armorum agens violentia, cumq; toti genti exitium minaretur, prælio cum Iuda commisso ipse inter cadauera exanimis inuenitur, cui & lingua præsecta est, & caput, humeri, brachium, & dextera amputata, & publice suspensa sunt. Vide de his & pluribus Georgij Fabricij virorum illustrium, seu historiæ sacræ libros.

Ferus ille Holofernes Deo & populo eius insolenter insultans, manu muliebri interimitur.

Pharisæus ille laudes proprias efflans, & publicanum prę se condemnãs, Christi Seruatoris sententia damnatur. Luc. 18.

Qui maximus erit vester (inquit Christus Seruator) erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur. Matth. 23. Luc. 7. 14. 18. 1. Samuel. 1. Luc. 1.

Æsopus, cum rogaretur quid ageret Deus? Sublimes, inquit, detrudit, & humiles eleuat.

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει ζηλήμονα καὶ ἀγάμενος κήρφι.

Superbum, inquit, in partes & frusta comminuit, ceu festucam.

Superbiæ comes est Nemesis seu Adrastia, id est, iustitia Dei puniens. Id quod & rex Salomon in Prouerbijs docet: Veniente, inquit, superbia, venit ignominia. Et in humilibus est sapientia. Prouerb. 11. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. Pet. 5. Punit enim Deus superbos aut errore in consilijs capiendis, aut in fœlicitate euentuum. Econtra humiles ornat luce & sapientia spirituali, & successibus in gubernatione.

Abominatio est Domino omnis superbus corde. Nec erit impunitus, etiamsi erit manus ad manum. Prouerb. 16. Quasi dicat: Etiamsi munitus sit humanis præsidijs, tamen rapietur ad pœnam, vt Nabogdonosor.

Superbia deijcit hominem, at humilis homo ornabitur gloria. Prou. 29.

Plato 4 de Legib. Ὁ δὲ πῃ ἐξαρθεὶς καταλειπτικὸς ἐγένετο θεῶν. Καταλειφθεὶς δὲ παρὰ ταῦτα πάντα, καὶ μετὰ χρόνον ὀλίγον ἐν πολλῇ, ὑπορρῶν πολλὰ καὶ μεμιμημένῳ τὴν δίκην, ἑαυτόν τε, καὶ οἶκον, καὶ πόλιν ἀνάστατον ἐποίησε.

Id est:

Superbus à Deo deseritur. Desertus autem perturbat omnia, & paulo post pœnam superbiæ persoluens, sibi ipsi & familiæ & vniuersæ Reipub. pestem perniciemq; accersit.

Apries rex Ægyptiorum blandientis fortunæ applausu elatus, a nullo neq; Deorum neq; hominum regnum sibi adimi posse temere sibi persuadebat. Sed tandem ab Amasi prælio victus, Ægyptijsq; ad necem eum deposcentibus, strangulatus est. Herod. lib. 2. Ierem. 44.

Punitæ etiam superbiæ exemplum in Aiace Telamonio Poetæ nobis exhibent. Is enim a patre monitus, vt adiuuantibus Dijs speraret victoriam, superbe Deorum se nequaquam indigere auxilio respondit. Verum is fuit superbiæ huius exitus, vt suo tandem gladio incumbens, tristi morte periret.

Sophocles in Aiace:

Τὰ γὰρ περισσὰ κ' ἀνόνητα σώματα
Πίπτει, βαρείας πρὸς θεῶν δυσπραξίας
Ἔφαν' ὁ μάντις. ὅστις ἀνθρώπου φύσιν
Βλάστων, ἔπειτα μὴ καθ' ἁνθρωπον φρονεῖ.

Καὶ τῷ

Κεῖνος δ' ἀπ' οἴκων εὐθὺς ἐξορμώμενος
Ἄνευ κελεύσεως λέξεσί τ' εὐξάμενος πατρὸς.
Ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐννέπει, τέκνον δορὶ
Βάλλε κρατεῖν μέν, σὺν θεᾷ δ' ἀεὶ κρατεῖν.
Ὁ δ' ὑψικόμπως κἀφρόνως ἠμείψατο.
Πάτερ, θεοῖς μὲν κἂν ἄνευ σοῦ δῶν ὅμως
Κράτος καλὸν κτήσαιμ', ἐγὼ δὲ κἂν δίχα
Κείνων, πάτοιβα τοῦτ' ἐπιστάσθην κλέος.
Τόσον δ' ὑπέρπτα μῦθον εἶπε δεύτερον
Δίας Ἀθάνας, ὡς ἰν' ὀργὴν σοί νιν
Ὕβριν τ' ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φοινίαν τρέψῃ.
Τοῦ' αὖτι φωνεῖ δεινὸν ἀῤῥηξεν τ' ἔπος:
Ἄναστα, τοῖς ἄλλοισιν Ἀργείων πίλας
Ἴσω. Καὐτὸς ἡμεῖς δ' ἅπαλ' ἐκεκίξη μόχθῳ.
Τοιοῖσδε τοῖς λεχθεῖσιν ἀστεργῆ θεὸς
Ἐκτήσατ' ὀργὴν, ἐκ τοῦ ἀνδρωπον φρονεῖν.

Id est:

NAm homines magni & immodesti
Incidunt in graues pœnas Deorum.
Sic inquit vates: Si quis conditione mortali
Natus est, nec iuxta humanum morem sapit.
Aiax vero statim initio, cum a domo proficisceretur,
Patri bene monenti, vt homo amens respondit:
Pater enim, mi fili, inquit, virtute
Velis vincere, Sed, auxiliante Deo, semper velis vincere.
Ipse vero superbe ac stulte respondebat:
Adiuuante Deo, inquit, etiam ignaui
Vincere solent: Ego vero vel absq;
Auxilio diuino, confido me istam attracturum esse gloriam.
Tam superbos iactabat sermones. Atq; deinde iterum,
Cum Minerua ipsum hortaretur,
Iubens, vt contra hostes manum cruentam verteret,
Tunc atrocem & infandam vocem emisit:
Domina, inquit, alijs Græcis auxilio
Adsistas, nostro loco non vnquam perrumpent hostes.
Talibus sermonibus implacabilem
Dea in se concitauit iram, non, vt hominem decet, sapiens.

Superbia regem Amaziam euertit. Elatus enim victoria, qua Idumæos debellauit, eorumq; vires attriuit, regē Israelis Ioam temeritate maxima prouocat, & cum eo congressus, vincitur atq; capitur.

Ozias, in maxima fœlicitate eo progreditur amentiæ, vt a suo officio discederet, alienum sibi arrogaret. Nam vestimentis & infulis ornatus, templum adit, munus Sacerdotis executurus. Quamobrem cum incensum adoleret, inuitis & eō querentibus Sacerdotibus, leprosus in ipso templo fit, nec totius vitæ tempore a lue vrente & deformi curari potuit.

Romulus cum rerum magnitudine elatus, asperiorem se patribus præberet, clam ab ipsis ad paludem Capreæ trucidatus est.

Xerxes, cum ei non satis esset superbe in homines agere, idem etiam aduersus mundi elementa facere contendit. Primum cum Hellesponticum

fretum

fretum traijceret, indignatus ventis mare intumuisse, tanquam aquis sensus inesset, verbera ac carceres interminatus, ceu vincere vellet, compedes in mare deijci iussit: deinde, cum Athos longo tractu in mare procurrens, nauigationi eius incommodus videretur, a continenti montem abscidit, adeo enim a recto sensu superbia eum auerterat, vt maris, terrarumq; ac propriæ naturæ inscius videretur. Fulg. lib. 9. cap. 5.

Eadem superbia Persarum rex Cyrus vsus est, cum ad Babylonicam expeditionem proficisceretur. Fluuium enim Gangem, immensæ magnitudinis, rapidumq; in trecentos & sexaginta paruos alueos diuisit, quod in eo eques Persa, vna cum equo absorptus esset. Nam superbæ rei insolens quoq; verbum addidit, affirmans, se ita diminuturum amnem, qui equiti suo se peruium facere noluerat, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esset. O immanem profecto superbiam, elementis non secus ac hominibus irasci, atq; ab eis reuerentiam exigere. Ibid.

Ægypti rex Sesostris superbus nimis atq; insolens fuit, qui Principes ac Rectores prouinciarum, ad se quotãnis cum munere cogebat venire, atq; ex eorum numero, a quatuor veluti equis currui iunctis ad templum trahi volebat, demens nimium, cui id in mentem non veniret, quod qui hominibus pro iumentis vteretur, ipse ob superbiæ magnitudinem, amissa ratione, bestia iumentumq; efficiebatur. Ibid.

Syllæ superbia erga Lucretium Ofellam.

Cum Lucretius Ofella Consulatum a L. Sylla Dictatore peteret, quod ipsius opera Sylla vrbem Præneste cepisset, atq; iuniorem Marium euertisset, Sylla autem nutu Consulatum negaret, neque ob id Ofella rogare desineret, Sylla, qui in foro deambulabat, manu sua eum interemit, atroxque facinus grauiore verborum atrocitate auxit, cum populo, qui in concionem venerat, aratoris fabulam narraret, pediculorum enim morsu vexatum (omissa aratione) vestem, vt poterat, manu sua purgasse dixit. Sed cum denuo earum bestiolarum morsibus peteretur, eandem diligentiam iterum adhibuisse, & cum ob id ea molestia non liberaretur, vestem ipsam pediculosq; simul in ignem cõiecisse, ob eam rem cohortatus est omnes, ne vltra ei molesti essent, nisi eadem ab ipso perpeti cuperent. Inauditam profecto superbiam, orbis terrarum domitori populo, tanquam mancipijs silentium indicere, & amicum, cuius labore periculoq; multa esset assecutus, quia meritum honorem peteret, crudeliter occidere. Ibid.

Caligula, Domitianus, Heliogabalus, superbia sua aut potius immanitate omnes humanitatis metas transgressi, diuinis ornari honoribus voluerunt, cum omnium scelerum essent sentina, & humani generis pestes.

Sapores rex Persarum ad Constantium Imperatorem scribens, Solis atque Lunæ se fratrem, & qui inter stellas partem haberet, nuncupauit, nullo erga Constantium honore vsus.

Thulis rex Ægypti potentissimus, potentia ac fœlici omniũ rerum successu sublatus, cum scire cuperet, an etiam rex aliquis in mundo potentia & opibus ipsum superaret, accessit ad templum Serapidis, ibique consulto ea de re Oraculo, responsum accepit his versibus:

Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα Λόγος, καὶ Πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
Σύμφυτα δ' εἰν ἑνὶ πάντα τάδ' ἐστὶ, καὶ εἰς ἓν ἰόντα,
Οὗ κράτος ἀόνιον. σὺ δὲ ὠκέσι ποσσὶ βάδιζε
Θνητὲ, ἀΐδηλον διάγων βιότοιο τελευτήν.

Id est:

Primum est Deus, postea Verbum, & Spiritus cum ipsis.
Eiusdem vero sunt essentiæ hæc omnia, & in vnum euntia.

Cuius

Cuias potentia æterna est. Tu vero pedibus velocibus abi
Mortalis, vitæ finem exigens obscurum.

Quo responso accepto Thulis mox inde digressus, a suis seruis interfectus misere perijt, ac pœnam superbiæ dignam luit.

Commodus Imperator, fœdissima Imperij labes, cum fama extendere nomen suum cuperet, Carthaginem a nomine suo Commodianam appellauit, sublatoq; de Neronis colosso capite, suum pro Neroniano imposuit. Idem menses quosdam a se compellauit. Cæterum horum desiderio, qui oblique præter virtutē famam quæsiuerunt, fortuna obstitit, ne quod cuperent assequerentur. Nam quemadmodum Alexandri, Cæsaris Augusti & aliorum bonorum Principum imposita vrbibus atq; mensibus nomina firma reliquit, ita in Caligula, Nerone, Commodo, cæterisq; similibus post mortem eorum, statim omnia illa extinxit, per quæ nominis sui æternitati consuluisse se arbitrabantur.

Macedonum rex Philippus, cum post nobilem in Cheronea victoriam insolentius extumuisset, factusque esset arrogantior, & veluti liberali iure adoptatus a fortuna de se magnificentius sentiret, paulo asperiorem, & quæ tyrannicum quiddam suboleret, ad Archidamum Agesilai filium Epistolam conscripserat. Qua is commotior, cogitansque (quod res erat) euentu prosperiore cristas homini surgere, ita demum censuit respondendum: Εἰ μετρήσῃς σὴν σκιὰν, οὐκ ἂν εὕροις αὐτὴν μείζονα γεγενημένην, ἢ πρὶν νικᾶν. Id est: Si vmbram tuam metiri volueris, haudqua quam nunc maiorem deprehendes, quam fuerit ante victoriam. Responsum sane elegans, & Spartano Principe, eoque Heraclida dignum. Cæl. lib. 26. cap. 26.

Post victoriam, cuius modo meminimus, Philippus conuocatis Græcarum ciuitatum legatis Corinthum, ibi Dux Græcorum contra Persas nominatus est, & constituta pace Græciæ in Macedoniam redijt, ac translaturus bellum in Asiam, misit eo partem exercitus. Sed dum cōmoratur domi, & ostentat Regium splendorem cum alijs spectaculis, tum vero etiam sacrificio, in quo suam statuam inter Deorum statuas collocauit, in spectaculo quodam a satellite Pausania interfectus est, sicut Oraculum prædixerat, Victorem breui post moriturū esse: Flet victus, sed victor mortuus est. κλαύσει ὁ νικηθείς, γελᾷ ὁ νικήσας ἀπόλωλε. Ita rex præstantissimus consilio & fortitudine, adhuc ætate florens, tantum enim vixit annos sex & quadraginta, interfectus est, cum & inter Deos coli vellet, & obscœnis voluptatibus se dederet. Quæ delicta Deus horribilibus exemplis punit etiam in hac vita. Deinde & per coniuges & filios vagatæ sunt pœnæ. Chron. Philip. lib. 2.

Alexander Magnus cum omnium virtutum heroicarū excellentia præstantissimis etiam regibus, & qui ante & post ipsum vixere, præferendus esset, facinoribus turpissimis, vt primum rerum gestarum magnitudine elatus insolentior factus est, superbiæq; locum dedit, nominis sui gloriam defœdauit. Ante captam Babylonem fuit modestus, temperans, in imperio iustus, non indulgens iræ, vt iniustam crudelitatem exerceret, sapiens in præficiendis gubernatoribus. Nihil igitur in illo imperio pulchrius erat ipso Rege propter virtutem. Postea nihil turpius & deformius fuit. Nominari se Deum, & coli Diuinis honoribus voluit: Hoc tantum scelus pœnæ secutæ sunt, certamina in ebrietate, in quibus interfecit Clitum, a quo seruatus fuit in pugna ad Granicum, & alia multa turpissime fecit. Adorari voluit. Et Callisthenem Philosophum, natum ex consobrina Aristotelis, qui eum adorare recusauit, includi in caueam iussit, & circumduci spectā-

dam, ac tandem interfici, versum addens: Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Hoc est: Odi sapientem, qui sibi non sapit. Et creuit furor adeo, vt interficeret senem Ducem optime meritum Parmenionem, qui præcipuus inter Duces Philippi, & ipsius Alexandri fuerat. Talis est præcipue aulica beneuolentia & gratitudo. Quare dictum est: Sæuum prælustri fulmen ab arce venit: Et Pindarus inquit: παλαιὰ γὰρ εὐδεῖ χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί: Antiqua dormit gratia, & homines sunt immemores. Mors eius qualis fuerit, sub titulo De gula & ebrietate exponitur. Chron. Phil. lib. 2.

Quanta gloriæ sitis dominandiq; libido, quę superbiæ expers nunquam est, animum Alexandri torserit, indicio est, quod Anaxarcho ex auctoritate Democriti plures esse mundos referente, exclamariti: Heu me miserum, quod nec vno quidē adhuc sum potitus. Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit. Val. Max. lib. 8. cap. 15. Satur.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Alexandri Regis virtus & fœlicitas, vt idem Valerius scribit, tribus insolentiæ gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouem Hammonem patrem asciuit: tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus est: nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem dissimulare. Valer. lib. 9. cap. 5.

Hannibal Cannensis pugnæ successu elatus, nec admisit quenquam ciuium suorum in castra, neq; respōsum vlli, nisi per interpretem dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum suum clara voce affirmātem, prospexisse se quonā modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, asperna-tus est. Adeo fœlicitatis & moderationis diuiduum contubernium est.

Lysandro Lacedæmoniorum Regi primo omnium Græcorum diuinos honores habitos esse scribūt. Qui cum natura inquietus esset, Spartanosque ad bellum Thebanis inferendum excitaret, & ipse partem Laconici exercitus duceret, in oppugnatione Haliarti, eiumpentibus Thebanis extra oppidum, in pugna interfectus est. Hic exitus est Lysandri, qui Athenas ceperat, cuius virtute Spartani Imperio potiti fuerant. Sed superbiam pœna sequuta est.

Sesostris Rex Ægypti potentissimus ante ædem Vulcani insignes erexit statuas, duas quidem tricenūm, vnam suam, alteram vxoris: quatuor autē vicenūm cubitorum, totidem filiorum. Longo deinde post tempore cum statuæ eius, Darij Persæ statua anteponeretur, non tulit id Sacerdos Vulcani, negans Darium talea res gessisse, quales gessisset Sesostris Ægyptius: quippe qui cum alias nationes non pauciores quam Darius, tum vero Scythas subegisset, eoq; iniquum esse huius ante illius sisti donaria, qui rebus gestis non esset illum supergressus. Hæc loquuto Sacerdoti tamen ignouisse Darium ferunt. Herod. lib. 2.

Iulius Cæsar Dictator Romanus, Dux exercitus, triumphator, & victor multarum gentium, Imperator Romani populi, Mense Quintili creatus est Dictator, vel, vt alij sentiunt, natus est hoc mense, atque ob id reliquit mensi illi nomen suum. Hic dictaturam, quæ semestris dignitas erat, perpetuam in se recepit, adhæc Imperatoris prænomen, decreto est ei Senatus datum, quod cupide accepit. Cum vero cognomen patris patriæ sibi vendicaret, ttatuamque suam inter Reges locaret, & in curia sede aurea veteretur, diuinos honores sibi exhiberi pateretur, inexpiabile odium incidit, præsertim cum eo arrogantiæ veniisset, vt quæ loqueretur, pro legibus haberi vellet, nec adeuntes se honore dignaretur vllo, conspiratum est in eum, & in curia viginti tribus vulneribus est interfectus, anno ætatis suæ 56. Sebast. Munst.

Romanæ

Romanæ vrbis splendor & superbia.

Romanæ vrbis splendor & superbia Constantium Imperatorem reddidit attonitum. Is post susceptum imperium sub Felice Secundo, Romam cum triumpho via Flaminia ingressus, aureo carpento ciues obuiâ factos, mira benignitate inspexit & veneratus est, dictitans illud Cyneæ Pyrrhi legati verum esse, tot se videre reges in vrbe Roma, quot ciues. In vna tamẽ re populum Romanum ad risum potius, quam ad indignationem concitauit, quod portas vrbis ingrediens cellas & fastigiatas, arcusq; triumphales prælatos, homo paruæ staturæ caput incuruaret, more anserum lætionem veritus. Is præterea campum Martium cum admiratione inspiciens, sepulchrum Augusti Cæsaris tot simulachris marmoreis, & æneis ornatum, forum Romanũ, Iouis Tarpeij delubra, thermas, porticus in prouinciæ modum auctas, amphitheatrum tyburtino lapide extructum tantæ altitudinis, vt eo vix inspicere humanus oculus posset, Pantheon mira altitudine spaciosis molibus fornicatum templum Pacis, Pompeij theatrum, Circũ maximum, septisolium, tot arcus triumphales, tot aquæ ductus, tot statuas per vrbem ad ornatum positas, obstupuit: ac tãdem dixit, naturam vires omnes in vrbem vnam effudisse. Stabat Traiani equus æneus in atrio, cuius instar alterum sibi fieri Constantinopoli Constantius petebat ab Hormisdâ architecto, quem secum duxerat. Cui Hormisdas, stabulum quoque tale condas oportet, si voles equum late succedere. Idem quoque Hormisda a Constantio interrogatus, quid de vrbe Roma sentiret, id tantum sibi placere respondit, quod didicisset, ibi quoque homines mori, vt Philosophum decebat, locutus. Plat.

Herostratus Dianæ Ephesiæ templum inter septem mundi spectacula numeratum, ob id solum vecorditer incendit, vt eius nomen per totum orbem terrarum diffunderetur. Ephesij tamen prouiderunt indicto supplicio, ne quis eum historicus nominaret. Gui.

De hoc Valer. Maxim. hunc ad modum scribit: Illa ergo gloriæ cupiditas sacrilega: Inuentus est enim, qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur: quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit, ac bene cõsuluerant Ephesijs decreto memoriam teterrimi hominis abolendo: nisi Theopompi magnæ facundiæ ingeniũ in historijs eum suis comprehendisset.

Narrant in Libya fuisse quendam nomine Psaphonem, qui diuinitatis opinionem affectans, quam plurimas aues cepit vocales, & humani sermonis dociles, eas sonare docuit hæc verba, μέγας θεὸς Ψάφων, id est, Magnus Deus Psaphon: atq; ita doctas emisit in montes. At illæ quæ dicerant, canebant, ac reliquas item aues sonare docebant. Porro Libyes, quum ignorarent commentum, credentes id diuinitus accidere, Psaphoni rem diuinam instituerunt, ipsumque in Deorum numerum retulerunt. Erasmus in Chiliadibus.

Herodes Agrippa adulatorum plausu & vocibus in theatro Cæsareæ, Deus salutatur, quo mendacio cum delectaretur, ab Angelo percutitur morbo lethali: intestina eius putrefacta cum vermes roderent, die quinto post moritur, ingenti & membrorum & conscientiæ cruciatu, conquerens & lamentans, nullum vspiam in terris hominem se miseriorem viuere. Euseb. Ioseph. Act. Apost.

Plautianus summam potentiam nactus, postea ea abutitur, & a Domino tollitur.

Is ex tenui loco ad summam potentiam & maximas opes a Seuero euectus est, adeoq; charus ei fuit, vt filiam eius dederit Seuerus Bassiano. Sed scribit Dion de Plautiano: Omnia concupiscebat, omnia petebat, omnia

accipiebat, nec gentem nec vrbem vllam relinquebat non spoliatam, sed omnia & vndecunq; rapiebat. Cætera magis tetra omitto. Talis cum esset, non potuit diuturna esse fœlicitas. Sed primum hoc furore punitus est, vt vitæ Seueri & Bassiani insidias strueret, quibus deprehensus Plautianus a Seuero in palatium vocatus ibi interfectus est: & cadauer monstratum iuliæ, vt lætaretur, & filiæ Plautiani, vt dolore afficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui fiducia potentiæ suæ nimiam licentiam sibi sumpserat, oblitus huius Præcepti: Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente Dies ab exili progrediere loco Chron. Philip. lib. 3.

M. Manlius, qui Capitolii aduersus Senonas tutatus fuerat, cum ex temeraria animi elatione, conciliatis sibi plebis animis largitionibus, & eris alieni, quo ciues obstringebantur, dissolutione, regnum affectaret, in vinculà ductus, & a Tarpeio Saxo, vnde hostes ille repulerat, deiectus est. Hūc exitū habuit vir, nisi in libera ciuitate natus esset, memorabilis. Li. li. 6.

Crœsus potentia & diuitijs fretus bellum aduersus Cyrum mouerat. Sed captus suam & agnouit & deplorauit stultitiam, cum rogo impositus ter clamasset, o Solon. Cyrus miratus, cur in extremo articulo vitæ hāc vocem sonaret, iussit eum liberari. Ibi Crœsus interrogatus narrauit suū & Solonis colloquium, qui dixerat: Neminem ante vitæ finem beatum esse iudicandum, quia singulis ante morte tristia multa accidere possent. Hæc cogitantem ait se deplorasse suam stultitiam, quod confisus præsenti potentia, bellum Cyro intulisset, tunc non cogitans fortunæ inconstantiā. Cum quidem & Oraculo recte monitus esset, se beatū fore si sese nosset. Quo cum iudicasset se moneri, ne quid moueret: tamen ab adulatoribus incitatum se esse, qui Oraculum sic interpretati essent, vt potentiā suam cogitaret maiorem esse Cyri potentia, & permotum esse, vt bellum moueret. Hæc cum Cyrus audiuisset, seruauit eum, & inter viros honoratos & amicos secum habuit. Herod. lib. 1. & Chron. Phil lib. 2.

Artabani Consilium Xerxi datū.

Artabanus dissuadens Xerxi expeditionem contra Græcos: Vides, ait, vt prægrādia animalia fulmine Dei feriat, nec insolescere sinat: parua vero nihil lædat? Vides vt magna sepe ædificia. magnasq; arb. huiusmodi fulminū tela percutiūt? Gaudet enim Deus eminētia queq; deprimere. Herod

Alexandri stulta superbia.

Damis, quum Alexander Magnus per literas petisset, vt Lacedæmoniorum decreto decernerentur ipsi Diuini honores, & in Deorum numero referretur: Age, inquit, concedamus Alexādro, si velit appellari Deus. Vt despectim risit stultam Principis ambitionem, qui putarit ab ijs posse creari Deos, qui ipsi nihil aliud essent, quam homines: aut si hoc nō putauit, insigni stultitia falsi nominis vmbra gloriaretur. Eras in apopht.

Eudoxiæ fastus.

Arcadius parum prudenti iudicio nimiā potētiam permisit Eunuchis & vxori Eudoxiæ, quę Iohanni Chrysost. inimica fuit taxanti eius fastū.

Et quidem Eunuchus Eutropius, cuius fuit summa potentia, iustas pœnas dedit. Hunc talem fuisse præstigiatorem scribunt, vt Gorgoni comparatus sit, vt sæpe in aulis regnant tales pestes, qualis apud Tiberium fuit Seianus, apud Seuerum Plautianus. Hic Eutropius cum venderet Magistratus & sententias, daret ac eriperet prouincias quibus vellet, & tandem Consul factus esset, transferre in se Imperium conatus est. Sed in ipso Consulatu Arcadius ei caput præcidi iussit. Scribunt autem hunc ipsum Eutropium fuisse ante id tempus suasorem legis, vt liceret sontes ex templis vi abducere, qua lege postea & ipse ex templo extractus est, Chrō. Philip. lib. 3:

Leonem Quartum Imperatorem, quemadmodum & Paulum Secundum Pontificem Romanum, superbia ad mortem rapuit. De quibus Platina in vita Hadriani Primi hunc ad modum scribit.

Constantinus Imperator moriens Leone IIII. Imperatorem reliquit,

qui

qui adeo gemmis delectatus est, vt direpto sacrario sanctæ Sophiæ, coronã magni poderis ac precij sibi constituerit, qua quide ita frequenter vtebatur, vt aut propter pondus, aut frigiditatem lapillorum subito morbo correptus sit. Idem quoq; accidisse nostra ætate Paulo Secundo putauerim, qui adeo his muliebribus delinimetis delectatus est, cõquisitis vndique magno precio gemmis, & exhausto pene Ecclesiæ Rom. ærario, vt quotiescunque in publicum prodiret, Cybele quædã Phrygia ac turrita, non mitrata videretur. Hinc ergo ortam tum sudore prępinguis corporis, tum gemmarum pondere, apoplexiam illam puto, qua correptus subito morbo interijt

Leo IIII. Imperator.

Paulus Secundus Põtifex.

Idem Pontificũ superbiã in Dionysij Primi vita hisce verbis perstringit: Dionysij temporibus, Paulus Samosatenus ab orthodoxa fide desciscens, Arrianonis hæresin suscitauit. Nam in Demetriani locum Antiochenus Episcopus creatus, superbe nimium sese habebat. Inter eundum enim pręsuperbia, & literas relegebat, & dictabat Epistolas, multis cõstipato agmine pręcedentibus ac subsequentibus, vnde propter hominis arrogantiã Christianam religionem pleriq; detestabantur. Sed quid facerent nostra tempestate, qua nihil vel superbiæ vel pompæ, nolo dicere luxuriæ, addi potest, si tot adolescetes anteambulones, sericatos & coccinatos in equis præferocibus, ac phaleratis viderent? Siq; subsequentium presbyterorũ turbam cernerent, chlamydibus optimi cuiusq; coloris hinc inde ab equis deauratis pendentibus? Execrarentur eos sat scio: dicerent nihil eis cum Christo, præter similitudinem quandam religionis commune esse.

Pontificum superbia.

Annum circiter millesimum, centesimum, octuagesimum quartũ, Imperator Fridericus insignem egit Principum Imperij cõuentũ Moguntię, in quo Henricum filium suum Regem declaratum, auratum fecit militę, torque donata: ibi cõfirmatum est matrimonium inter eundem Henricũ & Constantiam, quæ filia erat vnica Regis Neapolitani, monialis: in conuentu isto celeberrimo, ipso die processionis, in sacratissima Pentecostes festiuitate, cum in Ecclesia sederet Imperator, cum vtriusq; ordinis Principibus: a dextris habens Archiepiscopum Moguntinum, & a sinistris Colonien sem, Abbas Fuldensis turbauit cœtum tam celebrem, locum sibi deposcens ex sinistro Imperatoris latere, quem Dominus Colonensis occupauit. Meminere multi hoc ab antiqua obseruantia in eo præsertim loco factum. Sed Princeps Elector & Archiepiscopus cedere Abbati duxit inglorium. Imperator interpellatus respodit: Veteres approbamus, vt tenemur, Imperij consuetudines. Quibus auditis Archiepiscopus, cõuentu relicto abijt, quando, inquiens, ita serenissima tua Maiestas erga nos affecta est: Cedo Abbati Archiepiscopus, Monacho Princeps Elector. Sequutus est illum Comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris, & Comes de Nassow, dicentes: Serenissime Imperator, Dominum sequimur exeuntẽ, cuius beneficia recognoscimus. Comiti de Nassow quod ille & ab Abbate beneficiũ teneret, dixit Ludouicus Thuringiæ Princeps: Pulchre hodie respondes beneficio, qui deserto vero Domino aliũ sectaris: Cui ille, Beneficiũ quod teneo, iussis suo loco promerebor obsequijs, hodie sequor quem in hunc cœtũ inter alios deduxi, æque Dominũ feudi, quod teneo. Idem fecit Dux Brabantiæ. Tot vacuatis sedibus turbatur Rex Henricus, etiam in collum appendens Archiepiscopi, quẽ sancte rogat, ne festũ diem a mœrore auspicetur, neue turbationẽ excitet in tanto Principũ cõuentu: maneat in consessu, neu committat, vt diem suę coronationis tantis irę tenebris obnubilet. Tum Imperator & ipse se interponit. Quandoquidem, inquit, vnum te adeo verbum conturbat, vellem me temperasse sermoni, quamuis nihil præter Imperij dignitatem me eloquutum agnoscam: Sed vide, ne doloris minimi curatione, ingens corpori vulnus infligas. Quid e

Superbia Abbatis Fuldensis celeberrimum Conuentũ Principum turbat.

nim sit scindere tantum conuentum, pro tua prudentia non ignoras. Tum excandescens Archiepiscopus: Pulchre, inquit, hodie remunerat mihi Cæsarea maiestas diuturna huius capitis obsequia, dum in castris incanui, Italiam fatigaui, Lombardiam oppugnaui, Brunsuici sudorem cum sanguine fudi: Hæc magna merces mea, vt in conuentu Principum confundar propter Abbatem: qui nisi occultam Cæsarei culminis intelligentiã soueret, ab hac iniuria merito temperaret. Quod si & Cæsar & Rex manere me vultis, ecce pareo, reponãtur nostræ sedes vt fuere: si nostram Abbas turbauerit, ascendat in cœlum, ponat suam in aquilonem, & similis sit Altissimo. Præsentiens autem Abbatis Archiepiscopus arrogantiam, quatuor armatorum millibus in cœtum stipatus venit: arma etiam procul dubio in Ecclesia exeruissent, si in longum durasset cõtentio. Tum Imperator: Quandoquidem, inquit, a te Archiepiscope insimulamur de occulta cum Abbate huius rei machinatione, parati sumus iusiurandum præstare, nos eius culpæ non esse affines. Et cum iurare paratus videretur, exceperat Archiepiscopus: Verba, inquit, Cæsareæ Maiestatis mihi pro iuramento sunt. Cõuersus inde in Abbatem Imperator, quod & ille Principes haberet non paucos, pro illo, si ad arma veniret, vi pugnaturos, dixit: Hodie, ne maior nobis turba hunc diem festum obscuret, sine iuris tui præiudicio adhibenda est tibi, pater, breuis moræ patientia. Abbas cum rubore locum tenuit inferiorem: & coronatus est Rex Henricus cum Regina. Erat autem annus octuagesimus quartus post mille centum. Væ tibi superbia, quę in cœlis nata, cum auctore tuo ad inferna demergeris semper crucianda. Alber. Krantz lib. 6. cap. 46. Saxoniæ.

Pontificis fastus erga Fridericum Barbarossam.

Hic quoq; de intolerabili Pontificis Romani fastu, quo aduersus Fridericum Imperatorem vsus est, breuiter narrationem subtexere visum est.

Cum omnia in Italia ad arma spectarẽt, Fridericus Rex collecto exercitu in Italiam mouet, & in deditionem acceptis, qui rebellionem cogitauerant, Romam citatis agminibus pergit. Romani metuentes sibi cum a Cęsare, tum a Pontifice, qui propter seditionem Roma excesserat, Oratores Friderico mittunt obuiam, qui paratos esse dicant Romanos ad suscipiendum Imperatorem, si triumphãs antiquorum more Imperatorũ, Romam ingredi vellet. Cognito vero Fridericus, quod triumphus iste maximi sibi constaret (petebant enim Romani, vt aureo curru residens, diuitias gentiũ vrbi inferret, Senatuiq; promitteret appendi 20. millia librarum argenti, vt esset veteribus constitutum legibus) Romanisq; sub hoc prætextu quasi censum ab se elicerent, subridens dixit: Grata promissio, sed cara nimis licitatio. Nimia sunt Romani, quę ex nostro ærario bellis exhausto depoſcitis: aduenimus aurum de Italia sumere, non argentum inuehere. Ac cum Romani Oratores nimis hęc vrgerent, iratus Fridericus cõtemptos a se remouit, Romanisq; si bellum quam amicitiã eius mallent, bellum indixit. Hinc Pontificem cum clero apud Sutrium habuit obuium, quem Imperator descendens ex equo pedes excepit: siniſtram sellæ strepam descendenti de iumento tenuit. Quod Papa ludibrij loco duxit, cum (vt ipse superbe æstimabat) dextra fuisset cõtrectanda: Cui Rex commotus nonnihil paulumque subridens respondit: Minime se studuisse apprehendendis strepis. Tu primus es, pater, inquit, qui tali officio deseruimus. Sed scire velim abste, officij hoc genus ex debito sit, an ex beneplacito? Quod si ex beneuolentia descendit, quis causabitur negligentiam in spontaneo? Sin ex debito, parum interesse putamus, quo latere accesserit, qui venerabundus accedit. Seuerius sic collocuti, discedunt vtrinque non sine stomacho.

Quam nefarie superbi Pontifices vere pium & generosum hunc Imperatorem affixerint, cum ex alijs tum vero ex hac sequenti historia patet. Cum Venetijs latitaret Pontifex Alexander, Imperatorisq; filius Otto te-

mere

mere cum Venetis cõmisso prælio captus & Venetias abductus esset, tum publicæ calamitates, tum patrius dolor Fridericum mouit, vt animum ad pacem constituendam adijceret. Itaque tandem conuenit, vt Fridericus Venetias veniret, & ibi ad pedes Pontificis procumbens, absolutionẽ peteret. Deinde constituta pace in Italia, duceret exercitum in Asiam. Has conditiones Fridericus, etsi erat armis superior, accepit tamen, cumque se Venetijs ad Pontificis pedes abiecisset, Tyrannus nõ contentus Imperatoris modestia, quod factus esset supplex, insignes insuper cõtumelias addidit: Pedẽ collo Imperatoris imposuit, & acclamari iussit: Super aspidem & basiliscum ambulabis. O execrandam superbiam & tyrannidẽ. In hoc ipso tamen spectaculo generosus animus ostendit indignitate rei se moueri, palam interpellato Pontifice, cum inquit: Non tibi, sed Petro. Significabat enim se supplicem, non huic Tyranno, sed Apostolicæ auctoritati. Reclamauit Pontifex tyrannice, Et mihi & Petro. Sic absolutionem tandem impetrauit. Demonstrat hoc exemplũ, quanta sit pestis Rerum pub. ambitio Ecclesiasticorũ. Sed hoc miretur aliquis, potuisse Fridericum iniurias tam atroces obliuiſci, & cõdonare Reipubl. & ita sese demittere, vt supplex fieret in causa meliore, & insuper supplicẽ se affici tanta contumelia finere. Vicit optimum Principem opinio religionis, qua tyrannidẽ suam Pontifices scelerate & impie extollebant & exaggerabant, cuius in omnium hominum animis magna vis est, præsertim si superstitio accedat, quæ tunc regnabat. Chron. Philip. lib. 4.

Cõtumelia Pontificis aduersus supplicem Fridericum

Libet hic etiam Templariorum mentionem facere, quos vt virtus extulit, sic ignauia & superbia non solum rursus depressit, verum etiã prorsus extirpauit.

Cœperunt Templarii, auctoribus, vt vocantur, Hugone de Paganonis & Ganfredo de S. Adelmaro. Hi primo ad vrbem Hierosolymam consedere runt, destinati adducendis tuto reducendisque ijs, qui nauibus appulsi peregre ad vrbem commearent & remearent, vbique custodiendę. Nam limites longius ab vrbe tutabantur cæteri continentibus aduersus hostes bellis. Sed breui tempore, in præcipua dispersi regna orbis Christiani, & pia largaque beneficentia hominum immensis locupletati opibus, cum sese in aulas Principum insinuassent, ita degenerarunt a sua maiorumq; virtute, grauitate, fide, pristinoque instituto, vt de tollendis illis Principes cogitare oportuerit. Et quidem inita in illorum cædem consilia, structasque insidias Monarchis miro silentio occultantibus, passim toto orbe Christiano, pene vno momento, simul omnes excisi sunt, atq; extirpati vniuersi, ducentesimo fere ex quo cœperant anno, imperante Henrico Septimo. Supremus familiæ Magister sedem habuit Hierosolymis.

Circa annum millesimum, ducentesimum, nonagesimum, inuẽtus est impostor, qui se diceret Fridericum Imperatorem II. affirmans, quod se clam suis subtraxisset fastigio rerum, vt quietior viueret: & mortuũ subdidisset, quem pro se vulgus hominum tumulasset, paucis consciis cõsilij sui. Se per annos triginta peregrinatum, nunc reuisere terras Imperij. Tanta proferebat secretorum indicia, vt quibusdam fidem faceret, præsertim Landgrauiis Thuringiæ. Rudolphus Imperator, cum veritatem in ea re compertam haberet, confessionem falsitatis expressit quæstionibus: Fatebatur enim aliquando se in Cæsaris curia seruiuisse, inde prænotata sibi quæ narraret.

Impostor in Friderici nomen inuolat.

Ludouicus Rex Francorum, Tornaco præfecerat Oliuerium ex barbitõsore auratum militem, hominem minoris ab ortu fortunæ, nunc magnis Principibus coæquatũ, quod Regem magnis obsequiis demeruisset. Sed exitus compar erat natalibus. Nam filius Ludouici, patre mortuo, vix regnum ingressus, in noua & magna furca, quam ipse iussit extrui, mãdauit

suspendi hominem, qui per superbiam omnium in se principum odia cõciuit. Crantz. lib. 12. cap. 17.

Nicolaus ciuis seditiosus.

Sub Clemente VII. extitit quidam Nicolaus, inter ciues Romanos publicus scriba Senatus, vir magnę apud populum auctoritatis, qui fauore & applausu stultæ plebis dementatus, & in stolidissimas spes instaurandę veteris Monarchiæ elatus, cum se commutato nomine Augustum, & glorioso titulo Seuerum & Clementem, libertatis, pacis, iustitiæq; tribunum, ac sacræ Romanæ Reipub. vindicem illustrẽ professus armis occupassiet Capitolium, perfecit, vt non tantum ciues Romani, sed fere præcipui tunc Italiæ Principes successiib. eius capti, causas cognoscentem, & ius dicentem agnoscerẽt, seque illi vel subijcerent, vel adiungerent. Huius amens & vesana audacia eo vsq; processit, vt & Pontificem reuocaret in vrbem intra præfinitum tempus, intra quod si non reuertisset, fore vt Pontificatu priuaretur, & Ludouico atque Carolo, cæterisq; Germaniæ Principibus ac præcipue Electoribus diem diceret, quod si non comparerent, se aduersus eos, tanquam contumaces acturum esse. Magnas omnino turbas dedit. Sed stolido vetanæ temeritatis impetu suscepta consilia in eum desierunt finem, vt altero ille anno a factione Pontificia, vibe, totaque Italia pullus sit, quod factum est anno Christi millesimo, trecentesimo, quadragesimo octauo. Contulit se ex fuga ad Carolum, Ludouico iam mortuo, qui vinctum misit ad Pontificem, Auinionem. Chron. Philip. Melancht.

Carolus Imperator cum expugnato Tunete triumphans Neapolim appulisset, inde Nonis Aprilibus per Appiam a Capena porta Romam intrauit, triumphali pompa a Cardinalibus, Episcopis & reliquis omnium Sacerdotum, & Romanorum ciuium ordinibus exceptus, & ad Basilicam Vaticanam, vbi a Pontifice Paulo Tertio super Basilicæ gradus sedente, more maiorum expectabatur, deductus, læto populo ab antiquorum Imperatorum memoriam. Adorato Pontifice Cæsar ea parte Vaticani palatij exceptus est, quæ exornata laquearibus aureis, & marmoreo insigni mœniano vrbem spectat ab Innoc. Octauo cõdita. Platina in vita Pauli tertij.

In testimonium Fastus Pontificij triumphus hic Romæ in castello Sancti Angeli in marmore sculptus est, additique sunt versus:

Et Libya aduenit Romanas victor ad arces
Cæsar, & in niueis aureus iuit equis.
Ille triumphauit, sed tu plus Paule triumphas,
Victor nam, tuis oscula dat pedibus.

Cum Mediolanum creseceret diuitijs & potentia, subducerentque se ciues ab obedientia Romani Imperij, Fridericus Barbarossa, contracto validissimo exercitu, Mediolanenses cum cæteris facile ad iuga coegit. Tum vero irrogatam Imperatrici contumeliam fertur vindicasse. Aiunt illam fœminea, vt putabat, securitate vrbem intrasse, cum illam conspicere plurimum amaret, nec potuit contumeliam aut sæuitiam ab eis, qui parerent Imperio, formidare. Sed plebeij ciues male affecti erga Imperatorem, cum iterum rebellionem meditarentur, insolentia singulari petulantiam suam aperuerunt, obliti decoris sui, fœmineique, obliti armorum Cæsaris, quæ sæpius illis cum victoria intentauit, Regiam dominam mulæ impositam, capite obuerso in caudam bestiæ, traditaq; in manus pro fræno eiusdem bestiæ cauda, ita ludibrio habitam emisere per portam alteram. Iratus Cęsar iusta indignatione, obsessos perurget, vt sæpe alias, ad deditionem, neque bellum, neque pacem perferre potentes. Tum deditos illa lege accepit, eos qui viuere mallent, ficum de genitalibus mulæ dentibus eximerent, alioquin mox obtruncandi. Multi pręponebant mortem ignominię: vitæ cupidi fecere, quod iubebantur. Vnde nata est Italis illa contumelio-

Mediolanenſium insolentia erga Imperatricem.

sa irrisio,

si irrisio, cum digito inter duos ostenso proferunt: Ecco la fico. Albertus Krantzius lib. 6. Saxoniæ. Sebast. Munster. lib. 2. Cosmograp.

Præfecti Suiciæ fastus. Gulielmus Tel.

Præfectus Suiciæ & Vraniæ actus magna insania erecto baculo imposuit pileum suũ per seruum mandans omnibus prætereũtibus, vt pileo suspenso honorem exhiberent. Quod cum recusaret indigena quidam Gulielmus Tel, vocatus ad Dominum, iussus est pomum capiti filij sui impositum telo ex balista torto, dejcere, cumq; imperiũ subterfugere non posset, fauente numine, quod iussus fuerat, fœliciter & sine læsione pueri perfecit. Cũq; aliud adhuc haberet iaculum, interrogatus à Domino in quem vsum illud recepisset, respondit: Si primo iactu puer læsus fuisset, alterum iaculum in te torsissem. Quo audito præfectus captum naurgio abduxit. Cumq; inter Vraniam & Vicum Brun veniret, lapsus ille è naui per ardua & inuia montium currens Dominum præuertit, insidiasq; illi intentans, sagitta eum transfodit. Sebast. Munst. lib. 3.

Ridiculi. Odiosi. Miserabiles.

Phauorinus homines partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles dicebat. Ridiculos quidem, qui ambitiose ad maiora aspirant: Odiosos, qui ea consequuntur: Miserabiles autem qui spe falluntur.

Timon, qui cognomento Misanthropos dictus est, elementa malorum vocabat auaritiam, & ambitionem: eo quod ex horum vitiorum fonte, cætera vitia omnia prouenire ac manare viderentur.

Platonis Fastus.

Antisthenes Athenienfis inuisens Platonem aduersa valetudine laborãtem, ac visa pelui quam vomuerat: Bilem, inquit, Platonis video, fastum non video. Solebat enim, quemadmodũ Diogenes, Platonis arrogantiam notare. Itaq; quum in pompa quadam equestri, equus crebro hinnitu ferocieq; spiritus excelsos testaretur, eoque vehementer à Platone laudaretur, versus ad Platonem, Videris, inquit, & tu bonus equus futurus.

Aristoteles adolescentulum supercilijs sublatis superbientem conspicatus, sed nulla scientia præditum: Adulescentule, inquit, vtinam talis esses, qualis ipse tibi videris: qualis autem reuera es, tales fiant hostes mei.

Socrates Alcibiadem intuitus ob diuitias inflatum, & superbientem opibus prædiisque, in quendam ciuitatis locum duxit, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa. Iussit igitur Alcibiadem Atticã in ea requirere, quam vt inuenit, sua etiam prædia inspicere præcepit, quæ cum Alcibiades nusquam esse picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt?

Æsopus à Chilone rogatus: Quid faceret Iuppiter? Excelsa, inquit, deprimit, extollit humilia.

Antiochi exercitus.

Hannibal profugiens apud Antiochum agebat. Is ostendit illi suum exercitum barbarico apparatu magnifice instructum, sed ad prædam magis quam ad bellum. Hæc omnia cum diligenter contemplatus esset Hannibal, rogauit Antiochus, num hæc omnia satis essent futura Romanis? Tũ Hannibal plane satis arbitror, etiamsi auarissimi sint Romani. Lusit Pœnus ab inexpectato, Rex de prælio scisitabatur, iste respondit de præda. Quid enim aliud est miles imbellis, auro, argento, cæterisq; rebus ad prædam inuitantibus instructus? Philippus cum superbe minaretur Lacedęmonijs per literas, diceretque, se omnia quæ conarentur prohibiturum: Lacedæmonij iactantiam eius irridentes, interrogarunt Philippum, num mori etiam eos esset prohibiturus?

Cum dixisset quidam gloriam ac celebre nomen nocere, eoq; fœlicem esse, qui illud effugerit. Ergo, inquit Anaxãdridas, si vera loqueris, qui nefaria perpetrant, fœlices erunt. Nam qui fieri potest, vt qui sacrilegium committit, aut aliud iniustum facinus perpetrat, gloriæ curam habeat? Notauit eos, qui sic contemnunt laudem, vt interim per ignauiam nihil gerant laudabile: quum eximiam virtutem honesta fama comitetur vltro, ac

generosis animis amor laudum veluti stimulus ad præclara facinora sit innatus.

Carolus Magnus fastum sacerdotum auersatur.

Carolus Magnus pulcherrimis cum esset ornatus virtutibus, inprimis fastum & auaritiam præsertim Sacerdotum, & execratus est & cõpescuit. De quo vide Auentinum lib. 4. vbi inter cætera, Curiose, inquit, cauit, ne quis auarus aut ambitiosus, luxuue perditus, vnquam Pontificalem apicem adipisceretur. Hyldegardæ Reginæ petenti pro sacrificulo suo, idem Proceribus aulæ rogantibus, respondit: Idoneo, si pauperi iam destinaui: Imperatorẽ mentiri, aut fallere non decet, vt obtrudat superis, cuius vitam, mores, ingenium ignoret, & tantone oneri par sit, compertum non habeat. Episcopum Moguntinum, quod lituum aureum, distinctum gemmis, instar Cæsarei sceptri vsurpasset, seueriſſima coercuit oratione: eidem auaritiam & superbiam pro concione propalam exprobrauit: indignabundus, & clamitans, En, ait, pastores nostros, crucem Christi professos, qui spreta cura & pascendarum ouium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemuis opulentissimum lacessant. Quendam pridie feriarum D. Martini designatum Episcopum, quod is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & vti fit, mero se se nimio onerans, somno deinde oppressus, noctu diuinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio mouit: intolerabilem, negligentissimumque fore ratus, qui primo die sibi non temperaret, vt sui compos Deum ad iracundiam non prouocaret. Ité aliium lætiorem ob Pontificatum donatum, atq; gestientem, & ab humo in equum absq; scamno, siue suppedaneo, vno impetu subsilientem reuocauit. Vales, inquit, vt video, viribus, & eques haud malus es: tua opera in bellis, vbi tua virtus enitescat, indigeo: Proinde ignobili, & imbecillo oues & gregem pecudum relinque. Plura de huius imperatoris industria & prudentia circa stringendos tum Episcoporum, & Sacerdotum, tum ciuium sumptus, vide apud Auentinum libro citato.

DE VESTITV.

Natura non fastus rationem vestitus præscribit.

QVi spiritualium virtutũ habitu & pietatis cultu corpus animũq; amicire studẽt, ijs vlterior vestitus cura, quã vt corpus tegant, nulla est odiosa, & natura, non fastus, aut stulta superbia vestitus ratione præscribit. Et quidem protoplastus, & quæ illi confestim comes data est mulier Eua, in Paradiso, cum pulcherrima essent Dei imago, vitam nudi transegerunt, nec de corporali vestitu, cum spirituali amictu essent intignes, vllo modo soliciti erant. Cum autem diuinæ Legis transgressores se nudos peccatisq; defœdatos esse agnoscerent, ficulnis solijs sese cooperire satagerunt, mox ex horto amœnitatis electos, pellibus contexit æternus rerum Conditor, quo contenti vestitu ab omni fastu alieni fuere, nec ornatu non necessario corpus onerare, mortalemque carnis massam impia superbia comere studuerunt, tanto beatiores, quanto ab inani corporis perituri cultu fuere alieniores.

Impia Iezabel faciem suã ornans improbis illecebris ducem Iehu iam Regem diuinitus electum in sui amorem pertrahere conatur, sed spe sua frustrata de fœnestra præcipitatur. 4. Regum 9.

In vestitu superbiam à Deo atrociter puniri Esaias Propheta, capit. 3. Iudæis denunciat.

Decalubit Dominus, inquit, verticẽ filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit, sin die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, &

acus,

& specula,& sindones,& vittas,& theristra. Et erit pro suaui odore fœtor: & pro zona funiculus,& pro crispante crine caluitium,& pro fascia pectorali cilicium.

Holofernes Dux Assyriorum splendente amictu Iudittæ, deceptus fœminea manu interficitur.

Sapientissimus Rex Solomon meretricum illecebras forma amictuq; insidias molientium caute vitandas esse docet. Prouerb.7.

Occurrit (inquit) illi (vecordi iuueni) mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas,garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens consistere pedibus suis,nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur iuuenem,& procaci vultu blanditur,dicens,&c. Et post pauca: Nunc ergo,fili mi,audi me,& attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in vijs illius mens tua,neque decipiaris semitis eius,multos enim vulneratos deiecit,& fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.

Esther quamuis splendido amictu,propter Regem induta,spiritu tamẽ coram Deo fuit humilima. Tu scis,inquit,necessitatem meam,quod abominer signum superbiæ,& gloriæ tuæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ,& detester illud quasi pannum menstruatæ, & nõ portem in diebus silentij mei,&c. Esther decimoquarto.

Mulierum ornatus sit non externus, qui situs est in plicatura capillorũ & additione auri,aut in palliorum amictu,verum occultus, qui est in corde bono,si is careat omni corruptela,ita vt spiritus placidus sit ac quietus, qui spiritus in oculis Dei magnifica ac sumptuosa res est. Nam ad eum modum olim & sanctæ illæ mulieres sperantes in Deo comebant sese, & subditæ erant suis viris,quemadmodum Sara obediuit Abrahæ, dominum illum appellans,1.Pet.3.

Auerte faciem tuam à muliere compta,& ne circumspicias speciem alienam,&c. Ecclesiast.9.

Quo progressus sit hac ætate tam apud infimæ, quam summæ conditionis homines fastus in vestitu, nemo facile verbis possit consequi, & res ipsa clamat,cum omne in præcipiti stare vitium, tum vero ad superbiam istam nihil vlterius addi posse, qua certatim vestium splendori fic omnes incumbunt, vt multi omnium etiam facultatum iacturam faciant, eas in ambitiosum ornatum temere profundentes. Tantus certe,in vibibus præsertim,inter eos,qui aliqua in re sunt, fastus circa vestitus ornatum vbiq; deprehenditur, vt ei splendor Magnatum, Principum,& Regum, qualis ante nostram ætatem in aulis fuit, cogatur cedere. Et prorsus eius rei modus nullus est inter eos, qui natalium titulos, imaginumque splendorem superbe iactitant. Apud Romanos ea fuit olim in vestitu simplicitas,vt vel leuis argenti lamina daretur crimini. Quamuis autem plurimũ ab ista simplicitate degenerarent posteri, & quidem adeo vt de stringẽdo mulierum cultu leges sanciri necesse esset, haudquaquam tamen fastus iste Romanorum cum huius ætatis fastu conferri meretur.

Legem Oppiam, quam Oppius de stringendis matronarum cultibus bello Punico tulerat,cum abrogari vellent,& omni vi,mota seditione instarent mulieres: M. Cato grauiter in mulierum fastum inuehens, inter cætera inquit: Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur mulieb̃ri,vt auro & purpura fulgeamus,inquiunt, vt carpentis profectis quoq; diebus velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis suffragijs vestris per vrbẽ vectemur:ne vllus modus sumptib. nec luxuriæ sit. Sæpe me querentem de fœminarum, sæpe de virorum,nec de priuatorũ modo,sed etiam Magistratuũ sumptibus audistis: diuersisq; duobus vitijs, auaritia & luxuria,ciuitatem laborare: quæ pestes omnia magna Imperia

Ouidius: Iura dabat populus posito modo prætor aratro. Et leuis argenti lamina crimen erat.

euerterunt. Hæc ego, quæ melior lætiorq; indies fortuna Reipublicæ est, quo magis Imperium crescit: & iam in Græciam, Asiamq; transcēdimus, omniū libidinū illecebris repletas, & Regias etiam attrectamus Gazas: eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta, mihi credite, & signa ab Syracusis ijsdata sunt huic vrbi. Iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesq;, & ante fixa fictilia Deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Liuius lib. 4. Decad. 4.

Diogenes quum Rhodios quosdam adolescentes elegātiore cultu conspexisset, dixit: τὸν δᾶδε ἅτε δᾶδε ἐσθῆτα, id est, hic fastus est. Rursum cum vidisset Lacedæmonios subtricta tunica parce sordideque cultos, ἄλλον δᾶδε, inquit, ἅτε τὸν δᾶδε ἐσθῆτα, id est, hic alius fastus est. Significans non minus peccare eos, qui ad ostentationem sordide vestiuntur, quam qui splendido vestitu se iactitant. Vnde scitum est illud diui Hieronymi, pullas vestes æque, vt candidas deuita.

Demonax cuidam, qui purpura indutus sese insolentius ostentabat, in aure dixit: Heus tu, hoc ante te gestabat ouis, & ouis erat: significās illum nihilominus stupidum esse si gestaret purpuram. Etaim.

Lycurgus, ne adolescentes se ad luxum compararent, statuit vt ad vnum vestimentum toto anno se adsuefacerent: quod putaret hac ipsos ratione tum ad frigora tū calores rectius instructos fore. Xenophon in Laconicis.

Phocionem illum laudatissimum Athenienſium Ducem, qui quinque & quadraginta Magistratus gessit, adeo ab omni luxu vestium abhorruisse ferunt, vt ruri ac militiæ nudo semper pede incesserit, nisi hyems atrocior illum ad calceos compulisset. Proinde ferunt inter iocabundos milites nullum fuisse rigoris significandi certius argumentum, quam si quis affirmasset, Phocionem inductis calceis prodijsse.

Epaminundæ etiam Thebanorum adeoque totius Græciæ Principi vni cum fuit indumētum, rude & pertritum. Quod si quando expurgandum fulloni traderet, alterius vestis inopia domi interim se continebat.

Hieronymus Syracusanorum tyrannus.

Quam atrocia comitentur vitia superbiā, quæ in vestitu exercetur, Hieronymi Syracusanorum regis vel tyranni potius exemplum ostendit. Qui cum plurimum ab auisui Hieronis humanitate degeneraret, animiq; ne fanda vitia ipso etiam apparatu & vestitu detegeret, à suis interfectus est. Qua de re lubet ipsius Liuij verba subnectere.

Vix quidem vlli bono, inquit, moderatoq; regi facilis erat fauor apud Syracusanos, succedenti tanta charitate Hieronis, verum enimuero Hieronymus, velut suis vitijs desiderabilem efficere vellet auū, primo statim aspectu omnia quam disparia essent ostendit. Nam qui per tot annos Hieronem, filiumq; eius Gelonem, nec vestis habitu, nec vllo alio insigni differentes à cæteris ciuibus vidissent, conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos: quadrigisq; etiam alborum equorum interdum ex Regia procedētem more Dionysij tyranni. Hunc tam superbum apparatum, habitumq; conuenientes sequebantur mores: contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumelioſa dicta: aditus non alienis modo, sed etiam tutorib. difficilis: libidines nouæ, inhumana crudelitas. itaque tantus omnes terror inuaserat, vt quidam ex tutoribus aut morte voluntaria, aut fuga præuerterent metum suppliciorum, &c. Liuius lib. 4. decad. 3.

Cato Censorinus. Cato Vticensis.

Cato Portius, qui a nobilissima censura, quam gessit, Censorij tulit cognomen, nunquam toga vsus est pluris quam drachmis centum empta, sed maius in Vticensi huius pronepote frugalitatis exemplum, qui sine calceis, sine tunica, cæterum funiculo cinctus per forum cum familiarib. post prandium deambulauit. Sabel. lib. 2. cap 8.

Vespasia-

Vespasianus etiám imper. à cæteris militibus habitu nihil differre visus est.

Quæ humanitas in Seuero etiam Imperatore insignis fuit. nec enim alio quam ciuium vulgus vestitu vti voluit, de quo paulo post.

Quo nomine & Tacitus Imperator laudatur, qui cæteris habitu par toga in Imperio, pro ciuium Rom. consuetudine, vt plurimum vius est. Qua laude etiã Alphonsus ille rex Aragonum, omnium alioquin virtutum generibus illustris celebratur.

Nempe vbi vera est animi excellentia, virtutumq; decus enitet, ibi externo corporis splendore parum opus est. Nec enim prisci illi heroes in eo sibi laudem quæsiuere, qꝫ delicato splendidoque amictu induti, sed quod animi dotibus insignes fuerint Quin Herculi vt probrum obijcitur, quod horridiore amictu abiecto, mollioribus se vestibus ornarit, apud Ouid. in Epist.

Mæander toties, qui terris errat in ijsdem,
Qui lapsus in se sæpe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
Illo cui cœlum sarcina parua fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas apposuisse toris.
Nempe sub his animam pessis Nemeæa lacertis
Edidit: vnde humerus tegmina læuus habet.
Ausus es hirsutos mitra redimire capillos,
Aptior Herculeæ populus alba comæ.
Nec te Mæonia lasciuæ more puellæ
Incingit zona dedecuisse pudet.
Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Ferus humana qui dape pauit equos.
Si te vidisset cultu Lusitra in isto:
Huic victor victo nempe pudendus eras.

De Bragmanæ gentis pura & simplici vita etiam legitur, quod superflui amictus nulla ibi cura sit. Nullus ibi pretiosus amictus, sed membra papyri tegmine, vel quod verius pudore velantur. Fœminæ non ornantur vt placeant, nec sciunt in augenda pulchritudine plus affectare, quam nactæ sunt. Vide Munst. lib. Cosmogr.

Theopompus libro Historiarum 15. mille viros scribit ex Colophonijs stolas purpureas gestantes per ciuitatem incedere consueuisse. cum id vestimenti genus & apud reges rarissimum esset, & magnificum: nam purpura æqui ponderis argento olim redimebatur. Ob hanc vitæ rationem in Tyrannidem & seditiones lapsi cum patria ipsa perierunt. Ath. libro 12. capite 10.

Alexander Macedo superatis Persis, abiecta Macedonica modestia vestem patriam Persicis ornamentis mutauit. Quare Macedonum animos à se auertit, quibus non Macedonum arma de Persis, sed Persarum deliciæ de Alexandro triumphare videbantur. Fulg. lib. 3. cap. 6.

Philarchus lib Hist. 23. & Agatharchides Cnidius lib. Asiæ 10. Amicos Alexandri mirum in modum delicijs fuisse delectatos testabatur. Agnon aureos clauos in calceis & crepidis gestabat. Clitus cognomento Albus cum ius dicturus esset, vestibus purpureis indutus ambulabat, ac cum viris quicunq; obuij fuissent, differebat. Athen. lib. 12 cap. 18.

Trita fere veste diuersoq; colore referta amictebatur Helisabeth regis filia, gestiebatque magis mendici habitu, quam Regum purpura spectari. Sabel.

Impe

Imperator Augustus luxuriam in vestitu summopere auersatus est. Itaque dicere solebat: Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillū est, nidulq; luxuriæ. Veste nō temere alia quā domestica vsus est, ab vxore & sorore & filia neptibusq; confecta. Filiam & neptes ita instituit, vt etiā lanificio assuefaceret, veraretq; loqui, aut agere quicquam nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Aliquando filia Iulia cum eum salutaret, sensit illius oculos licentiore cultu offensos, licet ille dissimularet: itaque postero die mutato cultu patrem complexa est. Tum Cæsar qui pridie dolorem suum continuerat, gaudiū cōtinere nō potuit. Et quāto magis, inquit, iste cultus decet Augusti filiam? Tum illa, Nimirum hodie me patris oculis ornaui, heri viri. Iulia ista cum luxuriosa & superba esset, à gratui quodam amico monebatur, vt ad exempla paternæ frugalitatis se componeret. Cui ipsa: Obliuiscitur ille Cæsarem se esse, ego memini me Cæsaris filiam. Suetonius, Macrobius.

Cum pro concione Augustus Cæsar multos videret palliatos, indignabundus: En, inquit, Romanos rerum dominos gentemq; togatam. Adeo studebat priscos reuocare mores, vt habitum quoq; vestitumque doluerit mutatum.

Alexander Seuerus, cum ob virtutis magnitudinem patriæ Parentis, & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum, vt hos acciperet honores, induxit: Oportet enim, aiebat, vt res gestæ maturiorq; ætas ea nomina parent. Nomina igitur, quæ alij ad honestandam fortunam omnibus studijs asciscere sibi laborarunt, ipse adolescens adhuc singulari animi moderatione non admisit. Sed ne coniugem quidem preciosioribus vti gemmis, quam ceteræ Romanæ ciues permisit, & si quæ dono datæ erāt, eas vel vēdi iussit, vel templis donauit. Affirmabat enim minimè se velle, vt à coniuge sua pauperum atq; profusionum exempla proficiscerentur.

Imperator ille Seuerus cum humili vestitu contentus sæpenumero incederet, reprehensus ob id ab aulicis suis respondit; Imperatoriam Maiestatem constare virtute, non corporis cultu. Idem gemmas omnes, quas reperit in palatio, vendidit, & aurū in ærarium contulit, dicens, viris gemmas vsui nō esse: matronas autē regias cōtentas esse debere vno reticulo, atq; inauribus, & baccato monili, & corona, in qua sacrificarent, & vnico pallio auro sparso, & cyclade, quę plus sex vncijs auri non haberet. Hic cultus hodie vix sufficit negotiatorum vxoribus. Ælius Lamprid.

Xanthippe Socratis cum nollet eius vestem induere, atq; sic ad spectandam pompam prodire, respondit: Vt quam non spectandi causa, sed potius vt specteris habeas. Notabat autem communem hominum consuetudinem, qui cum in alijs, tum maxime in vestitu nouitate delectantur, quo ab omnibus ob nouum & insolitū cultum spectentur & celebrentur. Quo luxuriæ morbo si gens vlla, certe Germani gaudēt, apud quos nihil habitus nouitate vsitatius.

Cum adolescēs quidā comptior Diogeni proposuisset, quæstiunculam: Non tibi prius, inquit, respōsurus sum, quā sublatis vestib. ostenderis, vtrum masculus sis an fœmina. Ex cultu parū virili notauit eius mollitiem.

Idem cum videret adolescentem quempiam sese ornantē: Si ad viros, inquit, atyche, is, id est, frustra te ornas, si ad fœminas, adikeis, id est, iniuste agis. Nam frustra se mas parat masculo, inter quos non potest esse coniugium: & inique facit adolescens, si cultura formæ insidiatur infirmo sexui, cum vxor non lenocinio, sed honestis moribus concilianda sit.

Idem diuitem quendam indoctum, sed splendide vestitum, chrysomelon appellabat, hoc est, ouem aureo vellere. Nam tales fuisse proditum est à Poētis. Qui minimum valerent ingenio, ouillis moribus etiam Prouerbio dicebantur.

C. Cæsar

C. Cæsar Caligula teterrimum Imperij monstrum vestitu calceatuque, & cætero habitu, neq; patrio neq; ciuili, ac ne virili quidem, ac deniq; nō humano semper vsus est. Sæpe depictas, gemmataſque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum proceſſit, aliquando ſericatus & cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in ſpeculatoria caliga, nonnunquam ſocco muliebri, plerunque vero aurea barba fulmen teneſ, ac fuſcinam, aut caduceum deorum inſignia, atq; etiam Veneris cultu cōſpectus eſt. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem aſſidue geſtauit: interdum & Magni Alexandri thoracem repetitum è conditorio eius. Sueton.

Nero etiam Claudius prodigioſæ luxuriæ deditus nullam veſtem bis induit. Piſcatus eſt rete aurato, purpura coccoq; funibus nexis. Nunquam carruncis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinnatis mulionibus, armillata & phalerata cum amaxicorum turba atq; curſorum. Suetonius.

Teribazus in venatu Perſicam veſtem dilaceratam oſtendebat, conſulens, quid faciendum eſſet. reſpondente autem Artaxerxe rege, aliam induendam: Vnam igitur, inquit, mihi tradas oportet. Rex ſuam tradidit, dicens: Dono do tibi hanc veſtem, ſed geſtare prohibeo. Teribazus vir minime quidem malus, ſed leuis præcipitiſque conſilij, neglecta regis monitione, veſtem induit, muliebribus etiam ex auro donis, quę à rege acceperat, exornatam. Hoc cæteris omnibus indigne ferentibus (nam videre nefas erat) rex effuſe ridens: Tibi inquit, vt mulieri aurum, vt inſano regium amictum geſtandi ius poteſtatemq; concedimus.

Cum Dionyſius Siciliæ Tyrannus filiabus Archidami veſtes ſplendidas multique precij dono miſiſſet, recuſauit accipere, dicens: Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videantur. Intellexit vir prudens, virgines nullo cultu melius ornari, quam ſimplici: porro ſericis, gemmis & auro dehoneſtari magis quam ornari: propterea quod veſtium luxus arguit animū parum ſobrium, & intuentium animos ad libidinē ſolicitat citius, quam ad honeſtam opinionem. Decet autem vt virgo tota & vndique virgo ſit, nec vlla ex parte det corruptę mentis ſignificationem. Plutarch. in Lacon. Idem de Lyſandro ſcribitur.

Phocionis cognomento Probi vxor dicere ſolebat, ſuum mundum eſſe præclara geſta mariti. Ita frugalitatē ſuam excuſauit alijs matronis obijcientibus, quod parum pro dignitate culta eſſet.

Alphonſus Aragonum rex quum veſtitu cultuq; corporis nō multum differeparet à popularibus ſuis, admonitus à quodam vt regio ornatu incederet, reſpondit: Malo moribus & auctoritate meos excellere, quam diademate & purpura. Æneas Syluius.

Carolus dux Burgundię veſtem habuit, cuius precium bis centenis ducatorum millibus fuit æſtimatum. Qui ſplēdor circa vilis corpuſculi amictum & cultum inhumanæ & prodigioſæ eſt luxuriæ, quæ atrocibus ſubditorum expilationibus foueri ſolet.

C. Sulpicius Gallus vxorem repudiauit, quod aperto capite fuiſſet foris. Lex inquiens, tibi meos vnius præfinit oculos, quibus formam tuam approbes, his ornamenta comparato, his eſto ſpecioſa, alijs velle videri formoſam, in ſuſpicione & crimine hæreat neceſſe eſt. Eraſ.

Pambo quidam apud Athanaſium cum Alexandriæ eſſet, vidiſſetque mulierem, maximo veſtitus apparatu ſuperbientem, fleuit. At interrogatus cur tantopere lachrymas effunderet? Reſpondit: Duæ res ſunt quæ me mouent. Vna quidem, quæ eſt mulieris huius perditio. Altera vero, quod ego, qui nomen Chriſtiani profiteor, non tantum ſtudeo placere Deo, vi- *Pambo Monachus.*

tæ innocentia, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus. Pet. de Natalib. Eccleſiaſt hiſt. lib. 8. cap. 1.

Heliogabalus aureo vtebatur vaſe ad corporis excrementa, gemmas ab optimis ſculptas artificibus in calceamentis ferebat, quæ nunquam iterabat. Precioſas veſtes ſæpe conſcidit. Minxit etiam in Myrrhinis & Onychinis vaſis. Rauiſ.

Ageſilaus Lacedæmonius iam ſenex perſæpe ſine calceis & tunica prodibat in publicum cum lacera veſte, inq; matutino tempore hyemis. Cum autem quidam eum obiurgaret, quod puerilius ageret, quam ætatem illam deceret, reſpondit: Verum, inquit, iuniores ciuium, quaſi muli, ſi veſtem virilem induam, omnes oculos in me conijciunt. Ælian. lib. 7.

Socrates Philoſophorũ omnium luculentiſſimus, paupertate quaſi delectari videbatur, ſpretoq; omni qui ad corpus amiciendum anxie ab alijs diſquiri ſolet, ſplendore, nudis ſemper pedibus inceſſit, ſordido pallio contentus, honores & omnia terrena contemnens, diuitias præſertim.

Carolus Magnus, vt Auentinus refert, veſtitu, calceatu, & cætero habitu, patrio, hoc eſt, Teutonico vtebatur, non multum à vulgari abhorrente. Subucula, tunica ſingulos artus exprimere, quæ ſerico limbo ambiebatur, thorace pelliceo, tibialibusq; lineis muniebatur. Amictus inſuper ſago Veneto. Enſe ſemper accinctus, cuius capulus, vt baltheus, aut aureus, aut argenteus erat. Celebri feſto, aut quando exterarũ gentiũ legati veniſſent, veſte, gladio, diademate, aureis atq; gemmatis prodibat: peregrina atque exotica veſtimenta, precioſa quanquam, omnino contempſit. Romæ bis duntaxat, Hadriano, item Leone Pontifice Maximo, enixius orantibus, togam, chlamydem, calceosq; more Romano ſumpſit. Etiam habitum veſtitumque priſtinum reducere ſtuduit. Franci inter Gallos militare ſoliti, eorum ſagis virgatis, breuioribusque vti iam cœperant. At Carolus viſa quondam Brachatorum turba, indignabundus exclamauit: En liberos Francos, qui eorum, quos vicere veſtimenta, haud bono omine, & inauſpicato vſurpant. Quid iſta pittaciola proſunt? Totum non operiunt corpus, maxima ex parte nudum relinquunt, neq; à pluuijs ventisque defendunt. Quin etiam ad naturæ neceſſaria ſecedenti tibiæ congelaſcunt. Edixit deniq; ne de cætero huiuſmodi Gallica ſaga in Germania aut venderentur, aut emerentur à quopiam. Hyeme, vt eſt Germaniæ mos vetuſtiſſimus, longinquaque conſuetudo, Rhenone ex pellibus lupinis ouillisque muniebatur. Cumque apud Forum Iulium hybernaret, ac videret Francos exoticas pelles, peregrina veſtimenta à Venetis Mercatorib. magno emptitare: hunc que ſericatum, illum gemmatum, iſtum armillatum, alium manuleatum, cycladatumue procedere, omnes vti veſtiti erant ſecum venatum, pluuia imminente, proficiſci imperauit, veſtibusque hiſce imbre corruptis, ſpinis atque fruticibus, dum feras inſequũtur, & cõficiũt. dilaniatis, crurore atque ſanguine oblitis, domum reuertit, iuſſitq; vniuerſos mox ſecum in prætorium coire, atq; eodem habitu ſecum cœnare. Ob frigus tum omnibus ad focum certatim conſidentibus, conuiuiũ ad multam noctem protraxit. Poſtridie ijſdem indutos amictibus, cunctos apparere iubet. Tum vbi huiuſmodi indumenta partim imbre, ſentibus, pluuia dilacerata, cruore oblita: partim igne rugis conſtricta, proinde rupta diſciſſaque conſpexit, lupinas pelles, quas, vti fieri ſolet, aëre ſiccarat, integras oſtendit: ſtolidiſſimi mortalium, inquit, quod veſtimentum nunc vtilius, precioſiuſue eſt? Meumne drachma comparatum, an veſtra tot libris, atque integro patrimonio coëmpta? Auentinus libro quarto Ann. Boiorum.

In veſtitu, ſicut in pleriſq; omnibus mediocritatem eſſe optimã, vt omnia fere, ita hoc quoq; rectiſſime M. Cicero videtur dixiſſe. Nam ſi modum

dum excesseris, non declinabis facile liuidi dentis scommata, quæ apud Lucianum similiter lectitamus, ἔαρ ἤδη καὶ πόθεν ὁ ταώς, Quod nostris ferme verbis sonat: Iam ver adest, & vndenam pauo? Sic Pauo recte dici meruit Demetrius ille, cuius Plutarch. in Parallelis meminit: Erat, inquit, vt verum fateamur, magna circa Demetriũ tragœdia, cũ vteretur non modo καυσίαις διμίτροις, & auro intexta purpura, sed & auro litis soleis. Mundi quoq; imagine, ac astrorum attexebatur illi chlamys, quum Macedoniæ Principatu excidit, nec Regum quispiam, quantumuis elatus, illam mox gestare est ausus: adeo inuidiosa erat impendij magnificentia.

Grauissima est Quintiliani sententia, cum lib. 8. ait: Cultus concessus atq; magnificus, addit hominibus, vt Græco versu testatum est, auctoritatem, at muliebris & luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem. Et in Odyss. Homerus:

Ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει
Ἐσθλή. Quibus significatur, ex vestibus ornamentum ac nomen hominibus plerunq; comparari. Cæl. Rhod. lib. 16. cap. 9.

Numanus Remulus Troianis mollitiem obijciens apud Virgilium, à veste coniecturam facit:

Vobis (inquit) *picta croco & fulgenti murice vestis,*
Desidiæ cordi, iuuat indulgere choreis,
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Quemadmodum vestitus honestus animum bene compositum ostendit: sic contra vestis exotica, & mollis, & turpitudinem leuitati coniunctã præ se ferens, animi labem denotat. Eo autem turpitudinis prodigiosa in vestitu luxuria progressa est, vt quo vlterius progredi possit, non habeat. Nolunt agnoscere mulieres, vera sua ornamenta esse Pudicitiam, & nõ vestes, quemadmodum Pythagoras Crotoniatarum matronas docebat. Quod & Antisthenes inculcare solitus est, mundum muliebrem esse dicẽs, quod ornat fœminam. Ornat autem id, quod reddit compositiorem. Verum id non præstat, neq; Smaragdus, neq; Purpura, sed quęcunque addunt vim ac speciem honestatis. Huius autem veri ornatus illæ negligentes animum pessimis vitijs pollutum cum habeant, interim in expoliendo corpore, & amictus varietate disquirenda nullo labore, nulla arte, nullis sumptibus satiari possunt.

Fuere apud Athenienses constituti γυναικονόμοι, mulierum præfecti, qui matronarum decentiæ & modestiæ arbitri, de ijs pro sua potestate statuebant, attendentes, ne muliebris mundus, aut cultus matronalis in luxum euaderet, aut habitũ ab eo sexu dissentaneum. Quo magistratu quo magis opus iam foret, eo magis metuenda esset, si is constitueretur, graui or multo mulierum seditio, quam Romæ exoriebatur ob legem Oppiam, de stringendis matronarum cultibus latam. Γυναικονόμοι.

Nec solæ mulieres ob fastum istum, quo pauonum ritu sese in vestium splendore ostentant, male audiunt, sed multo abomniabilior & portentosior virorum illa fœditas, qua sinuosos dissectarum caligarum flexus ad talos vsq; dependentes, gestare non erubescunt. Quę sane vestitus abominabilis prorsus turpitudo indicium est certissimum, omnem inter homines pudorem, modestiam, honestatem, extinctam esse, nec eos fœderis eius, quod in Baptismate cum ipsis benignissimus Deus inijt, memores esse, quippe qui vltro Satanicum sibi habitum asciscant, & externo quoque amictu diabolica malint esse larua, quam Christi pietatisq; cultores perhiberi. Admiranda est Dei longanimitas, ad tantam improborum hominum fœditatem tandiu conniuentis. Verum grauius hoc esse peccatum

non dubium est, quam quod corporalibus pœnis vindicandum sit. Quanquam corporales pœnæ non cessant, dum fames, pestis, gladius nusquam non sæuit, & extremum exitium humano generi minatur.

Anno quarto & quadragesimo supra millesimum quingentesimum, in Silesia grandines cecidere pugni magnitudinem adæquantes, in quibus expressiæ apparuerunt sinuosæ istæ & dissectæ, quibus improbi milites & scurræ vtuntur, caligæ, thoracesq; & manicæ scissæ: fuere etiam immixti grandinibus, lapides effigiem repræsentantes capitis Turcico pileo tecti. Exoticus nempe vestitus, quo Germani gaudent, dum iam Hispanos, iam Gallos, ipsos etiam Turcas, in vestiendi modo æmulantur, barbaris gentibus nationem nostram prædę fore testatur. Gaudet iuuentus Germanica veſtitu Hiſpanico, Hiſpanorum eadem experta eſt ſæuitiam. Turcicis pileis tecta ſuperbit, & Turcas ceruicibus imminentes exhorreſcere nunquã non cogitur. Et quidem elapſi ſunt anni non ita multi, cum Turca Germanorum complures captos abduxit, eorumq; corpora ad eundem modum, ad quem veſtes ipſorum diſſectæ erant, diſſecari iuſſit. Quæ monſtroſæ veſtitus formæ pœna fuit conueniens.

Omnem porro faſtum, quantuſcunq; ille vel in veſtitu, vel alijs rebus quibuſuis deprehendi, aut animo cogitari poteſt, exuperat meretricis Babyloniæ, Romani nempe Antichriſti, mitratorumq; Patrum ſuperbia, cuius paſſim etiam in præcedentibus facta eſt mentio. De Pauli Secundi faſtu, & apparatu Pontificio, non eſt, cur ambigas, inquit Platina, maiores ab hoc vno ſuperatos, regno præſertim, ſiue mitram velis appellare, in quã multas opes contulit, coemptis vndiq;, ac magnis precijs, Adamantibus, Sapphiris, Smaragdis, Chryſolithis, laſpidibus, vnionibus, & quicquid gẽmarum in precio eſt. Quibus ornatus tanquam Aaron redimitus ac ſpiendidus, in publicum forma humana auguſtiore prodibat. Inſpici tum ab omnibus volebat, & adorari. Hanc ob rem nonnunquam peregrinos in vrbe retinuit, intermiſſa ſudarij oſtendendi conſuetudine, quo à pluribus eodem tempore cerneretur. Præterea ne ſolus differre à cæteris videretur, publico decreto mandauit, propoſita pœna, ne quiſquam bireta coccinea (ita appellabant capitis tegmen) præter Cardinales ferret: quibus etiam primo Pontificatus anno pannum eiuſdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas ſternerent, dum equitarent.

Pauli Secũdi faſtus.

DE ABSTINENTIA ET SOBRIETATE.

MOſes bis in montem Sina aſcendit, quadragenisq; diebus, & totidem noctibus ibi fuit cum Domino, panem non comedit, & aquam non bibit. Exodi 24. & 34.

Loquutus eſt Dominus ad Aaronem: Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini: Quia Præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanũ, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moſi. Leuit. 10.

Præcipit Dominus populo, quem ſanctum & mundum eſſe vult, vt ab omnium immundorum animalium eſu abſtineat. Leuit. 11.

Vir ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & qualibet alia potione, & quicquid ex vua exprimitur, non bibent: vuas recentes ſiccasq; non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur: quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa vſq; ad acinum non comedent. Num. 6.

Vxori Manues ab Angelo præcipitur, Iud. 13. ne bibat vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedat.

Dauid cum desideraret aquæ potum de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam, tres ex fortissimis, qui circa Dauidem erant, irruperunt in castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, & Dauidi attulerunt, qui acceptam noluit bibere, sed libauit eam Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? 2. Regum vicesimo tertio.

Iosaphatus, insurgentibus aduersus eum Ammonitis, Moabitis, ac Syris, ieiunium populo indicit, & supplex vna cum populo ad Deum confugit, & ab eo exauditur. 2. Paral. 20.

Elias delicatioris cibi minime appetens, paululum aquæ, & buccellam panis à vidua Sareptana petit. 3. Reg. 17.

Idem cum fugeret sæuitiam impiæ Iezabelis, pertæsusq; vitæ mortem optaret, sub Iunipero obdormijt, ibi ab Angelo excitatus, panem subcinericeum, & vas aquæ vidit ibi ad caput appositum, comedit itaque & bibit, & in fortitudine cibi illius ambulauit quadraginta diebus & noctibus, vsque ad montem Dei Horeb. 3. Reg. 19.

Nehemias audita populi sui afflictione, multis diebus ieiunat, Deique misericordiam implorat. Nehem. 1. Populus ieiunans se ab alienigenis separat, peccata sua confitetur, & Diuinam implorat misericordiã. Nehē. 9.

Esdra populum in patriam reducens, indicto ieiunio Deum inuocat, & vt ille Dux sit itineris, petit. Esdræ 3.

Esther Regina, vna cum Iudæis, tribus diebus in ieiunio Deum aduersus Hamanis insidias & consilia inuocat. Esth. 4.

Rhechabitę Sacerdotes, Nazaræi professione, à patre in mandatis acceperant, ne quid proprium haberent, neve vitæ totius tempore vinum vnquam gustarent. Vastante Iudæam Assyrio, vitandi periculi causa, se recipiunt Ierosolymam, quibus cum vinum in templo proponeret Ieremias, præcepti patrij ita obseruantes fuerunt, vt nullo modo adduci, neque ipsi, neque eorum vxores, aut liberi possent, vt vel extremis labijs id attingerent. Ierem. 35.

Ezechiel figuraturus obsidionem Ierosolymæ omnibus ciborum lautitijs & delitijs abstinere iubetur. Ezech. 4.

Daniel cum tribus iuuenibus, Anania, Misaele & Azaria, cibis regijs abstinet, contentus leguminum esu & aquæ potu. Daniel. 1.

Daniel tertio Cyri Persarum Regis anno trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedit, panis & vinum in os eius non introiuerunt. Daniel. 10.

Niniuitæ audita prædicatione Ionæ, ciuitatis euersionem denuncantis, ad Deum conuersi sunt, in ieiunio & cilicio pœnitentiam agentes.

Eleazar, septemq; fratres cum matre comprehensi, omnis generis tormenta, mortemq; atrocissimam sustinere maluerunt, quam contra legem Dei porcinis carnibus vesci. 2. Machab. 6. & 7.

Iohannes ille Christi præcursor, quo maior nō surrexit inter natos mulierum, vitam in deserto egit, vini & sicerę, cibiq; delicatioris, tum vestitus mollis abstinens. Matth. 3. Luc. 1. 3.

Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. Prouerb. 23.

Cauete vobis, ne quando grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, subitusq; vobis ingruat dies ille. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem totius terræ. Vigilate itaq;

omni tempore, deprecantes, vt liceat vobis effugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Lucæ 21.

Ad Ephes. 5. Ne inebriemini vino, in quo luxus est.

Heliæ Eremitæ in finibus Antinos, quæ est metropolis Thebaidis, iam ætate decrepito exiguus panis, & paucissimæ oluæ cibus erat, robustioribus vero annis interdum hebdomadarum inediam tolerauit. Marul. Spalat.

Hor Abbas quamdiu solitudinem incoluit, herbis, radicibus, aqua sustentatus est, pane abstinuit, donec monasterio præpositus communi cum alijs cibo vti cœpit, vt ipsos lucri faceret, & quadam vitæ æqualitate contineret.

Apollonius Abbas, panem, olus, herbas edere solebat, sed ita sane, vt ea sale condiret, vel aceto maceraret, coctum gustauit nihil. Theonem quoque Monachum cruda comesse accepimus, nec in vescendo ignis opera vnquam vsum.

Honophrius item Abbas, cum sede incerta per solitudinem vagaretur, diu herbis tantum & fructibus sustentatus dicitur. Demum pane & aqua nutritus Angelo homini ministrante.

Palæmon Monachus in Thebaidis deserto habitans, celebri Paschæ die Paconium contubernalem suum rogauit, vt solito largius obsonaret. Coxit ille olus, oleoq; & sale condiuit. Sed posita mensa, Palæmon suspensius parum per stetit, ingemuit, lachrymas effudit, & Dominus meus, inquit, crucifixus, felle & aceto potatus est, & ego oleum edam? Auertentem se ac lugentem Paconius hortabatur, vt sumeret, & illam olei lautitiam nō tam sibi quam festi solennitati comederet, tantum profecit, vt nec ipse aliud gustarit, quam quod consueuerant, panem scilicet cum sale, aquamq; frigidam. Sic refecti Deo gratias egerunt, hoc tantum festo tribuentes, quod eis as tunc sapidiores parauerint, quam comederint, adeo oleum in cibo sumere luxuriæ deputabant.

Amandus Turoni ad beati Martini sepulchrum quindecim annos mānsit, & hoc toto tēpore cibus illi panis hordeaceus, aquā potus fuit. Postea Traiectensis Episcopus factus, miraculis illustratus est, Heraclio in Oriente imperante.

Otto Bambergensium Episcopus nunquam ad satietatem comedit in Episcopatu panem. Cum aliquando eius Procurator lucium piscem apposuisset, emptum duobus solidis, dixisse fertur: Absit vt miser Otto solus tot denarios hodie absumat. Defer igitur ad quendam ægrotum, Ego enim adhuc firmo corpore, me hoc pane possum reficere.

Plura exempla Marulus Spalat. lib. 4. recenset, quæ tamē anilibus Monachorum fabulis, quibus illi suam hypocrisin confirmare studuerunt, similiores sunt, quā historijs. Itaq; ijs recensendis hic immorari nolumus. Quanquam dubium non est, in prisco illo seculo eam fuisse monasticæ vitæ rationem, vt nullis voluptatibus & delicijs vacarent, quicunq; eam colerent, sed tantum ieiunijs alijsq; pietatis exercitijs dediti essent, vnde diuinam etiam virtutem & gratiam inter eos, quatenus soli gratię Christi, & non suis meritis salutem imputarunt, illustrem fuisse consentaneum est.

Iulius Cæsar domesticam disciplinam in paruis ac maioribus rebus, diligenter adeo seuereq; rexit, vt pistorem, alium quam sibi panem cōmunis subijcientem, compedibus vinxerit. Eundem vini parcissimum ne inimici quidem negauerunt. Verbum M. Catonis est, vnum ex omnibus Cæsarem, ad euertendam Rempubl. sobrium accessisse. Nam circa victu C. Oppius adeo indifferentem docet, vt quondam ab hospite conditum oleum pro vinidi appositum, aspernantibus cęteris, solum etiā largius dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiæ aut rusticitatis videretur arguere. Suet.

Idem

Idem C. Oppium valetudine subita correptum non dereliquit, & in diuersorio, quod vnum erat, loco ei cessit, ipse humi ac sub dio interim accumbens. Sueton.

Alcamenem Telecri filium, cum quidã obiurgaret, quod tam parce fruga literq; viueret, cum tamen amplissimas possideret diuitias: Decet, inquit, eum, qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere: significans pernicioſas esse diuitias, nisi adsit animus diuitijs superior, qui possit earum vsum non ex copia, sed ex necessitate moderari. Plutarch.

Fuerunt Ethnicorum pleriq; somni & quietis parcissimi, qui omnẽ voluptatis illecebram aspernati, per laborem & continentiam vitam transegerunt. Quid Sinopæo illo Diogene, aut cultu neglectius? aut victu despicatius? aut cubatu durius habuit vnquam vita hominum? pallio duntaxat vno vsus est, cætera nudus, oleribus & pane contentus. Humi iacens somnum capiebat, aut cum mollius in dolio, deditq; hæc ille non pietati, sed naturæ, ad quam omnia referebat, quicquid illa poscęret, id ius fasq; esse ratus. Sabel. lib. 2. cap 3.

Lacedæmonijs iuxta & Romanis lex erat, ne cui licitum esset cœnare, quæ vel quando ipsi liberet. Nam cum per alia ciues ad temperantiam reuocare voluerunt, tum non minime per rationem mensæ. Ælian. lib. 3.

Lysandro Spartiatæ in Ioniam proficiscenti, hospites quos habebat in Ionia, cum alijs multis, etiam bouem & placentam dono miserunt. Qui placentam contemplatus rogabat, quidnam illud cupediarum esset. Cui cum is, qui attulerat, respondęret, ex melle, caseo, alijsq; quibusdam confectum esse. Sed hoc, inquit Lysander, ijs date, qui nouerunt. Non enim hic est liberi & ingenui hominis cibus. Bouem vero patrio ritu mactandum apparandumq; curauit, quem cum voluptate comedit. Ælian.

Moschus Antimolus Sophista solis caricis vesci solitus est. Athen. lib. 2. capite 2.

Cyrus Maior, cum ab hospite quæreretur ex eo, quid ad conuiuium parari iuberet? Panem, inquit, solum, sperare enim cœnaturum se apud flumen.

Lacedæmone coquos esse non licebat alios, quam carnis duntaxat. Qui vero quamuis cupediariam aliam artem nouisset, eijciebatur Sparta.

Ægyptiorum Reges cibo vescebantur simplici, vt quorũ mensæ nihil præter vitulum & anserem inferretur. Vini potandi certa erat statuta mensura, qua neq; farciri venter, neq; inebriari posset. Deniq; ipsorum vita ea tenebatur modestia, vt non à Legislatore, sed à peritissimo Medico ad seruandam sanitatem composita videretur. Diod. lib. 1. cap. 6.

Ægyptiorum quoq; Sacerdotes præparci erãt in victu vsq; ad stuporẽ, Carnibus & vino abstinebant. Pane etiam raro vescebantur, ne onerarẽt stomachum. Oleum tantum in oleribus nouerant. Ouum quoque & lac vitabant, triduiq; inediam sustinebant.

Persarum Magi nihil in cibum præter farinam & olera recipiebant. Indorum Gymnosophistæ alebantur pomis aut farina.

Ferunt Pausaniam, cum victo Mardonio splendidum ex auro & argẽto barbarorum apparatum conspexisset, iussisse pistores & coquos cœnam sibi quasi Mardonio instruere. Quod cum illi fecissent, tum Pausaniã lectos intuentem aureos, argenteosque probe instratos, mensas etiam aureas ac argẽteas, magnificumq; cœnę apparatum, propositis bonis stupefactum, imperasse per iocum suis ministris, vt Laconicam instruerent cœnam. Id cum illi fecissent, & multum interesset, ibi eundem cachinnantem accersisse Græcorum Duces, eisque, vbi conuenerunt, inter ostendendum vtiusque cœnæ apparatum dixisse: Viri Græci, hac ego vos de causa conuoca ui, quod volebam vobis amentiam Medorum Ducis ostendere, qui cũ ta-

lem vitam duceret, ad nos subigendos venit, qui tam misere victitamus. Herod. lib. 9.

Lycurgus in suis legibus & statutis, statim à tenera ætate frugalitati Lacedæmonios assuefecit, præcipiēs nutriti eos alimento, quod corpora gracilia potius efficeret, quam cibo dilataret, quippe quod ad viuendum salubrius esset, & ad incrementum proceritatis magis conferret. Xenoph. in Laconicis.

Socrates, vt Xenophon refert, cibi tantum sumebat, quantum edere iucunde poterat. Ad eum sic paratus accedebat, vt cibi appetitus esset ipsi obsonij loco. Etiam quiuis potus ei gratus erat, propterea, quod non biberet nisi sitiret. Quod si quando inuitatus ad cœnam vellet accedere, tūid quod difficillimum est plurimis, videlicet cauere ne quis se repleat vlterius, quam commodum sit, ipse perquam facile cauebat. Illis autem, qui hoc facere non possent, auctor erat, ab ijs vt sibi cauerent, quæ suadent, vt tametsi quis non esuriat, nihilominus tamen edat: ac nō sitiens bibat. Hęc enim illa esse dicebat, quæ & ventribus & capitibus & animis exitio sint. Quin etiam ridens narrabat, Circēn sues ea ratione fecisse, quod multis talibus homines in cœnis exceperit. Verum Vlyssem partim Mercurij monitu, partim quod ipse temperans fuisset, seque cohibere, quo minus intempestiue huiusmodi attingeret, potuisset: idcirco in suem mutatum non fuisse.

Phraortes Rex Indiæ Apollonio eū de victus ratione interroganti: Ego, inquit, vini tantum haurio quātum Soli prolibo. Captis in venatione vescuntur cæteri, mihi exerceri satis est, alimēta mihi sunt ex oleribus, & palmarum cerebro & fructibus. Vide Cælium lib. 5. cap. 6.

Romanorū veterū frugalitas.

Romani veteres in agris hortos suos habebant. Ex hortis viuebant, damnantes pulmēta, quæ alio egerēt pulmentario. Horti maximè placebāt, quia non egerent igni, parcerentq; ligno. Vnde & acetaria dicta. Plin. li. 19. cap. 4. Cœnę tantum panem adhibebant, carnes vero prandio non elixas, sed assas & veru decoctas, aut frixas, licet postmodum in summā luxuriam prolapsi sint. Alex. ab Alexand. lib. 5. cap. 21.

Eosdem diu non pane, sed pulte victitasse, pistoresq; per annos DC. vsq; ad Persicum bellum, nullos habuisse constat. Fiebat autem puls ex aqua, frumēti & fabarum aut ordei farina, quam in sacris oblationibus Deorum pro victima adhibebant: Alex. ab Alexand. lib. 3.

Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiēdo humanitatis simul & continentiæ certissima index. Nam maximis viris prandere & cœnare in propatulo verecundiæ nō erat: nec sane vllas epulas habebat, quas oculis populi subijcere erubescerent: erant autem adeo continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vsus, quam panis esset.

Vini vsus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à Libero patre, intemperantiæ gradus, ad inconcessam Venerem esse consueuit. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Eques Romanus Iulius Viator è Vocontiorum gente fœderata in pupillaribus annis, aquæ subter cutem fusæ morbo, prohibitus humore à Medicis naturam fecit consuetudine, atque in senecta caruit potu. Plin. lib. 7. cap. 18.

Cato Iunior cum per Libyę feruidas arenas iter faceret, & propter Solis ardores laborem que totus exercitus siti grauiter laboraret: porrecta ei galea aquæ plena à milite, quam solam vix inuenerat, vt tolerantiam suam ostenderet, neq; sitientibus alijs solus sitim expleret, in exercitus conspectu aquam è galea in terram effudit, vt qui potu ora militum explere non poterat, oculis atq; exemplo suo expleret, idque assecutus est, vt aqua quæ

hausta

hausta vix vnius idque fortasse ægre sitim sedasset, ea sparsa, sitim facilius omnes perferrent.

Alexander cum Darium Persarum Regem prælio victũ persequeretur, grauiter siti vexatus, incidit in quosdam è suis iumenta aquis onusta agentes, è quibus vnus sitienti in galea aquam cum porrexisset, Alexander priusquã gustaret, petijt, quonam eam ferrent, & respondente eo, Ad filios se ferre, qui etiãsi morerentur, diu superuiuente Alexãdro, copia liberorum eis defutura non esset: Alexander cum iam manu teneret galeam, vt biberet, dixit: Nolle se bibendo aliorum augere sitim, atque aquam illi, à quo acceperat, restituit. Expertus sitim Solis ardore, atque animi corporisque labore partam facile huius abstinentiæ magnitudinem intelliget. Quod secus otio assuetis est, qui cum orientem Solem nunquam sobrij viderint, semperque eis stomachus vino nauseat, abstinentiæ vires nullas sentire possunt. *Alexander Magnus.*

Origenes Adamantinus præter continuas vigilias, ieiunia, calores, frigora, quæ ferebat, nudis pedibus, vna tantum tunica tectus, nec carne, nec vino vnquam vescebatur. Fulgos. lib. 4. cap. 3.

Socrates temperantia sua & sobrietate aduersus omnis generis morbos corpus suum ita muniuit, vt solus ipse, cum varijs conflictarentur morbis reliqui Athenienses, à morbis immunem vitam ageret.

Timotheus Cononis filius, Dux Athenienſium, omissis opiparis cœnis, & epulationibus Imperatorijs, assumptus à Platone ad conuiuium Academicũ, & frugali modicaq; cœna exceptus, reuersus ad suos dixisse fertur: Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent. Vituperauit cœnas splendidas & onerosas, quæ omne sequentis diei gaudium & hilaritatem præscinderent atque præriperent.

Pelopidas conuiuium agitans cum collegis Ducibus, in fine conuiuij bibit acetum. Percontantibus num id conduceret ad sanitatem? Nescio, inquit, illud scio, bonum esse ad hoc, vt quis meminerit domestiçæ diætæ, siue domesticorum negotiorum. Sentiens conducere aduersus crapulam & cõferre sobrietati, simul indicans se domi parcissimo victu vti solitum. Plutarch.

Epaminondas, quum festum diem celebraret ciuitas, omnesque comportationibus & libidini indulgerent, cuidam è familiaribus factus est obuiam squalidus & cogitabundus. Admirante illo roganteq; quid tandem esset rei, quod solus ad eum affectus modum obambularet? Vt vobis, inquit, omnibus, ebrios ac socordes esse liceat. O vocem Principe dignam. Tum maxime vigilandum est Principi, cum populus maxime indulget genio. At non oportet ipsi vnquam vacare genialiter viuere. *Alexander Magnus.*

Quum Regina Carum Ades illud haberet studio, vt assiduo mitteret Alexandro obsonia, bellariaque per talium rerum architectos coquosque magna arte parata: Alexander ait, seipsum habere meliores obsoniorum artifices, ad prandium quidem nyctiporeian, id est, nocturnum iter, ad cœnam vero oligaristeian, id est, tenue prandium.

Leontichidas percontanti cuidam quam ob rem Spartiatæ parcissime biberent: Ne, inquit, pro nobis alij, sed nos potius pro alijs consultemus. *Spartiatarum continentia.*

Porus Rex Indorum aqua & pane viuebat contentus.

Mithridates Rex Ponti iam senex cibum capturus, non accumbebat, verum stans vescebatur.

Augustus fuit breuissimi cibi. Ad medias interdum epulas satiatis iam conuictoribus, accedebat, primusque surgebat mensa.

Pericles Athenienſis à cœnarum & conuiuiorum apparatibus abhorrebat adeo, vt nec apud amicos cœnaret.

Anachatis apud Ciceronem, Mihi, inquit, pulpamentum fames, cubile solum, vestis Scytharum tegmen.

Zeno crudis tantummodo vescebatur, & pallium prætenue ferebat. Aquam bibebat loco vini, vt discipulos suo exemplo ad temperantiam inuitaret. Hinc exijt Prouerbium: Zenone temperantior.

Viriatus Princeps Lusitaniæ, vbi bellum aliquod menre conceperat, nō prius accumbebat mensæ, aut in lecto quiescebat, quam propositum absoluisset.

Pescennius Niger militaris vir, qui virtute ad Imperium conscendit, nunquam alio quam militari cibo vsus exercitui vinum ferti non patiebatur, sed acetū solum, vt pote quod facilius vbique inueniretur. Quamobrem militibus, quibus Ægypti finium cura demandata erat, cum vinū poscerent, respondit: debere eis amnis Nili aquam sufficere. Neque vero nisi reliquus exercitus sub recto mansisset, ipse tentorium aut frondea tabernacula subibat, sed sub dio manens, alios exemplo suo ad patientiam hortabatur.

Ælius Adrianus Imperator, vt mollicie militum corrigeret, tabernacula frondib. facta, aut in subterraneis locis ad minuendā caloris vim inuēta subuertit: atque vt ex ipsius patientia ferendi laboris exemplum alij haberent, interdum pedibus viginti passuum millia peragebat. In propatulo vescebatur lardo, caseoque tantum instructa mensa, nec potaturus alio vino, quam posca siue lora vtebatur, quemadmodum antea Scipiones Marcelliq; factitarunt, vt aliorum seuerus esse reprehensor posset, exemploque suo ferendi laboris excusationem adimeret. Magno enim ingenio perspexit, non minus delicatioribus cibis corporis atque animi vires, quibus militaris consistit virtus, quam intensiori febri humana corpora frangi. Quia experimento Hannibalis didicit Carthaginensi exercitui plus Campanas delicias, quam ingentes in Alpibus niues, aut Apuliæ feruidos nimium offeciſe soles.

Antoninus Bassianus Caracalla cum patri in Imperio succesſisset, præterquam quod sæpe se cum militibus exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac sæpe magnum spacium militaria signa ipse ferebat: ne tum quidem cum lassus in tentoria se receperat, delicatiore cibo reficiebatur: Sed cum alijs militibus eo pane vescebatur, quem ipse sibi pinsuerat: & tunc in ardenti cinere decoxerat: scypho quoque ligneo bibebat, per hunc modum aucta bona valetudine magis etiam a militibus diligebatur, cum fraterne se erga omnes ipsos gereret.

Carus Narbonensis Imperator expeditione aduersus Arsacidam Persarum Regem susceptra, cum iam fines hostium attigisset, prius quam irruptionem in hostilem terrā faceret, prandere cū militibus constituit, militesq; iussit ex animi quenq; sententia cibū capere, quippe quibus posthac nihil defuturum esset, suppeditante omnia large hostili agro, quem simul digito ipsis monstrabat: Deinde in gramine discumbens ollam sibi apponi iussit, in qua coctum erat legumen cum sumine porcino. Interea legati Regis Persarum aduentantes Imperatorem rubicunda indutum veste nihil a reliquorum militum habitu discrepantem, ciboque vulgari vescentem offenderunt, Imperator audito illorum aduentu ad mensam sedesque gramineas, vt instructæ erant, nihil vel amoueri vel mutari passus, accersitos in hæc verba affatus est: Constare sibi quod Romanorum Imperatorem conuenire expetant, se eum esse, & iubere, vt hæc responsa Regi suo adhuc iuueni reportent: Nisi hoc statim die ad officiū ipse redeat, & imperata faciat, fore, vt eius regio, agri, nemora glabriora reddantur, quam caput sit Cari, hisq; dictis detecto capite caluitiē ijs capitis sui ostendit. Deinde subiecit, si esuriant, licere ipsis ex sua olla, in graminea

mensa

mensa apposita, quatenus oblata boni velint consulere, cibum capere famemque sedare: Sin minus, eos quamprimum Romanorum castris excedere debere, vt qui responsum iam suum accepissent. Legati ad Regem suum reuersi, quæ viderant suis renuciant, qui vna cum Rege Romanorũ Imperatorem, tum ob frugalitatem, tum vero ob animi magnitudinem demirati, magnoq; timore turbati sine mora armis abiectis de pace fuere soliciti: Ipseq; Rex Arsacides regio diademate magnoque amictus splendore insignis in castra ad Roman. Imperator. vili habitu indutum profectus, se imperata facturum, totumque in potestate eius futurum supplex factus promisit. Auctor Synæsius.

Nullius virtutis memorabile exẽplum proponitur, in quo Alphonsus Senior Siciliæ Rex partes suas sibi non vendicet. Is cum Iacobi Candolæ copias, quæ ex parte Vulturnum amnem traiecerant, reiecisset: illic inclinato iam Sole consistere decreuit, vt prohibere Candolam posset, si iterũ traiicere exercitum tentare vellet. Sed quod repente illuc Alphonsus iuerat, sub dio manere in armis exercitum nulla ad vescendum re parata oportuit. Alphonso autem cum miles panem cum raphano & paruo caseo in tali casu munus ingens misisset, laudato militis animo, munus accipere recusauit, dicens: Parum conuenire, vt ieiuno exercitu, Rex vlla re vesceretur. Fulg.

Idem cum interrogaretur, cur vini expers viueret, aut vino dilutissimo contentus sitim expleret, contra omnium Regum & aulicorum morem? Respondit, Vino sapientiam obscurari: ideoq; non decere Regem, vt hoc immodica compotatione in animo extinguat, sine quo Imperatoris & Regis nomen rite tueri non possit. Panormit.

Constantinum Imperatorem Marcellinus scribit nunquam gustasse pomum, nunquam nares in publico exterssisse, nunquã spuisse. Idem superatus a Persis frusto panis a quadam vetula porrecto inediam repulit.

Iulianus Imperator Eunuchos, coquos, tonsores eiecit è Palatio. Rogatus quam ob causam: Negauit sibi opus esse Eunuchis, cum vxor decessisset: nec opus esse coquis, quod simplicissimis cibis vesceretur. De tonsoribus dixit vnum multis sufficere.

Rodolphus Imperator cum in eo bello, quod contra Ottocarum Bohemiæ Regem gessit, potu laboraret cum toto exercitu, ferunt Rustico (qui messoribus potum ferret) ablatam hydriam sicera plenam, atq; Imperatori oblatam fuisse: Quam cum ille vidisset: Reddite, inquit, homini vasculum suum: nam ego exercitui non mihi sitiebam. Sicque sua abstinentia partim exercitum eo potu refocillauit, partim ad sitis patientiam inuitauit suo exemplo.

Pyrrhiniculus Vasco peregre iter faciens, cum ad meritoriam tabernã venisset, & apposita esset cœna ex omni parte olitoria, cum vino dilutissimo, omniaque administrarentur quam parcissime, finita cœna ad se vocari iussit Medicum, ad mercedem capiendam. Igitur caupo cum respondisset: Ecquid malum, in viculo maxime agresti Medicum requiris? Ibi ille, Num o bone teipsum igneras? Quo fit igitur merces operæ suæ par, Medici precium accipe non Cauponis. Sensit autem frugalitatem sobrietatemq; optimam hominis esse Medicinam. Adrian. Blandus.

Cyrus Persarum Rex, dicere solebat: Hi qui repentinis abstinent voluptatibus, non id agunt, vt lætentur nunquam, sed vt per hanc continentiam multo maiore in posterum tempus lætitia afficiantur.

Epaminondas tam tenui victu vtebatur, vt aliquando vocatus ad cœnam a vicino, cum reperisset bellariorum, obsoniorum & vnguentorum apparatum, confestim abierit, dicens: Ego te sacrificare putabam, non deliciari & illudere. Brusson.

Fridericus Imperator studiosissimus temperantiæ ac sobrietatis cultor fuisse dicitur, qui cum audiuisset, Leonoram vxorem (quæ paterna in domo nunquam vinum gustauerat) facile filios parituram, si in Germania frigida regione, vinū biberet: dixisse fertur, malle se sterilem vxorem habere, quam vinosam. Non ignorauit Imperator fortissimus, quam multa vinolentiam mala comitentur, & tum præsertim cum fœmineum genus nimio vino obruitur. Æneas Sylu.

Hyrcanus adolescens egregiæ indolis specimē apud Ægypti Regem Alexandriæ ostendit, verbis minime inconcinnis hominis propriam esse in cibo potuque moderationem docens. Susceptus enim benigne a Rege, & ad conuiuium eius inuitatus, discumbentibus cum Prioribus prouinciarum, vltimus omnium sedit, tanquam puer ab omnibus despectu habitus. Cumque omnes ossa ciborum ante illum in mensa proijcerent, ipso tacente, Triphon quidam, qui ad conuiuarum risus aptus erat, rogantibus conuiuis iuxta mensam Regis assistens ait Regi: Vides Domine anteposita ossa Hyrcano? Ex hoc conijce, quod & pater eius sic omnem Syriam denudauit, sicut hæc ossa iste carnibus expoliauit. Ridente autem Rege ad verba Triphonis, & interrogante Hyrcanum, cur tanta ossa ante eum iacerēt: Apte, inquit, Domine, Nam canes semper ossa deuorant cum carnibus, sicut isti fecerunt, ante quos ossa minime iacent: Homines vero comedunt carnes, ossa autem abijciunt, quod & ego tanquam homo nunc feci. Rex autem miratus eius responsum tam sapienter dictum, iussit omnes plaudere verbum eius laudantes. Abb. Vrspergens. Chron.

Salem & mensam ne prætereas.

Olim etiam inter amicos ea fuit consuetudo, vt mutua inter se conuiuia actitarent, eaque nullo luxu aut superuacaneo apparatu onerosa, sed frugalitate ipsa grata, & humanitate condita. Vnde & prouerbialiter dictum, Salē & mensam ne prætereas. Quæ verba & boni consulere iubent, quamuis tenuem amicorum apparatum, & amicorum consuetudinem minime negligendam esse monent, eo quod antiquitus his rebus conciliarentur amici. Inde est quod Pythagoras vetabat frangi panem, videlicet ne discecaretur, quod amicos copularet. Idem censuit, salem potissimum in mensa apponendum, quod æquitatis ac iustitiæ nos admoneat, vt quod & seruet tueaturque quicquid occuparit, & ex liquidissimis rebus aqua marique fiat. Erasm.

Alexander cognomen Inuicti assecutus, continentiam Diogenis Cynici vincere non potuit: ad quem, cum in Sole sedentem accessisset hortaretur; vt si qua sibi præstari vellet, indicaret: quemadmodū erat in crepidine collocatus, sordidæ appellationis, sed robustæ vir præstantiæ: Mox, inquit, de cæteris: interim velim a Sole mihi non obstes. Idem Syracusis cum olera ei lauanti Aristippus dixisset, Si Dionysio adulari velles, ista non esses, Imo, inquit, si tu ista esse velles, Dionysio non adulareris. Val. Max. Et hic quidem (inquit Cicero) disputare solebat, quanto Regem Persarum vita fortunaque superaret: sibi nihil deesse, illi nihil satis vnquam fore, se eius voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset, suas eum consequi nullo modo posse.

Maximam ex cibo potuq; percipere voluptatem, non eos qui luxu diffluunt, sed qui vitam agunt temperantem, sequentibus etiam docet exemplis Cicero.

Darius in fuga cum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquā se bibisse iucundius, nunquam videlicet sitiēs biberat. Nec esuriēs Ptolemæus ederat, qui cum peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis cibarijs, in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Socratem ferunt, cum vsque ad vesperam contentius ambularet, quæsitum q; esset ex eo, quare id faceret? respondisse, Se, quo melius

melius cœnaret, obsonare ambulando famem. Quid victum Lacedæmoniorũ in phiditijs videmus? Vbi cum tyrannus cœnauisset Dionysius, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat delectatum, Tum is qui illa coxerat, minime mirum, cõdimenta enim defuerunt. Quæ tãdem inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Cicero lib. 5. Thuscul.

DE GVLA, EBRIETATE ET PRODIGALITATE.

PRimi parentes in Paradisi delicijs, & summæ fœlicitatis statu cum beatam vitam agerent, suasu serpentis cupiditati frænũ laxarunt, pomũq; de vetita arbore decerptum gustarunt. Quæ cupiditas & ipsis & vniuerso generi humano fuit exitialis. Genes. 3.

Noe bibens vinũ, inebriatus & nudatus est in tabernaculo suo. Gen. 9.

Loth inebriatus incestum cum proprijs filiabus commisit. Genes. 19.

Esau cibi ductus cupiditate primogenita vendidit. Genes. 25.

Israelitæ ex cibi potusq; auiditate aduersus Deum murmurant. Exo. 16

Israelitæ in idololatriam prolapsi, genio choreisq; turpiter indulgent. Exod. 32.

Populus Israel carnes desiderans, aduersus Deum murmurat, coturnicumq; carnes, impetrat, quibus nondum absumptis exarsit aduersus eos furor Domini, grauique plaga ob carnium istam concupiscentiam populum affecit.

Sichimitæ inter pocula & epulas maledicentes Abimelecho grauissima clade affecti sunt, & ciuitas funditus est euersa. Iud. 9.

Philistini solenne festum Deo suo Dagon celebrantes inter epulas, domo, in qua conuiuabantur, collapsa interiere. Iud. 16.

Filij Heli defraudantes pro sua libidine populum, nec honori Dei, sed gulæ suæ in diuidendis carnibus seruientes, grauem aduersus se & populum Dei iram concitant. 1. Reg. 2. 3. 4.

Ammon a fratre Absolone ad conuiuium inuitatus, inter vina incautus obtruncatur. 2. Reg. 13.

Quam graues pœnas ebriis Ephraim, tum Sacerdotibus & Prophetis, qui vino absorpti errauerunt in ebrietate, minetur æternus Deus, iustus sceelerum vindex, vide apud Esaiam, cap. 28.

Balthasari, inter pocula cum aulicis & concubinis luxurianti subito & vitæ & Imperij finis denunciatur. Daniel. 5.

Holoferni vino & sopore stertenti caput amputat Iuditha, Bethuliensis vidua. Iudith. 13

Simon Matthatiæ secundus filius, cognomento Thassius, ab Hierichũtis præfecto, genero suo, cum vxore, filijs duobus, inter epularum & pocu lorum lætitiam nefarie obtruncatur. 1. Machab. 16.

Herodes cum aulæ Proceribus solenne agitans conuiuium, Herodiadi probrosæ fœminæ de capite Ioannis Baptistæ triumphanti immanissimi sceleris ansam præbet. Matth. 14. Marc. 6.

Dives ille qui quotidie epulabatur splendide, in æternos ex hac vita rapitur cruciatus. Lucæ 16.

Væ qui consurgitis mane ad ebrietatẽ sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara & lyra & tympanũ m cõuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit, &c.

Væ qui potentes estis ad potandum vinum, & viri fortes ad miscẽdam ebrietatem. Esaiæ 5

Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: Quicunq; his delectatur, non erit sapiens. Prouerb. 20.

Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor. Oseæ 4.

Iustus vtitur facultatibus ad vitæ conseruationem: Impius abutitur eisdem ad peccatum. Prouerb. 10.

Qui amat gaudia, redigitur ad inopiam: Et quisquis amat vinum & oleum, non ditescet. Prouerb. 21.

Ne sis inter potatores, & eos qui se vino obtuunt. Nam potatores redigentur ad inopiam, & laceris vestibus vtetur somnolentus. Prouerb. 23.

Vbi væ? vbi eiulatus? vbi rixæ? vbi querelæ? vbi vulnera sine causa? vbi rubent oculi? Hæc inter pocula accidunt, vbi exhauritur quicquid infusum est.

Non aspicias vinum cum rubescit, & cum lucet per vitrum color eius, & blande ingreditur. Tandem enim velut serpens mordebit, & velut aspis punget.

Oculi tui spectabunt alienas mulieres, & cor tuum loquetur peruersa, &c. Prouerb. 23.

Operarius ebriosus non locupletabitur. Eccles. 19.

D. Augustinus.

Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensus, confundit intellectum.

Origenes.

Ebrietas facit de homine bestiam, de robusto infirmum, de prudente fatuum.

Chrysostomus Serm. 1. de Lazaro & Epulone.

Quisquis in temulentia totos dies agit, quisquis in delicijs & ingurgitatione, sub diaboli tyrannidem redactus est.

D. Augustinus.

Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum.

S. Hieronymus.

Nihil adeo obruit intelligentiam, sicut comessatio & ebrietas.

Propert.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Et vere dictum est:

Fœcundi calices, amor immoderatus edendi
Eneruant vires corporis atq; animi. Et:
Sæpe bonos mores rapiunt conuiuia mensæ,
Sæpe perit probitas ingenuusq; pudor. Et:
Corporis atq; animi mors est impletio ventris,
Liberat a morbis sobrietas varijs.

Quæ sententia congruit cum illa Hippocratis:

Ἄσκησις ὑγείας, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Id est:

Exercitatio sanitatis est, vesci citra saturitatem, non refugere laborem.

Pythagoras: Ῥώμη ψυχῆς σωφροσύνη. Robur animæ est temperantia.

Theognis:

Οἶνος πινόμενος πολὺς κακὸς, ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθὸς.
Quæ sine lege modoq; bibis, tibi vina nocebunt,
Sed bene, prudenti quæ bibis ore, iuuant.

Homerus:

Οἶνός σε τρώει μελιηδὴς, ὅστε καὶ ἄλλους
Βλάπτει, οἳ ἄν μιν χανδὸν ἕλη, μηδ' αἴσιμα πίνῃ.

Vine saucius es dulci, quod lædere quemuis
Assolet, exhaurit vasto qui pocula ritu.

Ninias filius Nini & Semiramidis otio & gulæ adeo addictus fuit, vt in Scriptoribus Ionicis vituperetur, hoc insignitus elogio:

Ἄεισος ἐδίετο νῷ πίνων, τερπνὰ δ' ἄλλα καλὰ πλέων ἀθέσ.

Sardanapalus fœdum voluptatis mancipium, cum faciem fuco pingeret, & pensa inter scortorum greges traheret, omissaq; imperij cura gulæ & libidini addictus esset, satraparum præfectorumque odium incurrit, qui motis aduersus ipsum armis, homini ignauo, qui muliere esset corruptior, parere detrectarunt. Ille in extremas redactus angustias, extructa pyra se & diuitias in incendium mittit. Huius quoq; in sexto Præcepto meminimus. Fertur eius busto inciſum fuisse Epitaphium tale.

Ede, lude, bibe, charum præsentibus exple
Delicijs animum: post mortem nulla voluptas.
Namq; ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam,
Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hausit, at illa iacent multa & præclara relicta.
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Pittacus legem tulerat, vt qui per temulentiam sceleris aliquid commisisset, duplo plecteretur. Solet enim vulgus hominũ ebrietatis prætentu crimen extenuare. Sed vir sapiens geminum in homine per ebrietatẽ delinquente agnoscens flagitiũ pœnæ asperitate vtriq; malo mederi voluit.

Cyrilli ciuis Hipponensis filius, cum luxuriosam vitam ageret, matrem prægnantem nequiter per ebrietatem oppressit, sororem violare voluit, partem occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem. August. Tom. 10. Serm. 33. supra in quarto Præcepto.

In sexto Præcepto cuiusdam meminimus viri non mali, qui cum diaboli tentationibus succumbens se inebriasset, adulterij simul & homicidij reus factus est.

Solon vnus e septem morte Principem esse mulctandum lege sanxit, si deprehenderetur ebrius.

Indi nisi sacrorum causa vinum non biberunt: apud quos constitutum erat, vt si quã mulier regem temulentum occidisset, hoc donaretur munere, vt successori nuberet. Alex. ab Alexand. lib. 3. cap. 11.

Athenienses cum ebrietatis crimen in omnibus improbarent, ex Solonis instituto ebrium Principem morte mulctabant.

Non licebat vinum fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla Egnatij Mecenij (Val. lib. 6. cap. 3. Metellum vocat) vxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fuste a marito, eumq; cædis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in annalibus suis scripsit, Matronam, quod loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ, resignauisset, a suis inedia moti coactam. Cato ideo propinquos fœminis osculum dare iubebat, vt scirent an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, vnde & temulentia appellata. Plin. lib. 14. cap. 13.

Calani Indi Philosophi exequias cum celebraret Alexander, musicum certamen & palæstram, item ob Indos vini studiosos, Meri certamen instituit, in quo primum præmium erat talentum, secundum minæ triginta, tertium vero decem. Ex ijs qui vinum biberunt, triginta & quinque continuo ob ingens gelu obortum interierunt: at sex pauco interuallo interposito mortui sunt in tentorijs. Quid plurimum bibendo vicit, meri quatuor choas hausit, Promachus Macedo, & propterea ab Alexandro talenti corona donatus est: sed triduo tantum superuixit. Chares Mitylen. in historijs Alexandri.

Diotimus Athenienſis infundibulo in os impoſito, ſine interſpirio vinum infuſum abſorbebat. Hinc Choes, hoc eſt, infundibuli cognomen meruit.

Proteæ & Alexandri temulentia.

Bibebat plurimum Proteas Macedo. Cum igitur poculum bicongium Alexander aliquando expetiſſet, bibensq; Proteam prouocaſſet, ille accepit, atque cum regem pluribus verbis laudaſſet, ita bibit vt ei ab omnibus applaudereturr. Poſtea vero exiguo tempore interpoſito idem poculũ expetiuit Proteas, rurſusq; bibit regem prouocans. Quod capiens Alexander egregie quidem bibit, non tamen potuit ferre, ſed poculo ex manibus demiſſo in puluinar decubuit, qua etiam ex re mortuus eſt. Alexander ob temulentiam ſæpe duos dies dormiebat ac duas noctes. Cum apud Medium Theſſalum cœnaret adeſſentq; viginti in ſympoſio, omnes prouocauit ab omnibus pariter accipiens, ac ex ſympoſio paulo poſt conſurgens ceſſauit. Athen. lib. 11. cap. 11.

Cleomenes rex Spartanorum, quum Scytharum vinolentiam imitari cuperet, in inſaniam redactus eſt. Solent autem Scythæ & Thraces liberius compotare vſq; ad certamen temulentiæ.

Philoxenum Erixidis & Gnathonem Siculum inter gulæ proceres & cupediuoras poſuit antiquitas, quod conuiuijs adhibiti ſeſe in propoſides emungerent, vt abſtinentibus cæteris largius ſoli fruerentur. Aiunt & Philoxenum ipſum optaſſe ſibi collum gruis, quo maiorem in bibendo perciperet voluptatem. Hoc tamen nonnulli tribuunt Melanthio, vt apud Cœlium Clearchus.

Lacydes Philoſophus ex nimia compotatione incidit in paralyſin, qua mortuus eſt.

Bonoſus Imperator bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus dicebat: Non vt viuat natus eſt, ſed vt bibat: Si quando legati barbarorum ad eum veniſſent, ipſis propinabat vt eos inebriaret, & ab his per vinum omnia cognoſceret, & extorqueret veritatem. Quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus videbatur & ſobrius. Præterea tãtum mingebat, quantum biberat, ſic vt eius veſica nunquam grauaretur. Poſtea cum a Probo ſuperatus laqueo vitam clauſiſſet, emanauit iocus, Amphoram pendere, non hominem. Flauius Vopiſcus.

Andebundus rex Anglorum, conuiuio quodam tantum cibi deglutiuit & vini, vt eo ſuffocatus repente animam efflauerit.

Aruntius in ebrietatem lapſus filiam Medulianam corrupit. Quod ægre ferens puella, patrem ipſum interfecit. Idem quoq; contigit Cyanippo, Auctore Plutarcho in parallelis. De hoc in ſexto Præcepto.

Cambyſes Perſarum rex a Prexaſpe familiariter monitus vt ab ebrietate, qua virtutes, quibus eſſet præditus, nonnihil obſcurarat, ſibi abſtineret, filij eius cor inter pocula arrepto arcu, ſagitta transfixit. De hoc in quinto Præcepto.

Antigonus rex Macedonum milites quoſdam videns thoracibus & galeis indutos ſphæra ludere, delectatus eſt hoc ſpectaculo, ac Duces illorum accerſi iubet, vt eos coram illis laudaret: Verum vbi nunciatum eſſet Duces bibere, præfecturas illorum militibus dedit, qui ſphæra luſerant armati, ſimul & Ducum ignauiam puniens, & militum ſtrenuitatem honorãs.

Niſeus Syracuſanorum tyrannus, vbi ab auſpicibus didiciſſet breui ſe periturum, quicquid ſuperfuit vitæ, comeſſationib. impendit & ebrietati.

Darium vinolentum fuiſſe arguit inſcriptio ſepulchri eiuſdem, quæ talis erat: Potui & multum vini potare. & hoc probe ferre. Rauiſ.

Mithridatem ferunt illis certa cõſtituiſſe præmia, qui plures cibos ventri deſtinaſſent, aut maiore ſe ingurgitaſſent vino, vt ſui ſimiles haberet. Idem omnes ſui temporis mortales hauſtu vini longe exceſſit.

Philoſtra-

Philostratus cum esset in balneis Sinuessanis, tantum vini potauit, vt ebrius factus scalarum lapsu pene extinctus sit. Martial. lib. 11.

A Sinuessanis conuiua Philostratus vndis
Conductum repetens nocte iubente larem,
Pene imitatus obit sæuis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit vsq; gradus.

Videns Androcides Alexandrum procliuem in pocula, intemperantiam eius his verbis cohibebat: Vinum potaturus rex memento te bibere terræ sanguinem. Nam sicut venenum est homini cicuta, sic & vinum. Quibus præceptis si ille obtemperasset, amicos in temulentia non interemisset, vt fecit. Brus. lib. 1. cap. 9. *Vinum terræ sanguis.*

Plato Philosophus sapienter auditores monebat, vt iratos se vel ebrios in speculo contemplarentur. Nam cum faciem suam furibundam per omnia phrenetico similem viderent: persuadebat sibi eo dedecore territos homines, in posterum ab ira atque ebrietate sibi temperaturos. Fulgos. lib. 7. cap. 2.

Diogenes Cynicus vinum plurimum in conuiuio quodam dono acceptum effudit. Quod quum quidam indigne ferrent: Si, inquit, vinū omne ebiberem, non tam liquorem, quam me ipsum quoque perderem. Stobæ.

Pythagoras dicere solebat in vite tres nasci botros, quorum primus esset voluptatis, secundus ebrietatis, tertius iniuriæ. Idem ebrietatem dicere solebat insaniæ meditationem esse. *Tres botri in vite.*

Anacharsis Scytha idem de tribus botris dixisse fertur, nisi quod tertio attribuit molestiam. Sentiens parcum vini vsum esse iucundum, quia sedat sitim: largiorem gignere temulentiam, largissimum parere rixas, cædes ac morbos.

Idem admirabatur illud, quod Græci initio conuiuij cyathis pusillis vterentur, saturi maioribus. Sentiens potum non in aliud adhibendum, nisi ad sedandam sitim. Absurdum igitur esse, tum plus bibere, quum iam sitis esset sedata. Laert.

Aristippus Philosophus, & Socratis sapientissimi discipulus, iactanti cuidam, quod multum bibere posset, nec inebriaretur: Quid, inquit, magni narras, quum idem facit quoq; mulus.

Leontychidas Spartiata rogatus, quare parum bibant Spartiatæ: Ne inquit, pro nobis alij consultent. Sensit autem vir clarissimus, eum nequaquam de rebus salubriter consultare posse, cui sanum iudicium a vino ablatum sit. Bruso Athen. lib. 10.

Atq; etiam Spartæ mos est laudabilis iste,
Vt bibat arbitrio pocula quisq; suo.

Quidam Lacon quū audisset quosdam a cœna cogi ad bibendū: Num, inquit, cogunturetiam ad edendum? Notauit Græcorum morem in conuiuijs compellentium ad certum cyathorum modum, quum id reuera nihilo absurdius sit, quam hominem qui non esurit, ad certum escarum modum compellere, nisi quod alterius absurditatem eleuat consuetudo.

Anacharsis interrogatus, num in Scythia essent tibiæ, respondit, ne vites quidem. Significans saltationes, reliquasq; eius generis voluptates e vinolentia nasci alique.

Philocrates & Æschines Athenienſium legati ad Philippum Macedoniæ regem cum alijs missi, cum domum redirent, Regemque eo nomine laudarent, quod strenue bibisset: respondit Demosthenes: Habet hanc virtutem cum spongia communem. Sensit vir prudentissimus, Regum virtutes non in euacuandis poculis sitas esse. Plutar. in Demosth.

Dinocrates cum temulentus, finito conuiuio muliebri habitu saltasset, postero die venit ad T. Quintium, petens subsidium contra Messanos,

quos ad defectionem ab Achæorum Imperio pellicere conabatur. Cui Titus ait, Miror te hominem vinolentum meroq; eneruatum, huiusmodi res moliri, quæ virorum non mulierum sunt. Bruſ.

Rogatus Anacharſis qua ratione quis effugeret, ne fieret vinolētus: Si semper, inquit, præ oculis habeat ebriorum indecoros mores. Nihil enim similius insano quam ebrius. At ebrius existimat se decere omnia. In alijs spectandum quam fœda res sit temulentia.

M. Antonius librū edidit de sua ebrietate, quo patrocinari sibi voluit, vt ea probaret mala, quæ per temulentiam orbi intulisset.

Theodorus scribit Milonem Crotoniatam carnium minas viginti deglutisse, & panis totidem: Vini choas perſiccasse tres. Idem in Olympia quadrimum solus absumpsit taurum, quem per stadium retento anhelitu portauerat suis humeris. Hic cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus diuellere conatus est: quas arbor excussis cunijs in suam naturam reuocata compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit. Valer. Max.

Diogenes Cynicus cum videret hominis vino deditissimi ędes venales esse ex ianuæ inscriptione: Sciebam, inquit, quia vini crapula obsessus facile domum euomeres. Bruſ. lib. 3.

Phocus Phocionis filius, quum paternas opes prodigo luxu dilapidasset, Athenienſibus vsq; adeo factus est odioſus, vt occurrentes omnes diffamatorem ſui generis illum nuncuparent.

A ſcortis deplumatus.

Callias eiusdem prodigalitatis homo conſectandis meretricibus vniuersum dilapidauit patrimonium. Hinc per iocum dicebatur a ſcortis deplumatus.

Albidius fuit adoleſcens perditissimæ vitæ, qui decocto vniuerſo patrimonio, vnas, quæ ſupererant, ædes rerum deſperatione incendio dedit. Quod videns Cato, Hic, inquit, proteruiam facit. Id erat priſcum ſacrificij genus, in quo, ſi quid ſuperfuiſſet, ſeruari religio erat, ſed igni cremabatur. In hos & ſimiles competit illud Martialis:

Nam tu dum metuis, ne quid poſt fata relinquas,
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.

Eques quidem ingens patrimonium per luxum ac libidinem abſorbuerat, atque inſuper magnam æris alieni vim contraxerat. Pro hoc intercedentibus quibuſdam apud Alphonſum Aragoniæ regem, ne ſaltem quæ debebat corpore luere cogeretur, Alphōſus reſpondit: Si tantam pecuniā vel in ſui Regis obſequium, vel patriæ commodis, vel ſubleuandis propinquis impendiſſet, audirem. Nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt vt luat corpore. Eraſ. in Apoph.

Alius quidam eques cum ſubinde ab Alphonſo Aragonum Rege munera peteret, & acciperet, omnia profudit, & alia deinde petijt. Cui Rex ait: Si pergam tibi dare quæ petis, citius me pauperem effecero, quam te diuitem. Alph. lib. 2.

Cornelius Rufinus duobus Conſulatibus & Dictatura ſpecioſiſſime functus, quod decem pondo vaſa argentea comparaſſet, perinde ac malo exemplo luxurioſus e Senatu a Fabricio Lucino Cenſore eiectus est. Val. Max. lib. 2. cap. 4.

Cleopatra vltima Ægypti Regina cœnam parauit Antonio, in qua centies ſeſtertiūm id est CCL. millia aureorum vno ferculo menſæ ſecundæ abſumpta ſunt, abſorpto vnione aſperitate aceti reſoluto, cuius precium centies ſeſtertiūm æſtimabatur. Vide Plin. lib. 9. cap. 35.

Æſopi Tragœdi filius tanta fuit prodigentia, vt vniones aceto liquefactos cœnis apponeret. Meminit eius Horat. lib. 2. Sermo.

Architas ille Tarentinus nullam capitaliorem peſtem quam corporis voluptatem dicebat hominibus a natura datam, cuius voluptatis auidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitare ntur. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpubl. euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat, nullum deniq; ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret, &c. Cicero in Catone Maiore.

Plato ille ſapiens generoſum conſpicatus adoleſcentulum patrimonio conſumpto ad fores Pandochij panem edentem, & aquam bibentem: Si, inquit, ſic moderate prandiſſes, nunquam ſic cœnares.

Idem cum videret Agrigentinos magnis impenſis ædificare, eodemq; modo cœnare: Agrigẽtini, inquit, ædificãt quaſi ſemper victuri, & comedunt, quaſi ſemper morituri. Dicit autem Timæus, eos lecythis argenteis & ſtrigilibus vſos eſſe, menſas totas eburneas habuiſſe. Ælian. lib. 12. *Agrigentinorum luxus.*

Dionyſius Sophiſta familiaribus dicere conſueuit: Mel ſummo digito, non cauа manu geſtandum eſſe. Sentiens voluptates quam parciſſime admittendas.

Arceſilaus Scytha pertontanti qui fieret, vt ab alijs ſectis multi deficerent, ab Epicureis nulli deſciſcerent ad alios: Quoniã, inquit, ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequaquam. Sentiens homines eſſe proniores ad voluptatem, quam ad virtutem. Gallos dixit Sacerdotes Cybeles euiratos. Porro voluptatem amplecti, fœminarum eſt potius, quam virorum.

Hippoclus Rex cum vinolentus ſponſam Chiorum adoleſcẽtis ſibi familiariſſimi indecore amplecteretur, ac immoderatius cum ea luderet, obtruncatus eſt. Plutarch. De mulierum virtutibus.

Lucius tyranni ſatelles vino madidus & furibundus, cum Miccam Phidoleni filiam moribus & forma præſtantem ad ſtuprum ſolicitaret, & illa renueret, occidit in ſinu paterno iacentem. Ibid.

Domum quandam in Agrigento huiuſmodi de cauſa fuiſſe triremem appellatam Timæus Tauromitanus ſcriptum reliquit. Iuuenes quidã vino calefacti eo vſq; demẽtiæ proceſſerunt, vt ſe in triremi nauigare & magnopere eſſe perturbatum arbitrarentur. Omnem domus ſupellectilẽ vna cum lectis proiecerunt, quaſi nauis gubernator nauem exonerari oportere dixiſſet. Iacebant interea nauſeabundi, & ſuperuenientes mi- *Triremis Agrigenti domus dicta.*
litum Duces tanquã Tritones adorabant, & ſi portum attigiſſent, ὦ σῶτερ ijs ſe perſoluturos liberaliſſime pollicebantur. Tertio vix demum die ad ſe reuerſi ſunt. Hinc domus illa Triremis dicta eſt. Athen. lib. 2. cap. 1.

Albinus Imperator ob edacitatem nomen ſibi apud poſteros compara uit. Centum Perſica Campana, decem melones Oſtienſes, quingentas ficus paſſarias, quadringenta oſtrea vna cœna comedebat. Plat. ſub Pontia.

Vitellius qui poſt mortem Neronis imperium inuaſit præcipue luxurię ſæuitiæq; deditus, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat: in ientacula & prandia, & cœnas comeſſationesq; facile omnibus ſufficiens vomitandi cõſuetudine: Indicebat autem aliud alij eodẽ die, nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadragenis millibus nummũ conſtiterunt. Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cœna ei data aduentitia a fratre, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita traduntur. Hanc quoque exuperauit ipſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam magnitudinem clypeum Mineruæ, ἀσπίδα πολιοῦχον dictitabat. In hac ſcarorum iecinora, phaſianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterũm, murænarum lactes a Carpathio vſque fretoq; Hiſpaniæ per nauarchos ac triremes petitarum commiſcuit. Hic tam prodigioſæ luxuriæ tyrannus, Veſpaſiano Principe declarato, cœno ſimoq; ia-

ctatus, ac furca sub mentum posita per vrbem tractus in scalis Gemonijs omnium ludibrio diu iacuit. Sueton.

Zeno Imperator Orientis gulæ & ebrietati deditus errore mentis sic affici solebat, vt prolapsus a mortuo nihil differret. Cum vero ipsi etiam cõiugi Ariadnę inuisus esset, sic inebriatus pro mortuo in monimentum Imperatorium ab illa coniectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito, factusq; sobrius, inter lamentationes & eiulatus misera & horrenda morte extinctus est, cum Ariadna prohiberet, ne qui monimentum aperiret aut illum curaret. Zonar. Annal. 3.

Primi Iones vnguenti coronarumq; in conuiuio dandarum & secundę mensæ ponendæ consuetudinem haud parua luxuriæ irritamenta repererunt. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemon, neq; illecebris eius tantummodo sed etiam ipsa infamia gaudens, cum e conuiuio nõ post occasum Solis, sed post ortum surrexisset, domumq; rediens Xenocratis Philosophi patentem ianuam vidisset, vino grauis, vnguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit, nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, vt clarissimum eloquium & prudentissima præcepta temulentiæ lasciuijs eleuaret. Orta deinde, vt par est, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissaq; re, quam differebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemon, primum coronam capite detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad vltimum totam luxuriam exuit, vniusque orationis salubertima Medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus euasit. Peregrinatus est huius animus, in nequitia non habitauit. Val. Max. lib. 6 cap. 11.

Themistocles ob luxuriam & vitæ turpitudinem a patre abdicatus fuit. mater mota eius improbitate vitam fuspẽdio finiuit. Cum omnium postea Graij sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediumque Europæ & Asiæ vel spei vel desperationis pignus fuerit. Ibidem.

Zaleuci Locrensis legibus cautum fuit, vt si quis Locrensium Epizephyriorum ægrotans vinum intemperatum bibisset, nisi iubente Medico, etiam si ad pristinam valetudinem redijsset, mortis supplicio afficeretur, quod non iussus bibisset. Ælian. lib. 2.

Eugenio Primo Romanam sedem obtinente: Grimoaldus Dux Beneuentanus cum ingenti exercitu in Galliam Cisalpinam mouens, Papia Pertherim Mediolano Gundibertum Ariperti filios expulit. Quod vbi Clodouæus Francorum Rex intellexisset, casum adolescentum miseratus, magnas copias statim in Italiam misit, quę adolescentes in regnum paternum restituerent. In Transpadana regione prędium vtrinque magna virorum concitatione committitur, cum illi redire in ditionem paternam, hic retinere bello partum conarentur. Tandem vero se inclinante ad Grimoaldum fortuna, fusi ac fugati Galli Italia expelluntur. Sunt tamen qui scribunt Gallos hac ratione deceptos esse: Longobardi enim simulata fuga, castra rerum omnium copia, ac vini potissimum plena relinquentes haud longe in insidijs constiterant: Galli vero castra ingredientes rati veram esse hostium fugam, in omnem voluptatem effunduntur, epulis & vino replentur: Quare superuenientibus hostibus, cum somnolentia grauati passim veluti pecora sine custode iacerent, ita ab hostibus cæduntur, vt vix nuncius supersuerit, qui tantam cladem Clodouæo nunciaret. Hac victoria fretus Grimoaldus, omnem prouinciam statim in potestatem suam redigit. Platina.

Galli vino somnoque grauati vincuntur.

Pari

Pari fraude Cyrus Tomyris filium circumuentũ cum omnibus copijs interfecit. Herod. & Iustinus.

Paulus Secundus præter mirum in vestitu luxum, quo omnes superiores Pontifices superauit, gulæ etiam perstudiosus erat. Varia ciborum genera (inquit Platina) sibi apponi volebat, & peiora quæque semper deguſtabat. Clamabat interdum, nisi quæ expetebat, ex sententia ei appolita fuissent Bibaciſſimus quidem erat, sed vina admodum parua & diluta bibebat. Peponum esu, cancrorum, pastillorum, piscium, succidiæ admodũ delectabatur. Quibus ex rebus ortam crediderim apoplexiam illam, qua e vita sublatus est. Nam duos pepones, & quidem prægrandes comederat eo die, quo sequenti nocte mortuus est.

Petrus Riarius, presbyter Cardinalis, sedente Sixto Quarto in Pontificatu, in duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegit & vanitabus. Rauisius. De hoc Campo fulgosius hunc in modum scribit:

Vidit nostra ætas Petrum Riarium Sanonensem, ordinem Minorum fratrum profitentem, quem Sixtus Quartus Pontifex ad Cardinalatũ extulit, inter domesticos aureis vestibus vtentem. neque vero lectos aureis ſtragulis integere satis habuit, sed lectorum etiam ipsorum cuſcitras & ſericeis & aureis pannis confecit, argenteis quoque vasis onus ventris excepit. Is Heleonoræ Aragoniæ cum Ferrariam Herculi Estensi Duci nupta proficiſceretur, conuiuium Romæ fecit, quod propter ferculorum numerum, quę precioſis atque delicatiſſimis cibis conſtabant, inter quæ ludi in signes plurimis interuallis edebantur, horas septem perdurauit: architriclinig; in eo atq; miniſtri omnes sępius, vt conuiuij magnitudini respon-derent, amictum pro ferculorum genere mutauere, populoq; ea ex cibis spargebantur, quæ de mensis auferri cõtingebat, quorum particularis cõmemoratio longiora spacia, quã præsens patiatur locus, occuparet. Et ne quid deesset, in quo ordinis sui scueritatem non contempsiſſe videretur, amicam Thiresiam, non palam solum, sed tanto etiam sumptu alebat, quantus ex eo intelligi potest, quod calceis margaritarum tegmento inſignibus vtebatur. &c. lib. 9. cap. 1.

Ludouicus Magdeburgensis Episcopus, frater VVilhelmi Marchionis Misnię, in oppidum Caluen multam Ecclesiæ euocarat militiam. Aderat euocati cum vxoribus & filiabus, diem festum cum suo acturi Pontifice. Prætorium quod erat in oppido spacioſum, illis vsibus instructum, desum ptu leue, cantu solutum, & luxui paratum. Ducebant in gyro vertiginosam & ridiculam circuitionem. Saliebant ad manus Dominorum alacriter, vt i mensо pondere victa domus subsidere minaretur, crepitum grandem præmittens Archiepiscopus apprehensa ad manum, quæ proxima stabat domina, gradus inter primos abiturus petiit. Vbi iam descendere cœpit, lapideus ille ante solutus gradus concidit, & Archiepiscopum cum consorte & nonnullis alijs ruinæ inuoluens, miserabiliter extinxit. Albertus Crantz. lib. 10. cap. 5.

Annum circiter vicesimum, supra milleſimum quadringenteſimum, Albertus Dux superioris Saxoniæ, cũ venationibus indulgeret, extructo cœnaculo in vicino nemore, ibi aliquot dies in lætitia & animi laxatione peregit, cum conthorali multis militaribus ad festam hilaritatem inuita tis: iam omnes exhilarati requiem petiere, quum ecce flamma, incertum vnde orta, cœnaculum corripuit, multos somno & vino sepultos in longum somnum perduxit: Dux ipse cum conthorali vix nudi per feneſtram euasere. Idem lib. 11. cap. 7. *Albertus Dux superioris Saxoniæ.*

VVintherus Decimus Mersburgensis Episcopus, ad id dignitatis ab Henrico Quarto euectus Canonic⁹ VVirtzburgensis, de nobili Francorũ *VVinther⁹ Mersburgẽsis.*

prosapia oriundus, quamuis præter Episcopatus sibi commissi reditus amplissimis ex paterna hæreditate affluerit opibus, adeo tamē luxu fuit perditus, & superbia elatus, vt spreta & ciuium & Nobilium auctoritate, ad quamuis turpitudinem conniueret, ipse ad gulam & prodigenda aliena natus. Vnde eo solo nomine nobilitatus est, quod largitate & luxu Ecclesiæ bonis perfide distractis plurimum æris alieni post mortem successoribus suis reliquerit. Mortuus secundo anno sui Episcopatus, nono Calend. Aprilis, Anno millesimo, septuagesimo tertio. Ernest. Brotauff.

Inprimis venusta apud Xenophontem extat narratio de puero Cyro ebrietatem tum in Regibus, tum in Regijs ministris callide taxante. Quem cum Astyages auus cœna excepisset suauissima, ille carnes sibi tum ferinas tum cicurum animalium appositas inter Regios ministros distribuit, quū ad singulos huiusmodi quædam diceret: Hoc tibi do, quia lubente animo æquitandi præcepta mihi tradis. Hoc tibi quod tragula me donaris, quam etiamnum habeo. Tibi vero quod auo præclare inseruis. Tibi quod matrem meam honore afficis. Huiusmodi fecisse fertur, donec carnes omnes quas acceperat, distribuisset. Et Astyages nihil ne Sacæ das, inquit, pincernæ, quem ego maximo honore prosequor? Cyrus, qui quod puer esset nihil reuerebatur, præcipiti sermone vicissim interrogat: Quam obrem aue hic in tāto apud te est honore? Astyages per iocum: Annō vides, ait, quam belle decenterq; pincernæ munus obeat? Cyrus autem: At tu aue mandato, inquit, Sacæ, vt mihi quoque poculum tradat, quo belle tibi quod haurias infundens, te mihi conciliem, si potero. Qui cum dari poculum Cyro iussisset, acceptum hoc ille pari eluit industria, qua Sacam vti viderat. Atq; hoc modo composito vultu, ita studiose ac gestu decente allatam phialam auo porrexit, vt & mater & Astyages in risum soluerentur. Ipsum etiām Cyrum ridentem ad auum prosiluisse proditum est, eumq; deosculatum esse, quum diceret: Actum est de te Saca, dignitate te tua deijciam. Nam & alijs in rebus rectius fungar pincernæ munere, & vinum ipse non ebibam. Regum enim pinceruæ cum phialam porrigunt, vinum ex ea cyatho haustum, inq; manum sinistram infusum absorbent, ne sine detrimento proprio venena infundant. Astyages porro per iocum Cyro illudens: Quamobrem vero, inquit, alijs in rebus Cyre Sacam imitatus, vinum non absorbuisti? Quia enim per Iouem, ait, metueram ne mista in cratere venena forent. Nam cum tu die natali tuo amicos exciperes, planissime deprehendi, venena hunc vobis infudisse. At ille: Quonam hoc pacto fili animaduertisti? Quod per Iouem, inquit, aspicebam vos & animis & corporibus titubantes. Primum enim quæ nos pueros facere prohibetis, ipsi committebatis. Nimirum omnes clamabatis, quum vosmet mutuo plane non intelligeretis. Quin & ridicule admodum canebatis, ac quamuis canentem non audiretis, Sacramento tamen confirmabatis, optime hominem canere. Præterea cum quisque vestrūm robur suum prædicaret, vt primum tamen saltatui assurgebatis, tantum abest, vt saltare possetis ad numerum, vt etiam erigi nequiretis. Neque vel tu omnino regem esse te memineras, vel illi, quod imperium tibi in ipsos esset. Xenoph. 1. παιδείας Κύρ. Vbique scil cet fœda est ebrietas, sed ibi maxime, quando teneram offendit ætatem.

Deformes ebriorum mores.

Lacedæmonij pueris ostendebant seruos, qui vino essent temulenti, quo magis abominarentur ebrietatem, videntes quam deforme spectaculum sit homo immodico madens vino, quamq; dementi similis. Imo cogebant Helotas quam plurimum bibere, deinde saltationes ineptas saltare, & carmina quædam ridicula canere. Ita quod alij prolixo sermone vix persuadent, sobrietatem esse rem honestissimam, ebrietate nihil esse homine

mine indignius, illi compendio ponebant ob oculos, sed in mancipijs, ad quorum mores degenerare ingenuis turpissimum est. Quod enim fœdius inter sobrios spectaculum esse queat ebrio homine? Qui nec menti nec membris imperare idoneus se omnis turpitudinis sentinam facit, & infra omnem hominis vilissimi, adeoque bestiæ fœdissimæ conditionem abijcit. Quare summopere probanda Platonis sententia, qua Rempublicam administrantibus, quandiu Magistratum gerunt, vino interdicit. Quin etiam summam meretur laudem Carthaginensium illa consuetudo, & lex, qua durante bello prorsus vino abstinebant.

Inter alia flagitia vt præcipuum exprobat Antonio Tullius Cicero ebrietatem, qua obrutus in Hippiæ nuptijs turpi vomitu postridie in senatu tribunal conspurcarit. Sic enim inquit: Sed hæc quæ robustioris improbitatis sunt omittamus, loquamur potius de iniquissimo genere leuitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauseras, vt tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe diceret? In cœtu vero populi negotium publicum gerens, Magister equitum, qui ructare turpe esset, is vomens fructis esculentis vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal implcuit. Cicer. 2. Philip.

Apud Græcos lege cautum fuit, ne qui turpi luxu paterna bona prodegisset, maiorum sepulchris inferretur. Alex. lib. 6. cap. 24.

In Claudio Cęsare nescias quid primum accuses, adeo vecordia cum ęuitia ac luxuria certabat. Conuiuia agitauit & ampla & assidua, ac fere patentissimis locis, vt plerunque sexcenti simul discumberent. Cibi vinique quocunque tempore ac loco appetentissimus. Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, vt statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Dicitur etiam meditatus edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in cõuiuio emittendi. Edictum tali Principe dignum.

Eobanus:

Edicto vetuit ructus crepitusq; teneri
Claudius: o medici principis imperium.

Vadianus in descriptione Galliæ: Fuere, inquit, in Gallijs, qui mercatores ea quæ ad luxum & mollitiem facerent importantes non admitterent, neque vinum inferri sinerent, quod his rebus, vt inquit Cęsar, elanguescere animos, & remitti virtutem existimarent. Immane quantum ab ista virtute degenerarint Germanorum mores, qui iam ebrietate defœdati, luxuique dediti, in flagitia quęuis certatim ruunt, & quasi eximiam laudem sibi in eis quærunt. Vereque a Pocta Eobano infœlicitas patriæ huius a tali vitio obsessæ deploratur, in sequentibus alijsq; pluribus versibus:

Nuper vt humanos Arete respexit ad vsus,
Iussa loco vitijs cedere, liquit humum.
Quæ simul ac terris supera attigit alta relictis,
Irrepsit scelerum pestis & omne genus.
Et ne forte iterum mortalibus influat, omnis,
Ad terram reditus qua sit, adempta via est.
Namq; ducem contra fortem Rex misit auerni,
Illa est, si nomen quæritis, Ebrietas.
Castra loco posuit, quo non habitatior alter
Olim Virtuti Cœlitibusq; fuit.
Sed neq; degeneres adeo consedit ad Indos,
Extulit ad Numidas nec sua signa vagos.

In medio Europæ ſedem ſtabiliunt, & armis
Teutonas inuictos illitis arma premunt.
Orbis enim poſtquam fortiſſima mollibus armis
Occupat, hoſtiles non timet inde manus.
Et quamuis alijs quoq; gentibus imperet, illam
Nulla tamen ſtudio ſeduliore colit.
Illa adeo noſtrum peſtis ſibi ſubdidit orbem,
Vt gerat arbitrio publica quæque ſuo.
Quandoquidem heu nimium non eſt opus indice, & iſtis
Temporibus conſtat notius eſſe nihil.
Quin etiam acceſſit vitioſo gloria morti,
Peccatoq; boni nomine venit honor.
Venit honor vitio: Virtus iacet, otia regnant
Mollia, dum ventri viuimus atq; gulæ.
Improba dum nimio ſtudimus conuiuia luxu,
Inque malos mores prodiga turba ſumus.
Omnis honor languit ſtudiorum militici,
Armaque dura prius mollia facta iacent.
Sæuior hac nunquam peſtis, nec atrocior hoſtis,
Teutona victrici venit in arma manu.
Non adeo noſtras Romana potentia vires
Fregit, mille licet miſerit illa Duces.
Quod non mille Duces plures potuere per annos,
Continuis perdit cladibus iſta lues.

Et paucis interiectis:

Quid referam quantis animam poſt fata ruinis,
Quamque grauet pœnis intolerabilibus?
Tot vitiorum etenim genitrix, tot cauſa malorum,
Toxica peſtifera ſeminat atra manu.
Iurgia, furta, dolı, fraudes, iniuria, cædes,
Inceſtus, ſtuprum, raptus, adulterium:
Faſtus, auaritiæ, luxus, gula, liuor & ira,
Pigritiæ, iſta ſunt fata iacta manu.
Probra, nefas, rixas, diſcordia, bella, rapinas,
Semina ſi neſcis illius eſſe ſcias.

Cum anno milleſimo quadringenteſimo, ſeptuageſimo tertio, in die diuo Michaeli ſacro, Carolus Dux Burgundiæ Treuiris cœna excepiſſet Imperatorem Fridericum, Maximiliani Maioris patrem, appoſita fuere quinq; & triginta fercula. Qui tum apparatus habebatur inprimis ſplendidus & magnificus. Verum ſi conferatur cum luxu, qui iam Principum, Comitum, aliorumque Magnatum aulas obſedit, videri poſſit vilis & ſordidus. Quippe centenis iam ſuperbire gaudent ferculis, pertæſique patrij moris Principes Gallicos Italicoſque accerſere coquos ſatagunt. Hinc in vulgus manant exempla regentum, cumq; nec inter infimæ ſortis homines vllus ſit luxuriæ modus, haud mirum profecto, ſi paupertas luxuriæ filia tum Principum arces, tum ſubditorum caſas affligit, Germaniamque tum viribus tum opibus exhauſtam, hoſtibus vexandam obiecit. Nec tantum inopia luxum iſtum ſequitur, ſed turpiſſimorum etiam ſcelerum colluuies comitatur. Quod & diuus Paulus innuit, cum ad Epheſ. 5. ait: Ne inebriemini vino, in quo luxus eſt: Luxus iſte qualis, ebrioſorum hominum mores oſtendunt, inconditæ vociferationes, rixæ, cædes, aliaque mala innumera. Quæ etiam in ſubiectis Eubuli veteris Poetæ Græci verſibus ob oculos nobis ponuntur.

Teeis

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὖ φρονοῦσι, τὸν μὲν ὑγείας ἕνα
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι· τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος ἡδονῆς τε, τὸν τρίτον δ' ὕπνου
Ὃν εἰπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι,
Οἴκαδε βαδίζουσιν, ὅθε μὲν τέτρατος
Οὐκ ἔτ' ἀμέτερός ἐστ' ἀλλ' ὕβρεως. πέμπτος βοῆς.
Ἕκτος δὲ κώμων, ἕβδομος ὑπωπίων.
Ὄγδοος καὶ κλήτορος, ὁ δ' ἔννατος χολῆς,
Δέκατος δὲ μανίας. ὥστε καὶ βάλλειν ποιεῖ,
Πολὺς γὰρ εἰς ἓν μικρὸν ἀγγεῖον χυθείς,
Ὑποσχελίζει ῥᾷστα τοὺς πεπωκότας.

Quos versus sic interpretari libuit:

Tres ego prudenti cyathos commisceo vini,
Quisquis corde sapit nil petet vlterius.
Primum, quo validæ seruentur corpore vires,
Viuidus & recreet corpora lassa vigor.
Tristitiam pellunt animi quæ fundo secunda
Pocula, sed placidus tertia somnus amat.
Quo sapiens sumpto cratere quiescit: Auari
Sed bibuli cyathos hinc aliunde petunt.
Quandoquidem tu dira vocas iniuria quartum,
Clamor at horrificus pocula quinta petit.
Sextus vt adfuerit crater, certamina cantus
Percipies varij terribilesq; sonos.
Septimus inde sequens ad liuida verbera tendit,
Ardet & horrendis bella ciere modis.
Lictores vocat octauus, prætoriaq; arma,
Iurgia quo dirimant carceribusq; premant.
Ast tardantibus his nono cratere sequente,
Irarum fluctus atra procella ciet.
Turbidus hinc decimum quod si superaddere pergas,
Tum furijs mixtus Cerberus ipse fremit.
Lethifer ensis adest, pugnæ cædesq; cruenta,
Sternitur & telis turba pudenda suis.
In vas exiguum nimij nam fusa Lyæi
Fulmina, tum sensus, tum quoq; membra necant.

Vere scilicet dicitur: Ingrediente vino sapientia exit. Et Oseæ 4. Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.

Adeo toti in luxum & comessationes intenti sunt plerique hominum, vt omnia etiã sacra sine poculis, ingurgitatione & luxu ipsis sordeãt. Hinc in solennibus illis festis, qui in Ecclesia ob memoriam summorum Christi beneficiorum, quę per natiuitatem suam, crucem, mortem, resurrectionem nobis exhibuit, instituta sunt, nil fere præter lasciuientium hominum tripudia ludosque inanes licet cernere. Qua sane fœdior alia haud esse queat impietas, præsertim inter eos, qui Christo nomen dedere. Nam Ethnicorum sacris turpissimos etiam adhibitos fuisse ritus minus mirum est, cum authorem sacrorum suorum habeant omnis impuritatis patrem diabolum. Quod autem & illis maior comessationum quam religionis cura fuerit, ex sequenti patet historia, quam refert Liuius lib. 9.

Tibicines Romani.

Anno V.C.444. Tibicines, quia probibiti a proximis Censoribus erãt in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tybur vno agmine abierunt, adeo, vt nemo in vrbe esset, qui sacris præcineret. Eius rei religio tenuit Senatum, legatosque Tybur miserunt, vt darent operã, vt hi homines Romanis restituerentur. Tyburtini benigne polliciti, primum accitos in Curiam hortati sunt, vt reuerterentur Romam. Postquã perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos aggrediuntur. Die festo alij alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa inuitãt, & vino, cuius auidum ferme genus est, oneratos sopiũt, atq; ita in plaustra somno victos conijciunt, ac Romam deportant, nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulę eos lux oppressit. Tunc cõcursus populi factus, impetratoq; vt manerent, datum, vt triduum quotannis ornati cum cantu, atq; hac quæ nunc solennis est, licentia per vrbem vagarentur, restitutumque in æde vescendi ius ijs, qui sacris præcinerent.

Lacedæmonij huiusmodi legem habebant, vt nemo Lacedæmoniorũ mollitiem aliquã colore præ se ferret, aut corporis impinguatione crassiore, quam vt exercitijs conueniret, præditus esset. Nam hoc pigritiã, illud non virum ostendere videbatur. Ascriptum etiam hoc erat in lege, vt decimo quoque die ephebi ad vnum omnes publice nudos ephoris sese exhiberent. Quod si essent bona corporis habitudine, valentesque, & quasi concisi ex certaminibus atque perforati, laudibus vehebantur: Sin aliquod membrum inueniretur delicatius & mollius ob suppositam aut succrescentem oscitantia pinguedinem, verberabantur, & in ius trahebãtur. Etiam huius curam gesserunt ephori, vt quotidie inspectiones obirent vestimentorũ, si quid in illis forte a decenti iustoq; ornatu alienum inueniretur. Lacedæmone quoq; coquos non licebat esse alios, quã carnis duntaxat. Qui vero præter hanc artem nouisset, eiiciebatur Sparta, perinde atq; ægrotantium purgamenta. Iidem Nauclidem, filiũ Polybiadis nimium corpore pinguescentem, atq; ingraescentem crassitie propter luxuriam & otium e concione spectantibus vniuersis, deduxerunt, & exilij mulctam ei minitati sunt, nisi viuendi rationem istam iudicijs obnoxiam magisq; Ionicam, quam Lacedæmoniam in posterum commutasset. Etenim ipsius formam & corporis habitudinem dedecus adferre Lacedæmoni & legibus. Ælian. lib. 14.

Tarentini molles & delicati fuere, non minus in cibo, quam sues assidue grunnientes: de quibus illud Satyricum:

Atque coronatum & petulans, madidumque Tarentum.

Guid. Nec minus Sybaritæ & Syracusani ob mollitem & luxum male audiunt.

Milesij quos olim fortes fuisse Prouerbio notũ est, adeo corrupti fuere voluptatibus, vt Hermodorũ Philosophum Ephesium, quia frugalis & modestus erat, e ciuitate eiecerint, qui, teste Pomponio, author fuit duodecim tabularum ferendarum decemuiris Romanis: Plinius tamen asserit, fuisse decemuiralium legum interpretem, cui propter id statua publice dicata fuit. Strabo lib. 14. Milesios omnes suspendio dignos esse censet, qui Hermodorum eiecerint, proclamantes: Nemo sit apud nos frugi, alio quin eiiciatur.

Fœmina ἀδδηφάγος.

Meminit Ælianus fœminæ addephagou, Aglaidos, Megaclis filiæ, quæ singulis cœnis comedebat duodecim minas carnium, & quatuor chœnices panum, bibebat congium vini. lib. 1.

Lituaniæ Ducem Sui trigalum nunquã a domo pedem mouisse aiunt, quin dispensatorem percontaretur, an librum, quem sibi de arte popinaria accuratissime componi curauerat, secum afferret, quasi Apitius exqui-

sitarum

sitarum cultor epularum. Cœna apud eum non minus sex horarum fuit, nec fercula minus quam triginta & centum allata sunt dum ligurit. Æn. Sylu. lib. 2. com. Alph.

Dionysius ebriosus.

Quemadmodum Sybaritarum, sic & Syracusanorum luxus prouerbio locum dedit, Aristoteles vbi Syracusanorum luxus meminit, addit Dionysium minorem nonnunquam ad nonagesimum vsque diem ebrium perseuerasse, atque ob eam rem cæcutientibus & vitiosis oculis fuisse. Narrat Theophrastus apud Athenæum, amicos illius & compotatores in conuiuijs adsimulare solitos, non videre sese vel cibos vel calices appositos, videlicet ad eum modum adulantes cæcutienti Regi. Vnde Dionysio cola ces sunt appellati.

Erisichthon Thessalus, cum per gulam quicquid bonorum & facultatum habebat traijceret, & ad postremum etiam filiam prostitutam corpore quęstum facere cogeret, vt inde pararet quo vastam ventris voraginem expleret, fabulæ ansam dedit Poetis de filia eius Mestra in varias figuras transmutata.

Hercules cum Lepreа Rege de gula contendit, vicitque tauro toto paulatim deuorato. Fuit etiam Vlysses polyphagię & edacitatis nota famosus.

Rhodij Timocreontis edacitatem sepulchro insculptum declarat distichon:

Πολλὰ πιὼν, κ) πολλὰ φαγὼν, κ) πολλὰ κακ' εἰπὼν
Ἀνθρώπους, κεῖμαι πημοχθέων ῥόδιος.

Id est:

Multa bibens, tum multa vorans, mala denig; multa
Dicens, hic iaceo Timocreon Rhodius.

Theagenes Athleta taurum vorabat solus.

Milonem Crotoniatam scribit Theodorus carnium minas deglutisse viginti, & panis totidem, vini choas perficcasse tres: Sed & in Olympia quadrimum solus per diem absumpsit taurum, per stadium antea humeris circumulatum. Cæl. Rhod.

Astydamas Milesius à Persa Ariobarzane vocatus ad conuiuium, solus deuorauit, quicquid conuiuis omnibus fuerat præparatum.

Phago fuit quispiam adeo gulosus, vt adhibitus mēsæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum vno die comederit, biberitque plus orca vini infundibulo ori appositō. Flau. Vopiscus.

Maximinus imperator, qui Alexādro Mammææ filio successit, quadraginta libras carnis vno die esitabat: alij sexaginta scribunt, potabatque vini amphoram adeo vbertim sudante corpore, vt calice sudor colligeretur: impleueritque vno die collectus sudor tres sextarios. Edacior quadamtenus Albinus, de quo supra. Firmius Seleucius Strutiocamelum, quo nullum volucre est maius, vno die comedit. Huius ductu Ægyptus ab Aureliano Principe defecit. Idem Hippopotamos esitauit. Natauit impune inter crocodilos, eius animalis adipe delibutus. Sabel. lib. 10. cap. 10.

Icarus filius Oebali Rex Laconum cum Atticos vsum vini docuisset, ab eis in ebrietatem lapsis interfectus est.

Ouidius:

Muneribusq; tuis lædaris, vt Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.

Brutus cum balneas patrimoniumque omne pene vendidisset, pecuniamque luxuriosè dilapidasset, diceretque sine causa se sudare, Crassus Orator respondit: Non mirum est, inquit, quod ita sudas, modo enim existi de balneis. Notauit autem hominis luxum qui in causa erat, vt balneum & alia diuendere coactus esset.

Alexander Magnus cum victor multarum gentium ex India reuersus accessisset ad Babylonem, dedens sese voluptatibus, certamina potantium tanta instituit, vt aliqui in conuiuijs subito extinguerentur. Ipse tantum ad duas choas processit, id est, octo sextarios. Tunc autem inter aulicos colacas familiarissimus ei fuit Thessalus quidam, nomine Medius, cuius hoc est dictum: Audacter calumniare, semper aliquid hæret. Ab hoc Thessalo vocatus ad conuiuium cum largius bibisset subito sensit magnū cruciatum inter scapulas, in eo loco, qui nominatur metaphrenon, vbi orificium ventriculi alligatū est spinæ dorsi, sicut vsitatum est in eo loco cruditates sentiri. Inde & febris secuta est, in qua non abstinuit à vino. Initium febris fuit mensæ Desio, qui cum nostro Iunio conuenit, die 18. Cumque ægrotasset dies 11. die 28. Mensis Dæsij mortuus est. Sic Alexander cum in toto prælijs inuictus fuisset, perijt immodico vino, sicut Daniel Macedonicum Regem Pardali similem facit, quæ non caperat ab armatis venatoribus (ipsorum enim iacula sua celeritate eludit) sed sopita vino & venere. Est autem huius Regis interitus insigne exemplum inconstantiæ rerum humanarum, & monet ne exultantes lætitia laxet, vs frænos iniustis cupiditatibus, & pœnas attrahamus, sed petamus nos à Deo gubernari, cogitantes & nobis accidere posse subitas conuersiones, sicut dicitur: Magna momento ruunt. Et Deum vindicem esse scelerum. Vixit annos 32. & menses 8, Regnauit annos 12. & menses 8. Phil. Melanch. Chron. lib. 2.

Michaël Imperator Orientis Theophili filius, cum adoleuisset, matrem omni potestate priuatam relegauit in monasterium. Fuit malus, stolidus, petulans, ebriosus, deditus voluptatibus, ludis ac certaminibus equestribus & curulibus. Relictam in ærario à matre pecuniam omnem in luxū, crapulas, ludos, mimos, adulatores, & alios id generis homines effudit, & eo redactus est inopiæ, vt vestes etiam Regias vēdiderit. Cum voluptatū studio negligeret imperij defensionem, Saraceni, qui Cretam occuparāt, Cycladas insulas inuaserūt. Cæteri in Syria reparatis viribus, denuo Græcos prouocarunt, quibus cum occurrisset re infecta, domum reuersus Basilium Macedonem, cuius opera in domandis & exercendis ad cursum & aurigationem equis vsus fuerat, Cæsarem creauit, tradita ei in vxorem concubina Eudocia. Ab hoc Basilio postea interfectus est, cum vino madidus Basilium remigem, porrectis ei calceis purpureis eadem dignitate ornasset 4. Chron. Philip. Melanch.

Alexander Basilij filius.

Alexander Basilij Macedonis filius, frater Leonis fuit, cuius mandato Imperij administrationem suscepit. Sed studijs & moribus fratri dissimilimus fuit. Totus enim prouolutus ac demersus in helluationes & libidines, curam Imperij cōmisit adulatoribus, præstigiatoribus, & flagitiorum socijs, cumq; non nisi à balneo prandium sumeret, aliquando immoderate impletus, cum conscenderet equum, corpore vehementius extenso, venam interius rupit, & qua largissimo sanguine supra infraque effuso, animā simul euomuit, porci instar iugulatus in sua ingluie, cum imperasset annum & mensem vnum. Ibid.

C. Caligula nepotinis sumtibus omnium prodigorum ingenia superauit, commentus nouum balnearum vsum, portētissima genera ciborum, atque cœnarum, vt calidis frigidisque vnguentis lauaretur, preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, conuiuis ex auro panes, & obsonia apponeret, aut frugi hominem oportere esse dictitans aut Cæsarem. Sueton.

Gallienus nequissimus omnium mortalium per luxum & socordiā Imperium per totum orbem terrarum adeo afflixit, vt triginta sub eo tyranni hinc inde per exercitus ad Imperiū vocati sint, vnde grauissimis bellis horribiliter Imperium concussum fuit. Tantus erat luxus eius, vt aureis

linte-

linteaminibus lectum suum sterneret, gemmatas quoq; caligas haberet, Caligulam imitatus. Adeo gulæ intentus & à pietate fuit alienus eius animus, vt cum ei relatum esset, populum Romanum indigne ferre, quod Valerius pater eius apud Parthos seruiret, cõuersus ad astantes dixerit: Ecquidnam habemus, quod prandeamus? O vocem Principis abominandam, qui cibum potumq; parenti præposuit.

Saxones & Holsatij solebant olim dies noctesq; perpotare: ac eum qui alios superasset, laude & honore afficere, corona ei de rosis, aut alijs bene olentibus herbis imposita. Ioannes Petersius in Holsatorum Chronico. Et Bonifacius in Epist. ad Rom. Pontificem, apud Mutium lib. 7. sic scribit: Animales homines tempora quædam anni habent, quibus insaniunt, crapula se degrauantes & inebriantes, comessaticaibus totos dies & noctes vacantes, clamantes ferino more, saltantes & canentes cantiones obscœnas, quæ facile mores corrumpunt bonos. Mulieres se exponunt meretriceo quæstu venales.

DE LABORE ET OCIO.

HOminem in principio non ad ocium, sed ad laborem Deus condidit. Id quod ex Mose patet, qui in initio historiæ Sacræ ait: Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Nempe & spiritualis & corporalis labor hominiante lapsum etiam incubuit. Verum si in statu perfectionis perstitisset, nullis labor iste inuolutus fuisset molestijs. Quemadmodum & iam multum delectationis afferunt labores, qui cum serena cœli facies affulget, in hortorum cultum impenduntur. Postquam autem peccatum secuta est maledictio, in sudore vultus sui pane vescitur homo, nec vllus laborum & molestiarum finis est, donec in terram de qua sumptus est, reuertatur.

Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Exod. 20.

Sol lumen suum hominibus præbet, vt laborib. vacare eo commodius possint. Sic enim Psal. 103. Regius Propheta canit: Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsq; ad vesperum.

Homo nascitur ad laborem & auis ad volatum. Iob. 5.

Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. Eccles. 7.

Egestatem efficit manus ignaua. Et manus sedulorum ditabitur. Congregans in æstate prudens est: Dormitans in messe confunditur. Prou. 10.

Exercens terram suam satiabitur panibus. At sectans inania stultus est. capite 12.

Cõcupiscit piger, & nihil habet anima eius. Sed anima sedulorum pinguefiet. cap. 13.

Via pigri obsita sentibus est. At semita bonorum plana est. cap. 15.

Pigritia parit soporem: Et anima ignaua esuriet. cap. 19.

Propter frigus piger non arat: Et mendicabit in messe, & nihil impetrabit. Et:

Noli diligere somnum, ne pauper fias. Sed aperi oculos, vt pane explearis. cap. 20.

Agrum hominis pigri præterij. Et vineam hominis stulti. Et ecce totum obruerant vrticæ, & tegebant spinæ, & murus collapsus erat. Et vidi & consideraui, vidi vt erudirer. cap. 24.

Piger ait: Leæna est in via, Leo est in plateis. Sicut ianua in cardine suo voluitur, sic volutatur piger in lecto. Abscondit piger manum in sinum, nec libẽter eam ori admouet. Plus sibi sapere videtur piger, quam septem qui sentẽtias docent. cap. 26.

Qui agrum suum colet, pane saturabitur. At qui sectatur vana, paupertate conflictabitur. cap. 28.

Ito piger ad formicam, vt intuens in eius exemplum sapiens fias. Etsi enim nec principem habet, nec exactorem operarum, nec dominũ: tamen in æstate cibum parat, & colligit in messe alimentum. Quandiu piger dormies? Quando à somno surges? Paulum modo, inquis, dormitabo, paulum modo somno indulgebo, paulum modo conseram manus, & componam ad quietem. Sed interea veniet inopia tanquam viator, & obruet te paupertas, quasi quidam armatus. cap. 6.

Diuus Paulus 2. ad Thess. 3. Scitis quomodo oporteat imitari nos: quoniam non inordinate gessimus nos inter vos, neque gratis panem accepimus à quoquam, sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc ne cui vestrum essemus oneri, non quod id nobis non liceat, sed vt nosmetipsos formam exhibeamus vobis ad imitandum nos: Etenim cum essemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis, vt si quis nollet operari, is nec ederet.

Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Eccles. 34.

Qui furabatur, non amplius furetur: magis autẽ laboret operando manibus quod bonum est, vt possit impartiri ei qui opus habuerit. Ephes. 5.

Nec solum Sacrarum literarum autoritas otiũ prohibet, sed inter Ethnicos etiam id ipsum Poëtæ vt omnium malorum radicem execrantur, Legumlatores pœnis coërcent, saniores Philosophi vt certissimam animæ pestem damnant.

Ouidius:

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent & sine luce faces.

Idem:

Languor & immodici nullo sub iudice somni,
Aleaq; & multo tempore quassa mero,
Eripiunt omnes animo sine vulnere vires,
Affluit incautis insidiosus amor.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,
Da vacuæ menti quo teneatur opus.

Lucanus:

---Variam semper dant otia mentem.

Nec sane vlla Reipublicæ pestis maior esse poterit, quam si tam ciuibus quam peregrinis, & ipsis etiam adolescentibus ignauam in otio vitam degere concedatur. Quippe ex ijs patriæ proditiones, Rerumpub. euersiones, clandestina cum hostibus colloquia nascuntur. Nullum denique scelus, nullum magnum facinus est, ad quod suscipiendum otiosi homines non impellantur. Vt verbis vtamur ijs quæ de voluptate Architas Tarentinus proferebat. Quare summopere laudanda est Lacedæmoniorum seueritas in coërcendo puerorum etiam otio. Nam decimo quoq; die, vt dictum, ephebi ad vnum omnes publice nudos ephoris sese exhibebant, & si qui delicatiores aut molliores inuenirentur, ij plagis affecti in ius trahebantur. Nec minorem laudem meretur illa Florentinorum consuetudo, qua eos, qui vitam in Republ. otiosam agerent, nec otij rationem scirent reddere, capite mulctandos, vel vrbe eijciendos esse censuerunt, vt Sabellicus auctor est. lib. 6. cap. 1.

Nihil enim discrepant, otiosi homines à fœtentibus cadaueribus, quæ fœtore suo vicinum aerem inficiunt, pestilentiamque tum hominib. tum cæteris animantibus inferunt. Iubet Poëta in Georgicis degeneres illos

apum reges, qui latâ trahunt inglorij aluum, interfici, ne prodigi obsint. Nec vero alia eorum ratio est, qui turpi indulgent otio, quam regum istorum degenerum, quos fures dici Plinius author est.

Itaq; Solon eos qui ocio ac malis artibus hominibus molesti erant, grauissima semper pœna afficiendos putauit. Draco non furti modo conuictis, sed etiã otij mortis supplicium irrogauit. Et Valerius Max. astruit apud Athenienses homines ignauos & inertes, non aliter mulctari, quam si delictum aliquod magnum perpetrassent.

Lacedæmonij adeo ab omni otio ciues alienos esse volebant, vt ephori, cum ad eos delarum esset, pomeridianis horis istos qui Deceleiam tenebant, deambulationibus vacare, grauiter obiurgatos Spartanæ virtutis admonerent, cũ mandato missis ad eos qui dicerent: Ne deambuletis, vt genio indulgeatis potius, quam corpus exerceatis. Nam oportere Lacedæmonios non deambulationibus, sed exercitijs bonam valetudinem parare & tueri. Pudet cum istis nostri seculi mores conferre. Quod enim aliud est negotium istorum helluonum, νυκλικοφέκων καὶ οἰνοφλύζων, qui Solem orientem nunquam cernunt, quam comessari, stertere, deambulare, tum omnem eam turpitudinem exercere, quæ latitantibus per popinas ambulantibusq; per tabernas familiares esse solent.

Quodam interrogante cur Argiuos cum Lacedæmonijs bellum gerentes, quum sæpenumero vicissent, non deleuerint: Ne optauerimus quidẽ, inquit, Cleomenes, illos deletos, vt habeamus qui iuuenes nostros exerceant. Perspexerat egregius Dux, corrumpi iuuentutem si permittatur otio, luxus ac malorum omnium magistro.

Appius Claudius idem sensit, cum frequenter diceret, populo Rom. longe melius committi negotium, quam otium. Sentiens multitudinem bellis excitari ad virtutem, in pace defluere ad voluptates ac luxum, ex quibus nascitur rerumpub. ac regnorum exitium. Valer. Max.

Cicer. Mihi qui nihil agit, esse omnino non videtur.

Nihil æque apud Gymnosophistas laudare se Apuleius scribit, quam quod torporem animi & otium oderunt. Quin posita mensa, priusquam edulia apponantur, conuenientes illuc adolescentes prærogant magistri, quodnam à lucis ortu vsq; ad id diei bonum fecerint. Si qui respondere nescirent, ij impransi foras extrudebantur. Apud eosdem ignaui prorsus infames erant, nec aliquo honore sepulturæ afficiebantur.

Massilienses nullum aditum in scenam Mimis dabant, quorum argumenta maiorè ex parte stuprorum continerent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumeret. Omnibus autem qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærerent, clausas portas habebant, & mendacem & fucosam superstitionem submouendam esse existimantes. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Anabathæis seruatum legimus, vt negligens, remissus & otiosus, ac is qui paternas opes ignauia minuisset, pœna mulctaretur. Alex. ab Alexan.

Sardoa Lex in ociosos constituta est, quæ pœnas ignauiæ & socordiæ infligebat, & vnumquemq; laborum, victus, totiusq; vitæ rationem reddere cogebat. Ælian. lib. 4.

Apud Romanos qui per socordiam agrum, vineam, aut arbores frugiferas incultas negligeret, a Censoribus notatus in ærario relinquebatur.

Diuus Hieronymus: Semper aliquid facito, inquit, vt te diabolus inueniat occupatum.

Augustinus ad fratres in Eremo: Quid otium est, nisi viui hominis sepultura?

Recte etiam otium diaboli puluinar dicitur. Planus enim in ociosorum corda diabolo patet aditus. Qua de causa Ethnicorum Philosophi dixere:

Otia

Otia dant vitia. Et homines nihil agendo male agere discunt. Cui illud Ecclesiastici 33. succinit: Multam malitiam docuit otium. Euripides.

Otiosus exercitus est sicut incendium.

Et Quintus Curtius ait: Otia esse rumoribus serendis aptissima, quę ne aleret Alexander, mouisse in Indiam refert, semper bello quam comparata victoria clariorem. Prouerb. 18. Ignauus in labore suo est frater eius, qui dissipat rem familiarem.

Ezechielis 16. Spiritus sanctus Iudaico populo impietatem exprobrans, pœnasq; imminentes denuncians, inter cætera ait: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia saturitas, panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.

Socrates è puericis autoribus selegerat versiculos aliquot, quos prouerbiorum vice frequenter vsurpabat, quorum est ille Hesiodi:

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος.

Id est:

Non probrum est operari, ait est cessatio probrum.

Quo dehortabatur iuuenes non solum ab ocio, verum etiam ab actionibus infrugiferis. Siquidem eos appellabat ociosos, qui alea, compotationibus & scortis ætatem consumerent. Xenoph. 1. Memorab. & in 2.

Mollia quidem ocia, inquit, subitoq; comparatæ voluptates neq; corpori robur acquirere possunt, vti quidem gymnasiorum Magistri aiunt, neq; indunt animo scientiam vllam, quę alicuius sit precij. Verum assidua studia, vt ad honesta prælaraq; facinora perueniamus, efficiunt, quemadmodum commemorant viri fortes. Etiam alicubi Hesiodus inquit:

Τλῶ μέ γ' ὀλιγάτη ἐκ κακὸν ἐλαδὸν ἐστιν ἐλέσθαι
Ῥηιδίως λεία μὲν ὁδός, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν.
Καὶ τραχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
Ῥηιδίη δ' ἤπιός περ ἔπειτα πέλει χαλεπὴ περ ἐοῦσα.

Id est:

Scilicet ignauæ facile licet ocia vitæ
Prendas: plana via est, nec te procul ire necesse est.
At virtutis iter sudoribus obuallarunt
Dij: Nam longa simul via, ardua ducit ad ipsam,
Asperitate graues aditus quæ fronte recludit
Prima: sed facilis superato vertice tandem est.

Atq; hoc etiam Epicharmus his verbis testatur:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθὰ θεοί,
Laboribus Dij cuncta scilicet nobis vendunt bona.

Idem alio quoq; loco inquit:

Ὦ πονηρὲ μὴ τὰ μαλακὰ μάσευ, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς.
O miser noli mollia quærere, ne dura consequaris.

Macarius ne per ocium in peccata delaberetur, arenarũ cumulos de loco in locum trãsportasse legitur. Et Diogenes dolium suum in quo stationem habebat, sursum deorsum versasse perhibetur. Qui tamen alios eosq; vtiliores sibi labores eligere potuissent.

Antoninus Pius ociosis salaria subtraxit, dictitans nihil esse crudelius, quam Rempub. atrodi ab ijs, qui nihil in eam suo labore conferunt. Ibid.

Democritus dicebat: Omnes labores otio iucundiores esse, quando illa consequuntur homines, quorum gratia laborãt, aut consecuturos se sciũt.

Dorotheus Thebanus monachus, interdiu lapides ex mari, quod erat

in pro-

in proximo, colligere, inque annos singulos extruere paruulam domum solebat, & eam dare his, qui sibi domum ædificare non poterant. Noctu autem folia palmarum nectebat, textura tortili, & ex illis sportulas conficiebat, quibus victum sibi suppeditaret. Nunquam visus est sua sponte quieti se tradere. Cui quidam, Cur, inquit, ita corpus conficis? Quia illud, inquit, me conficit. Sozom. lib. 6. cap. 29.

Diuus Bernhardus: Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina, ocium est. Summa enim mentis malitia est, ocium iners. Nunquam ociosus sit seruus Dei, quamuis à Deo feriatus sit. Nomẽ quippe tam suspectum, & vanum, & molle, rei tam certę, tam sanctæ, tam seueræ imponendum non est. Ociosum non est vacare Deo, imo negotium negotiorum omnium hoc est.

Democritus cum interrogaretur à quodam, quomodo laborioſi ac industrij differrent à desidiosis: Quo, inquit, impij à pijs: spe nimirum bonæ. Sperant quippe qui corpora laboribus exercẽt, pinguia laborum præmia, desides autem semper præsentem intuentur paupertatem.

Diogenes cuidam admonenti, vt iam senex quiesceret à laboribus: Quid, inquit, si in stadio currerem, vtrum oporteret iam metæ vicinũ, cursum remittere, an magis intendere? Recte sensit, virtutis studium hoc magis intendendum, quo minus supereſt vitæ: quod turpe sit tum ab honesto instituto refrigescere. Laërt. lib. 6.

Pythagoras familiares suos hortabatur, vt optimum viuendi genus sibi deligerent. Quamuis enim laboriosissimum esset, consuetudine tamen iucundum fore.

Ἕλκε βίον ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει.

Prouerbialiter veteribus dicebatur: Τὰν χεῖρα πολιφέρουσι δεῖ τὸν τύχαν ἐπικαλεῖν. Id est: Manum admouenti fortuna inuocanda est. Admonet adagium, ita fidendum esse diuino auxilio, vt nihilo segnius, quãtum in nobis est, etiam ipsi nostra adnitamur industria: Alioqui non audituros superos inertium ac desidiosorum vota: Quemadmodum eleganter scripsit Alexander Hegius:

Solas iure Deus preces,
Quo nemo magis impiger
Aut infestior ocio
Auersatur inertium.

Plutarchus in Apophth. Laconicis refert apud eam gentem Deos Deasque omnes hastatos fingi solere. Venerem etiam ipsam armis indutam, tanquam ne illi quidem ocium agant, sed bellicis studijs exerceantur. Addunt, inquit, & prouerbium: Τὰν χεῖρα πολιφέρουσι δεῖ τὸν τύχαν καλεῖν. Manum admouenti sunt vocanda numina. Eraſ. in Chiliad.

Vespasianus Augustus cum in morbo etiam muneribus Imperatoris ex consuetudine fungeretur, vt enim legationes audiret cubans, aluo repente vsque ad defectionem soluta, Imperatorem ait stantem mori oportere. Dumque consurgit, ac nititur, inter manus subleuantium extinctus est. Sueton.

Florus hos versiculos scripserat in Cæsarem Hadrianum:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Cui Cæsar respondit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,

Latitare per popinas.
Culices pati rotundos.

Sentiens se honestas occupationes præferre inutili turpiq; ocio. Idem.

Alphonsus cum reprehenderetur à Matthæo Siculo, eximiæ sanctitatis viro, quod proprijs manibus laborasset, subridens, Nunquid, inquit, Deus & natura nequicquam Regibus manus dederunt? Panorm. lib. 2. de reb. gest. Alphon.

Lac senum vinum. Regum cibus honos.

Senex quidam multo vino repletus, cum suam apud Alphonsum ebrietatem excusare conaretur, dicendo: Lac senum esse vinum: Respondit, Sed Regum cibus est honos, quem dij immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus multisq; sudoribus hominibus vendunt. Idem lib. 5.

Thessalus quidam interrogatus, quinam essent Thessalorum deterrimi? Qui, inquit, à bellicis negotijs otium agunt. Erasm. in Apoph.

Scipio Nasica quibusdam dicentibus res Romanas iam in tuto esse, extinctis Carthaginensibus, & Græcis in seruitutem redactis. Imo, inquit, nunc demum in summo periculo sumus, posteaquã nulli supersunt, quos vel timeamus vel reuereamur. Sensit inimicos per occasionem vtiles esse nobis, per quos non licet impune secureq; negligentes esse.

Cleanthes Assius suam vitam diuitum vitæ solebat hoc nomine præferre: Dum illi, inquit, pila ludunt, ego fodiens duram humum exerceo. Sensit vir sapientissimus, hominem non ad otium & desidiam, sed ad laborem à Deo conditum esse. Laert. lib. 7. cap. 11.

Aristoteles Stagirites frequenter dicere solebat, artium radices satis quidem esse amaras, sed dulcissimum adferre fructum. Sensit vir sapientissimus, nil absq; duro labore ab homine parari posse, attamen posteaquam requies sequitur, homo multis refocillatur bonis.

Coquus optimus labor. Condimentum optimũ fames.

Dionysius emptum Laconicum cocum parare iussit Laconicum iusculum, paratum autem non comedit: sed interrogauit, quidnam eius delectaret Lacones, cũ insuauissimum esset: Tum cocus hoc iusculum non habere condimenta illa dicebat, quæ Laconicum habet. Interrogauit Dionysius, quænam essent illa? Respondit Cocus: Huiusmodi condimenta apud te non sunt ante cibum, nempe labores, sudores, & balneum in Eurota flumine. Stobæ. Nempe labor coquus optimus, quemadmodum & fames optimum condimentum.

Apelli fuit perpetua consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, vt non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in Prouerbium venit. Plin. lib. 35. cap. 10.

Quantum industria & labor in re quaq; efficiat, subiecta etiam exẽpla ostendunt.

In nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum tradit Cicero. Callicrates ex ebore formicas, & ea tam parua fecit animalia, vt partes earum à cæteris cerni non possent. Mirmedices quidam in eodem genere inclaruit, à quo quadrigam ex eadem materia, quã musca integeret alis, fabricatam, & nauem, quam apicula pennis absconderet. Auctor est Plinius, lib. 7. cap. 21.

Ferunt etiam nostra ætate anno 1524. Coloniam Agrippinã tam exili quantitate depictam fuisse, vt musca eam integeret.

Plato è disputatione discedens, solitus est admonere discipulos: Videte pueri, vt otium in re quapiam honesta collocetis. Significãs otium omnia mala docere adolescentes.

Cleanthes quæstu extrahendæ aquę nocturno tempore inopiam suam sustentabat, diurno Chrysippi præceptis percipiendis operam dabat. Idem cum centesimum attigisset annum, auditores tamen erudiebat.

Plautus scribebat fabulas suas interdiu, noctu vero operam locabat pi-

stori,

ſtori,& in agendis molis (quas truſatiles vocant) qualemcunque faciebat quæ ſtum.

Sophocles,Plato,Iſocrates,Hieronymus, & alij complures ad extremã ſenectutem ſcribentes,labores ſubierunt, finemq; dicendi cum vita fecerunt. Volater.

Leontinus Gorgias centum & ſeptem compleuit annos,neq; vnquam in ſuo opere ceſſauit. Cicer. de ſenect. Hunc interrogatum cauſam tã longæ ſenectutis & valetudinis in omnibus ſenſibus vigentis, reſpondiſſe aiunt,quod aliorum conuiuia non ſit ſectatus. Lucian. in Macrobijs.

Diodorus Siculus ne in deſcriptione orbis (vt alij plerique;) erraret,bonã Aſiæ & Europæ partem magno ſuo incommodo peragrauit.

Virturi maxime tribuendum eſt Nicaulæ Ægypti & Æthiopum Reginæ,quod audita Salomonis ſapientia, ab extremo Arabiæ ili ſudæam iuerit,vt eum audiret.

Apollonius Tyanæus,vt Bragmanum ſcientiam haurire poſſet, Perſas, Caucaſum, Albanos, Scythas, & Maſſagetas prætergreſſus in Indiam penetrauit. Quibus auditis per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Parthos, Aſſyrios, Phœnicas, Arabes,& Palæſtinos in Ægyptum rediit, vt quaqua tranſiret,ibidem à doctis,ſi qui eſſent, proficeret,& aliquid decerperet. Tranſiuit & in Æthiopiam ad Gymnoſophiſtas.

Lycurgus virgines etiam curſibus, luctis, diſcorum & telorum iactibus exerceri voluit,vt ad pariendam robuſtam ſobolem magis eſſent idoneæ, & ſi neceſſitas vrgeret, pro defenſione patriæ etiam arma poſſent capere. Intelliexit vir prudens quanta Rerump. peſtis ſit otium atq; ignauia: cõtra moderatos labores etiam corpora reddere tum firmiora, tum ſalubriora. Vnde nec virginibus permiſit in otio viuere, ſed has quoque maſculinis exercitijs quodammodo vertit in maſculos, cum in pleriſque ciuitatibus per delicias ac luxum maſculi transformentur in fœminas. Plutarch. in Lacon.

Piſiſtratus cum in regnũ eſſet euectus, accerſi iuſſit eos, qui in foro deambulando atq; otiando tempus tererent,& interrogauit, num quæ cauſa eſſet ipſis in foro oberrandi,ſimulq; dixit: Si tibi boues aratores mortui ſunt,de meo cape rurſus alios,atq; ad labores te confer: ſin egemus & inops es ſeminum,de meo dentur tibi, veritus ne horum otium inſidias aliquas pareret. Ælian. lib. 9.

Legem hanc apud Ægyptios Amaſis Rex cõdidit,vt ſinguli eorum ſingulis annis apud prouinciarum præſides demonſtrarent vnde viuerent. Et qui aut hoc non faceret aut non demõſtraret ſe legitime viuere, is morte afficeretur. Quam legem Solon ab Ægyptijs mutuatus Athenienſibus tulit,quam illi,quod ſit caſtiſſima,aſſidue vſurpant. Herod.

Ægyptij impuberes filios ita exercebant,vt niſi ſtadia aliquot prius cõfeciſſent curſu,veſci cibo nullo modo ſinerent: quos à prima pueritia nudis pedibus ingredi iubebant,ne delicatior cultus corpora emolliret. Alexander ab Alex.

Spartani infantes primum editos, vt labore firmentur, frigidiſſima aqua fouent,nudos in patiẽtia laboris & famis enutriunt: nihil ſomni cauſa ſubſternunt, verberibus ac flagris ad Deorum aras afficiunt. Heraclid. & Plutarch.

Diuus Bernhardus in Epiſtola de cura & regimine rei familiaris inter cætera hæc refert:

Status hominis negligentis, domus eſt ruinoſa. Quid eſt negligentia gubernantis domum? Ignis validus in domo accenſus. Diſcute diligenter eorum diligentiam,& propoſitum qui tua adminiſtrant. Labenti enim nondum lapſo facultatibus, minus verecundiæ eſt abſtinere, quam cade-

re. Sæpius reuidere quę tua sunt, & quomodo sint magna prouidentia est. Cogita de cibo & potu & animalium tuorum: nam esuriunt & non petũt;

Nuptiæ sumptuosæ. Nuptię sumptuosæ damnum sine honore conferunt, sumptus pro militia honorabilis est. Sumptus pro inuando prodigos, perditus est. Sumptus pro iuuando amicos rationabilis est. Familiam grosso cibo, non delicato nutrias. Qui gulosus effectus est, vix aliter quam morte mores mutabit. Gulositas vilis & negligentis hominis putredo est. Frugalitas soliciti & diligentis hominis solatium est, &c.

Præcipitãtia damnosa. In famulis quemadmodum laudatur diligentia & in labore industria, sic rursus præcipitantia, vt quæ in rebus agendis in primis sit damnosa iure culpatur, id quod in sequenti exemplo adumbratur.

D. Martinus Aurigæ petenti an ea vespera Lutetiam peruenire posset, prudenter & prophetice respondit: Si festines, excluderis: sin lento passu incedas, vrbem hoc vesperi ingredieris. Auriga indignabundus, tanquam à sancto viro irrideretur, currũ concitato impetu agere cœpit: Rota igitur fracta impeditus, Lutetia exeluditur, ac verum Martini præsagium fuisse reipsa cognouit.

Fidelis & industrij serui imago. Fidelis & industrij serui imaginem artificiose prorsus talem quidam effinxere.

Stat iuuenis pileo tectus rubicundo, mundaq; amictus veste, rostrum habens suillum, aures asininas, pedes ceruinos, dextram manum apertam eleuat, sinistra fert vrnulam ardentibus prunis refertam, humeris gestat perticam, è qua duæ dependent situlæ aqua plenæ. Quæ figura innuit famulum mediocriter vestitum esse debere, haud delicatioribus, sed vulgaribus cibis contentum, tum ea prædictum industria, vt dicta cito capiat, nec aduersus mandata herilia morosum aut difficilem se præbeat. Manus erecta fidem, pedes ceruini paratum semper ad obediendum animum, ignis & aqua agilitatem circa quæuis expedienda negotia denotat.

Explicatur eadem pictura hunc ad modum:

Qualis conueniens seruo sit forma fideli,
Præ se fert miris ista figura modis:
Congruit. Os habeat seruus bonus ille suillum,
Deficiat mensæ nec data fercla suæ.
Et patulas aures tarde gradientis aselli,
Audiat vt Domini singula iussa sui.
Ac habeat latos humeros, & fortia terga,
Vt lassent corpus pondera nulla suum.
Et sua veloces aquent vestigia ceruos,
Vt tardans actus sit mora nulla suos.
Et rectam teneat dextram, sit dexter & ipse,
Nec vafris scateant perfida corda dolis.
Forte aliquis dubitet, quid signent ignis & vnda:
Nulla carent typicis lineamenta notis.
Ignis significat, quod quantum possit, amorem
Promoueat Domini coniugis atq; suæ.
Extinguatq; odium si quando interuenit vllum,
Bina quod infusis hydria signat aquis.
Hæc quicunq; tenet, qui sic formatus ad vnguem est,
Huud dubie seruus dicitur esse bonus.

Cato vere & acute dixit, plus nocere seruum ignauum, quam furem ignauum.

In ignauos homines, qui mendicando victum quærere malunt, quam honestis laboribus vacare, quadrant versus illi Homerici:

Hic

Hic quoniam didicit scelerate facta patrare,
Non vult furtificis manibus perferre laborem.
Ostia sed mauult per singula quærere victum,
Pascere quo vnntrem ieiunus possit auarum.

Horatius:

---Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Phocyl.

Ἐργάζευ μοχθῶν ὡς ἐξ ἰδίων βιοτεύσης,
Πᾶς γὰρ ἀεργὸς ἀνὴρ ζώη κλοπίμων ἀπὸ χειρῶν.
Μηδ' ἄλλου παρὰ δαιτὸς ἔδοις σκυβάλισμα τραπέζης,
Ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἰδίων βιότων φαγέοις ἀνύβριστος.
Εἰ δέ τις οὐ δεδάηκε τέχνην, σκαπτοῖτο δικέλλῃ.
Ἔστι βίῳ πᾶν ἔργον, ἐπὰν μοχθεῖν ἐθέλησθα.
Ναυτίλος εἰ πλώειν ἐθέλεις, εὐρεῖα θάλασσα.
Εἰ δ' γεωπονίην μεθέπειν μακραῖ τοι ἄρουραι.
Οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὐπετὲς ἔργον,
Οὐδ' αὐτοῖς μακάρεσσι, πόνος δ' ἀρετὴν μεγ' ὀφέλλει.

De proprio vt viuas duros tractato labores.
Namq; piger manibus vitam sustentat iniquis.
De cœna alterius mensæ ne pascere sordes,
Sed de pasce tuis, ignominiaq; carebis,
Artem qui didicit nullam, colat arua ligone.
Quod facias non desit opus sudare volenti.
Si tractare voles remos, est æquor apertum:
Si terræ cultura placet, sunt grandia rura.
Nil geritur bene, si desit sudorq; laborq;
Non ipsisq; Deis: Virtus sudore iuuatur.

Verissima est Germanorum sententia, quę subiectis Iambis exponitur:

In Vere qui deambulationibus,
Æstate sed piscationibus vacat,
Dehinc in Autumno aucupijs est deditus,
Lugebit iste Hyemem famelicus asperam.

Germani sic efferunt:

Wer im Lentzen spatzieren gehet/
Vnd im Sommer Fische fehet/
Auff den Herbst den Vögeln stellt/
Der bsehe was den Winter auff sein Tisch gefellt.

DE FORTVNA, FOELICITATE ET *infortunio.*

MVtatur sępenumero ex misericordis Dei voluntate fortuna, calamitatibus imminentibus in melius conuersis, & rursus, promissa benedictione ablata, pœnæ succedunt tristissimę, quatenus vel ad misericordiam propter vitę hominum emendationem, vel ad pœnarum exasperationem Deus inclinat.

Si in vniuersis Sodomæ & Gomorrhę finibus decem tantũ iusti, vel pietatis serio amantes inuenti fuissent, tum exauditis precibus Abrahami quinq; illæ ciuitates euersæ non fuissent. Genes. 18.

Incolæ oppidi Segor, in euersione ciuitatum istarũ eo sunt fortunæ fauore vsi, vt propter Lothum ipsis parceretur. Genes. 19.

Laban singulari in omnibus suis facultatibus fruebatur benedictione, quam diu in ipsius esset ministerio Iacob.

Sic & Potipharē præfectũ Ægyptium in rebus omnibus diuina beabat benedictio propter Ioſephum, cui domesticæ rei curam commiserat.

Moses præ omnibus mortalibus fuit afflictus, veruntamen ex omnibus afflictionibus, quæ non nisi per mortem finiebantur, eum incolumem eripuit Dominus. Legatur historia Mosis in pentateucho.

Extrema viris labes, vrgente fortuna, iam impendebant mala. Naue Ammonites magnis viribus eos oppugnabat, eas cõditiones fœderis & pacis proponēs, vt singulis erueret oculos dextros eosq; poneret opprobrium in vniuerso Israel, sed ecce insperatũ ipsis adest auxilium, Saulo intra diem septimum magno ex Iuda & Israel collecto exercitu, gloriosa victoria salutem ipsis, hostibus vero cladem & interitum afferente. 1. Reg. 11.

Præ reliquis etiam Dauides variam admodum fortunam expertus est, domesticis & publicis cõflictatus malis. Plurima etiam huius in rebus humanis inconstantiæ exempla nobis suppeditant historiæ Regum, qui ex iusta Dei ira iam in extremas calamitates detrusi, & rursus ex eius gratia & misericordia, ad statum rerum suarum florentissimum euecti fuere.

Tanta erat Regis Adonibesec potentia, fastus eius eo immanitatis progressus fuerat, vt septuaginta Reges in aula sua captos vinctosque teneret, qui sub mensa eius canum instar ciborum reliquias colligere cogerentur. Versis autem fatis eadem in ipsius quoque caput mala redundarunt. Capto siquidem ei a filijs Israel, summitates manuum & pedum amputatæ fuerunt. Deductus deinde in Ierusalem ibi mortuus est.

Regibus Israelis & Iudæ aduersus Moabitas pugnantibus successus ex gratia Dei Heliszi preces exaudientis sunt admirandi. Cum nulla esset pluuia miraculose tamen aquis implentur fossæ, vnde potum hauriret exercitus: & Moabitæ, qui prædæ iam accincti erant, magna clade affecti fugiunt, eorumque oppida ab Israelitis euertuntur 4. Reg. 3.

Omnibus Magis, & Onirocritis, iam ex mandato Regis Nabuchdonosoris extremum imminebat supplicium, cum insperata ipsis, ex Danielis prudentia, obtigit liberatio.

Fortunam vero Euripum esse, historia Machabæorum docet, idque plurimis exemplis, tum in clarissimorum Ducum victorijs & cladibus, tum in tyrannorum successibus & pœnis.

Ioppitæ Iudæos secum habitantes blandicijs, vt secum vna conscensis scaphis in altum nauigarent, permouerunt, cumque in altum processissent, perfide eos submerserunt. Verum infami ista victoria diu gauisi non sunt. Iudas siquidem inuocato iusto iudice Deo, venit aduersus interfectores fratrum, portũ noctu succendit, scaphas exussit, eos autem qui ab igne refugerant, gladio peremit. 2. Machab. 12.

Ex præsentia & intercessione diui Pauli, homines septuaginta sex & ducenti, quamuis procellarum & fluctuum impetu naui soluta prorsusque diuulsa, incolumes ad littus deferuntur. Actorum 17.

Δεῖ τινα ἄνθρωπον ὑπὲρ πάντων τρέσδοκᾶν, iaquit Xenophon. Quod verum esse testantur omnes historiæ, non solum Regum, Principum, aliorumque inter Ethnicos virorum illustrium, quos fortuna extulit, vt lapsu grauiore ruerent, sed etiam sanctorum Martyrum id docent exempla. Noua siquidem dictuque horrenda in ipsos supplicia decreta fuere, in quibus sæpe Deo suam declarante præsentiam illustribus testimonijs conseruati sunt. Exempla pete ex primo Præcepto de Martyribus.

Irenæ

Irenæum & Abundium Martyres Valerianus in cloacam detrudi, & ibi dem emori fecit, quod sanctæ Concordię corpus inde extraxissent. Rauis. Mauricius Cappadox aduersus Auarum seu Hungarorum Regē Caganum Ducem exercitus fecerat Priscum, qui post aliquot prælia inducias cum Cagano fecit, misso Oratore, qui hac narratione Regem ferocius respondentem, flexit. Dixit olim Ægyptium Regem Sesostrin vehi solitum aureo curru, qui à quatuor Regibus domitis trahebatur. Cū autem vnus ex illis Regibus sæpe respiciens rotam intueretur, interrogat Sesostris, cur toties respiciat? Intuens, inquit, rotæ volubilitatē, in qua cito ea quæ sum ma fuerant, fiunt ima: Cogito de nostra fortuna. Hac admonitione motus Sesostris factus est modestior, & Reges liberauit. Delectatus hac narratione Caganus fecit inducias, quæ tamen breui post violatæ sunt, & Duces Mauritij trucidauerunt triginta millia Auarum, Sclauorum, & Gepidarū, Lib. 3. Chron. Philip. Melanch.

Cræsi & Solonis colloquium. Tellus Athenienſis.

Cræsus Rex Lydorū opulentissimus, cum ex Solone quæsiuisset, quem vnquam hominum vidisset beatissimum? Solon nihil admodum assentatus, Ego vero, inquit, Rex vidi beatissimum Tellum Athenienſem. Nam in Republ. bene instituta ei filij erant honesti & boni, eorumq; singulis liberi, hique omnes superstites, & cum hoc vitæ, quantum in nobis situm est, bene traduxisset, obitus splendidissimus obtigit. In prælio enim apud Eleusinam, in fugam actis hostibus, pulcherrimam oppetijt mortem. Quem Athenienses quo loco occubuerat, in eo loco publice humarunt, magnificeque honorarunt. Multa de Tello ac beata Solone referente, excitatus Cræsus, interrogat, Quemnam secundum ab illo vidisset, putans haud dubie secundas se partes esse laturum, Cleobin, inquit ille, & Bitonem: Quippe his & genus Argiuū erat, & victus suppeditabat, adhæc corporis robur tantum, vt & in certaminibus ambo pariter victores extiterint. Et de his memoratur, quod tardantibus in agro bobus, ipsimet subeuntes, plaustrū quo mater eorum Sacerdos Iunonis vehebatur, per quinque ac quadraginta stadia in templum pertraxerint. Quo facto liberorum mater gaudio perfusa, ante simulachrū stans precata est Deam, vt Cleobi & Bitoni filijs suis daret id, quod optimum esset homini contingere. Post hanc precationem vbi sacrificarunt, epulatique sunt, quiescentes in ipso delubro, non sunt amplius excitati, sed hoc vitæ exitu perfuncti. Ibi turbatus Cræsus, Adeone, inquit, tibi quasi nulla contemnitur nostra fœlicitas, vt ne priuatis quidem viris nos æquiparandos ducas? Ad quæ grauiter respondens Solon: Proponamus, inquit, homini terminum vitæ ad septuaginta annos, qui anni constant ex viginti sex millibus ducentis, quinquaginta diebus. Horum dierum omnium nullus prorsus, qualem alius, rem affert. Ita igitur Cræse omnino calamitosus est homo. Omnis autem rei oportet inspicere exitum, quo sit euasura: Quoniam multos Deus, quibus fortunas suppeditauerat, radicitus euertit. Ex his alijsque pluribus infert vir sapientissimus ante obitum neminem beatum dicendum esse, Herodotus lib. 1.

Ouidius:

--- Sed scilicet vltima semper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

Cræsus hic consultus à Cyro de bello suscipiendo cōtra Tomyrin Regi nam, à qua tandem occisus est: Si tibi, ait, videris esse immortalis, nihil est opus vt meam tibi sententiam dicam: Si vero te quoque agnoscis hominem, illud inprimis discito, talem humanarum rerum circum esse, qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinit. Ibidem Herod. de Cyri interitu alibi.

Simonides Pausaniæ insolentiam reprehendit.

Simonides ad conuiuium à Pausania vocatus, rogabatur inter conuiuandum, vt quippiam ex Philosophiæ arcanis in medium afferret hospitibus, quod documento esset omnib. Is itaq; respondit: Pausania, memineris te hominem esse. Vidit vir sapientissimus, Pausaniam ex nimia fœlicitate superbientem, quem hoc dicto sui officij admonere voluit. Sed Pausanias contempsit Philosophi dictum. At cum in Chalcecœco cum fame luctaretur, iamq; contumeliosissimam mortem præ oculis cerneret, in memoriam Philosophi dictũ reuocans: O Cæ hospes, ait, magnum quiddam in tuo erat sermone: Ego vero nimium fortunæ meæ fidens, eum nullius momenti esse putabam, vnde nunc miserrime interire cogor. Ælian.

Tyrannus Samiorum Polycrates tanta vsus est fœlicitate, vt nullum vnquam meroris argumentum in tota vita potuerit reperire. Nam cum ad excitandum sibi dolorem annulum ingentis precij coniecisset in mare, eundem postmodum reperit in pisce, oblato sibi à piscatore. Ad extremũ vero affixus est cruci. Vide Herod. lib. 3. Val. Max. lib. 6. cap. 11.

Insignis est Aristotelis sententia: Πολλοῖς ὁ δαίμων ἀνὰ μέρος δίκαιον φέρων μεγάλα δίδωσιν ἀτυχήματα· ἀλλ' ἵνα τοῖς συμφοραῖς λαμπρῶσιν ἐπιφανεστέρας. Multis non ex beneuolentia Deus ingentes præstat prosperitates, verum vt nobiliores fiant suæ calamitates.

Theramenes in ruina domus seruatur.

Theramenes vnus triginta tyrannorum domo, in qua multi accumbebant cœnãtes, illapsa, solus incolumis euasit. Hãc ob rem cũ ab alijs fœlix prædicaretur, ille magna exclamans voce: O fortuna, inquit, cui me occasioni seruas? Sensit vir prudens se non esse seruatum, sed maiori malo reseruatum. Nam aliquanto post interfectus est. Post cuius mortem cũ Critias, è triginta tyrannis crudelissimus, & aliqui eius collegæ, maiorem exercerent sæuitiam, iuberentque filias quorundam interfectorum saltare in cruore parentum, illæ se præcipites ex illis locis deiecerunt.

Carolus cognomento Crassus, auitis regnis omnibus sine cæde potitus, & principio gubernationis successu rerum ac multis victorijs illustris, subito conuersa fortuna, & odijs suorum subiectus est, & imperij fastigio dejectus, spoliatusque dignitatibus omnibus ac fortunis, in extrema paupertate vitæ reliquum exigere coactus est. Hoc moniti exemplo magni Principes cogitent esse Deum, qui & procurat res humanas, & Imperia sustentat. Nec retineri Imperia, aut fœlicem ac salutarem vllam gubernationem sine præsentia ac ope diuina. Nec fiducia nastrarum virium quicquã tentandum aut moliendum esse, sed cum inuocatione Dei & spe auxilij diuini, quod vt peti expectatique firma fide possit, causas etiam bellorum, consiliorum & actionum oportere esse pias, iustas & honestas. 4. Chron. Phil. Melanch.

Fertur Imperator hic Christianæ pietatis inprimis studiosus fuisse. Idcirco hæc creditur fidei eius fuisse probatio.

Quæ Fortuna & Fœlicitas sit Tyrannorum, egregie nobis Dionysius Tyrannus in Damocle exhibet. Nam cũ iste vnus ex assentatoribus commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, dominãtus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium Regiarum, negaretque vnquam beatiorem quenquam fuisse: Vis ne igitur, inquit, ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare? & fortunam experiri meam? Cũ se ille cupere dixisset, collocari hominem iussit in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornauit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximiam forma pueros delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius diligenter intuentes ministrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores. Mensæ conquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur.

batur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum, demitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros istos ministratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam. Iam ipsę defluebant coronę. Denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil ei esse beatū, cui semper aliquis terror impendeat? Cicer. Tuscul. Quæst. 5.

Regum & Principum munera quibus destinata sint.

Narratur de Sigismundo historia admodum festiua: Ministrum familiarem habuit multis annis, in quem parum fuerat liberalis, quanquam interim munificentia & largiendo clarissimus erat Princeps, id quod & Leonardus Aretinus scribit, qui viderat Sigismundum Cæsarem, & Pontificis nomine multas coram eo causas egerat. Porro accidit, vt cū amnem esset ingressus, equus ipsius meieret, quod vbi vidisset minister, qui prope antecessit Cæsarem, per iocum inquit, equi eandem esse naturam, quam & Dominus haberet. Audiens hoc ipsum Cæsar, iubebat explicari sibi hoc dictum. Respondit minister: In amnem vrinam spargere equum, vbi iam antea aquæ abundarent. Sic & erga illos beneficum esse Cæsarem, quibus iam antea opes affluerent satis, nec haberent illis admodum opus. Animaduertit Imperator Sigismundus, perstringi se modeste, quod in ministrum iam veteranum nihil beneficij peculiaris aut eximij contulisset, & subiecit, nunquam quidem sibi benemerēdi facultatem defuisse, sed Principum dona non illorum esse proprie, qui ea mererentur, sed quibus sint destinata fato. Et id re se cōprobaturum dixit, quam primum ocij & quietis occasio daretur. Postea ocium nactus Cæsar, pyxides duas parari iussit, magnitudinis & formæ eiusdem, in vnam aurum, in alteram plumbum ponit, pōdere eodem, & ministro aduocato, præcepit, vt alteram pyxidem deligeret. Consternatus minister, librando modo hanc, modo alteram pyxidem tollit, nescius vtram debeat potissimum eligere: tandem eam aufert pyxidem, quæ plumbum continebat: quod vbi consperit ille, iam reclusa pyxide aiebat Cæsar, videri palam non suam voluntatem, sed ipsius infortuniū obstitisse hactenus, quo minus beneficium sit consecutus. Testatur sane hoc factum, prudenter considerasse Cæsarem, fœlicem successum rerum à Deo contingere. Carionis 3. Chronic.

Plutum introducit Aristophanes in Comœdia, cui idem nominis imposuit, cæcum. Vnde Demetrius non solum Plutum cæcum esse dicebat, sed etiam fortunam. Ea enim sæpe largitur indignis sua munera.

Galenus in protreptico logo fortunæ imaginem hunc ad modum depingit:

Fortunæ imago.

Fortunæ malitiam exprimere volentes veteres, nō solum in mulierculæ forma eam cum pingere tum fingere contenti fuerunt, tametsi hoc sufficiens fuisset dementiæ symbolum, verum etiam nauis gubernaculū manibus tenere ei dederunt, pedibusque subiecerunt sphæricam basin. Præterea oculis eam orbarunt, per hæc omnia fortunæ inconstantiam indicantes. Quemadmodum igitur nequiter iste egerit, qui naue tempestate ac procella vehementer agitata, adeo vt periculum sit eam submergi clauum gubernatori cæco permiserit. Haud dissimilem ad rationem, opinor, cum maiora iu vitæ humanæ societate circa pleraque domos fiant, quam circa scaphas in mari, non est prudentis permittere seipsum in talibus rerum periculorumq; circumstantijs, luminibus orbæ Deæ, quippe quę neque ipsa satis firma & suffulta est. Stupida enim est ac demens adeo, vt sæpenumero viros graues & honore dignos præteriens, indignos locupletes reddat, neque eos tamen ea ratione beet, vt perpetuo opibus floreant, sed eum ad modum, vt quæ contulerit, ab eo rursus auferre possit.

Socrates interrogatus, quid esset fœlicitas? Voluptas dixit, quam pœnitudo nulla sequitur.

Democritus eum fœlicem esse dicebat, qui cum exiguis pecunijs hilaris esset. Infœlicem autem qui inter magnas opes tristaretur.

Diogenes vnicam fœlicitatem esse existimabat, qua fieret vt reuera lætemur, nec vnquam tristemur, quocũq; in loco aut tempore. Idem veram esse fœlicitatem dicebat, quæ faceret vt mens & anima in perpetua tranquillitate hilaritateque collocentur, Stobæ.

Chilon dicebat infortunatum non irridendum esse, cum fortuna inconstans sit, & nostræ etiam fœlicitati inuideat.

Bion Boristhenites quum interrogatus esset, quis esset in vita maxime anxius? Qui in maximis, inquit, rebus cupit esse fortunatus. Is enim mille curis distorquetur vt assequatur ardua, & assecutus æque torquetur ne amittat. Idem dicere solebat fortunam diuitibus pecunias non dono dedisse, sed mutuo. Hæc enim cum suis bonis extra omnem spem nos euehit, suoque arbitrio mox deprimit incautos.

Præterea dicere solebat, idem esse in secunda fortuna altum sapere, & in lubrica via cursu certare. Stobæus.

Bias eum demum infortunatum pronunciabat, qui infortunium suum æquo animo ferre non posset.

Democritus dicebat, nullam esse munitam diuitiarum portam, quam fortunæ occasio aperire non possit.

Zeno cum facto naufragio omnia sua amisisset, nihil molle aut parum generosum locutus est; Sed Euge, inquit, ó fortuna tu nos ad hoc palliolum redegisti.

Ouidius;

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.

Theognis in suis moralibus Præceptis:

Μή ποτε τλῶ πενίλω ϑυμοφθόρον ἀνδρὶ χολωθεὶς;
Μηδ' ἀχρημοζύνην ἑλομένῳ κακὸν φέρειν.
Ζεὺς γάρ τοι τὸ μέλαν τε καὶ ἐρυθρὸν ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλῳ,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δὲ κτᾶσθαι.
Μή ποτε κύρει ἀσφαλὲς ἐπὶ σοὶ μέγα. οἶδε γὰρ ἀνὴρ
Ἀνθρώπων ὅ,τι νὺξ κ' ἡμέρη ἀνδρὶ τελεῖ.

Paupertatem humilem nulli exprobrare memento,
Nam male nummatum spernere turpe virum.
Inclinat libram nunc huc modo Iuppiter illuc,
Pauper erit subito, qui modo dives erat.
Non tibi ventosæ quæratur gloria linguæ:
Nescis quid tibi nox, quidue datura dies.

Mithridates Rex Ponti, qui annis quadraginta Romanos varijs cladibus affecerat, Asiam occupauerat, Q. Oppium Procõsulem, & Aquileium Legatum in vincula coniecerat, à Lucullo primum, deinde à Pompeio superatus, mortem sibi intulit.

Cassius qui bis triumpharat, ter Consulatu fuerat potitus, supplicio capitali clausit vitam.

M. Claudius Marcellus, qui Hannibalem superauerat, Syracusas expugnauerat, tandem apud Venusiam interfectus est.

Pompeius ille Magnus tot victorijs & triumphis insignis, tandem iussu Ptolemæi, ad quẽ in extrema rerũ desperatione cõfugerat, interfectus est.

Bellifa-

Bellisarius Romanis præfectus copijs, quum Vandalos deleuisset, de Parthis triumphasset, vrbem non semel a Barbaris liberasset, post multas victorias, Iustiniano mandante exoculatus, victum in via publica a transeuntibus emendicauit. De hoc plura sub titulo, de Ingratitudine.

Viriatus Lusitanus in Hispania e pastore venator, e venatore latro, ex latrone Dux postremo factus, vniuersam occupauit Lusitaniam.

Lycastus & Parasius a Philonomia matre expositi, & a Tilipho pastore nutriti, Arcadiæ regno tandem præfuerunt.

Gyges pastor Regius annulum habuit, in quo erat gemma tantæ virtutis, vt ea ad se versa inconspicuus esset, versa vero ad alios conspicuus. Eius annuli beneficio Regem Lydiæ interfecit, & stuprata Regina repente Rex e pastore factus est. Videris Ciceronem 3. Officiorum.

Telophanes cum antea currus factitaret, tandē rex Lydorum factus est.

Hyperbolus Chremidis filius (qui prius lucernas factitabat) Athenis tandem Principatum obtinuit.

Darius Histaspis filius Cyri primum extitit pharetrophorus, & lictorio functus munere, rex Persarum factus.

Mandro fuit quispiam, qui ex nauiculario factus est Imperator. Hinc adagium: Fuit & Mandroni ficulna nauis.

Ptolemæus filius Lagi, ex gregario Alexandri milite factus est rex Ægypti.

Lamissionem in piscina (quum infans esset) repertum fortuna fecit Longobardorum regem.

Rhodope meretrix ex immundo illo corporis quæstu ad Ægypti regnū conscendit, nupsitq; Psamnitico.

Proculus cum latrunculis lusitaret, & decies eo ludo Imperator extitisset, accessit protinus scurra, qui eum purpura ornatum salutauit vt Imperatorem. Qua ille occasione vel oblata vel arrepta vere assecutus est, quod per iocum dicebatur.

Tamburlanus primum fuit bubulcus, demum tamen adeo fauentem reperit fortunam, vt ad Imperium Scytharum conscenderit.

Hæc & similia exempla, quorum innumera historiarum lectio suppeditat, quæ fortunæ sit ratio, & quam vana sit fiducia eorum, qui blandientis fortunæ vultum suspectum minus habentes, res grandes moliuntur, ob oculos nobis ponunt.

Ouidius:

Nempe dat & quodcunq; libet fortuna, rapitq;,
Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.

Iuuenalis:

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul,
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.

Auson.

Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Pyth.

Ὅσσα τε δαιμονίῃσι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσι,
Ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, πράως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει.
Cum tibi quid dederint Superi diuinitus, horum
Quæ generi humano gaudent inferre malorum,
Fer placide, pectusq; tuum ne scinde dolore.

Eurip.

Κἀγὼ γὰρ ἦν ποτ', ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι,
Τὸν πάντα δ' ὄλβον ἦμαρ ἕν μ' ἀφείλετο.

Et ego enim eram quondam, sed nunc non sum amplius. Cunctas sed opes dies vnica mihi abstulit.

Rusticus vrsa beneficio seruatur.

Memorabilis est rustici cuiusdam Moscouitæ fortuna, qui cum iam de vita sua prorsus desperasset, vrsæ beneficio seruatus est. Fertur is quærendi mellis causa in prægrandem cauam arborem desilisse, ibique profundo mellis gurgite pectore tenus absorptus biduo solo melle vitam sustinuisse, cum vox opem implorantis in ea syluarum solitudine ad viatorum aures venire nequisset, ad extremum vero, desperata salute, mirabili casu, ingentis vrsæ beneficio inde detractus euasisse, quum forte eius beluæ ad edenda mella, more humano se demittentis, auersos renes manibus comprehendisset, & eam subito timore exterritā ad exiliendū cum contrectatione ipsa, multo clamore concitasset. Sebast. Munst. lib. 4. Cosmograph.

In Ludouico primo Caroli Magni filio suum etiam ludum mire exercuit fortuna. Imperio spoliatus a suis filijs arctissimæ custodiæ in monasterio diui Medardi Suessione mancipatus est. Inuitis deinde filijs a Franciæ proceribus custodia educitur, regnisq; suis restituitur. Vide Auent. lib. 4. Chron. Phil. lib. 4. Cosmograph. Munsteri lib. 3.

Mirabilis fortunę vicissitudo in sequentibus etiam patet exemplis, partim ex Valerio Max. partim ex Plinio desumptis.

Attilius Auiola Romanus ciuis & a Medicis domesticis & mortuus creditus, cum aliquandiu humi iacuisset, elatus, post quam corpus eius ignis corripuit, viuere se proclamauit, auxiliumque Pædagogi sui (nam is solus ibi remanserat) inuocauit. Sed iam flammis circundatus fato subtrahi non potuit. Lucio quoque Lamiæ Prætorio viro æque vocem fuisse super rogum constitit.

Quæ minus admirabilia Eri Pamphilij casus facit, quem Plato scribit inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse, biduoq; postquam inde sublatus esset, impositum rogo reuixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse.

Repentina oblitio.

Quidam Athenis vir eruditissimus, cum ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinens, literarum tantummodo, quibus præcipue inseruierat, oblitus est.

Mirabilior tamen sequentis casus narratio. Nausimenis enim Atheniensis vxor cum filij ac filiæ suæ stupro interuenisset, inopinati monstri perculsa conspectu, & in præsens tempus ad indignādum, & in posterum ad loquendum obmutuit.

Ægles Samius athleta mutus, cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensus, vocalis euasit.

Gorgias Epirota vir fortis & clarus in funere matris suæ vtero elapsus inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coegit, nouumq; spectaculum patriæ præbuit, non tantum ex ipso genitricis rogo lucem, sed etiam cunas assequutus, eodem enim momento temporis, altera iam fato functa parit, alter ante elatus, quam natus est.

Diuinæ fortunæ vulnus Pheræo Iasoni quidam exitij eius cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset, Vomicam, quæ a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, vt hominem pestifero malo liberaret.

Æque Dijs immortalibus acceptus Simonides, cuius salus ab imminenti exitio defensa ruinæ quoq; subtracta est. Cœnanti enim apud Scopam in Cranone (quod est in Thessalia oppidum) nunciatum est duos iuuenes ad ianuam venisse: magnopere rogantes, vt ad eos continuo prodiret: ad quos egressus neminem reperit ibi. Cæterum eo momento temporis triclinium in quo Scopas epulabatur, collapsum: & ipsum & omnes conuiuas oppre it.

Daphidas cum eius studij esset, cuius Professores Sophistæ vocãtur: ineptæ & mendacis opinationis Apollinem Delphis irridendi causa consuluit, an equum inuenire posset, cum omnino nullum habuisset: cuius ex oraculo reddita vox est, inuenturum equum : sed vt eo perturbatus periret. Inde cum iocabundus, quasi delusa sacrarum sortium fide, reuerteretur, incidit in regem Attalum sæpenumero a se cõtumelioſis dictis absentem lacessitum: eiusque iussu saxo, cui nomen erat Equi, præcipitatus, ad Deos, vsq; cauillandos dementis animi iusta supplicia pependit. authore Suida.

Eodem oraculo Macedonum rex Philippus admonitus, vt a quadrigæ violentia salutẽ suam custodiret: toto regno disiungi currus iussit, eumq; locum, qui in Bœotia Quadriga vocatur, semper vitauit, nec tamẽ denunciatum periculi genus effugit. Nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam.

Marius tot triumphis & Consulatibus illustris, tandem Syllæ fugiens potentiam in eas redactus est angustias, vt ab omnibus destitutus in palude cœno oppletus inter cannas sese occultaret. Verum ibi ab equitibus inuẽtus, inde abreptus, Minturnas abductus, & traditꝰ Magistratui est. Iã enim toti ibi ciuitati mandatum erat, vt Marium publice persequerentur, inuentumq; necarent. Cæterum Minturnensiũ Principibus & Senatoribus consultantibus, non cunctãdum, sed statim esse necandum Marium placuit. Quod cum nemo ciuium in se reciperet facinus, eques quidam Gallus natione, siue Cimber (nam vtrumque fertur) sumpto gladio ad Marium ingressus est, in cubiculo vmbroso & lucem non admodum claram admittente, recumbentẽ. Fertur ibi ex Marij oculis multas flammas emicare militi visum fuisse, & ex vmbroso loco magnam vocem exauditam in hæc verba: Tune homo C. Marium necare audes? itaq; barbarus statim e domo profugit, abiectoque gladio per fores se proripuit, id tantum vociferans, non posse se C. Marium interficere. Primum ea re terror, miseratio deinde apud omnes, & pœnitentia sententiæ extitit, quã iniustam & ingrato aduersus Italiæ vindicem animo tulissent, cui opem nõ ferre graue esset. Eat potius, dicebant, quocunq; velit exul, & fatum alibi locorum expleat: nos Deos deprecemur, ne succenseant nobis, quod inopem nudumq; vrbe eijcimus Marium. Has cogitationes secuti, frequẽtes ad Marium ingressi sunt, stipatumque ad mare eduxerunt. Cuius potentia & auctoritas inter omnes gentes fuerat maxima, is iam inops & extorris vbi tuto possit quiescere non habet, idem iam morti proximus mirando modo morti subtrahitur, & tandem recuperatis viribus ad septimum euehitur Consulatum.

Ouidius.

Ille Iugurthino clarus Cimbroq; triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit.
In cœno Marius iacuit, cannaq; palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

Incunabula Tullij Hostilij agreste tugurium cœpit, eiusdem adolescẽtia in pecore pascendo fuit occupata. Validior ætas Imperium Romanum rexit & duplicauit. Senectus excellentissimis ornamentis decorata, in excellentissimo Maiestatis fastigio fulsit. Val. lib. 3. cap. 4.

Titus Ausidius cum Asiatici publicani exiguam admodum particulã habuisset, postea totam Asiam proconsulari Imperio obtinuit.

P. Rutilius non publicanum in Sicilia egit, sed operam publicanis dedit: idem vltimam inopiam suam autoraro socijs officio sustentauit. Ab hoc postmodum Consule leges vniuersi Siculi acceperunt, acerbissimoq; prædonum ac fugitiuorum bello liberati sunt. Val. lib. 6. cap. 10.

Asculo capto, Cn. Pompeij Magni pater P. Ventidium ætate puberē in triumpho suo populi oculis subiecit. Hic est Ventidius, qui postea Romæ ex Parthis, & per Parthos de Crassi manib. in hostili solo miserabiliter iacentibus, triumphum duxit. Itaque qui captiuus carcerem exhorruerat, victor Capitolium fœlicitate celebrauit. In eodem etiam illud eximium, quod eodem anno prætor & Consul est factus.

Tarquinius Priscus natus exule patre Demarato Corinthio, Romanorū rex factus est potentissimus, præclarisq; virtutibus effecit, ne ciuitas pœnitentiā ageret, quod regem de finitimis potius, quam de suis elegisset.

Tullius Verna vrbis Romanæ rex populi Rom. factus quater lustrum condidit, ter triumphauit.

Varro ex Macellaria patris taberna ad Consulatum conscendit. Val. lib. 3. cap. 4.

Insigne etiam ludibrij fortunæ exemplum in Iulio Cæsare nobis se offert. Res maximas gessit, prælijsq; innumeris victor semper extitit. Ferūtur eius ductu in diuersis bellis & prælijs cæsa esse hostium vndecies centena, præterea duo & nonaginta millia. Tandem conflata ob summam potentiam inuidia a coniuratis in Curia Pompeij, tribus & viginti acceptis vulneribus, interfectus est. Verum percussores huius facinoris pœnas dederunt, plenq; enim sibi ipsis in extremas redacti angustias manus intulerunt. Cumque corpus Cæsaris cremaretur, multi arreptis ardentibus facibus ad ædes interfectorum eius accurrerunt, ijsq; incendium minati sunt: alij per totam vrbem discurrerunt, comprehendere eos & discerpere, si oblati fuissent, cupientes. Verum eorū nemo se obuiam tulit, sed tuto se quisq; loco continebat.

Erat quidam amicus Cæsaris Cinna nomine, is superiore nocte secundum quietem visus erat sibi a Cæsare ad cœnam vocari, cumq; detrectaret, ab eo manu abduci inuitus atque repugnans: tum vero audiens Cæsarem in foro cremari, honoris causa eo se conferre cœpit, tametsi & in somnio nonnihil terreretur, & febricitaret. Hunc cum ex multitudine vnus vidisset, percontanti alteri quis esset, indicauit, isq; rursus alteri. Ita confestim apud omnes rumor increbruit, esse hunc vnum de interfectoribus Cæsaris. Etenim fuit inter coniuratos alius quidam Cinna: quem illi tum sibi offerri putantes, hominem in media turba facto impetu discerpserūt. Plutarch. in vita Cæsaris.

Magnis vsa est viribus fortuna in Cn. Cornelio Scipione Asiatico, qui Consul a Pœnis apud Liparas captus, cum belli iure omnia perdidisset, lætiore subinde vultu eius adiutus cuncta recuperauit: Consul etiam iterum creatus. E. Consule captiuus, & ex captiuo Consul factus est.

Themistocles adolescentiā tanta egit turpitudine, vt a patre abdicaretur, mater vero suspendio vitam finiret, is postea omnium Graij sanguinis virorum clarissimus extitit.

Cimonis incunabula opinione stultitiæ fuerunt referta: eiusdem stultitiæ imperia salutaria Athenienses senserunt.

Alcibiadem quasi duæ fortunæ partitæ sunt, altera, quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formā præstantissimam, fauorem ciuium propensum, summa Imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimū ingenium assignaret. Altera quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret: nec aut hęc aut illa vniuersa, sed varia, perplexa, freto atq; æstui simillima.

Polycratis tyranni Samiorum fortuna recte & vere ab Heraclito dictū esse confirmat, Ἀνθρώποις γενέσθαι ὁπόσα ἐθέλουσιν, οὐκ ἀμεινον. Id est: Hominibus euenire quæcunque volunt, haud bonum. Hic enim post

fœliciſſi-

fœlicissimos omnium rerum successus, tandem ab Oroete Darii Regis præfecto in excelsissimo Micalensis montis vertice cruci affixus est. Vide supra.

Huius Polycratis quanta fortuna fuerit, quamque prudenter ab Amasi Ægyptiorum rege monitus fuerit de fortunæ inconstantia, & quomodo Amasis prosperrimæ eius fortunæ diffidens ius hospitij, quo ipsi cum eo erat, soluerit, vide apud Herod. lib. 3.

Dionysius ille tyrannus, totius Siciliæ rex potentissimus, maximarum opum Dominus, exercituum Dux, rector classium, equitatu potens: propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit, eodemq; tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, Magister ludi factus ex tyranno, monuit.

Sequitur hunc Syphax rex consimilem fortunæ iniquitatem expertus. quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Hasdrubalem vitro petitum ad penates Deos eius venerat. Cæterum eo claritatis euectus, vt validissimorum populorum non tantum arbiter, sed & victor victoriæ existeret: parui temporis interiecta mora, catenatus a Lælio legato ad Scipionem Imperatorem pertractus est. Cuiusque dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit. Caduca nimirum & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundijs sunt ista, quę vires atq; opes humanæ vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt. sed incertissimo flatu fortunæ, huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt, itaque neque debent existimari, neq; dici bona, quæ infirctorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicant. Hæc & complura alia exempla nullam fœlicitatem stabilem esse, testantur, & vere a Pindaro dictum esse, docent:

Ἓν πιρ ἰσθλον, πίμπλαθι σὺν
Δύο δυσοντι βροτοῖς
Ἀξύναθι. θεῷ μ' ἄν
Οὐ δύναιτιν νήπιοι κὸσμεω φέρειν.
Ἀλλ' ὐχαθοὶ τὰ κακὰ τρίψαιτες ἔξω.

Id est: Ad vnum bonum mala duo impertiunt mortalibus Dij, quę quidem non possunt stulti sapienter ferre. Sed boni quæ bona sunt foras vertunt. Quanquã enim L. Metellus fœlix prædicetur, negari tamẽ non potest cæcitate ei miseriam attulisse, firmumq; manet eiusdẽ Pindari illud, τυχεῖν δ' ἓν ἀδύναθον εὐδαιμονίαν ἅπασαν. Consequi vero vnum aliquẽ impossibile fœlicitatem omnem. Cui & Latinorum ille Lyricus succinit, cum ait: Nemo ab omni parte beatus. De patris sui L. Metelli Q. Metellus, in oratione ea, quam habuit in supremis laudibus Patris sui, sic scriptũ reliquit: Decem maximas res optimasque, in quibusque quærendis sapientes ætatem exigerent, consummasse eum. Voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum Imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore vti, summa sapientia esse, summũ Senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo inuenire, multos liberos relinquere, & clarissimum in ciuitate esse. Hæc contigisse ei, nec vlli alij post Romam conditam. Longum est refellere (inquit Plinius) abunde vno casu refutante. Siquidem is Metellus orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ memorabili casu, sed euentu misero. Quo fit vt infœlix quidem dici non debeat, fœlix tamen esse non possit. Plin. lib. 7. cap. 44.

L. Metellus

Πᾶν δεῖ τὴν ἄνθρωπον ὄντα προσδοκᾶν. Eum qui homo est quiduis expectare oportet, inquit Xenophon.

Nec enim quispiam mirandos casus, quibus humana vita exposita est, vel cogitationibus vel verbis cōsequi vnquam poterit. Non solum ex hominum malitia malorum pelagus frequenter ingruit, sed inopinati prorsus aliunde etiam casus hominnm vitam infestant. Quid admirabilius quam a Serpente Romanorum deuastari exercitum, aut vnde minus clades Romanis metuenda fuisset, quam ab angui? Fuit is in Africa apud Bagradam flumen tātæ magnitudinis, vt Attilij Reguli exercitum vsu amnis prohiberet, multisq; militibus ingenti ore correptis: compluribus voluminibus caudæ elisis, cum telorum iactu perforari nequiret, ad vltimum balistarū tormentis petitus, silicum crebris & ponderosis verberibus procubuit, omnibusq; & cohortibus & legionibus ipsa Carthagine visus terribilior, atq; etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisq; iacentis pestifero afflatu, vicina regione polluta, Romana inde summouit castra. Liuius, & Valer. Max. lib. 1. cap. 8.

A serpente Romanus exercitus infestatur.

De humanæ fœlicitatis inconstantia & varietate Plinius hunc in modum scribit: Gentium in toto orbe præstantissima vna omni virtute haud dubie Romana extitit. Fœlicitas cui præcipua fuerit homini, non est humani iudicij, cum prosperitatem ipsam alius alio modo & suopte ingenio quisq; terminet. Si verum facere iudiciū volumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere, mortalium nemo est fœlix. Abunde igitur atque indulgenter fortuna deciditur cum eo, qui iure dici non infœlix potest. Quippe, vt alia non sint, certe ne lacessat fortuna, metus est. Quo semel recepto solida fœlicitas non est. Quid quod nemo mortalium omnibus horis sapit? vtinamq; falsum hoc, & non a vate dictum quam plurimi iudicent. Vana mortalitas, & ad circumscribendā seipsa ingeniosam, computat more Thracię gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cuiusq; diei in vrnam condit, ac suprema die separatos dinumerat, atq; ita de vnoquoque pronunciat. Quid quod iste calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit? Quam multos accepta afflixere imperia? Quam multos bona perdidere, & vltimis mersere supplicijs? Ista nimirum bona, si cui inter illa hora in gaudio fuit. Ita est profecto, alius de alio iudicat dies, & tamen supremus de omnibus. Ideoque nullis credendum est. Quid quod bona malis paria non sunt, etiam pari numero. Nec lętitia vllo minimo mœrore pensanda. Heu vana & imprudens diligentia. Numerus dierum computatur, vbi quæritur pondus. Plin. lib. 7. cap. 40.

Vna fœminarum in omni æuo Lampido Lacedæmonia refertur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit. Ibidem cap. 41. Vna Pherenice, quæ filia, soror, mater Olympionicarum. Vna Familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt: M. Fabius Ambustus, Fabius Rutilianus filius, Q. Fabius Gurges nepos. Cætera exempla fortunæ variantis innumera sunt. Etenim quæ facit magna gaudia nisi ex malis? Aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudijs?

L. Sylla fœlix.

Vnus hominum, inquit Plinius ibidem, ad hoc æui fœlicis sibi cognomen asseruit, L. Sylla, Ciuili nempe sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatus, & quibusdam fœlicitatis inductus argumentis, quod proscribere tot millia ciuium ac trucidare potuisset. O praua interpretatio, & futuro tempore infœlix. Non melioris sortis tunc fuere pereuntes, quorū miseremur hodie, cum Syllam nemo non oderit? Age non exitus vitæ eius omnium proscriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente seipso corpore, & supplicia gignente? &c.

Quintus etiam Metellus, L. Metelli, de quo paulo ante, filius, inter rara

fœlici-

fœlicitatis humanæ exempla numeratur. Nam præter honores amplissimos, cognomen Macedoniæ, a quatuor filijs illatus est rogo, vno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, vno Censorio, quæ singula quoq; paucis contigere. In ipso tamen flore dignitatis suæ ab Catinio Labeone, cui cognomē fuit Macerioni, Tribuno plebis, quem e Senatu Censor eiecerat, reuertens e campo, meridiano tempore, vacuo foro, & Capitolio, ad Tarpeium raptus, vt præcipitaretur, conuolante quidem tam numerosa illa cohorte, quæ patrem eum appellabat. Sed vt necesse erat in subito, tarde & tanquam in exequias, cum resistendi sacroq; sanctum repellendi ius non esset, virtutis suæ opera & censura periturus, ægre tribuno, qui intercederet, reperto, a limine ipso mortis reuocatus, alieno beneficio postea vixit. Bonis inde etiam consecratis a damnatu suo, tanquā parum esset, saucium certe intortarum, expressique per aures sanguinis pœnam exactam esse. Plinius lib. 7. cap. 44.

In diuo quoq; Augusto, quem vniuersa mortalitas in hac censura nuncupat, diligenter æstimentur cuncta, magna sortis humanæ reperientur volumina. Tantæ clades & calamitates eum oppressere, vt aliquando mori destinarit, & quatridui inedia maior pars mortis in corpus iam recepta esset. Quin etiam relicto hærede, non filio suo excessit.

De ijs quos Dij iudicarint beatissimos, hæc refert Plinius:

Subeunt in hac reputatione Delphica oracula, velut ad castigandā hominum vanitatem a Deo emissa. Duo sunt hęc: Phedium felicissimum, qui pro patria proxime occubuisset. Iterum a Gyge Rege nūc amplissimo terrarum cōsultum Aglauum Psophidium esse fœliciorem. Senior hic in angustissimo Arcadiæ paruum, sed annuis victibus large sufficiens prædium colebat, nunquam ex eo egressus. Atque vt e vitæ genere manifestum est, minima cupidine minimum in vita mali expertus. Ibid. cap. 46.

Princeps quidam, cum equo vectus iter faceret, pastorem conspicatus pane, quem manibus ori admotum tenebat, alacriter vesci, ingemuisse fertur, & optasse, vt fœlicitas pastoris istius sibi contingeret.

Itaq; Saturninus iste, qui vnus fuit ex 30. illis tyrannis, qui sub Galieno Imperium inuaserunt militibus hortantibus, vt Imperium susciperet, grauiter & vere dixit: Nescitis, o milites, quantum mali sit imperare, gladij vt appendentes ceruicibus immineant, hastæ vndique, spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio.

Grauiter admodum apud Sophoclem in Oedipo tyranno Creon Thebanus suspicionem affectati regni, coram Oedipo Rege a se amolitur his verbis:

Σκέψαι δὲ τοῦτο πρῶτον, εἴ τιν' ἂν δοκεῖς
Ἀρχὴν ἑλέσθαι ξὺν φόβοισι μᾶλλον, ἢ
Ἄτρεστον εὕδοντ' εἰ τάγ' αὐτ' ἔξη κράτη.
Ἐγὼ μὲν οὖν οὔτ' αὐτὸς ἱμείρων ἔφυν
Τύραννος εἶναι μᾶλλον, ἢ τύραννα δρᾷν,
Οὔτ' ἄλλος ὅστις σωφρονεῖν ἐπίσταται.
Νῦν μὲν γὰρ ἐκ σοῦ πάντ' ἄνευ φόβου φέρω.
Εἰ δ' αὐτὸς ἦρχον, πολλὰ νᾶν ἄκων ἔδρων
Πῶς δῆτ' ἐμοὶ τυραννὶς ἡδίων ἔχειν
Ἀρχῆς ἀλύπου καὶ δυναστείας ἔφυ;
Οὐ πω τοσοῦτον ἠπατημένος κυρῶ,

Ὡς ἄλλα χρήζειν, ἢ τὰ σὺν κέρδει καλὰ.
Νῦν πᾶσι χαίρω, νῦν με πᾶς ἀσπάζεται,
Νῦν οἱ σέθεν χρήζοντες ἐκκαλοῦσί με
Τὸ γὰρ τυχεῖν αὐτοῖς ἅπαντ' ἐνταῦθ' ἔνι.
Πῶς δῆτ' ἐγὼ κεῖν' ἂν λάβοιμ' ἀφεὶς τάδε. Id est:

Hoc enim primum expende, an tu quenquam existimas
Præoptare regnum cum metu magis, quam vt
Secure dormiat, præditus eadem potentia?
Ego igitur non tali ingenio sum,
Regnare vt ipse malim, quam imperata facere,
Ita moderatissimus quisq; affectus est.
Nunc enim a te omnia absq; metu habeo:
Si vero ipse imperarem, multa vel inuitus facere cogerer.
Quomodo igitur regnum mihi dulcius esse potest,
Quam imperium & potentia absq; molestia?
Non enim ita demens sum,
Vt non ea bona, quæ lucro sint, magis amplectenda ducam.
Nunc omnibus delector, nunc me omnes amplectuntur,
Nunc qui tuo patrocinio opus habent, me inuocant.
Per me enim apud te assequuntur omnia.
Quomodo igitur his commodis amissis regnum appetam?

Vgri fortuna primum prospera, mox aduersa vtuntur.

Vgri imperante Ludouico anno 907. quantis cladibus Christianorum copias, & præsertim Boios affecerint, ex quarto libro Auentini patet. Verum fœlicitas illa Vgrorum non fuit diuturna. Cum enim inter Christianos Principes grauia essent dissidia, & Berengarius Italia, qua eiectus fuerat, recuperata Ludouico Imperatori, Veronæ capto, oculos eruisset: Vgris isthæc omnia peropportuna erant, qui armis comparatis ab Arnulpho Rege Boiorum, & Conrado Rege nono tributum postulant: quod nisi vt Ludouicus reddat omnia se deuastaturos, soloq; æquaturos comminantur. Arnulphus legatis respondet: Ego, inquit, ab ineunte ætate cæteris imperare, non parere didici: Veniant Vgri, & nos habere ferrum, & in pugno (hunc ostentabat) quinos digitos sentient. Vgri his auditis, cõtinuo Boiariam copiosissimo equitatu inuadunt. Arnulphus imbelles cum rebus suis & supellectile ad tutiora loca migrare iubet. Milites, equites per syluas, paludes, & loca Noricorum opportuna in insidijs passim condit: cum paucis expeditis, delectoque equitatu hostibus apparet, rursusq; cedendo fugam simulat. Vgri superato Anasso amne, per Noricum quatenus Oeno conterminum est, freti viribus suis, & multitudine, fidentesq; superiori prosperitati, peruagantur, pernicibus equis sursum deorsum volitant. Vtini tandem, cursitando fessi, traiecturi Oenum, coeunt, ibiq; consident, se pro victoribus incautius agitant, & quasi secũ nemo armis congredi audeat, serio triumphant. Arnulphus explorata hostium socordia, cum omnibus, qui latitabant, vndique subito erumpit: de improuiso adest, vndique ab omni parte hostem circumuenit, omnem cedẽdi copiam, quo pacto gens bellicosissima cõfligere consueuerat, intercludit, vasto impetu a lęua cataphracti, hastatique: a dextra milites contis, Arnulphus a fronte cum sagittarijs Vgros aggrediuntur, cædunt, propellunt, fundunt, in Oenum agunt, ibique sub mergunt. Flumen quod ante pro ipsis erat, in contrarium versum, & alteram Oeni ripam nostratum pars signo ab Arnulpho dato, armati insederant, tranare conantes excipiebant, ita ne locus quidem ad fugam hosti fuit. Omnes ad internecionem, ne vno quidem superstite, deleti sunt. Auent. lib. 4.

Circa

Circa annum Christi 1172. Henricus Leo Dux Saxoniæ instituta deuotionis gratia longa in terram sanctam peregrinatione, assumptisque aliquot Principibus & Episcopis, magnum & difficile iter, varia eaque mirabili vsus fortuna, emensus est, & ad suos in patriam incolumis ex diuini numinis gratia reuersus. Qua de re videris Crantzium lib. 6. a capite vicesimo nono, vsque ad caput tricesimum tertium, quod caput vltimum, ijsdem verbis, quibus in autore est positum, hic subnectere placuit, eo quod illustre etiam humanitatis exemplum nobis ob oculos ponat in Soldano Turcarum, quam ille erga Henricum Ducem exercuit.

Henricus Dux lustrata terra sancta quã inuisere venerat, ex Antiochia in vicinas terras repedaturus respexit. Tenebat proxima Milo Saracenus, homo varius, & cuius semper fidem suspectam duxere Christiani. Placuit consilio Principis Antiocheni pertentare animum Saraceni. Itaque Dux misso ad eum nuncio linguæ gnaro, saluum per terram eius & incolumẽ transitum postulauit. Ille non recusans, viginti suorum de primoribus illi obuiam misit, qui deducerent. Sed Princeps Antiochenus vir Christianissimus, confidere promissis eius non satis securum ratus, suasit, vt accepta naue, die ac nocte transiret in portum Simeonis, magna ex parte præterrat in ciuitatem, quam vocant Tersult, eam postea Milo, quod intellexisset, eo diuertisse, se contempto peregrinos expugnauit.

Soldanus autem princeps Turcarum misit obuiam Henrico ad condu ctum viros quingentos, qui ab incursione Milonis Ducem tuerẽtur. Asiã tum arbitror minorem tenuisse Henricum, in qua Turcæ dominãtur, appellaturq; nunc Turcia magna. Transierant terram desertam, inuiam & inaquosam, itinere trium dierum, omnia portantes in equis ad vitæ vsum necessaria erat enim Armeniæ pars) donec peruenirent in Heracleã: quo in loco etiam hospitaliter a Turcis excipitur.

In loco autem, qui dicitur Axarat, occurrit ei Soldanus, amplexans & deosculans ducem, suumq; appellans amicissime consanguineum: gratulatur incolumem ad se peruenisse, de inimica terra Milonis omnium communis hostis. Percontatur Dux, quid se suum dignetur vocitare consanguineũ, hominẽ de terra longinqua. Tum ille, Princeps Russorum olim accepta Teutonica coniuge filiam procreauit, quã pater in has terras nuptam despondit, vnde mihi origo est. Placuit Duci vndecunque traducta cognatio: Dulce illi fuit in homine alienigena humanitatis illa recognitio, etiã e lõginqua cognatione. Omnes enim ille Teutonicos Principes (terrarum ignarus) vnius esse stirpis ducebat. Dedit autẽ Duci dona plurima, tunicam auratam eo precio, vt Dux non suo corpori, sed diuino cogitaret (quod & impleuit) aptare ministerio. Iussit adduci equos mille octingentos, militibusque permisit Henrici, vt quisque suo ordine, quem magis probaret, tolleret: accepit quisq; suum. Inde producti caballi triginta insignes dono Duci, sellis, phaleris, frænis auratis pro magnificentia singulari. Addidit domos sex (de more gentis) filtrinas, & sex Camelos, qui ferrent, cum sernis, qui bestias gubernarent: Addidit duos Leopardos, & equos, & sernos: docti enim erant Leopardi in equis vectari. Cumq; modis omnibus benignissime & humanissime cum Duce ageret, ille familiaritate fretus sumpsit audaciam, Miror, inquit, prudentem Principem nõ sectari veram Christi religionem, pietate & virtute plenam: quæ si tibi sola adesset, omnium, quos viderim, Principum faceret fœliciss imum. Ille sub hæc, Non est, ait, difficile credere, quod Deus, quando voluit, de immaculata virgine carnem assumpsit, qui hominem primum de terra virgine plasmauit, sed omnium communis Dominus nõ vno voluit ab omnibus honorari cultu. Dux non audens profũdiorem ingredi cum homine-

super ea re sermonem, vale facto multa cum gratitudine discessit, conductum tamen eius habens per vicinas Turcarum ciuitates, peruenit in terrã desertam, vbi Rex quondam Conradus cum suo memoratur agmine constitisse, cum fraude Imperatoris Constantinopolitani farinæ calcem immiscentis multis exitio fuere militibus. Nam Conradus Rex ægrum trahens exercitum difficilimo peruenit itinere in terram Sanctam, Dux quoque inde expeditus, pertransitis aliquot ciuitatibus, quas collittore Dux quondam Godfridus expugnauit, peruenerat ad brachium Sancti Georgij, indeq; traijciens breui contendit redire Constantinopolim. Redeuntem Imperator non illiberaliter excepit, ibi enim iumenta sua Ducis milites reliquere, quibus receptis Monopolim contenderunt. Sed & ibi Imperator iussit Ducem hospitaliter dimitti in viam suam: offerri quoque præcepit munera preciosa, quatuordecim onera mulorum. Sed Dux modestiam præferens non accepit. Cumque attentius moneretur liberalitatem tanti Principis non contemnere, tantisper cessit, vt quibusdam Sanctorum reliquijs magno munere acceptis, quibusdam etiam gemmis magna cum gratitudine valefaciens Germaniam suam magnis itineribus repetiuit. Sed primum Bulgarorum nemus (in quo pridem laborabat) peruadens, peruenit ad Regem Hungarorum: qui post mortem fratris Rex creatus magnis apparatibus Ducem excepit, & per Regnum suum præbens commeatus cum ingenti diuisit honore, & peruenit tandem suam in Bauariã. Audiuit autem Augustum in Augusta considere, quem adiens cõsalutauit. Ille gratulatus amico, quod de via longinqua & periculosa recepisset incolumem, perbenigne excepit venientem ac dimisit. Descendens autem in Saxoniam iam anno euoluto Brunsuicum redijt, domum suam reuisens, Ecclesiam autem multis Sanctorum reliquijs, auratis atq; sericis vestibus exornauit, quas secum tulerat, quæ res hodie quoq; celebratur in Ecclesia S. Blasij eius loci primaria.

Henricus iste Leo ætate iam fessus, & qui fortunam expertus vtramq; diu in terrarum orbe iactatus esset, insolentiorq; factus omni spoliatus esset dignitate & potentia, ab Imperatore proscriptus, quam tamen fortunę & virtutis suę beneficio recuperarat, plenus dierum, quum Brunsuitici exornandis Ecclesijs & reparandis pijs vbiq; operibus intentus ageret, in pace quieuit, tumulatus in Ecclesia S. Blasij. Anno 1197.

Otto eius nominis Secundus, rebus in Germania expeditis, adornauit expeditionem in Græcos & Saracenos. Nam Basilius & Constantinus Imperatores Græci fratres Theophaniæ, cum superatis prospere in Syria, & ex Creta insula exturbatis Saracenis compressent, Ottonem domi bellis domesticis detineri, conductis pecunia ad belli societatem Saracenis Siculis, Apuliam omnem & Calabriam recuperarunt, quas Nicephorus super amiserat. Has Otto repetiturus, vt suas prouincias, coegit copias, vniuersas Germanicas & Italicas, atq; in descensu ex Alpibus per Ottonem Sueuorum ducem depulsis ex Istria & Dalmatia Græcorum præsidijs eo vsq; limites Imperij produxit.

Prima castra contra Græcos, fidúcia auxiliorum Saracenicorum feroces, cum vniuersis copijs fixit ad Beneuentum, vbi commissum est prælium atrox. Sed Romanis & Beneuentanis scelerate aciem deserentibus, reliquæ copiæ Imperatoris fusæ fugatæq; sunt, ipse abiectis armis & vestibus ad Sinum Tarentinum, Rosanamq; eius littoris vrbem, vbi Theophania vxor, & Theodoricus Mediomatricum Episcopus subsistiterant cum impedimentis, cursu contendit, spe euadendi in vrbem, verum cum vigentium Saracenorum interuentu terra excluſus esset, in mare desilijt adnataturus ad vrbem, sed ab hostium nauibus interceptus est, cumq; non agnosceretur, precio sese a nautis redemit. Eſtque hæc ipsa Ottonis conseruatio ex-

emplum

emplum insigne, cum inconstantiæ rerum humanarum, tum præsentiæ diuinæ in Imperijs, quod adsit Deus imperijs iustis, eaq; tueatur & seruet, & bonos ac iustos Principes protegat, atq; ex circumfusis malis admirandis modis eripiat, cum omnibus humanis præsidijs destituti videntur.

Otto cum exercitum amisisset, & pene imperium, diuinitus suis redditus, dissectas dilapsasq; reliquias quantas potuit collegit, bellum instauraturus, in quo eum nonnulli scribunt Saracenorum auxiliares copias ad internecionem deleuisse: Indeq; adeptum esse cognomentum, vt vocaretur pallida mors Saracenorum. Deinde punisse profugos Beneuentanos & Romanos illos vibe, patria exsila ac solo æquata, his domi cædibus & supplicijs. Ad hunc modum cum Italiam a Saracenis liberasset, paulo post e vita emigrauit, mortuus ventris profluuio, sexto Idus Nouembris, anno Christi nongentesimo octogesimo tertio. Conditus Romæ in Basilica S. Petri sepulchro Porphyretico. Chron. Philip. Melancht. lib. 4.

Otto pallida mors Saracenorum.

EXEMPLA QVÆDAM MORTIS INFOELICIS.

PHaon cum esset hominum pulcherrimus a Mitylænorum mulieribus ardenter appetebatur. Vnde factum vt in adulterio deprehensus inguletur.

Speusippum Philosophum Tertullianus in Apologetico contra gentiles, aut de Platonis Schola, in adulterio perijsse.

Alcibiades Atheniensis cum Timandra meretrice a Lysandro interfectus est in actu Venereo, vt credibile est, incertum tamen.

Tigillinum præfectum vigilum & prætorij inter stupra concubinarum & oscula, lectis nouacula faucibus inhonestam clausisse vitam Cornelius Tacitus ait.

Nicias Dux Atheniensis Imperator contra Syracusanos cum Demosthene missus, rebus infœliciter gestis, captus est cum collega: amboq; in carcerem detrusi, sibi manus intulere, ne hostibus essent ludibrio.

Cleomenes Dux Lacedæmoniorum ab Antigono victus, ad Ptolemæum se recepit, a quo benigne primum exceptus, postmodum a Nicagora proditionis accusatus, in carcerem detrusus est. Vbi cum aliquot alijs voluntariam oppetijt mortem. Mortuum Rex pelle nudauit, & affixit cruci, auctore Plutarcho. Herodotus ait, Cleomenem a suris incipietem se detruncasse, carnesq; e tibijs ad femora, e femoribus ad coxarum vertebras procidisse, atq; in rescindendo vtero expirasse.

Rodoalphus Longobardorum Rex in libidine deprehensus, cum matrona interfectus est Paul. Diacon.

Theudegesillus V Visigothorum Rex, inter conuiuandum a suis peremptus est, anno Christi 544.

Clitus inter epulas ab Alexandro ebrio interfectus est.

Romanus Argyrus cum apud coniugem impudicam venisset in odium, morbo cõtracto ex veneno, quod vxor propinarat, toto corpore intumuit. Sic affectus, cum ingrederetur in balneum insidijs adulteri capite in dolium aqua plenum demersus, & cum iam expiraturus esset, retractus, atque in lectulo collocatus vitam finijt, postquam imperasset annos quinque, menses sex.

Fulco Andegauensium Comes, Quintus Rex Hierosolymorum, equo in caput verso dum leporem insequitur occubuit, quum regnasset annos 11.

Guasthierus Terellus dum venaretur in Britannia, arbitratus se telo cervum petere, Gulielmum Secundum Britanniæ Regem cognomento Rufum, patruelem fratrem occidit. Itaque ex venatione, vnde voluptatem quærebat, incredibilem retulit dolorem. Fulgos. lib. 9. cap. 9.

Henricus III. ab Henrico filio captus, & Leodij custoditus pedore carceris post annum 48. Imperij miseram animam efflauit.

Aldegisius Desiderij Longobardorum Regis filius a Carolo Magno victus & in carcerem coniectus est, vbi & clausit vitam.

Anastasius II. Pontifex Romanus, Eutychianis & Romanis fauit, qui dum ventrem exoneraret, vt Volaterranus habet, intestina in latrinam emittens confessor obijt.

Ioh. I. Thuscus, apud Rauennam tyrannico iussu Theodorici Gothorũ Regis, pedore, situ & inedia in carcere martyr perijt, anno domini 527.

Franciscus Carrarienſis a Galeacio Vicecomite Patauino Principatu dejectus, patre eius in vinculis posito, cum in Germania aliena ope victum quæreret, mutatis rebus, vt sæpe solet, Venetorum Florentinorumq; armis adiutus, Patauinum Principatum recepit, eique etiam Veronam addidit, qua fœlicitate non contentus, cum pro more humani ingenij maiora etiam parare cuperet, molitus Vincentiam Venetis adimere, prælio superatus & captus vniuersa quæ possidebat amisit: deductusq; Venetias cum duobus ex liberis quos habebat, vna cum eis miserandum in modũ strangulatus est, salutis anno 406. supra mille.

Fuit Petrus Vinea ciuis Campanus, obscuro natus loco, cæterum doctrina, atque eloquentia, quantum ætas illa tulit, apprime insignis: quem ob eam rem Fredericus Secundus adeo dilexit, vt arcanorũ suorum omnium participem faceret, ac penes se omnium rerum moderatorem haberet. Cæterum per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nutrimenta habet, atque virtutis perpetua est infectatrix: Frederico in suspicionem adductus, tanquam cum Pontifice sentiret (quo cum Fredericus bellum gerebat) luminibus est priuatus, cuius rei impatiens, atq; ob id in furorem conuersus in Sancto Miniato, quod Ethruriæ oppidum est, sibi ipsi mortem conscituit. Fulgos. lib. 8. cap. 11. Plura exempla vide titulo sequenti de Morte.

Inusitatum quoque mortis genus & pene prodigiosum Theodorici Ostrogothorum Regis fuit: Nam interiectis aliquot diebus, postquam Symmachum atque Boetium occiderat, cum ei in cœna magni piscis caput appositum esset, visus est sibi in eo Symmachi caput videre, inferius labrum in minitantis speciem mordentis: quemadmodum ipse medico Elpidio postea dixit: qui imagine ita territus est, vt tunc cubare incipiens, nunquam dicere desiuerit, se ea imagine terreri, quoad animam egit.

Giachetus Geneua Salucianus, cum in Saluciano populo non paruæ existimationis vir haberetur, iamque ætas ingraueſceret, atque ex vxore liberos procreasset, Veneris appetentior occulte per posticum puellam adhibebat, sub eo prætextu, vt illius rebus, quæ vsurpabantur tuendis operã daret: itaque cum semel admissa puella diutius quam consueuerat, recipere se ad vxorem & liberos tardaret, seriorque hora vxorem & liberos in suspicionem adduceret, ne quid ei aduersi contigisset, quia strepitum nullum vbi ipse esset, euoluendorum librorum vt ei mos erat, non exaudiebat, posteaquam vocando, pulsandoque non profecerunt, effracti loci ostio cum lumen intulissent, inuenerunt in puellæ complexu, eum illius ventri eo modo quo Venus exercetur, incumbere, atque vtrunque exanimem, sine vllo violentæ mortis signo, esse: quæ res palam facit, æque ob nimiam, quamuis nuda sit, Venerem, ac armis permultos sæpe vitam agere. Fulgos. lib. 9. cap. 12.

QVOTIES FORTVNA SINGVLARIS IMPENDET, ea signis præmonstrari solet.

MOsem tres annos natum, & staturæ proceritas, & formæ elegantia beneficio quodam numinis decorabant, ingenium porro supra captum

ætatis

ætatis in eo elucebat. Thermutis itaque Pharaonis filia, orba liberis, eum adoptat, & ad patrem affert. Is puerum complectitur, & diadema per blanditias ei imponit, quod puer, vt fert illius ætatis simplicitas, humi abijcit, pedibus insistens. Quo is Sacerdos, qui ex gente Hebræorum oriturum esse dixerat, qui Ægypti regnum depressurus esset, conspecto, exclamans, Hic, inquit, ille puer est: Hoc interfecto Ægyptios metu libera. Sed Thermutis puero erepto anteuertit, & Pharaonem Deus segniorem ad cædem reddiderat. Ita diuinitus Moses seruatus est, & quod impius metuit, idem ei accidit. Ioseph. lib. 2. Antiq. & Zonar.

Hyrcanus cum Samariam per filios suos, Aristobulum & Antigonum obsideret, Samaritani vrgente fame, Antiochi Cyziceni opem implorarunt, qui cum Aristobulo congressus vincitur. Fertur autem eo die Hyrcanus, quo duo eius filij cum Antiocho pugnarunt, dum solus vt Pontifex in sacrario suffiret, audisse vocem, quæ diceret, Antiochum modo a suis filijs esse victum, idque egressus nunciasse populo, nec deceptus est. Ioseph. lib. 13. Antiq. & bello Iud. cap. 17. & Zon. Tom. 1.

Tarquinius Priscus cum relictis Tarquinijs cum vxore sua Romam commigraret, vbi ad Ianiculum ventum erat, ibi ei carpento sedenti cum vxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert, superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio diuinitus missa, capiti apte reponit: inde sublimis abijt: Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, vt vulgo Hethrusci, cœlestium prodigiorum mulier. Excelsa & alta sperare complexa virum iubet, regnum ei portendi hoc diuinitus oblato augurio docens. Liu. lib. 1.

Seruio Tullo etiam tum paruulo dormienti circa caput flammam emicuisse domestici oculi annotauerunt. Quod prodigium prisci Tarquinij Regis vxor Tanaquil admirata, Seruium seruæ natum in modum filij educauit, & ad Regium fastigium euexit.

Tarquinius Superbus antequam Roma eiectus cum suis regno priuaretur terribili portento est perculsus. Anguis enim ex columna lignea elapsus, cum terrorem fugamque in Regiam fecisset, ipsius Regis non tam subito pauore perculit pectus, quam anxijs impleuit curis. Liuius.

C. Hostilio Mancino Consuli in Hispaniam ituro, hæc prodigia acciderunt. Cum Lanuuij sacrificium facere vellet, pulli cauea emissi in proximam syluam fugerunt, summaq; diligentia quæsiti reperiri nequiuerunt: Cumque ab Herculis portu, quo pedibus peruenerat, nauem conscenderet: talis vox sine vllo auctore ad aures eius peruenit: Mancine mane. Qua territus cum itinere conuerso Genuam petisset, & ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus e conspectu abijt. Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquauit, infœlici pugna, turpi fœdere, deditione funesta.

C. Flaminius cum apud Lacum Thrasimenum cum Hannibale confligturus conuelli signa iussisset, lapso equo super caput eius, humi prostratus est, nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis signa moueri sua sede posse negantibus: malum, ni continuo ea effodissent, minatus est. Verum huius temeritatis vtinam sua tantum, non etiam populi Romani maxima clade pœnas pependisset. In ea namque acie 15. millia Romanorum cæsa, 6. millia capta, 20. millia fugata sunt. Val. Max.

Tyberius Gracchus cum ad res nouas pararetur, auspicia domi prima luce petijt, quæ illi perquam tristia responderunt, & ianua egressus ita pedem offendit, vt digitus ei decuteretur, tres deinde corui in eum aduersum occinentes partem tegulæ decussam ante ipsum propulerunt, quibus omnibus contemptis, a Scipione Nasica Pontifice Maximo decussus Capitolio, fragmento subsellij ictus procubuit.

M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius horologij ferrum loco motum excussit: & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo vsque morsu tenuit, donec seruus ad occidendum eum milites venisse nunciaret.

Alexander Magnus.

Præcesserunt aliquot prodigia Alexandri interitum. Babylonem proficiscenti Nearchus occurrit, nauigiis e magno mari in Euphratē reuectus, qui nunciabat, se congressum esse cum Chaldæis, qui Alexandro vitandā esse Babylonē censerent. Verum ille neglecta ea admonitione pergebat. Cum autem mœnibus appropinquasset, corui inter se dimicantes coram eo conciderunt. Nunciatum ei porro est: Apollodorum prætorem Babylonis pro eo rē diuinam fecisse. Quod cum Pythagoras aruspex, qui id sacrum fecerat, non negaret, & de modo sacrificij rogatus ieiunum esse capite fuisse dixisset: Papæ, inquit, vt graue istud prodigium est, aruspicemque indemnem dimisit. Inter alia prodigia etiam illud fuit: Cum vestes deposuisset vt vngeretur, & pila luderet, adolescentes collusores eius, & ipsi vestes exuturi vident quendam in Regio solio tacite sedentem, Regia veste indutum, & diademate ornatum. Qui cum rogaretur quis esset: diu nulla voce edita, vix tandem respondit: Se Dionysium vocari genere Messenium, & captiuum adductum esse propter obiecta crimina. Sed Serapidem sibi vinctum soluisse, & huc perductum iussisse, veste & diademate sumptis tacite sedere. Eo homine Alexander de vatum consilio e medio sublato, æger animo, solicitus & perturbatus nihil non in omen vertebat.

Chiorum clades.

Eadem, qua Chij ab Histiæo Milesio affecti sunt, signa præcessere non parum terroris ciuitati incutientia, de quibus Herodotus lib. 6. hunc ad modum scribit:

Quoties ingentes sunt euenturæ calamitates vel ciuitati vel nationi, solent signis prænunciari. Etenim Chijs ante hanc cladem ingentia signa contigerant. Vnum, quod ex choro centum iuuenum, quos miserant Delphos, duo omnino rediere, 98. pestilentia absumptis. Alterū, quod sub idē tempus, paulo ante nauale pugnā, tectum supra pueros literas discentes corruit, ita vt ex 120. pueris vnus omnino euaserit. Hæc eis signa Deus prę monstrauit. Post hæc excepit pugna naualis, quæ ciuitatem in genua deiecit. Accessit ad cladem pugnæ Histiæus cum Lesbiis, qui Chios iam exhaustos facile ad exitium deduxit.

Æschylus.

Verum mala fato imminentia quamuis variis præmonstrentur signis, humana prudentia haud facile euitantur. Nec enim Æschylus prædictam eius diei ruinam sua industria cauere potuit. In Sicilia enim mœnibus vrbis, in qua morabatur, egressus in aprico loco resedit, super quem aquila testudinem ferens elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) per inde atq; lapidi eam illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur: eoq; ictu origo & principium fortioris tragœdiæ extinctum est. Val. Max. lib. 9. ca. 12. Plin. lib. 10. cap. 3.

Euripides ab Archelai Regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obiit.

Philemonem autem vis risus immoderati abstulit, paratas ei ficos, atq; in conspectu positas asello consumente, puerum, vt illum abigeret, inclamauit. Qui cum iam comestis omnibus superuenisset, Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosequutus, senile guttur salebris spiritus prægrauauit. Valer. lib 9.

Attila Aquileiā occupat.

Anno quarto & quinquagesimo supra quadragesimum, cum Attilæ exercitus omnem regionem Foroiulienſem & circumiacentem expoliasset, & non minori fame atque penuria obsidentes quam obsessi premerentur, ita vt capiendæ vrbis Aquilienſis spem ferme omnē Attila abiiceret

ret, forte die quadam obseruauit ciconias, quæ in turribus ciuitatis nidificarant, vno impetu ex vrbe migrare, suosq; fœtus secum asportare. Quo viso intellexit Attila magnam intra mœnia famem esse, aueisq; præsagiue quod futurum erat, nempe ciuitatem illam interitui esse proximam. Exhortatus ergo est populum, vt virili animo vrbem expugnarent, illisq; languescentibus alios substituit in eorum locum, donec muri essent diruti. Munst. lib. 2. Cosmogr.

Mures omnibus animalibus vaticinandi scientia præstant. Nam cum domus aliqua cõsenuit, & ruinam minatur, primi sentiunt, & relictis suis cauernis, & pristinis habitationibus, quantum contendere pedibus valẽt, fugiunt, aliudque domicilium quærunt. Ælian. lib. 1. Plin lib 8. cap. 8. Id quod ante euersionem vrbis Helices obseruatum fuit.

Naturæ portenta varia.

Varias naturæ, easque mirandas & portentis similes operationes tum in animantibus, tum in rebus aliis quibusuis, licet cernere.

Auctor est Plinius, quod specus sit in Dalmatiæ ora, vasto in præceps hiatu, in quem deiecto leui pondere, quamuis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Nomen loco est Senta.

Lacus Pilati.

Simile quiddam fertur de lacu Pilati in Heluetijs, ad vrbem Lucernatẽ. Lacus iste nigricanti horrens colore, montibus & syluis inclusus, nulliusque venti violentiæ expositus, stat immobilis, nec vel pluuijs aut nimbus crescit, vel æstu aut ariditate decrescit. In eum si quis de industria lapillũ, vel aliud quiduis deiiciat, horrendæ protinus tempestates, procellæ, tonitrua cientur, ingensque damnum in tota vicinia pagis, oppidis, agris, inde infertur. Quare lacum istum accedere, aut quippiam in eum deiicere, iam olim capitale fuit.

Annis abhinc paucis eum Sacerdos quidam Lucernatum curiositate ductus, lapidem in eum deiecisset, protinus ob sæuientium tempestatum furores in carcerem a Magistratu raptus, grauique pœna fuit affectus.

In Cyrenaica prouincia, inquit Plinius, rupes quædam Austro traditur sacra, quam profanum sit attrectari hominis manu, confestim Austro vol uente harenas.

Georgius VVernherus in libello de admirandis Hungariæ aquis mentionem facit lacus, cuius præcipue natura est admiranda. Est lacus, inquit, in Carnis Rheticis, cui a pago vicino Zirocknitz nomẽ est, qui quotannis sub Autumni finem aquis repente ex abdito venientibus repletur, quæ simul magnam piscium copiam secum vehunt, æstate vero aquæ rursum recedunt, & a terra sorbentur, ita vt lacus prorsus exarescat. Hanc perennẽ & statam vicissitudinem retinet, vt in eo loco, quo paulo ante piscatus fueris, in eo messem & sementem facere, simulque si libeat venari, ac rursus vertente anno piscari possis.

In Dodone louis fons, cum sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extinctæ admouean tur, accendit.

In Illyriis super fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Vide Plin. lib. 2. cap. 103.

DE MORTE ET IMMORTALITATE ANIMÆ.

CVm mors vltima sit rerum linea, hoc quoque opus concluſuri, tũ sententias, tum exempla quædam de morte & animarum immortalitate cor onidis loco iis, quæ hactenus exposita sunt, subnectere placuit.

Etiam tulit sententiam Deus ipse Iudex iustissimus, vt qua hora de vetita arbore fructum homo decerpserit, eadem moriatur. Vnde mors in omnes homines pertransit. Rom. 5.

Diuus Paulus ad Philip. 1. Nam vita Christus est, & mors lucrum.

Etiamsi ante diluuium patres vltra noningentesimum annum vitam prolongarint, subsecuta tamen est pede celeri mors, finemque vitę & actionibus eorum imposuit. Vnde vita quæ diuturna videri poterat, diutur na vere non est. Vere enim ait Cicero: Sed mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id aduenerit, tunc illud quod præterijt, effluxit.

Patres cur diuturniorē vitam sibi optarint

Quod si forte primi illi patres diuturniorem sibi vitam optarunt, mortemque reformidarunt, id eo factum, quoniam nondum Saluator ille mundi, Semen benedictum, venerat, qui Paradisi fores reseraret, siquidē ipse, primitiæ eorum, qui dormierant, fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15.

In historia sacra, præsertim autē in libris Regum frequenter verba hæc posita sunt: Dormiuit cum patribus suis. Quæ verba nequaquam brutis conueniunt animalib. Et illustre testimonium præbent vitæ alterius post hanc sequuturæ, ad quā veluti somno excitati ex diuina gratia vocamur.

De Abelo testatur Deus quod viuat. Sic enim ad Cainum ait: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Genes. 4.

Enochus cum syncere & integre coram Deo in suo munere versaretur, sola ei fide placuit, & iam iam e viuis excessurus per fidem mortem non sentit: sed ipso corpore ad vitæ melioris gaudia transfertur: exemplo manifesto posteris relicto, alias superesse sedes, in quibus ipsi vita suaui, & quieta perpetuo sint fruituri. Genes. 5.

Mosen sepeliuit ipse Dominus in valle terræ Moab, contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius vsq; in præsentem diem. Nempe a Domino hinc in æternam vitam subtractus fuit. Deut. 34.

Elias Propheta senex turbine rapitur, & in cœlum euolat quadrigis igneis. 4. Reg. 2.

Vtrumq; autem & Mosen & Eliam viuere historia docet Euang. Matt. 17. In monte enim Thabor vterq; in cœlesti claritate apud Christum apparuit, atque cum eo locutus est.

Dominus cum Mosi appareret in ardenti rubo: Ego, inquit, sum Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Exod. 3. Vnde ratiocinatur Seruator Christus, Matt. 22. cum Deus sit Deus viuentium non autem mortuorum, Abrahamum, Isaacum, & Iacobū viuere.

Num. 16. de Core, Dathan, & Abyron nefaria improbitate seditionem concitantibus, Moses ait: Dirupta est terra sub pedibus eorum, aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Vnde patet impiorum etiam animas damnatas viuere.

Dauid lethali morbo decumbente filio suo, quem ex Bersabea vxore Vriæ susceperat, graui mœrore perculsus ieiunauit, & super terram iacuit, nec vllum consolationi locum dedit. Mortuo autem puero, surrexit de terra, & lotus vnctusq; est, cumq; mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit, & venit in domum suam, petiuitque vt apponerent panem, & comedit. Quod eius factum demirantibus seruis: propter infantem ait, dum adhuc viueret ieiunaui & fleui. Dicebam enim: Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid ptero eum reuocare amplius? ego vadā magis ad eum, ille vero non reuertetur ad me. 2. eRg. 12.

Dauidis luctꝰ propter Absolonē.

Absolon Dauidis filius cum cæsarie quercus ramis inuolutus hæreret, tribusq; hastilibus a Ioabo confixus esset, pater acerbissimo luctu filij sui mortem deplorauit. De quo Dauidis planctu diuus Augustinus in lib. de do-

ctrina

ctrina Christiana, Non, inquit, orbitatem doluit in eius interitu, sed quia nouerat, in quas pœnas tam impie adultera, & parricidialis anima raperetur. Namq; alio prius filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est. lib. 3. cap. 20.

Helias mortem optat.

Helias Propheta cum fugiens à facie sceleratæ Iezabelis, & Achabi obstinate impij in desertum venisset, & sederet subter Iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur. Sufficit mihi Domine, inquit, tolle animã meam, neq; enim melior sum quam patres mei. 3. Regum 19.

Ezechias in morbum incidẽs vitę annorum quindecim impetrat accessionem, & miraculo cœlesti, Sole ipso retrogrado, confirmatur. 4. Reg. 20.

Iobus inter grauissimas afflictiones, Scio, inquit, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Iob. 19.

Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodẽ statu permanet. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non potuerunt, Iob. 14. Refer huc Psal. 89. Domine refugium factus es nobis.

Memento Creatoris in iuuentute tua, &c. Quia ibit homo in domum perpetuam, & vagabuntur in platea lugentes. Antequam reuertatur puluis in terram suã, sicut erat ab initio: Spiritus autem reuertetur ad Deum qui dedit illum. Vide 12. cap. Ecclesiast.

Cum Tobiam grauiter ex cæcitate afflictum irriderent cognati & vicini, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?

Tobias increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniã filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tob. 2.

Tobias orationem suam, qua Deum patrum suorum inuocat, his verbis concludit: Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quam viuere. Tob. 3.

Antiochus tyrannus cum septẽ fratres vna eũ matre crudelissimis torqueret supplicijs, eo quod à lege patria deficere nollent: Mater filios ad constantiam exhortata inter cætera inquit: Nescio qualiter in vtero meo apparuistis. Neq; enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter legem eius. 2. Machab. 7.

Ne metuatis vobis ab ijs, qui occidunt corpus, animam autem nõ possunt occidere: sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Matth. 10.

Credentium animas æterno frui gaudio, contra impiorum æternis torqueri cruciatibus docet Seruator Christus in historia, de diuite & mendico Lazaro. Luc. 16.

Amen, Amen, dico vobis, quod veniet hora, & nunc est, quãdo mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem vitę, qui vero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis, Ioan. 5.

Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12.

Oues meæ, inquit Christus Ioan. 10. vocē meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnib. est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10. & Ioan. 11. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

Latro in cruce pendens à dextris ad Christum ait: Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Lucæ 23.

Simeon ille senex, viso puero Christo, Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lucæ 2.

Beatus Stephanus cum lapidaretur: Domine Iesu, inquit, suscipe spiritum meum.

Diuus Paulus 1. Corinth. 15. & 1. Thess. 4. resurrectionem mortuorum grauissimis argumentis confirmat, docens, omnibus in Christum credentibus æternæ vitæ gaudia per Christum parata esse.

Idem diuus Paulus amicis eum hortantibus ne Hierosolymam ascenderet: Quid facitis, inquit, flentes & affligentes cor meum? Ego vero non solum vinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis, pro nomine Domini Iesu.

De mortuorum resurrectione & cœlesti gloria in Christo omnibus parata credentibus, vide tria posteriora capita Apocalypseos diui Ioannis.

Omnis potētatus breuis vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuē languoré præcidit medicus: Sic & rex hodie est, & cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias & vermes. Eccl. 10.

Quid cinis & puluis, quid sordida terra superbis?
Cum redit in cinerem, quod fuit ante cinis.

Cum consummauerit homo, tunc incipiet: & cum quieuerit, operabitur. Quid est homo, & quæ est gratia illius? & quid est bonum? aut quid nequam illius? Numerus dierum hominum, vt multum centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputatæ sunt: & sicut calculus arenæ sic exigui anni in die æui. Eccles. 18.

Eleazar Rabbi Capernaita in sententijs suis hunc in modum scribit: Quicunq; nati sunt, morietur, quicunq; moriuntur, reuiuiscēt: quicunq; reuiuiscent, coram tribunali iudicis se sistere cogentur. Hoc nempe, quicunq; nascentur, aut nati sunt, vel à mortuis resurgent, citra vllam hæsitationem credent, quod Deus omnia fecerit & crearit, & omnium etiam curam gerat.

Akabia alius quidam ex Rabinis, ó homo, inquit, tria animo tuo perpende, nec facile peccabis: Vnde veneris: quo venturus sis: & apud quem ratio vitæ tibi reddenda sit, nempe apud regem omnium regum.

Diuus Augustinus Episcopo cuidam graui affecto valetudine & diuturniorem vitam eo quod vsui esse possit Ecclesiæ optanti: Si nunquam, inquit, bene: Si aliquando, quare non modo? Indicans, Si nunquam mors hominem infestaret, fœlicem eius fore statum: Cum autem morte nihil certius, frustra quæri moram.

Cum Monacho cuidam Ægyptio nunciaretur, patrem suum mortuum esse, ille ad nunciantem conuersus, Desine, inquit, blasphemare, Pater enim meus immortalis est Niceph. lib. 11. cap. 42.

Machario Alexandrino per eremum aliquando pergenti, nocte superueniente, cum somnum capere vellet, sepultura, in quam forte inciderat, lectus fuit, nec dæmonis cadauerum ossa perstrepentis vocibus territus

loco

loco cessit, quia iugis futurorum commentatio & mortis fecerat intrepidum, & dæmonum contemptorem.

Philoromum quoque Galatam presbyterum tradit Heraclides, annos sex in sepulchris habitasse mortuorum, vt semper meminisse posset, se mũ do mortuum, & viuere Christo.

Columbanus Monachus Columbani discipulus, quum febri grauiter æstuaret, & ei vir apparuisset, dicens, Preces & lachrymas Abbatis ei obsta re, ne mori posset: Continuo rogauit Abbatem, vt ab oratione cessando, permitteret se de corporis carcere quam primum educi, eo quod ad æternam beatitudinem sé transferendũ minime dubitaret. Statim ergo sumpto animæ viatico, relictaq; carnis sarcina, cœlum petijt, quo iam diu tendere percupierat. O vere preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Nisi enim preciosa esset, haud ita expeteretur.

Idcirco nec sane Hilarionem Abbatem latrones cum armis circumstentes terrere potuerunt. Cumque intrepidum permanere mirarentur, nunquid necem non timeret, interrogant? Necem non timet, respondit, qui paratus est mori. Quis quæso militum Ducumq; seculi tam præstanti animo vnquam fuit, vt in tanto vitæ periculo non contremuisset? Vnus Christi miles nudus & inermis, inter tot armatos nihil expauit, plusque ipsi audaciæ ad mortem patiendam, quam illis ad inferendam fuit. Quem enim interimere, vel saltem spoliare decreuerant, stupore correpti illæsum reliquere.

Praxedis virgo Romana, cum facultates suas pauperum feciſſet, ad illum festinans, cuius amore hoc egerat, orauit vitæ istius finem, & impetrauit. Mira res. Robustissimis viris terrori mors est, virgini iuuenculæ desiderio fuit.

Sabina quoque virgo ad tumulum Sabini martyris fratris sui prostrata, orasse dicitur, ne vltra viueret, non fratrem dolens, sed eum sequi cupiẽs, quem diuino frui conspectu non ambigebat. Illis ergo grauis & terribilis mors est, qui terrena curant, non ijs, quorum conuersario in cœlis est, & qui moriendo ad immortalitatem transmigrant. Vide Marul. Spalatens. lib. 5. cap. 9.

Qualis vitæ huius sit conditio, quæ tum mortis, tum peccati, Satanæq; terroribus septa est, sequens narratio ob oculos nobis ponit.

Vitæ huius qualis conditio.

Rex quispiam, cum profundis semper cogitationibus inhærens, raro vel nunquam ad hilaritatem aliquam vel risum componere vultum videretur: Id demirati eius ministri & consiliarij apud fratrem eius instant, vt causam perpetui mœroris ex rege expiscaretur. Acquiescens ille petitioni aulicorum, cur omnis hilaritatis expertem vitam ageret, è fratre familiariter scisscitatur. Rex se ei causam postridie detectũ respõdet. Interim fossam mandat fieri prælatam, eamq; ad medietatem vsq; prunis candentibus impleri, quo facto sellam carie arrosam, quæ ruinam vel leuissimo impulsa momento minaretur, desuper imponit, supra sellam deinde fulgentem gladium demitti iubet, tenui filo appensum. Mensam præterea in margine fossæ exquisitissimis epulis extrui præcipit. Fratremq; in cariosam istam sellam collocari mandauit, quatuorq; armatis viris circundari, qui strictos in ipsum enses à fronte, à tergo, ex vtroque latere intentarent. Tunc ad mensam iussit consistere buccinatores & fidicines, qui cantus sui clangore accumbentem oblectarent. Ad fratrem deinde conuersus: Age, inquit, mi frater, appositis fruere dapibus, animumque potu & cibo oblecta. Qui, inquit ille, oblectatione hic vlla animũ meũ demulcere possim, tot vndiq; cõclusus angustijs? Infra me ardentes aspicio prunas, supra me ceruicibus imminentem gladium horreo. Ante me autem mensam quidem intueor exquisitissimis oneratam epulis: Verum si inclinans corpus

manum

manum ei admouere velim, periculum erit, ne præceps ruam in fossam ardentibus prunis refertam. Qui ergo ad potus vel cibi vllum me tantis septum difficultatibus tenere possit desiderium? Quæ fratris sui verba ref ad hunc modum excipit: Quemadmodum tu modo, frater dilecte, affectus es, ita me quotidie affectum esse credas. Nam cum oculos subleuo, iudicem agnosco, qui me iudicandi ius habet. Sin oculos humi defigo, obuersatur mihi damnatio & gehennæ ignis. Si retrospicio, agnosco peccatum meum, sin prospicio quæ ante me sunt, video & agnosco mortem vinaciter aduersus me ruentem. Sin autem vel ad dextram, vel ad sinistram oculos dirigo, diabolos animaduerto, qui aduersus me quiduis mali machinantur, & tum corpori, tum animæ insidias & interitum meditantur. Hæc quoniam in animo meo nunquam nō considerare soleo, tu iam ipse cogita, quid hæc vita oblectationis mihi creare possit?

Bias, cum quidam mortem aduocaret in liberorum amissione: Cur homo, inquit, ipsam vocas? an non etiam, si non vocaris, veniet?

Idem rogatus, quod genus mortis malum esset? Quod, inquit, legibus constitutum est. Sensit autē vir prudentissimus, eam mortem hominibus nequaquam formidandam, quæ secundum naturæ leges inuadit mortales: sed eam potius, quam delictis turpiter & ignominiose promeruimus & debitum lictori ac carnifici officium præstamus.

Socrates Critoni vehementi studio, suadenti, vt si vitam ipse suam negligeret, certe liberis etiamnum paruulis, & amicis ab ipso pendentibus se seruaret incolumem: Liberi, inquit, Deo, qui mihi eos dedit, curæ erūt: amicos hinc discedens inueniam vobis aut similes, aut etiam meliores: nec vestra consuetudine diu carituros, quandoquidem vos breui eodem estis commigraturi.

Idem, quum quidam illi diceret, Athenienses te morti adiudicarunt: Et illos, inquit, natura. Sentiens non esse magnum malum, si quis adigatur ad mortem paulo post morituros etiamsi nemo interficiat. Eras. 3. Apoph.

Diogenes rogatus nūquid mali esset mors? Quo, inquit, pacto malum? quum præsentem non sentiamus? Quod autem abest nulli malum est. Dum sentit homo, viuit: nondum igitur adest mors: quæ si adsit, abest sensus. Malum autem non est, quod non sentitur. Hanc ratiocinationem quidam tribuunt Epicuro. Mors quidem mala non est, sed iter ad mortem miserum est. Id si metuimus, tota hominis vita quid aliud est, quam iter ad mortem?

Musonius interrogatus, quis optime extremum diem claudere posset? Qui semper, respondit, postremum vitæ diem sibi instare proposuerit.

Fridericus Imperator, ijs Principibus, qui immites & crudeles erga suos fuissent, mortem nimis extimescendam esse dicebat. Nam quales se, dum vixerunt, alijs præstitere, tales, cum moriuntur, in se iudices inuenturos esse. Ostendere autem voluit, ijs mortem esse amaram, qui mala ante actę vitæ conscientia premuntur.

Diogenes Cynicus lugente quodam, quod in peregrina terra morituros esset, dixit: Quid luges, ô stulte? Vndecunq; eadem est via ad inferos.

Epicurus dicere solebat, Contra cætera omnia aliquid tutum inueniri posse, at contra mortem omnes nos inhabitare vrbem immunitam.

Cum tempore Leuctricæ cladis Epaminondas Thebanorum Dux, audiuisset fortissimum quēdam virum occubuisse: O Hercules, inquit, quod otium vir hic nactus est? Iudicauit autem vir prudentissimus, vitam nostram nihil esse nisi negociationem perpetuam, in qua diuersis studijs impellimur, ac turbulentissimis tempestatibus nunc huc nunc illuc perpetuo iactamur, donec veniamus ad portum atq; quietem, quā nobis mors sola tribuit.

Lochar-

Lochardus Polyenidæ filius, Sironis pater, nuncianti quod è filijs ipsius alter interisset: Olim sciebam, inquit, illi moriendum esse. Nihil illi visum est nouæ rei, si mortalis natus moreretur: nec magni referre, paulo serius an citius vita decederet, cui omnino breui foret decedendum.

Constantinus Imperator, cum Hormisdæ Persæ vrbis Romæ magnitudinem, atque hominum ædificiorumq; magnificentiam ostendisset, peteretque vt quid de ea sentiret, paucis enunciaret, respondit, Ex tanta re, quanta ei ostendebatur, nihil eum delectasse magis, neq; esse ex quo maiorem fructum consequi posset, quam quod ex ijs, quæ videret, verum esse comprehenderet: In vrbe quoq; Roma, quanquam amplitudine, opibusq; alias antecederet vrbes, tamen ibi quoq; sicut in cæteris orbis terrarum locis, homines etiam mori.

Messodanus vir sanctissimus, iam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur conuiuium: Cur me vocas in crastinum? inquit, qui à multis annis crastinum non habui, sed mortis aduentum in singulos dies expectaui, quæ nobis nunquam non insidiatur, donec nos incautos interdum etiam opprimat. Guid.

Hieronymus Stridonensis & dicere & scribere solebat, ab eo omnia facile contemni, qui assidue se moriturum cogitauerit.

Cum Pisistratus occuparet remp. resq; videretur ad manifestam spectare tyrannidem, neq; quisquam auderet illius conatibus obsistere: Solon productis armis, & ante ædes positis, cœpit inclamare ciues. At vbi Pisistratus ad illum mitteret, qui percontarentur, qua re fretus hoc auderet? Senectute, inquit, alios senectus reddit formidolosiores: illi cõciliauit audaciam, quod parum vitæ superesset, etiamsi nullus occideret.

Alphonsus Aragonum Rex cum interrogaretur, quæ res reges ac priuatos, diuites ac pauperes, claros & obscuros, denique omnes prorsus exæquaret: respondit, Cinis. Indicans, post mortem, Regis à priuato, diuitis à paupere, formosi ab informi, personam nequaquam discrepare. Quis enim ex cineribus aut ossibus humanis terra erutis differentiam vllam videre potest?

Itaque elegans continetur admonitio in his versiculis sepulchro alicubi inscriptis:

Vos qui transitis, nostri memores modo sitis,
Quod sumus hoc eritis, fuimus quandoq; quod estis.
P. G. P. K.

Et rursus:

Gott ist warhafftig vnd gerecht.
Hie liegt der Herr vnd auch sein Knecht.
Nun jr Weltweisen trett herbey/
Sagt welchs Knecht oder Herre sey.

Id est:

Est verus & iustus Deus,
Hic seruus & Dominus cubat,
Accede dic age sapiens
Quis seruus hic vel herus siet.

Chilon insignis Lacædemoniorum Philosophus sic esse contemnendam mortem dicebat, vt nihilo secius curam habeas incolumitatis. Non enim est fortitudinis, sed amentiæ, semet temere in vitæ discrimen conijcere: Sed quoties aut ineuitabilis necessitas vrget, aut grauis honestaque causa suadet, mortem contemnere fortis animi est. In morbo non est metuenda mors, sed interim adhibẽda curatio mediocris. In bello sumendus

est

est animꝰ ad mortē paratus, sed interim fortiter pugnandū est, p victoria.

Honora medicum, inquit Scriptura, propter necessitatem enim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela: Altissimꝰ de terra creauit Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Eccles. 38.

Anaxarchus Philosophus à Nicocreonte Cypri tyrāno captus, & malleis ferreis in saxo exeauato contusus: Tunde, inquit, tunde probē Anaxarchi carnes & ossa, siue (vt alij) follem. Verū Anaxarchum nequaquam lędes. Sensit autem Philosophus clarissimus, tyrannum quidem potestatem habere, vt pro arbitrio crudelitatem suam exerceat in corpora hominum, animam tamen immortalem semper fore, extra omne tyrannorum imperium. Philo Iud.

Cercidas ciuis Megalapolitā, ex Arcadia, cum in morbum periculosissimum incidisset, interrogatus, num libenter mori vellet? Quid ni? ait. Videbo enim post mortem viros in omni scientiarum genere doctissimos, ex Philosophis Pythagorā, ex historicis Hecatæum, ex Poētis Homerum, ex Musicis Olympum, qui suis literarum monumentis nomen sibi immortale pepererunt. Ælian. lib. 13.

Cleombrotus seu Theombrotus ex Ambracia, cum legisset opus Platonis de animarum immortalitate à Socrate inscriptum, sponte se præcipitauit. Lactant. Quid, inquit, Ambraciotes ille, qui quum eundem librum perlegisset, præcipitem se dedit, nullam aliam ob causam, nisi quod Platoni credidit. Quod si scisset Plato, ac docuisset, à quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem, nec Catonem.

Calanus Indus sponte ad mortem proficiscens, quum conscenderet rogum ardentem: O præclarum, inquit, discessum è vita, quum, vt Herculi contigit, mortali corpore cremato, animus in lucem excesserit. Hunc cum Alexander admoneret dicere, si quid vellet: Optime, inquit, propediem te videbo. Idque euenit. Nam Alexander paucis post diebus mortuus est. Cic. 1. de Diuinat. Vide Plutarchum in vita Alexandri Magni.

Epictetus dicere solebat, magis necessarium esse, animæ, quam corpori mederi, quum præstet mori, quam male viuere.

Epicharmus dicebat: Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo. Cic. 1. Tusc.

Agis Lacedæmoniorum rex per insidias captus, ac præter meritum ab ephoris condemnatus, quum ad laqueum duceretur, conspiceretq; quendam è lictoribus flentem, ob indignitatem rei, cuius cogebatur esse minister: Desine, inquit, ô homo, vicem meā flere. Nā sic moriens præterius & æquū, melior fœlicior q; fiam his qui me occidūt. Hæc locutus vltro collū laqueo induit. Quo nemo Stoicorū docuit quicquā fortius, hoc ille iuuenis non verbis, sed re præstitit, fœlicitatem omnem solo honesto metiēs, eosque iudicans infœliciores, qui faciunt iniuriam, quam qui patiuntur.

Bion Boristhenites dicere solebat: Facilem esse ad inferos viam, nam illuc homines abire clausis oculis. Sic & Vergil. Facilis descensus auerni. Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.

Socrates dicere solebat, mortem esse similem profundo somno, aut diu turnæ peregrinationi. Somnus enim profundior adimit omnem sensum. Et animus a corpore digressus aliquando in suum domicilliū rediturus est.

Solon Salaminius interrogatus aliquando, quid homo esset? Respondit: Putredo est in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte.

Quisquis es, id noscas, terra es, te terra recondet,
Te terra genitum terrea membra docent.
Non te terreno terrena remordeat æstu
Cura, tuas tandem terra resumet opes.

In

In Meditationibus Bernhardi. cap. 3.

Attende homo quid fuisti ante ortum, & quid es, ab ortu vsq; ad occasum, atque quid eris post hanc vitam

Forma, fauor populi, seruor iuuenilis opes,
Eripuere tibi nescere quid sit homo.

Nihil aliud enim est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, & cibus vermium.

Tost hominem vermis, post vermem fœtor & horror,
Sic in non hominem vertitur omnis homo.
Vnde superbit homo, cuius conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.

Puluis es, ait, ad hominem Deus, & in puluerem reuerteris. Genes. 3.

Indorum Philosophi mortem, vt rem fœliciſſimam, vltro amplectuntur. De qua eorum constantia Iosephus libro 7. de bello Iudaico hunc in modum scribit: Indorum videamus sapientiæ professores. Illi enim cum sint boni viri, vitæ quidem tempus, quasi quoddam necessarium naturæ munus multi sustinent. Properant autem animos corporibus soluere: nullo que vrgente, neque exagitante malo, propter immortalis conuersationis desiderium alijs quidem prædicunt, se esse abituros, nec est qui prohibeat quisquam, sed omnes fortunatissimos appellantes eos, ad familiares suos mandata mittunt: ita certam veramq; animis esse inter se consuetudinem credidere: ipsi autem cum mandata perceperint, igni traditis corporibus, vt immaculata puraque anima secernatur, laudati moriuntur. Facilius enim ad mortem illos amicissimi prosequuntur, quam exterorū hominum quisquam suos ciues in longinquam peregrinationem ituros. Et se quidem ipsos desient: illos autem beatos dicunt, quod immortalitatis ordinem iam percipiant. Hæc Iosephus. *Indorum Philosophi.*

Socrates morti destinatus de cunctis rebus magis, quam de se defendendo cogitare videbatur. Quare Hermogenes Hipponici filius, Socrati familiaris: Atqui, ait, par erat, O Socrates, de tua defensione curam habere. Nonne, ait Socrates, tibi videor ô Hermogenes hoc ipsum facere, dum quemadmodum vixerim, meditor? Putabat autē Socrates omnē defensionem superuacaneam esse apud eos, qui ex vita bene transacta suā innocētiam non agnoscerent. Quum iam ad mortem damnatus esset, Apollodoro comploranti, dicentiq;: Innocens morieris: Quid, inquit, num me nocentē mori malles? Ea sane mors lubenter subeūda est, in qua criminis innocentia homo excusatur. Xenophon in Apologia li. 5. memorabilium.

Theodorus Macedo Philosophus, cum audiret Lysimachum mortem sibi minitantem crudelissimam: Hæc, inquit, aulicis tuis potius minitare. Ego enim parum curo, humine an sublime in cruce putrescam. Cic. lib. 1. Tuscul. Valer. Max. lib. 6.

Lacedæmonij filios suos ità formabant, vt præfectis suis in omnibus essent morigeri, nec vllū vitæ periculum adire horrerent, talesq; in prælijs se præstarēt, vt vel victores inde redirēt, vel fortiter pugnātes occūberent.

C. Mænius Augusti centurio cum in bello ab Antonio captus esset, interrogatus ab Antonio, quomodo secum agi vellet? Occidi me, iube, inquit, Mori enim malo, quam tuo beneficio viuere.

Sub mortem his versibus lusisse dicitur Hadrianus Imperator:

Animula vagula, blandula, *Pallidula, rigida, nudula*
Hospes, comesq; corporis, *Nec vt soles dabis iocos?*
Quæ nunc abibis in loca?

Talis est querela & dubitatio in mentibus nō confirmatis luce doctrinę (Christianæ.

Ignatius Martyr ad bestias damnatus, cum iam ad supplicium duceretur: Non curo, inquit, quo supplicij genere moriar. Frumentum autem

Dei cum sim, bestiarum dentibus comminui atque subigi delector, vt panis fiam mundus Christo, qui mihi panis est vitæ.

Polyænus non dolendum esse propter mortuos dicebat, quandoquidem melius sit mori, quam misere viuere.

Paulina vxor Senecæ, cum mariti mortem iam imminentem adeo graiter ferret: Seneca, Caue, ait, hanc meam mortem amplius vt contumeliosam defleas, ne vel minus amasse, vel gloriæ meæ inuidisse videaris.

Galienus Imperator cum patrem Valerianum audisset extinctum, vocem laudatissimam sine laude vsurpauit, dicens: Sciebam patrem meum esse mortalem.

Anaxagoras cum in exilio agenti nunciata esset mors filiorum: Sciebam, inquit, me genuisse mortales.

Telamon audiens filium sibi charissimum morte surreptum esse, vultu immobili, vir aduersus omnem iniquam fortunam infractus, dixisse fertur: Bene se res habet, ego enim quem genui, moriturum sciui. Cicero 3. Tusc.

Iulianus cum iam extremum traheret spiritū, audiens suorum lachrymas, ait: Nolite deplorare ac lugere Principem iam pridem moribundum, sed cœlo dijsque reconciliatum. Pont. lib. 2.

Cum quidam ex Medicis Platoni consilium daret, vt relicta Academia, loco pestilentissimo, in Lycæum scholam se transferret, nequaquam obtemperauit, dicens se producendæ vitæ causa, ne in Atho quidem summitatem transmigrare velle. Ælian.

Aristoteles frequenter dicebat, è vita migrare esse optimum, velut è conuiuio non sitibundum, nec temulentum.

Aristides, qui ob peculiares virtutes Iustus cognominatus est, interrogatus, quatenus deceat hominem viuere? Tantisper, ait, dum deprehendat emori præstare, quam in tot calamitatibus viuere.

Seuerus Imperator Eboraci in Britannia iam moriturus, deplorans humanas miserias dixit: Omnia fui, & nihil mihi prodest. Πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ.

Æschines mortem nequaquam terribilem, sed violentam affectionem circa mortem horrendam esse dicebat.

Gorgias Rhetor iam senex interrogatus an libēter moreretur? Maxime, dixit: Nam tanquam ex putri & diffluente domuncula non inuitus discedo. Idem iam vicinus morti, viribus deficiens sensim in somnum delapsus iacebat. Et si quis ipsum ex familiaribus interrogaret, quid ageret? Respōdebat: Iam somnus incipit me fratri suo tradere.

Cōtemptus mortis.

Percontanti cuidam, qua ratione sibi pararet eximiam gloriam? Agesilaus Rex: Si mortem, inquit, contēpseris. Nihil enim in bello præclaræ rei geret, cuius animum mortis metus occupauit. Idem affectus in omni vita mortalium à pulcherrimis facinoribus reuocare solet.

Saladinus Asiæ, Syriæ, atque Ægypti Rex, non minus sapere se in morte declarauit, quam ante rebus gerendis viuens fecisset. Iussit enim, vt interior linteus amictus, quo indui solebat, hastæ prælongæ impositus per castra portaretur. Et is qui eum ferebat, magna voce omnibus diceret: Saladinum Asiæ domitorem ex tantis opibus, quantas pepererat, vnum hunc linteum amictum secum in morte deferre. Sapienter enim, etsi sero humanæ miseriæ commonitus, eo modo alios quoque monere volebat. Fulgos. lib. 7. cap. 2.

Cuipiam percontanti, quam ob causam Spartaui impanide semet exponerent periculis? Quoniam, inquit Alcamenes, pro vita timere consuescimus, non aliorum more expauescere. Significans moderatam vitæ curam

addere

addere calcar ad fortiter agendum, immodicum mortis pauorem ab egregijs factis terrere. Plutarch.

Tectamenes, postquam Ephori capitis sententiam in ipsum pronunciassent, abijt ridens, rogantibus qui aderant, an etiam contemneret Spartanorum leges? Nequaquam, inquit, quin gaudeo potius, quod hæc mihi mulcta soluenda est, cum eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiam mutuo acceperim. Vir innocens non accusauit patriæ suæ leges, sed hoc fœlicitatis esse iudicabat, quod mori iuberetur, qui neminem ad mortem adegisset, nec cuiquam deberet vitam nisi sibi. Facete mortis pœnam vocauit mulctam, rem atrocem molliori vocabulo sighans. Iure autem cogitur soluere pecuniam, qui eam vel extorsit ab alio, vel mutuo sumpsit. Memi-nit huius & Cicero 1. Tuscula. his verbis: Cum Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tantopere contempserit, vt cum ad eam duceretur damnatus ab ephoris, & esset vultu hilari atque læto, dixisset que ei quidam inimicus: Contemnis ne leges Lycurgi? respondit: Ego vero illi maximâ habeo gratiam, qui me ea pœna mulcta uerit, quam sine mutatione & sine versura possem dissoluere. O virum Sparta dignum, vt mihi quidem qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse videatur.

Bassus senex, si quid incommodi aut metus in morte esse diceretur ab alijs, morientis hoc vitium esse dicebat, non mortis. Mors enim nihil incommodi hominibus affert, sed omnibus incommodis ac fortunæ miseræ procellis liberat. Seneca Epist. 30.

Epaminondas dicere solebat pulcherrimum esse genus mortis in bello mori: quod hæc mors primum cum laude fortitudinis coniuncta sit, modo bellum geratur pro patria: deinde breuis non diu crucians hominem aut paulatim extabefaciens.

Idem cum grauiter & ad mortem vsque in clade cruentissima vulneratus esset, prostratus humi, interrogauit milites, an clypeus suus adhuc saluus esset, vt audiuit saluum, rogauit præterea, an hostes deuicti essent? Cum & hoc audiuisset. Nunc finis, inquit, vitæ meæ, sed melius & altius initium inuenit. Nunc Epaminondas nascitur, quia sic moritur.

Iohannis Euangelistæ mors.

Iohannes Euangelista per longũ æuum actæ vitæ minime æger, Ephesi longa ad populum de Christiana disciplina concione habita, cum postremo se nunc e præsenti vita migraturum denunciasset, prosequente eum lachrymis populo, ad effossum locum, quem ipse ordinauerat profectus est: atq; in eum descendens, cum extensus illic iacuisset, animam, vt Deo eam restitueret, egit: qui cum nulla seculari re grauatus esset, minime mirum est, tam facile corporis carcere liberatum fuisse. Fulgos.

Duo ad bestias damnati.

Nouum industriæ genus duo ad bestias damnati repererunt, vt se ea crudelitate ludibrioq; redimerent, quemadmodum Seneca scriptum reliquit. Nam cum curru ad theatrum deportarentur, vbi feris obijciendi erant, alter ipsorum cum dormire se fingeret, adeo caput inclinauit, vt inter rotæ radios illud inuolueret, rotaq; vertendo collũ eius frangeret. Alter autem cum obtinuisset, vt è curru leuandi ventris gratia descenderet, spongiam quæ in publicis latrinis ad purgandum anum ligno affixa manebat, gutturi tanta vi inseruit, vt confestim præclusa anima periret. Ibid.

Heracliti Ephesii mors.

Heraclitus Ephesius cum, vt hydropsin curaret, bouino stercore perunctus, sub Sole maneret, forteq; solum, is qui ministrabat, eum reliquisset, à canibus cum feram esse putarent, dilaniatus fuit.

Drusus Claudij filius.

Drusus Pompeius Claudij Cæsaris filius, cum puer ludens iactum in sublime pyrum ore excepisset, idq; alte in guttur descendisset, præclusa anima mortem obijt.

Grimoaldus Longobardorum rex, nono die, posteaquam Medicis cu-

tantibus in lacerto venam aperuerat, cum arcu columbam peteret, aperta repente vena, tantum effudit sanguinis, vt cum sanguine vitam quoque ageret.

Caroli Nauarrensis mores.

Carolus Nauarrensis rex Christi anno trecentesimo, atq; octuagesimo sexto post mille, cum senio confectus neruorum quoq; dolore laboraret, Medicis ita suadentibus, assui toto corpore linteum aqua, quæ viua dicitur, perfusum iussit: Cum autem qui linteum consuerat, candelę igne abrumpere filum peracto opere vellet, & parum considerate linteum lumine cõtigisset, statim totum concepto igne exarsit, neque ante ferre opem quisquam potuit quam Carolus Rex nimis propere sæuiente flamma combustus est. Cum ad repentinas ignis vires accederet, quod pedes ac manus lintei inuolutione vinctus, vna tantum lingua moueri poterat.

Mortis genus horrendum.

Nõ minus quoq; infœlix atq; incommoda eorum mors fuit, qui in Parisiorum vrbe cum Carolo Sexto Gallorum Rege personati sylueſtriũ virorum totum villosum corpus & formas sumpserant: Nam cum Regis frater Aurelianensis Dux, qui in eos forte incideraț, familiariter eos agnoscere vellet, accensum funale personatis admouit, vt eos diligentius intueretur. Itaq; cum flamma vnius velum, quod tenui lino pice illitum erat, corripuisset, & ignis ob picem repente sęuiret, ab eo in alios, qui prope erant, flamma transiuit, atq; ex personatorum numero duobus tum flamma oppressis, vix eo periculo eripi Rex potuit.

Georgius Clarentiæ Dux à fratre Eduardo, Quarto Britãnico Rege damnatus, vt sibi mortis genus eligeret, Cretici vini potu mergi atq; enecari voluit. Nam sicut Britannico potore dignum erat, vt potando moreretur, elegit.

Hæc aliaq; complura exempla quantis, & quam varijs casibus humana fragilitas exposita sit, nos commonent. Quę animo voluentes & modestiam colemus, & Deum sedulo inuocabimus, vt is vitę nostrę protector esse velit, & ex hac miseriarum valle ad cœlestem vitam facilem nobis largiri exitum.

DE SEPVLTVRA.

SEpulchra licet nihil fœlicitati defunctorum addere possint, magna tamen apud omnes ferme gentes eorum fuit religio, sic vt violatores sepulchrorum graui supplicio afficerentur. Apud Athenienses sepulchrorũ tanta cura fuit, vt etiam peremptos bello si quis Dux honestare sepulchro negl.xisset, capite plecteretur. Apud Hebræos lege cauebatur, ne hostem quidem insepultum relinquerent.

Nec vlla fere tam efferata gens, quæ non habendam sepulchrorum rationem senserit, præter nescio quos Lothophagos, quos ex vltima prædicant barbarie suos in mare defunctos abijcere.

Albani etiam curam mortuorum agere nefas arbitrabantur. Sabęi corpora defunctorum æque atq; stercus ducebant, quin etiam Reges in sterquilinia reijciebant.

Troglodytę mortui ceruicem pedibus alligabant, & raptim cum risu & iocis effereb antnullaq; loci habita cura mandabant terrę, & ad caput cornu caprinum affigebãt. Verum hos vt immanitate ac barbarie notissimos nemo non vituperandos, execrandosq; censuerit, longe etiam magis Scythas, quibus moris erat inter epulas honoris causa mortuos vorare. Nec tamen fuit id Scythis omnibus in more. Fuere & qui canes nutrirent in Hyrcania, quibus vita functos vorandos objcerent, proinde etiam sepulchrales dictos docuit.

Non tantum humanitatis, sed etiam plenum pietatis est officium, ho-

nesta

hesta sepultura mortuos ornare, præsertim inter Christianos, qui sciunt credentium mortem esse somnum, à quo in extremo die excitati cœlorũ regni cohæredes cum Christo filio ab æterno Patre suscipientur.

Quanta paternorum sepulchrorum apud Scythas reuerentia fuerit, inde patet: Dario totius regni viribus subinde impetũ faciente, Scythæ paulatim cedentes ad vltimas solitudines peruenerant. Interrogati tandem ab eo, quem fugiendi finem essent facturi? Responderunt se necagros nec villas, nec vrbes, pro quibus dimicarent, habere: Cæterum cum ad parentum suorum monumenta peruentum esset, tum demiq; sciturum Dariũ, quomodo Scythæ soleant præliari. Herodot.

Lycurgus sepulchrorum vniuersam superstitionem sustulit, permittẽs vt non solum intra ciuitatem humarentur cadauera, verum etiam vt monumenta templis vicina haberentur. Submouit & funebres expiationes, nec concessit vt quicquam vna cum cadauere sepeliretur (nam aliæ nationes, si quid fuisset viuo charissimum, id mortuo addebant in sepulchro, damnosa simul, ac ridicula superstitione, quasi mortui sentiant aliquid) sed in puniceo amictu & oleæ foliis ex equo omnes sepeliri iussit. Vetuit etiam titulos & inscriptiones addi monumentis, præterquam eorum, qui in bello cecidissent. Sustulit autem & luctus & funebres nænias, quas reliquorum hominũ vulgus incredibili sumptu & apparatu, etiam per conductos ploratores, celebrare consueuit, magna specie dementiæ, quasi manium sit vllus sensus: aut si quid sentiunt, iisdem rebus delectentur, quas in vita non iudicio, sed animi vicio dilexerunt.

Alexandri mater Olympias, cum audiuisset filij cadauer insepultum fuisse abiectum, inter lamenta dixit hoc quoque: O fili, tu, qui studebas cœli particeps esse, huc toto impetu properans: ne ijs quidem potiri potuisti, quæ sunt mortalium omnium communia, terra ac sepultura. Alexander viuus ambiebat diuinos honores; defuncto nec vltimus ille contigit honos quem quiuis homo persoluit homini, quamliber humili. Narrat enim Q. Curtius & Plutarchus, Alexandri corpus multis diebus insepultũ iacuisse ob graues Procerum concertationes de successione Principatus. Fuit & alter Alexãder Epiri Rex, Olympiadis frater, cuius corpus amne in hostium castra deuectum est, itaque ab his fœde laceratum. Vnius tamen mulieris opera sepultum est, licet mutilum. Liuius decad. 1. lib. 8.

Inexpiabile quondam scelus creditum est sepulchra violasse, adeo, vt lex sacrum esse locum iusserit, vbi corpus demortui iaceret, diceturque minxisse in patrios cineres, cui omnia sinistre cadebant & inauspicate. Rauis.

Macedonibus nullum fuit tam solenne militiæ munus, quam suos sepelire.

Ægyptij in domorũ ædificatione negligentes, miro sumptu, superbaq; magnificentia construere sepulchra consueuerant, operæque prodigiosæ Pyramides, quod existimarent, defunctorum domos sempiternas, viuorum vero domicilia esse velut vitæ momento trãseuntis diuersoria. Iidẽ mortuos condiunt & eos domi seruant.

Cyrus apud Xenophontem inhibet ne corpus suum auro & argento includatur, sed terræ mandetur protinus.

Zisca Hussitarum Dux & Imperator fortissimus, iam moriturus cum à militibus interrogaretur, quomodo sepeliri cuperet post mortem, Pellẽ, inquit, mortuo mihi detrahite, relictoque feris cadauere, ex cute tympanum facite, quo in prælijs vtamini. Et sic vt hostes nostri viuentis aspectũ non ferebant, ita mortui sonum, fugam adornantes, audire nequibunt. Æneas Sylu.

Rex Artaxerxes, mortua concubina sua vnice à se dilecta, cum audiuis-

set in Ionia Democritum doctum hominem esse, misit ad eum legatos petitum vt resuscitaret mortuam. Respondit Democritus: Res est magna & difficilis, sed huic se posse mederi, si Rex pararet remedia, quib. opus esset. Cū hoc respōsum ad Regem esset allatū, dixit Rex, se curaturū, vt haberet remedia, si indicaret, quæ ad hæc necessaria essent. Democritus respondit: Triginta nomina hominum inscribēda esse sepulchro talium, qui singuli annum attigissent vicesimum, & nihil dolorum experti fuissent, tum vero concubinam suam reuicturam. Sed Rex hæc nomina inuenire non potuit. Significatum est hac narratione, nullum hominem victurum esse, qui non aliquas huius vitæ ærumnas senserit.

DE MORTE, EX COLLOQVIIS D. Martini Lutheri.

PVerorum, qui septimum nondum exeesserе annum, mors omnium est facilima. Vt primum autem adoleuit homo, mortis & inferni terrores eum infestant. Puerorum fides simplex est, nec ipsi vlla vel disputatione aut hæsitantia agitantur, sed fidem ijs quæ de Deo & vita æterna audiunt, habentes, quasi in placidu a soporem deferuntur, angustias & dolores mortis infernique haud sentientes.

Mors quæ propter Christi nomen sustinetur, preciosa admodum est in conspectu Domini. Omnibus nobis mors impendet, & quidem vt peccati pœna. Verum si propter confessionem veritatis in Christo reuelatę morimur, tum reuera mortem admodum glorioſam oppetimus, regale Sacerdotium per eam adepti, coronaq; Martyrij ornati.

In omnibus creaturis æterni Dei omnipotentia manifestatur. Occidit ipse & viuificat. Somnus quid aliud est quam mortis imago, vel mors ipsa? Et rursus mors ipsa quid aliud quam somnus? Per somnum omnis lassitudo è membris exigitur, vigor totius corporis reparatur, & membra omnia recreātur, vt expergefactus homo ad labores suos, multo alacrior & promptior redeat. Haud dissimilem ad modum in nouissimo die è sepulchris resurgemus, quasi per vnius noctis spacium somno indulsissemus. Membris omnibus nouus inerit vigor, nulla lassitudo ea debilitabit, nulla caries arrodet.

Cum exploratum habeamus, omnino moriendum nobis esse, Christumque nostrum esse Dominum, & nos in nomen eius baptizatos esse, cur ergo mortem horremus? præsertim cum nihil ea incommodi nobis afferre possit?

Iohan. 8. Seruator Christus ait: Si quis sermonem meum seruauerit, nō gustabit mortem in æternum. Hoc dictum Christi Lutherus his verbis enarrabat: Mori omnino cogimur, & mortem pati. Sed hæc admirandæ bonitatis est promissio, quod verbo Dei quisquis adhæreat, mortem non sit gustatur[a], sed quasi in soporem leniter delatus ex hac vita excedat, nec moriatur, sed dormiat. Verum qui extra verbum Dei vagatur, ei inter grāues angustias & terrores moriendum est. Quare consultissimum fuerit, ingruente mortis hora omnes ex animo disputationes abijcere, & vera fide hisce verbis insistere: Credo in Iesum Christum Dei filium, plura nescio, nec scire desidero.

Gustare mortem ipsa, aiebat, desperatio est, Christi fideles mortē non gustabunt, nec enim desperationi locum dant, quæ licet interdum eos infestet, virtute tamen Spiritus sancti sustentati liberantur.

Mortem contemnere ei perfacile est, qui Christum Redemptorem agnoscit. Vincentius moriturus insultasse fertur morti, cum terram eius imaginem pedibus astantē videre sibi videretur, se Christianū esse dicens,

in quo

in quo, sicut nec in ipso Christo nihil iuris mors habeat. Pari magnitudine animi & diuus Martinus mortem abegisse fertur, Quid, inquiens, tu hic stas horrenda bestia? nihil iuris habes in me.

Conspicatus aliquãdo Lutherus hominem mœrore & tristitia seipsum conficientem, Quæ, inquit, ista animæ perturbatio? Nullæ sunt ergo cogitationes aliæ, quibus animum tuum occupatum reddas, nisi de peccatis tuis, morte & damnatione? Oculos inde auerte, & huc respice ad Christum, de quo scriptum est: Quod conceptus sit de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus, mortuus, & sepultus, & quod descenderit ad inferna, tertiaq; die resurrexerit, & ad cœlos conscenderit. In quem finem hæc facta putas? Nunquid vt aduersus mortem & peccatum te cõsoleris? Quæ ergo causa esse queat vel timoris vel desperationis? Si Christi abesset gratia, si ipse pro te non sustinuisset tanta, iusta tibi mœroris & timoris causa esset: Verum is præsto est, mortem pro te subit, & victor eam perimit, vt tu inde te consoleris, & aduersus Satanam firmum sit tibi præsidium. Is collocat se ad dextram Patris sui, vt tuam agat causam. Hanc quisquis consolationem negligit, is Christo neglecto Mosem intuetur, ex cuius lege nil præter angustias, terrores, & desperationem percipit.

Fidelis animæ vox ad Christum.

Ego sum tuum peccatum, tu mea iustitia. Triumpho igitur securus. Quia nec meum peccatum obruet tuã iustitiam, nec tua iustitia sinet me esse aut manere peccatorem.

Benedictus Dominus Deus meus, Miserator meus, & Redemptor meus, in te solum confido, nunquam erubescam.

Precatio M. Viti Theodori.

Sum tuus in vita, tua sunt mea funera Christe,
Da precor Imperij sceptra tenere tui.
Cur etenim moriens tot vulnera sæua tulisti,
Si non sum regni portio parua tui?
Cur rigido latuit tua vita inclusa sepulchro,
Si non est mea mors morte fugata tua?
Ergo mihi certam præstes, ô Christe salutem,
Meq; tuo lotum sanguine Christe iuua.

M. Vitus Winshemius.

In te Christe mori, quam fœlicissima mors est,
Cum potius vitæ mors ea principium.
Transitus è viuis vitæ melioris origo,
O vtinam liceat sic mihi Christe mori.

Vndequaq; causam Deum laudandi eiusq; gratiam & opera celebrandi Martinus Lutherus arripiebat: Cum anno nono & tricesimo supra mille quingentos in hortis obambularet, plurimumq; vernalis temporis circa florum fragrantiam, gemmantesque arbores miraretur amœnitatem: Benedictus sit Deus, aiebat, omnium rerum Cõditor, qui emortuas creaturas vere splẽdente viuificat. En quanta ramorum gratia, succi & pinguedinis pleni sic protuberant, ac si prægnantes essent, partuique vicini. Insignis mortuorum Resurrectionis hæc est imago. Hyems mortis instar se habet, æstas resurrectio est mortuorum, nam omnia tum reuiuiscunt, & nouo flore se induunt.

Homo totus nihil aliud est, quam mors ipsa. Quot membra in nobis sunt, tot sunt & mortes. Ex omnibus corporis nostri membris mors prospicit, & nos in media vita morti sumus subiecti. Nam diabolus, qui & Princeps & author mortis est, nihil aliud nisi mortẽ aduersus nos molitur, tum nos peccatis nostris eam meruimus. Quare mortis horam certo ex-

pectemus. Sed aduersus Christi fideles omnes eius conatus erunt irriti. Agite prompto moriamur animo, vt desinat aduersus nos fremere Satanas. Duplici nomine mortem ego merui, primo respectu Dei, quia peccator sum, eoque nomine vere doleo: Deinde respectu Satanæ, quia regnum eius, quod est regnum mendacij & homicidij, auctore Christo deuastaui. Quare vicissim mihi nec immerito mortem minatur.

Dicebat idem, mortem fœliciorem haud esse posse, quam Sancti Stephani fuerit, Christum hisce verbis inuocantis: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Nempe nulla vel peccatorum vel meritorum nostrorũ enumeratione opus est, sed solius Christi gratiæ firmiter innitendum. Didicit hanc moriendi rationem Stephanus a duabus personis eminentissimis, Christo & Dauide, quibus sua sanctimonia procul cedunt omnes Monachorum phalanges, qui tamen obliti gratię Diuinę, in vanissimis suis meritis fiduciam collocant.

PRECATIO MARTINI LVTHERI, IN EXTREMA hora mortis recitanda & meditanda.

OMnipotens æterne Deus, Deus gratiæ & misericordiæ, Pater Domini Iesu Christi, citra omnem hæsitantiam scio, te quicquid promiseris & velle & posse præstare. Nec enim fallere tu potes: Verbum tuum verax est. Tu in principio statim Filium tuum vnicum Iesum Christum mihi promisisti, is in mundum venit, & me à Satana, morte, inferno, & peccatis liberauit. Et vt plenius de hac sua gratia me confirmaret, Sacramentum Cœnæ & Sacramẽtum Baptismi largitus mihi est, in quibus remissionem peccatorum, æternam vitam, omniaque cœlestia bona mihi offert & donat. Qua eius promissione fretus illis vsus sum, & in fide firmiter verbis eius innixus ea mihi quoque applicaui. Quare prorsus nihil dubito, me à Satana, Morte, inferno, & peccato securum esse. Quod si hęc mea hora est, & tuæ id placet voluntati, in pace & gaudio, tuo innitens verbo, lubens ex hac vita excedam, Amen.

Schola fidei est mortis meditatio.
Absumpta est mors in victoria. 1. Corinth. 15.
Si mors? Ergo peccatum.
Si mors? Ergo omnes morbi.
Si mors? Ergo omnis miseria.
Si mors? Ergo omnes diaboli vires.
Si mors? Ergo omnes mundi furiæ.

Si ista nondum, imo contraria apparent, igitur fide opus est. Fidem enim sequitur aperta rerum facies suo tempore, vbi inuisibilia nunc, fient visibilia tunc.

Alia vice mentionem faciens dicti illius, 1. Corint. 15. Absorpta est mors in victoria: subnectebat dictum, Esaiæ cap. 25. Præcipitauit mortem in æternum.

Et porro subijciebat: Quandiu viuit Adam, hoc est, quandiu peccat homo, mors vitam absorbet. Cum autem Christus moritur, id est, cum iustificatur homo, tum vita, id est, Christus mortem absorbet. Benedictus ergo sit Deus, quia Christus moritur, & victoriam nihilominus obtinet.

Christus vita est & resurrectio, ei nos totos committamus, is corpora nostra resuscitabit, is vitam æternam nobis largietur. In eum iactemus curam nostram. Acquiescamus promissioni eius, dicentis: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Iohan. 14.

DISTI-

DISTICHA FRANCISCI PETRARchæ de morte.

1. CVr mortem metuis, finis quæ sola laborum est?
   Omnibus est tandem lex data certa mori.
2. Quid tibi præscriptam properas abrumpere vitam?
   Quæ tamen ipsa breui sponte sua fugiet.
3. Debita naturæ solui, lætare triumpho,
   Corporeo tandem carcere liber abis.
4. Tardius an citius nil refert si moriare,
   Semper enim iusto tempore mors veniet.
5. Vnicuiq; modum moriendi fata dedere,
   Et bene qui vixit, non male obire potest.
6. Si meruit scelus infami te morte perire,
   Æquo animo quæ fers, sustine saluus eris.
7. Cum mortis genus & metam nescimus, & horam,
   Ad tempus mortis nos præparare decet.
8. Sæpe solum natale miser fœlicius extra
   Ægrotat, quam si viueret in patria.
9. Sæpe solum natale mori fœlicius extra
   Contigit ægroto, quam peruisse domi.
10. Heu male decedit, vitam qui crimine finit,
    Orandus Deus est det bene posse mori.
11. Nil te sollicitent morientem commoda rerum,
    Nil ferret e mundo qui nihil intulerit.
12. Ne quæras post te tua quid factura sit vxor,
    Discessu namq; est libera facta tuo.
13. Fac patriæ casus perituræ non moueant te,
    Inuenies aliam, sed sine morte domum.
14. Si bene vis de te post mortem fama laquatur,
    Illustrem reddent te benefacta tua.
15. Mors leuior multo sine natu, prole carentem
    Natorum insidiæ nec mala fama premet.
16. Non sis sollicitus, quo tu condare sepulchro,
    Cum tua sit tandem restituenda caro.

Hæc Franciscus Petrarcha.

Vitæ humanæ Regula in sequentibus versibus nobis proponitur.

Nec pecces, Deus ipse videt, tuus Angelus adstat,
Accusat Satanas, & lex, mens conscia culpæ.
Mors incerta furit, cruciat te luridus Oreus,
Et manet æternum tristi damnatio pœna.

Item:

Si quid adhuc sumus, ærumnæ sumus, atq; labores,
Noster & est omni parte dolere dolor.

Epitaphium Matheſij in vallibus Ioachimicis, Euangelium Christi syncere quondam docentis:

Quondam puluis, & in cineres resolutus auitos,
Non cedam radijs splendide Phœbe tuis.

Item:

Ex cineris massa, salsæq; antyllidos herba,
Formari flammis lucida vitra solent.

Sic cinis ater eram, cineres nunc soluor in atros.
Sed nitidum summo corpus habebo die.
Doct. Major.

Romæ in tumulo:

Quid gemis heu tanto felicia funera luctu?
Turbantur lachrymis gaudia nostra tuis.
Parce, precor, questus tristes effundere, vixi:
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura peri, sed tu diuturnior annos
Viue meos coniunx optime, viue tuos.

Ibidem:

Anxia me miserum multos post vita labores
Liquit, & immerito funere procubui.

Ibidem:

Hospes disce nouum mortis genus: improba feles
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Postremum hoc Epitaphium nos monet variorum casuum, per quos hominum vita de improuiso abrumpi solet. Quorum in precedentibus etiam exempla aliquot posita sunt.

Scripsit Plinius multa morborum esse signa, securitatis nullum, maxime cum nemini sit exploratum, se ad vesperum vsq; victurum. Cn. Bebius prætura functus, cum à puero quæsijsset horas obijt. Dictatoris Cæsaris pater mane cum calciaretur, è viuis discessit. A. Manlius Torquatus Consularis cum in cœna placentam appeteret, interijt. Gaudio Siciliæ tyrannus vitam cum morte commutauit. Pudore Diodorus Dialecticæ professor expirauit, lusoria quæstione non protinus ad interrogationem Stilponis dissoluta. Scilicet certa per incertas mors venit atra vias. Colamus ergo in vita nostra modestiam, & Deo gratias agamus, quod voluntatem suam in filio suo Iesu Christo nobis reuelarit, per quem superatis omnibus vitæ huius difficultatibus ad cœlestem patriam deducimur, æternæq; vitæ gloria ornamur. Cui Patri æterno, & Filio eius Seruatori nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto, sit gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen.

FINIS.

INDEX.

INDEX LOCORVM COMMVnium præcipuorum, qui in quolibet Præcepto tractantur.

PRIMVM PRÆCEPTVM.

1 Abusus primi Præcepti. 8.39
2 Confessio & mors duodecim Apostolorum, Euangelistarum, & aliquot Prophetarum. 10.20
3 De Martyribus. 9.41
4 Illustrium matronarum & sanctarum virginum confessio, crux & martyrium. 29.29
5 Multorum simul martyria. 33.21
6 Romani Episcopi vel pontifices martyrio coronati. 46.3
7 Martyres nostri seculi. 50.4
8 De Idololatria, eiusq; ortu. 68.24
9 Idololatria Vandalica. 73.39
10 De hæreticis & idololatris, & pœnis eorundem. 77.38
11 De peregrinationibus ad loca sancta. 96.16
12 De reliquijs Sanctorum. 99.4
13 Origo Mahometi. 101.35
14 De cultoribus Sathanæ. 104.6
15 De Lycaonibus & Pilapijs. 105.1
16 De secta Anabaptistarum. 107.6
17 De secta Dauidis Georgij. 110.14

SECVNDVM PRÆCEPTVM.

1 Violatores Præcepti secundi. 113.27
2 Abusus veritatis Euangelicæ. 115.5
3 Pœnæ blasphemorum nostræ ætatis, & exempla horrendæ defectionis. 120.5
4 De iureiurando. 128.7
5 Sacramenta & fœdera Magnatum. 130.38
6 De blasphemis, eorumq; pœnis. 137.40
7 De potestate Sathanæ. 141.10
8 De phreneticis, & a Sathana obsessis. 155.37
9 De Magicis artibus. 165.29
10 Miræ & variæ maleficarum præstigiæ, ex malleo maleficarum. 173.47

TERTIVM PRÆCEPTVM.

1 Præcepti huius cultores, & violatores. 180.25
2 De conuersione & propagatione Ecclesiæ. 184.8
3 De verbo Dei audiendo aliquot similia. 198.19
4 Prophanatio Sabbathi punita. 200.20
5 De oratione. 202.48
6 Sententiæ piæ de oratione. 215.9
7 De Angelis. 223.1
8 Apparitionibus non credendum. 236.10
9 De Iustificatione. 238.33

10	De cruce & afflictione.	250.28
11	Sententiæ patrum de cruce.	256.8
12	De Allegorijs.	260.22
13	Non in pane solo viuet homo.	274.43
14	De assiduitate lectionis Theologicæ.	276.15
15	Vita, confessio & mors D. Martinii Luth. Philippi Melancht. Iohannis Friderici Principis Electoris.	279.26.&c.
16	De pœnis persecutorum Ecclesiæ.	290.50
17	Excidium Hierosolymitanum.	306.11 &c.
18	Narratio de Iesu Christo, Mariæ & Dei filio, ex Suida.	309.27

QVARTVM PRÆCEPTVM.

1	Præcepti huius cultores.	313.39
2	Præcepti huius transgressores.	314.41
3	De liberorum pietate in parentes.	316.11
4	De impietate liberorum in parentes.	325.25
5	De amore & indulgentia erga liberos.	333.20
6	De ira & seueritate parentum erga liberos.	336.38
7	Cædes liberorum ex nouercarum odio perpetratæ.	340.41
8	Parentes qui liberos suos deuorarunt.	341.37
9	De parentibus dira liberis imprecantibus.	343.1
10	De odio diaboli erga parentes & liberos.	344.23
11	De custodia Angelorum circa liberos & parentes.	347.48
12	De educatione liberorum.	347.48
13	Senectutem esse honorandam.	354.40
14	De eruditione magnorum Principum.	356.1
15	De doctrina & eruditione fœminarum.	357.37
16	De charitate in patriam.	359.25
17	De proditoribus patriæ.	368.51
18	De transfugis.	371.21
19	De gratitudine.	374.3
20	De gratitudine beluarum.	378.1
21	De ingratitudine.	383.20

QVINTVM PRÆCEPTVM.

1	Violatores quinti Præcepti.	392.42 &c.
2	De homicidijs magnorum Principum.	393.50
3	Iudæorum homicidia.	404.19 &c.
4	De nequitia tyrannorum.	ibid.51
5	Crudelitatis tyrannicæ erga subditos pœna.	417.21
6	De ira, odio, & inuidia.	419.1
7	De abstinentia & continentia ab ira, odio, & inuidia.	427.47
8	De seditionibus & pugnis.	432.11
9	Clades aliquot memorabiles.	436.16
10	Turcarum aduersus Christianos victoriæ.	439.38
11	Signa calamitatum & cladium.	443.17
12	Bella a mulieribus gesta.	444.11
13	De victoria.	445.44
14	Ante victoriam non triumphandum.	449.10
15	Insignium aliquot heroum res gestæ & victoriæ.	461.22
16	Qui suis periere viribus.	464.41
17	Monomachia vel singulari certamine illustres.	465.24

18	Somnijs alijsque portentis victoriæ & clades diuinitus præmonstratæ.	468.10
19	Ad victoriam plurimum confert præsentia Ducis.	475.18
20	De pace & concordia.	475.42
21	De amicitia.	482.7
22	De misericordia erga hostes exercenda.	493.50
23	De homicidijs, alijsque tragicis casibus.	496.36
24	De ijs qui sibi mortem consciuerunt.	503.6

SEXTVM PRÆCEPTVM.

1	Castitatis cultores.	514.39
2	Pœnæ impudicitiæ.	515.3
3	De castitate piorum hominum.	516.13
4	De castitate virorum illustrium.	518.1
5	Osores impudicitiæ.	519.16
6	De castitate virginum & vxorum.	523.12
7	De amore coniugali.	529.23
8	Pœnæ scortatorum.	536.47
9	Bacchanaliorum fœditas.	553.1
10	De odio & inuidia diaboli erga coniugatos.	554.19
11	Mordax maleuolorum hominum lingua coniugij pestis.	561.22
12	Concubitus cum masculis.	564.30
13	Mendacia Monachorum.	566.45

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

1	Pœnæ furti.	570.34
2	De sacrilegijs.	572.7
3	De latronibus.	582.47
4	De vsura & fœneratoribus.	587.51
5	De auaritia.	598.31

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

1	Octaui Præcepti cultores.	618.48
2	Exempla violatorum octaui Præcepti.	619.13
3	Testimonia sacrarum literarum.	620.3
4	De Iustitia, Iudicio, & Iudicibus.	ibid.51
5	De iudicibus incautis.	624.52
6	Exempla de iudicio & iustitia.	627.32
7	Magistratus & iudicum officium circa veritatẽ tuendam	629.46
8	Sententiæ secundum iustitiæ normam a censoribus & iudicibus latæ.	635.3
9	De clementia.	639.3
10	De calumnia & obtrectatione.	640.49
11	De detrectatoribus & proditoribus.	647.35
12	De disquisitione per tormenta.	663.8
13	De ijs qui aduersus tormenta fuerunt inuicti.	666.1

NONVM ET DECIMVM PRÆCEPTVM.

1	De abstinentia & concupiscentia.	670.38
2	De cupidine regnandi.	679.24

3	De auaritia in vectigalibus.	684.10
4	De censu ab Augusto indicto.	687.51
5	Vxorem proximi non concupiscendam.	697.36
6	De Coniugio.	700.48
7	De coniugio iterato.	707.11
8	De humilitate.	709.33
9	De ambitione & superbia.	716.19
10	De vestitu.	730.30
11	De abstinentia & sobrietate.	738.35
12	De gula, ebrietate & prodigalitate.	747.7
13	De labore & otio.	763.16
14	De fortnna, fœlicitate & infortunio.	771.46
15	Exempla mortis infœlicis.	787.15
16	Quoties fortuna singularis impendet, ea signis præmonstrari solet.	778.51
17	De morte, & immortalitate animæ.	791.49
18	De sepultura.	802.33

FINIS.

RERVM

RERVM AC VERBORVM MEMORABILIVM, MAXIMEQVE obseruandarum Index.

A.

Aaron 180.45
Aaron idololatriæ autor 76.38
Aaronis filij igne cœlitus immisso absumuntur 8.45
Abbas Kemptensis 56.17
Abbatis Fuldēsis superbia 725.25
Abbon martyr 38.5
Abdiramus Saracenorum rex 438.4
Abednego 8.25
Abelottæ, quē & Abeliani 89.28
Abgari ad Christum Saluatorē literæ 14.10
Abihu 8.45
Abimelechus homicida 392.49
Abiron 113.42
Abnegatores Christi 115.13
Abrahamus Auarorum princeps 193.15
Abrahamus Patriarcha 461.24 482.10.432.30
Absolon 315.8.393.17
Abstinētia Pauli Æmylij 675.50
Abundius martyr 255.29
Acepsimas Episcopus martyr cū tribus presbyteris 23.12
Achabus 9.23
Achitophel 315.4
Achilleus martyr 36.47.39.32
Achor Cyrenaicorū idolum 70.
Acindinus Antiochiæ præfectus 545.25
Actiaca victoria Augusti 453.34
Actius Nauius nouacula cotem discindit 70.42
Ad iracundiam procliues imperiosi apti sunt 425.20
Adamus Steckmannus liberos suos interficit 345.31 &c.
Adalgisij erga Imperatorem perfidia 652.51
Adamiani 89.21
Adancus 35.13
Adelbertus Pragensis in Prussia Christum docens, martyrio afficitur 195.16
Adiochus martyr 38.52
Admetus rex Molossorum 496.19 531.3
Adolescens diabolo se dedit 164.35
Adolescentes execrationibus diris inter sese certantes 139.41
Adolphus Clarenbach martyr 54 37
Adolphus Nassauiensis 135.47
Adolphus Anhaltinus Merseburgensis Episcopus 273.19
Adolphus erga patrem Geldriæ ducem impius 328.23
Adolphus Imperator 401.24
Adonibesech 405.11
Adrastus Gordij filius 506.23
Adrianus Imp. 182.55
Aduersus hostem, non aduersus naturam pugnandum 365.36
Adulter fame necatus 550.26
adulterij pœnæ apud Saxones, 541 37. apud Ægyptios 706.50
Ædituus insons homicidij reus agitur 664.48
Ægeas 11.6
Ægeus 333.37
Ægles mutus indignatione vocalis euadens 779.29
Ægyptiorum libidines 547.10 superstitio & idololatria 69.33
Ælius prætor 366.25
Ælius Pertinax Imp. 715.17
Æmilius Lepidus 319.21
Æmylius Paulus 365.42
Æqui fœdifragi 131.1
Æsculapius Romam translatus 74.45
Æsopus Phrygius 387.15. præcipitatus 656.36
Ætas bellatrix 464.9
Æthiopum amicitia cum rege 489.4
Agareni 90.29
Agathonice martyr 17.22
Agesilaus 129.28
Agesilaus cum liberis suis ludit 336.20
Agesilaus rex 715.34
Agesilai clementia 496.29
Agilulfus Longobardor. rex 192.26
Agis rex Spartanus 350.47
Agis Lacedæmonius 449.33
Agis rex Lacedæmoniorū 798.35
Agnes virgo sancta 523.24
Agrigentinorum luxus 753.11
Agrippa erga Thaumasiengratus 375.28
Agrippa erga Simonem clemens 639.32
Agrippicus adolescēs 15. annorum martyr 38.10
Agrippitus martyr 298.37
Aistulfus Longobardorum rex 133.28
Aithalas 23.35
Alagisus ingratus & iniustus 692.36
Alamundarus Sarracenus Princeps 82.40.230.11
Albanenses 90.12
Albanus Britannus vltro se loco Sacerdotis martyrio offert 41.46
Albanus diuus 193.51
Albertus Krantzius 277.23
Albertus Austriacus perfide necatur 135.50.400.47
Albertus comes Franconiæ 132.24
Albertus Saxo dextra Imperij manus 464.26
Albertus Brandeburgius Achilles Germanicus ibid.28
Albertus Landtgrauius Thuringiæ 554.50
Albi ijdem qui Albanenses 90.12
Albidius perditissimæ vitæ adolescens 752.28
Albigenses hæretici 89.48.438.35
Albinus Imperator edax 753.40
Alboinus rex Lōgobardorū 700.5
Alcamenes Telecri filius 741.4
Alcæstis Admeti vxor 531.3
Alcibiades 472.35
Alcoranus Mahometis 102.48
Aldo 143.18

Alcatores

Aleatores blasphemi 140.31
Alemanni per Italiam sauiunt 300.47
Alexander erga Clyturn & Callisthenem ingratus 388.5
Alexan. Hierosolymitanus 22.9 Alexadrinus ibi. 13. Constantinopolitanus ibid. 17. Phrygius ibid. 22
Alexander Roman. Episcopus cũ MCCL. martyrizatur 37.34 46.22
Alexander Constantinopolitanus Episcopus 81.15
Alexander Theræus 407.13
Alexanden Magnus, Lampsacũ diruere iuramento proprio prohibitus 129.22. 131.52. 131. 52 356. 23. 387.55. 427.28. 477 14. 449. 12. 472. 6. 494. 21. 724. 33. 762. 1
Alexander Sextus pestis maxima 170.4. 498.4
Alexander seruus Fanny 663.23
Alexandri III. perfidia erga Fridericum Barbarossam 649.37
Alexandriæ in Christianos sauitum 254.46
Alexij perfidia 45.45. 586.48
Alexij cõiunx regni proceres immani cõsilio e medio tollit 503. 16
Alfredus Britannorũ rex 469.37
Almaricus rex Visigothorũ Arrianus 87.4
Almaricus hæreticus sub Ottone Quarto 90.46
Almarius Pannonius 522.5
Alphonsus Diazy frater 125. 43 497.8
Alphonsus Siciliæ rex 431. 21
Alphonsus Aragonum rex 324. 15. 357. 1. 391. 46. 450. 4. 494 51. Ipsius gnome de morte 797. 26
Alphonsus Daualus Piscarius 522.52
Aluarus ingratus 133.20. 389.34
Amalasuintha 357.44
Amalecites de Sauli regũ cæde gloriatur 393 9
Amasis Persarum Dux callide periurus 132.52
Amazones 444.12
Ambrosius Theodosium excommunicat 420.10
Americus cum coniuge martyrio affectus Parisijs 86.8
Amici possessio optima 484.1
Amicorum paria 489.32
Amicu quatenus succurrendum 490.4
Amilcar 427.32. 470.7
Ammon Ægyptius 212.28
Ammonius Ægyptius Monachus 711.3
Amor Antonini philosophi erga subditos 712. Serui erga herum suum 486.2. Lucilij erga Brutum 485. 18. Volumnij erga Lucullum 484.34
Amor coniugalis illustris 535. 53
Amoris coniugalis exempla illustria 529.23 &c.
Amos Propheta ab Ozia interfectus 15.47
Amnestia apud Athenienses & Romanos decreta 477.38
Amphilochius senex Arrianorũ impietatem insigni Chria damnat 83.13
Amphilochius tribunus diuino iudicio punitur 626.38
Amurates Turca 130.40. 440.1
Amyntas 411.29
Anabaptistæ 107.5
Anabius a dæmonibus abreptus 29.24
Anacletus 46.12
Anna Askenne martyr 59.37
Anabaptistarũ sectæ histor. 107.5
Anastasius Imp. Eutychianu fauens fulmine ictus 81.35
Anastasius Persa martyr 253.52
Anastasius Dicorus Eutychianis addictus 300.24
Anastasius Persa Monachus 302 36
Anastasia martyr 32.20.40.38
Anastasia Chrysogoni discipula 358.46
Anastasia Romana 482.42
Anast. Constantinopolitana 526.19
Anaxarchus Abderites 486.14
Anaxarchus patientiæ æmulus 666.33
Anaxilaus patriæ seruator 365. 29
Anaximenes 129.23
Ancharus filius Midæ 362.24
Andebundus rex Anglorũ 750.33
Andreas præsigiator 144.37
Andreas Mercker ex vndis ereptus 233.1
Andreas Apostolus 104.9
Andreas Vngariæ Rex 304.44 ab vxore trucidatur 555. 54. 556. 1. huius Regis iustum iudicium 544.1 &c.
Andragasina virgo 528.37
Andronicus tyrannidem occupat 412. 39
Ansgarius Episcopus 193.27
angeli 223.1. 346.43. Gaiinã terrent 224. 18. victoria Constantinopolitanis denunciant 230.7
angelorum pugna aduersus diabolos 235.54
Angli ad fidem conuersi 187.43
Anius Thuscorum Rex 334.13
Antalcidas 711.40
Antichristi Romani aduersus Ecclesiam filij Dei tyrannis 36.3
Antidius Vesontiens. Episcopus martyr 44.19
Anthimus martyr 34.48
Anthropomorphitæ 86.41
Antiochena seditio 481.34
Antiochia terræ motu quassata 225.28
Antiochiæ ruina 84.46. 272.45 301.36
Antiochus Eupator 114.45. Epiphanes 291.25. 572.22
Antiochus Seleuci filius nouercæ amore flagrans, in morbum incidit 334.41
Antiochus Theos 555.26
Antiochus Magnus Syriæ Rex 572.19
Antiochus in venatu a famulis aberrat 639.9
Antiochi strages 448.31
Antigoni erga Demetrium pietas 318.45. 323.36
Antipater e iudicum numero mouetur 628.28
Antigonus Clemens 429.21
Antoninus Caracalla tyrannus 686.14
Antoninus Verus 294. 27. 296. 32

Antoninus Heliogabalus 167.10
Antoninus Bassianus Caracalla 397.8
Antoninus Pius 203.2
Antonini Philosophi amor erga subditos 687.38
Antonia Drusi vxor 708.5
Antonius Monachus 207.22
Anto. Ægyptius Monachus 276
Antonius Eremita fulloni cõparatur 239.11
Anton. Bassianus Caracalla 744.30
Antonius Panormitanus 357.8
Antonius suo incumbit gladio 505.42
Apameense templũ 84.6
Apparitionibus non credendum. Apparitionũ varia exempla 236.8. &c.
Apelles Ephesius pictor 640.51
aper in Augustum irruit 640.2
Aphraates Monachus Valentis tyrannidẽ reprehendit 18.43
Aphthardocita 84.50
Apis Ægyptius 70.10
Apollo 69.3
Apollonia martyr 32.30
Apollonius cum Monacho ab angelo liberatur 228.39
Apollonius martyr 20.6
Aopollonius Abbas nihil coctum gustauit 740.7
Apollony Tyanæi labores ac peregrinationes 769.15
Apostoli anabaptistici 109.16
Apries Rex Ægyptiorũ 718.40
Aprosassius persecutor 298.34
Apteras 338.27
apum allegoria 271.50
Aquary hæretici 91.13
aquilæ gratitudo 379.46
Ara Herculis 77.29
Arantius Paterculus 416.48
Aranty vxor 334.21
Arbogastus perfidus 390.6
Arbogastes 511.33
arbor duritiem lapidis assumit 201.10
arcæ fœderis 260.47
Arcadij preces 210.28
Arcesilas Philosophus 489.23
Archelaus Macedoniæ tyrannus 411.10
Archemenidis in respuendis munerib. generositas 671.54.672.1
Archidamus arbiter inter duos litigantes 638.54.639.1
Archippa Themistoclis vxor 535.38
Architas iratus non voluit in delinquẽtes animaduertere 431.3
Areopagitarũ sententia in nouo homicidij casu 635.29
Aretaphila Nicocreõtis vxor cõstãter tormẽta pertulit 663.47
Arete Aristippi filia 358.9
Aria Pæti vxor 511.8
Ariarathes Rex Cappadociæ 504.53
Ariobarzanes 335.3
Ariõ Cytinæusº 270.22.382.34
Aristobul. parricida 406.1
Aristobulus Historicus 644.28
Aristides 367.48.386.14. eius filiæ ab Athenien sibus elocatæ 375.5
Aristippus 340.13.349.9
Aristomenes Messenius 462.9
Aristoteles Alexandrum ira excandescentẽ & literas placare studet 431.6
Aristoteles pro patria solicitus
Mulus 389.13 (367.15
Armentarius Pseudopro. 97.42
Arnolphus Imp. 299.31
Armleder rex rusticorũ 404.26
Arriani ad syncretorẽ fidẽ cõpulsi 191.42
Arriani & Orthodoxi certãt pro cibus 206.4
Arrianorum calumniæ aduersus Athanasium 653.18
Arrius 22.19.81.7.183.24
Arsacius dæmoniacum sanat 207.8
Arsenius Abbas 241.3
Arsenius filiorum Theodosij præceptor 348.51
Artabanus 473.11
Artaxerxes Ochus 394.13
Artaxerxes 320.39.339.35 ipsius insigne facinus 637.28 cocubina 803.55
Artaxerxi hausti aquæ offert rusticus 375.11
Artemisia 445.8.531.29
Artemoniæ sacrã scripturam de prauant 46.55
Arturus rex Britanniæ bellicosissimus 463.3
Ascanes 68.25
Asclepiades 42.12
Asdrubal eiusq; vxor 507.9
Asinarij dicti Romanis per contemptum Christiani 117.28
Asmundi & Asuiti amor 487.51
Aspasia Milesia 359.22
Assertius precib. suis Sathanicas pellit præstig. 204.45.302.33
Astyages Medorum rex 471 28
Astydamantis voracitas 761.30
Athalia tyranide arripit 405.18
Athanasius a persequutorib. non agnitus 211.43
Athanasius inter pueros ludit 348.42
Athenienses erga Aristidem & Phocione ingrati 375.7.387.29
Athenien sium iudices 629.10
Atterius Rufus 470.39
Attigani, vulgo Zigeuni 82.26
Attila tyrannus 437.47 flagellũ Dei 228.23.299.22 Leonis Magni precibus mitigatur 228.25. eius tyrannis 454.9. clemẽ. 495.6 moritur 299.22
Attila Hunnorum rex 644.24 Aquileiam occupat 790.51
Attalus martyr 16.37
Attilius Regulus 413.16
Attilæ Auiolæ obitus 778.15
Atto Episcopus Mogunt. periurus erga Albertum, Comitẽ Franconiæ 132.28
Atys Crœsi filius 470.50
auarus Doctor Medic. cum Satana pacisc etur 612.9
auarus procura. a diabolo auferetur 613.7
auaræ moniales 671.13
auaræ mulierũ panes in lapides obdurescunt 616.7.
auaritia monstroso partu puncta
auaritiæ Mamæa 693.1 (597
auaritia mulierũ insati. 370.40
Auicula accipitri pua futura per Xenocratẽ liberata est 428.13
Audæ Episc. Zelus 40.44

Audæani hæretici 86.41
Auerras imperat 91.35
Augusti manuetudo erga Cinnam Pompeij nepotem 429.43
Augustini in sacris literis studium 278.38
Augustini & Alipij amicitia 488.24
Augustus pater patriæ 367. 35.409.3.429.47.459.34
Augustus somnio monitus periculum vitat 471.46
Augustus Arrium Philosophū obseruat 485.1
auiculæ prodigiosus cantus 149.5
Auitus Treuirensis Senatoris uxorem rapit 546.29
A Cornelius Cossus 231.23
Aulus Fuluius 339.22
Aulus Vitellius 296. 43
Aurea, ad ignes assata 31.23
aurea sacrificia 75.19
Aurelia Iouiani Pontani filia 708.44
Aurelianus Imp. 228,13. 297,13 Sarmatas oppugnat 452.42
Auriga furaces 581.43
Austriaci milites seditiosi 435.25
Autharis 301.46
Autoclia 334.10
Auxentius Arrianus 91.41
AZades eunuchus Saporis 21. 11
AZarias in fornacem ardentem cum socijs coniectus 203.40

B

BAbylæ eius q; fratrū martyriū 19,23.305,43
Babylon vrbs munitissima & maxima 448.50
Babylonij Darium contemnunt 451.8
Bacchius 41.26
Bacchus 69.12
Bacchi templū Alexandrinum 254.45
Baldraca 527.31
Bagoas 394.22
Bagoses Artaxerxis copiarum Imperator 404.2
Baiazetes 299,54.326,53 Imperator Turcarum 439.43
Balduinus Hierosolymarum rex 227,53.453.7
Balsaar Assyrius 114.17
Baptista prima Galeacij filia 358.19
Bar Iehu 78.42
Barbara Sigism. Imperatoris uxor impia 119.20
Barbara martyr 298.31
Barbara Imperatrix lasciua 708.35
Bardas in quosuis crudelis & impius 303.51
Barlaam martyr 17.52
Bartholomæus Apostolus 12,19.212,23.292.18
Bassianus Imperatoris filius 418.10
Bassianus nouercam suam ducit uxorem 697.1
Basilius presbyter Ancyræ martyr 26.23
Basilius Macedo authorem sadustis suæ interficit 390.20
Basilius munera respuit 671.35
Basilij Imperatoris sauitia 412.37
Basilij Magni Constantia 182. 43
Basilij Magni, & Gregorij Nazianzeni amicitia 488.11
Basilides ex carnifice martyr 19.34
Basilides hæreticus 80.45
Basiliscus Imperator Chalcedonēse Cōcilium abrogat, & misere perit 87.7
Belgradum obsidet Turca 190.5
Belisarius sæpe triumphator exoculatus 777.33
bellum ciuile inter Iulium & Pōpeium 395.34
bellum sociale 437.30
bellum inter Artaxerxem & Cyrum 696.25
bellum inter Alexandrū & Darium 436. 33
Belus 68.30
Belisarius 388.44
Belisarij virtus 580.19
Bellica instrumenta immania 417. 1
Ben Cochab seductor 78.45
Benedictus Nonus 144. 49
Benedictus iunior ex flammis illæsus exit 238.17
Benedictus Berna diabolo consuuit 162.6
benefacere virtus diuina 377.23
beneficijs certare pulchrū 376.50
Beneuolus in confessione constans 23.50
Beniamis illustre martyrium 17.35
Bernulphe fidei violatæ pœnas fert 658. 28
Bertharius ab Angelo in patriā reuocatur 230,31 Vide etiā Pertharius
Berthelotus Milonus Martyr 64. 20
Bertholdus Cistertiēsis sectæ Abbas in prælio interficitur 185.28
Bessus erga Darium perfidus 395.32
bestiæ martyribus parcūt 29 437. 83,50.38,81.17. &c.
Biantis in iudicando solicitudo 622.45
Bibliotheca Constantinopolitana 186.24
Bibliotheca Alexādrinā 186.14
Biornus Gothorum rex Christi fidem amplectitur 193.19
Biseruslaus Iutham Ottonis secundi filiam rapit 428.45
Blanca Rubea Patauina 532.47 29.41
Blandina martyr 316.33
Blandina
blasphemia ciuis Hamburg. 125.53
blasphema mulier a diabolo abrepta 138.53
blasphemiæ horrendæ exempla 137.52
Blasphemis terra dehiscit 113.44
blasphemus lapidatur 113.37
blasphemus Monachus subitanea morte concidit 102.53
blasphemus cōcionator fulmine ictus 120.6
blasphemus sacerdos a diabolo arreptus ibidem 20
blasphemus Monachus fulmine ictus 125.36
blasphemi & corū pœnæ 137.40
Bluso rex Vandalorum 304.23
Bochiris rex Ægyptiorum 622.21
Boetij & Symmachi cædes 400.8
Boges Persa 488.3
Bohu idolū Vandol. 73.48

Boleslaus Polonorũ rex 254.29
Bombardarum inuentio 417.9
Bonifacius Germanorũ Apostol. 188.28.189,10
martyrio affectus 40,29.43, 21.254.11
Bonifacius Octauus 414.25
Bonifacij Octaui sacrilegium 576.50
Bonosus Imp. bibulus 750.25
Bona virgo Ægyptia 483.16
bos locutus est 443.34
Bouzygos ara Herculis 77.29
Brasilia Dyrrachina 524.39
Brennus Gallorũ Dux 574.24
Brennus 370.39
Brigida virgo 528.32
Britannia ad Christum conuersa 197.42
Britiꝰ Turonens. Episcop. 653.25
Britona Cretensis 510.15
Brunechildis altera Iesabel 299. 38.
Bruno Episcopus Herbipolensis 46.1.144.1
Brutus Cos. pro pat. occũbit 366 17
somnio de imminẽte clade monetur 472.30
ipsius filij patriam prodere parant 369.29
Bruxellanorum iuuenum Iohannis & Henrici martyriũ 52.39
Bryas aliena rapit spons. 538.29
Bruno Episcopus Herbipol. 144.1
Brutꝰ in liber. suos seuerꝰ 369.33
Bulas latro famosissimus 585.29
Bulgarorum Regis erga filiũ seueritas 303.37
Bulis cum Sperthio patriæ causa morti voluntaria se offert 364.11
Bunæ iudicium 636.15
Burghardus archiepiscopus Magdeburgensis 135.16
Burgundionũ gens ad Christum conuersa 190.49
Buthes Persa Thraciæ præfect. 504.44
Byzantinus Episcopus 156.6

B

Cabades Persa Christianos honorat 87.35.192.11
Cabades Persarũ Rex vxoris opera e carcere liberatur 533.9
cadauer se ipsum deuorat 147.19
Caia Ennia 534.54
Caiani hæretici 91.45
Caianus Magus 171.38
Cain primus homicida 392 42 419,2
Caij Caligulæ impietas 78.53.396 30.407.43
C. Figulus Iurisconf. 427.4
C. Gracchus 484.26
C. Flaminius 447.31
C. Licinius Macer 509.16
Calanus Indus sponte ad mortem proficiscens. 798.25
Calamitas Spoletinorũ 86.14
Calamitates insignes ꝑ signa præmonstratæ 443.21
Calepodiꝰ Sacerd. Roman. martyr 38.17.
Caligulæ sæuitia 396.30
Calaguryi Hispaniæ vrbis calamitas 342.14
Calixtus Rauennas 47.3
Calliasa scortis deplumatꝰ 752.24
Callipus Atheniens. Dionẽ interficit 412.6
Callirrhoe Lyci filia 387.37
Callisthenes 388.11
Calo Iohan. Comnenus 425.7
Calpurnia Cæsaris vxor 471.40
calumniæ aduersus Athanasiũ 642.37
Eustathiũ Episcopa. deijciũt ib. 10.
Cambles Lydorum Rex 507.34
Cambyses 393.54 in Amasim mortuum sæuit 424.40 eius somniũ 474.6 Apin. vul. 70
Camillꝰ 430.11 Phaliscos obsidet 370.13
Camma Sinati vxor 534.1
Canes discerpũt suos heros Donatistas 118.26
Canes sepulchrales 802.52
Canũ gratitudo & fides mira 379.17.381.24
Caniclinus Manueli Imperatori insidias struit 658.32
Canonicus Magd. a diabolo vexatꝰ 126.15
Canonicorũ duorũ erga Consulem Coloniens. perfidia. 371.10
Canopi & ignis certamen 71.9
Cantabrorum amicitia 489.21
Cantus auicula cuiusdã in sylua quadã prope Basileã sita prodigiosus & prorsus inusitatꝰ 149.5
Capanus Hunnorum rex 193.10
Captiui humaiter tractadi 365.31
Cardani Hieron. pater 162.13
Cardinal. Scotiæ iudex imp. 60.13
cardinalis in adulterio occisus 538.49
Carnifex pius 62.8
Carocꝰ vastator Ger. 400.20
Carolus Crassus 327.8
Carolus Caluus 340.9
Carolus gibbosus 551.54
Carolus Magnus 320.50 scholã instituit Lute. 351.13.462.41
Carol. Quartus 356.17 Philippũ Austriacũ cũ dolo superat 654.31
tributũ a ciuitat. exigit 691.8
Caro. Secũd. Rex Neap. 402.19
Carolus Martellus 438.8.462.33
Carolus Siciliæ rex 538.52
Carol. Burgundus 545.15
Car. Magifastũ Sacerd. auersatur 730.3
Caro. dux Burgũ. 735.42
Carol. Narbonen. Imperat. 745.1
Carol. Quinti Imp. virtus 467.50
Caroli Magni testamẽt. 693.39
Car. Sexti Personati peri. 802.13
Caroli. Nauarrens. Reg. mors ibi.
Carpocrates hære. 81.45.90.36
Carpus Episcopus 17.21
Carthaginis excidium 436.37
Carthagini trecenti martyres in calcariã fornacẽ ꝑcipitatur 38.
Carthaginenses erga Xantippũ ingrati 648.54.649 1
Carthaginẽsiũ crudelit. 413.16
Casali pestis sæuit 172.8
Casimirus Vngarorũ rex 522.39
Cassandri sæuitia aduersus Alexandri matrem 398.17
Castor Pannon. martyr 19.52
Castorius 40.27
Castulus ibidem
Cathaphryges 80
Catharina ingeniosa 358.15
Catilina seditioso. princeps 433.44
Catilinæ libido 544.17
Cato Vticensis 505.1
Cato quæstor 634.47
Catulus Luctatius 422 43

Cælunitæ 132.19
Cæcilia virgo martyr 32.23
Cæcilia Barbatica Veneta 530.54
cæcus Regis Tolonorum filius visum recipit 211.11
Cæsarea Persarum Regina ad fidem conuersa 185.22.
Cæsarienses martyres 25.24
Cæsarius culeo insutus martyr 38.52.40.28
Ceaduella Rex Orientalium Saxonum 119.36.192.19
Cerdon 20.35.80.13
Cereæ imagines 76.7
Cereolis 37.18
Ceres 69.9
Cerinthus hæreticus 79.28
Ceselij constantia & παῤῥησία 636.3
Chamus filius Noe 314.42
Charmidas Græcus 357.23
Charundas pacem lege & exemplo confirmat 479.20
Cheremon in cælum sublatus 252 37
Childebertus Rex Francorum 191 42
Childericus Francorum Rex 418 28
Chilbesta hæretici 92.1
Chilonia Cleombroti uxor 532.3
Chiorum cædes 790.23
Chirurgi adulteri triste fatum 552 25
Chlaliæ virtus 366.12
Chosroes tyrannis 302.28
Chramnus in patrem Clotharium impetus 301.7
Christi abnegator obmutescit 116. 15
Christi amor 482.37
Christum abnegãtes grauius quã cæteri affligũntur 115.13
Christiana martyr 32.15
Chrysostomus in exilium actus 301.51
Chunibertus Longobardorũ Rex de fratribus interficiendis consultat 145.16
Chrysai Arachites 462.32
cibi cum precatione capiendi 213. 29
Cicero a Cn. Popilio Lenate interfectus 385.30
ciconiarum gratitudo 380.14
Cillicon patriæ proditor 370.23
Cimbricarum mulierum sæuitia 342.18
Cimbrorum uxores aduersus Romanos pugnant 445.34
Circe 166 39.171.18
circumcelliones hæretici 89.40
Cistâ lapideæ testimoniũ de Christo insculptum 272.9
ciuile bellum inter Syllam & Marium 422.20
ciuile bellum inter Iulium & Tapetum 395.34.422.29
ciuilium bellorum calamitates 507.44
Clades Christianorum 456.10
Clades Iudæorum ex ira Cumani præsidis Iudææ 420.26
Cladis Hungarorum 441.12
Clades Teutonicorũ fratrũ 439.5
Clades Moguntiæ ibid.10
Clades hominum sub Tamerlane 438.43
Clades Taganorum 438.24 Romanorum 437.23
Clades Saracenorum ibidis
Claudia Vestalis 70.44
Claudius Pistor martyr 62.49
Claudius Herminianus 296.8
Claudius Imperator 356.5
Clearchus Dux Græcorum aduersus Artaxerxem 452.12
Clemens Sextus 357.25
Clemens octauus 415.10
Clemens Melo Christum prædicauit 198.4
Cleobis & Titon 323.40
Cleomedes Astypalæus 465.18
Cleomenes callide periurus 133.9
Cleomenes Lacon 331.33.133.9.508 19 eius mater 363.9. filius 508. 28
Cleopatra Ægypti Regina 445. 18.505.42
Clephes Rex Longobardor. 412.33
clericus Arassensis cum sorore damnatur 653.34
Clodeueus 451.17.576.7
Clodeueus Rex Francorum ad fidem cõuersus 185.3. ducem itineris habet cæcum 210.46
Clodij pulchri filius 544.13 Clytus 348.1
Cn. Flotinus Planctus 175.54 429.20
Cn. Pompeius
Cn. Popilius Lenas Ciceronis interfector 385.30
Cn. Bebij mors subitanea 808.21
Coarenus a delphino seruatus 383.1
Codrus Atheniensium rex vltimus 364.27
Cœlestinus Pontificatu cedit 414 26
Colonienses episcopi erga Comitem Montensem crudelitas 651.32
Columbacium oppidum Seruianorum 439.54
Columbanus 298.40
Columbanus Monachus Columbani discipulus 795.6
columnæ Adami & Sethi 182.6
Comes Euangelicis insul' anssdiuinitus punitur 121.35
Comes a Cancellario suo occiditur 549.30
Comes impudenter Abbatiam Laurensheimensem petit 672. 55.673 1
commentatij de Christi rebus gestis blasphemiæ pleni 116.26
Commodus Imperator 296.34
Communio Christo cum Belial, Ciceroni cum apostolo nulla est 276.50
Concilium Nicænum 183.26
concilium Chalcedonense 886.8
Conflictus Christianorum cum Turcis 456.29
Cõradus III. oppidum Weinsberg expugnat 533.26
Conradus de Posa 586.7
Conradi Sueui conatus impediti 654.7
Constantinopolis terræ motu cõcussa 210.10 expugnata 441.31
Constantinus Magnus 425.29
Constantinus Palæologus cũ multis alijs inuentus est trucidatus 440.46
Constantinus Imp. 183.7 425.29
Constantinus Copronymus 298. 54
Constantinus somnio confirmatur 469.17
Constantini liberalitas & abstinentia 676.4
Constantini Magni filij 683.15

Constantius Arrianus 297.32
Constans Monothelitarũ secta adhæret 299.13 Romam spol. ib.16
Constantis ad Constantium pro Athanasio literæ 643.19
Consaluus Capitaneus 547.6
Consuetudo impcanai praua punitur 137.14
Cõtempt⁹ Sacrameti punit⁹ 97.32
Contemp. verbi diuini punitus 186.47
Continentia Ægypt ii iuue. 517.47
Copris & Manichæi cuiusda certamen 229.6
Core 113.42
Corinna Thebana 359.9
Cornelia 65.7
Cornelius Romanus 47.24
Cornelius Scipio 321.4
Cornelius Gallus Poeta 510.46
Cornelia vxor Africani 358.39
Corocotæ insignis latro 640.37
Coriolanus 323.13
Cornix loquuta est 165.8
Cornus loquitur ibid. 2
Cosmus Cherius Episcopus 415.50
Cosroes blasphemus 119.25 tyran⁹ 302.28 punitus ibid. 43. & 327.36 doctus 356.2
Cossus 465.34
Crateuas Archelai regis Macedonici amasius 411.11
Crato præpositus Goslariens. 609.39
Crescens Philoso. Cynicus 20.35
Crescentius Pontificis legatus 155 24 Moguntiæ Euagel. prædicauit 198.3
Crescentij vxor Imperatorem veneno neeat 558.50
Crispini martyrium 31.4
Crispina Commodi vxor per ipsũ sublata 407.40
crocodili allegoria 267 20
Crœsus de filij sui fato præmonitus 470.47
Croscus Vadalorum Princeps infideles sæuit 43.54
Crotildis pietas 191.46
Cruco Sclauorum Princeps 304.28
crux Ecclesiæ 250.29. &c.
Crucis simulachrum sine adoratione præterire grande nefas hypocritis 58.40
Cruor e medijs panibus quasi e vulneribus fluit 443.24.525.7
Cumanus Iudææ præses 420.26
Cumani hæretici 91.51
Cupas seditiosorum dux 304.38
Curtius pro pat. se deuouet 361.26
Cyane 511.18
Cymela 39.16
Cyneæ cum Pyrrho colloq. 478.29
Cynegyrus Atheniensis 465.12
Cynnam⁹ spõte regno cedit 638.38
Cyri aduersus Scythas expeditio 448.7
Cyri somnium 471.33 clementia 494.5.
Cyrillus Arrianus in orthodoxos sæuit 34.27
Cyrillus martyr 25.14
Cyrilli filius 327.49
Cysenus, quæ & Numulisinus 410 29.

D

Dacianus vxorem Christianã interficit 37.15.255.22
dæmon Episcopi precibus Corinthi eiicitur 209.9. & 32
Dagilla martyr 31.38
Dama Pythagoræ filia 358.12
Damasippus 413.3
Damatria 340.29
Damianus 40.30
Damocles assentator Dionysij 410. 5.
Damophila Græca 358.51
Damon & Pythias 484.41
Daphida Sophista Apollinem tentat 85.47
Dania ad Christum conuersa 195.48
Daniel 8.33
Darius erga Silosontem gratus 377.50 Histaspis fili⁹ 453.3 per contemptum Alexandro offert mune. 449.12. aduers. Scythas insolens 455.3 somnio deceptus 473.50. vinolentus 750.51
Dario mu. offerũt Scythæ 455.13
Dauid latro apud Hermopo 583.7
Dauid filium plorat 333.34 homi. 393.12 erga Ionat. grat⁹ 374.38
Dauidis Georgij detestabilis secta 110.18 &c.
Dathan 113.42
de asini vmbra disceptatio 625.20
Decebalus Rex Dacarum 506.5
Decius persecutor 294.54
Decij pater & filius pro patria se deuouent 362.1
Deckendorffium 92.42
Delbora 444.45
Delphinorum erga homines amor 382.9.
Demetrius Antigoni fil⁹ 349.19.
Demetrius Lacedæmonius incantator 166.24
Demetrius Phalereus 324.29
Demetrij erga Mithridatem amor 485.9
Demonacis factum 732.16
Desiderij Episcopi pietas & martyrium 44.1
desperationi quomodo resistendum 126.49
Deus Mausim 76.27
Deuterius Episcopus Arria. 82.34
Deuteria 527.26
Diabol⁹ corpus mortuũ agit 141.27 equum aufert 146.31 Stephano cuidam calceamenta detrahit 149.46 oppidum Cuntzenthal incendit 150.9. Rotuuilæ incendium minatur ibid.16. confitetur peccata sua Laurentio Donero ibi.22. ab ægroto confessionem audire postulat ibid.34 Moguntiam infestat 152 37 concubinam sacrifici aufert ibid.45. nobilem noctu inimici eius gladio interficit 153.23. equiti famulatur 154.3 monachis famulatur ibid. 28. pecunias acquirendi rationem monstrat puero 160.18
diabolicum spectrum 162.38
Dido Regina 506.52.707.37 castissima seipsa interficit 707.38
Dydimus Alexandrinus 469.27
Dinocrates Messenius 509.39
Diocletianus 24.27
Dioclet. persecutor 116.43
Diodorus Dialect. profes. 808.25
Diogenes Cynicus 349.33
Diomedes Callirrhoẽ deser. 387.36
Diomedes Rex Thraciæ 410.37
Dionysius 69.13

Dionysius Alexandrinus 252.34
Dionysius Græcus 47.41
Dionysius tyrannus 411.35
Dionysius Syracusanus 573.50
Dionysius ebriosius 761.5
Dionysia matrona 316.10
Dioscorus 298.32.338.22
Discipulus erga præceptorem quæ per calumniam prodit ingratus 387.42
Dismas latro ad Christi dextram 502.49
Disputatio de animæ immortalitate 127.36
Diues a morte apparens multos premit 164.15
Diuinatio per gallum gallinaceū 165.15
Diuisio imperij inter tres Constantini filios 389.41
Doctrinæ fructus 349.9
Domicillæ insignis constantia & martyrium 29.31
Dominicus Catalusius 530.19
Domitianus 292.37
Domitianus osor sycophantiarum 646.51
Donatilla martyr 38.37
Donatistæ 86.47
Doria virgo a leone protecta 381.20
Dorotheus Thebanus Monachus 766.55
Dorothei eiusq; sociorum martyrium 24 41.40.28
Draconis erga puerum gratitudo 378.45
Drusus Germanicus 521.45
Drusus puer pyro suffocatur 801.52
Dryander Hispanus Diazij præceptor 63 37
Duarius Pachecus Lusitanus 460 27
Dugna 526.7
Dula virgo 527.29
Duliani hæretici 86.27
Dunaam Tsceudomoses 300.53
Duorum adolescentum constantia 18.12 37.6
Durandus coniugium damnans comburitur 89.37
Dux cordatus multorum instar 475.33

E.

EAdmundus Cantuariensis Episcopus 278.47
Eanfridus Berniciorum Rex 119.32
Eberulphus Chilperici cubicularius 302.8.576.16
Ebionitæ 79.22
Ebrij diabolo propinant pocula 139 10
Ebricias adulterij homicidijque causa 557.40
Ecelinus tyrannus 407.18.512.6
Ecclesiæ status in pace deterrimus 68.9
Edeltrudis 528.54
Edessenorum constantia 182.12
Eduinus Rex Nordanhumbrorū ad fidem Christianam perducitur 192 31
Efraemita 432.42
Egidius Bruxellanus 57.35
Egidius de Raxa Magus 172.54
Eglon 405 3
Eleazarus Iudæus 894.32
Elephantis amor in domin. 379.50
Eleutherius Græcus 46.40
Elias erga Sareptanam gratus 374.40
Elisæus gratus Sunamitidi. ibi. 44
Elice ciuitas terra motu peryt 417.44
Eltcenses puellam supplicem hosti tradunt ibid 34
Elimas Magus 78.42
Elizabetha Pannoniæ Regis filia 711.34
Elpidophorus in orthodoxos sæuit 87.25
Elpidius Iuliani procurator Christum abnegat 115.40
Embarus filiam suam sacrificat 362.34
Emerentiana 30.14
Empedocles Siculus poeta 510.40
Encratitæ 86.50
Epaminondas 337.19.367.18. Regia munera restituit 674.32
Epaminunda Græciæ Trinipis vestitus 732.28
Ephaphus 70.21
Ephraimus Abbas 516.41
Epicuri et hominis impietas & mors 156.33
Epigenia 305.15
Epimenides Gnosius 275.21
Epiphanes Carpocratis filius 357.27
Epiphanius Ticinensis Episcopus 188.18.279.7
Episcopus Byzantinus cum Satana initi pactum 156.8
Episcopus a sutore cōsoditur 551.1
Episcopus Saltzburgensis 609.19
eius iustitia in regendis subditis 633.32
Episcopi proditores domini sui 637 48
Equus domini sui mortem vltus 379.38
Eraclitæ hæretici 92.5
Erasinorix 534.1
Erasmus 40.29
Erectheus filiā sacrificat 362.47
Eremita a Satana delusus patrem occidit 236.52.237.1
Eremitæ sex Poloni 254.26
Eremitæ Ægyptij continentia. 522.13
Ericus ex tyrano factus Christianus 195.50
Erinna Teia poetria 359.12
Eristhenes a matre inedia interfectus 340.27
Erkembaldus Brabantus 544.40 419.4
Esaias 181.22.276.19
Esdras
Esther Regina 203.38.374.46 46.20
Euaristus
Eucharius Treuiris & Coloniæ prædicauit Euangelium 198.5 92.8
Euchitæ hæretici
Eudoxia coniunx Theodosij 276 35
Eudoxiæ mulieris fastus 724.42 334.16
Euenus
Eugenius cæcum precibus curat 209.46
Eugenius martyr 37.20.41.26
Eugenius perfidus & ingratus 390.6
Eugenia procōsulis Alexandrini filia 525.27 88.35
Eunomius hæreticus
Eurhemia virgo martyr 30.39 301.41
Euphrasius
Eusebius Nicomediensis 81.13 27.45
Eusebius martyr
Eustachium Paulæ Romanæ filia 358.29

Eustochius martyr 37.42.255.16
Eustratij aliorumque martyrium 41.15
Eutychiani humanitatem Christi negantes 88.5
Euzoius episcopus a Iuliano apostata iniuriose tractatus 115.42
Exactionis autor sero consilium suum deplorat 690.12
Execrationibus & blasphemijs certantes 139.40
Exempli desperationis 127.9. ingratitudinis extremum 391.12
Exercitus sine duce 475.21
Exercitus Romanorum fugæ voluntaria terga dat hosti 427.20
Exorcistæ Pontificij 145.44
Expeditio Asiatica pro regno Hierosolymitano constituendo 455 22
Expeditio Imperatoris Cõradi adversus Saracenos infœlix 439.18
Ezechias fide hostes vincit 8. 16 203.23
Ezechiel 181.24

F.

Fabianus martyr 18. 19
Fabianus Romanus 47.19
Fabiola 358.23
Fabius Rutilianus 334.32
Fabri Constantiensis blasphemia 121.30
Fabricius Consul 376.38
fabula de Aquila & Vulpe 597.33
Fabulæ monachorum. 277.46
Factus Cardanus Hieronymi Cardani pater 162.13
Fadus Iudææ præfectus 78.7
Fallacia sacerdotum in simulachris detegitur 83.45
Fames horrenda 307.22. 342.29 &c.
Familiæ effascinatrices 172.42
Familiæ Hirpiæ 86.3
Faninus martyr 62.5
Fantinus Syracusanus cursum nauis persequentium oratione inhibet 213.5
Farion Ægyptius tormentorum metu latrocinia fatetur, qua nunquam patrauit
Farra virgo 524.16
Fausta Constantini Magni vxor 341.30
Faustina virgo martyr 30.46
Faustus Magus 167.25
Faustus hæreticus 90.41
Felicitas 29.33
Felicitas cum septem filijs martyrio coronatur 32.38
Felix martyr 38.53
Ferdinandus Neapolitanus 320.52
Ferdinandus Quartus Castulonẽsis Rex 626.19
Fidena fœdifragæ 131.16
Fides propagata inter Persas 191. 52 in Insula Vecta 192.21
Fides sola iustificat 238.34
Filia regis Gallorum Florẽtij precibus sanatur 208.55
Filij erga patrem impietas immanis 328.1
Filij erga parentem pietas 319.25
Filij Iacobi 419.6
Filij Israel seditiosi 432.23
Filij patris cor petunt arcu 322.40
Flaccus præses ab angelo percussus 39.28.298.29
Flandrinus Monachus martyr 54.30
Flauij Claudij in Christianos sæuitia 38.43
Flauij Iustini pietas 191.39
Florianus Imperator 511.30
Flynsidolum Lusatiæ 73.49
Fœdus inter Ladislaum & Amurathem Turcæ ruptum 130.40
Fœlix Iuliani quæstor, Christo abnegato templa Christianorum diripit 115.39
Familiæ Hirpiæ 86.3
Fœlicula diui Petri neptis in cloacam abijcitur 39.27.255.27
Fœmina addephagos 760.50
Fœminæ steriles altare circumeunt nudæ 98.30
Fœneratores 583.27. &c.
Fœtum Satanicum edit mulier 163.35
Fons sanguine scatens 443.45
Fortuna semper prospera calamitosa est 253. 13. huius imago 775.41
Fortunatus martyr 255.31
Fünffeichen 442.3
Franciscans Monachi ad stupru rapiũt matronã in tẽplo 551 20
Franciscanorũ auaritia 614.40
Francisci Spiræ desperatio 121. 36 &c.
Franciscus Hispanus martyr 58.1
Fräciscus Thucum fratre suo Nicolao martyr 65.6
Franciscus Condelmarius 440.16
Franciscus Zabarella 130.32
Franciscus Luneburgensis 255 45
Franciscus Dandalus Venetus 376.16
Franciscus Sforcia 354. 11. multarũ virtutũ exemplũ 699.27
Franciscus Catrariensis strangulatus est 758.10
Fratrum duorum in martyrio cõstãtia 28.36. robur & monomachia 467.20 interitus 507.40
Fraude parta Satanam rustici fugant 329.19
Fridericus Austriacus 167. 50
Fridericus & Iohannes, Duces Saxoniæ, in aquis seruantur 230. 46
Fridericus Secundus 329. 19. 338. 34. 401. 4.
Frigore necati matryres quadraginta 33.23
Frumentum auolat 596.50. pluit 614.10
Fulco Andegauensium Comes 787.50
Fuldensis rota 198.14
Fundatio schola Hamburgensis 277.15
Funeris index spectrum 153.45
Furius Camillus 430.11
Furor Gazensium aduersus Christianos 27
Furti damnatus ob rem leuiculam 635.43

G.

Gabinus presbyter martyr 255 24
Gainas homo sæditiosus ab angelis terretur 224. 18. Arrianu patrocinatur ibid 2
Galeatius Mantuanus 512.4
Galerius 295.36
Galieni in Christianos sæuitia 38. 29
Galla Symmachi vxor 524.32
Galli libidinosi trucidantur 552 1
Galli vino sommoq; grauati vincuntur 754.50

Galienus nequissimus 762.51
Gallicanus factus Monachus 711. 20
Gallus Imperator 298.44
Gangolphi Burgundionu uxor 428.5.653 51
Garibaldus homo perfidus & proditor 490.55.491.1
Gaudio mortui 334.27
Gaza 34.44
Gazensium furor aduersus Christianos 27.45
Gebehardus dominus de Scora petaw 584.40
Gennadius Constantinopolitanus Episcopus 117.25.277.43
Genitus Cippus 366 21
Genserícus Vandalorum rex 31.39 300.8
Gentes Christianorum sanguinem diu victimam esse gratam putant 296.14
Genuensium calamitas 443.45 mercatorum fortitudo ibid.48
Georgius Halæ Saxonum docens Euangely veritatem a Pontificys clam interficitur 54.10
Georgius Schareriis Salfeldensis martyr 61.46
Georgius de Catelyna, martyr 63 48
Georgius boni Principis imago 266 52
Georgij martyrium 41.27
Georgius Clarétiæ Dux vini Cretici potu mortem eligit 602.22
Gerardus Veretus Vngariæ Episcopus martyr 49.17
Gerhardus Holsatiæ Comes a Nicolao Iacobi trucidatur 402 9
Gerhardus Mansfeldiæ Comes 413 52
Gerhardus Dux Slesuici 561.28
Germanicus martyr 25.32
Germaniæ calamitates ob cõtemptum verbi 253.24
Germani ad fidem conuersi 193 46
Germanorum mulieres bellicosæ 455. 30. priscorum disciplina 702.1
Germanus Anthisiodorensis 212. 53
Germani Episcopus hostes prælio superat 451 38
Germas latro ad Christi dextram 582.41
Getulius cũ uxore & liberis martyrio coronatur 37.17
Ghiachetus Geneua Salucianus 788.38
Gideonis fides 8.3.468.13
Gilotus Viuétius Flandrus martyr cum socero, filio & uxore 62.41
Glaucus ab equis deuoratus 410. 36
Gobryas unus e septem qui magos sustulerant 455.14
Godebertus filius Ariberti Noni Longobardorum regis 652.26
Godefridus Hammelius Brabantinus martyr 63.5
Godefridus Billioneus 455.45
Godwinus Comes homicida & periurus 130.12
Goisuinthæ Reginæ impietas 44. 53.301.27
Gonzagæ Ferrariesis iustitia 546 21
Gordianus senior Aphricæ proconsul 333.48
Gordius martyr Christi 23 36
Gortinij adulteros lana coronabant 700.43
Gotebertus a Grimoaldo occiditur 491.6
Gotschalcus Vandalorum Trinceps 196.53
Græci Hippocrati gratam se præbuit 375.1
Grando inusitatæ magnitudinis 298.1
Grandines pugni magnitudinem adæquantes 738.4 &c
Graianus Imperator 451.30
Gratitudo in rebus, non in verbis consistit 377.20
Gregorius Magnus 187.43.348. 44
Gregorius Secundus 188.26
Gregorius Spoletanus 298.29
Gregorius Septimus 414.8
Gregorius Neocæsariesis piscosam lacũ aridum reddidit 672.28
Gregorius quida episcopus e Cappadocia profectus dæmonem ejecit 209.9
Grimoaldus Longobar. 87.43.230 38.398.49. Longobardorum regnum occupat 491.1
Grimoaldi perfidia 652.30
Grynæus ab angelo monitus imminens vitæ periculũ 226.29
Gulielmus rex Angliæ in venatione perijt 304.52
Gulielmus Tel 729 3
Gundericus rex Vandalorum 576.4
Gunebundus Burgundionum rex 188.19
Guntramus Burgund rex 637.46
Guntramus Francicus liberalitatis fructus percipit 677.37
Gynæconomi apud Athen. 737.35
Gyrantium chorus 209.29

H.

HAddingus rex Daniæ, cum Tostone singulari certamine congreditur 466.39
Hadriani aduersus Christianos sæuitia 37.33.296.26. vide Adrianus
Hæmon 507.22
Hæresis latrocinãtium, qui circũcelliones dicti fuere 89.40
Halcyones imago Ecclesiæ 268.48
Haldanus 467.22
Hamanus & Mardochæus 393. 35
Hamburgensis scholæ fundatio 277.15
Hamburgensium idola 73
Hannibal somnio monitus 471.50
Hannibal 413. 22. 427. 35. 442. 38. 507.4
Harduici de Reuentlou præpostera pietas 339.50
Harmintus Romanorum proditione vincitur 657.3
Harmonia Syracusana 492.25
Harpalyce 321.7
Hatto Episcopus Moguntinus a muribus deuoratur 399.47
Heimeranus Episcopus insons criminis a Landoberto crudeliter interficitur 45.29
Helcesaitarum hæresis 86.16
Helena Scotiæ rara virtutis fœmina martyr 60.18
Helena Simonis Magi Comes prima mens 78.33
435.4

Helgo Saxoniam vastat 467.6
Heli Sacerdos 315.13
Helias Eremita 522.9
Heliodorus quæstor Syrius 571.12
Heliopolitarum immanis impietas 25.14.32.42
Helisetiorum virtus aduersus Delphinum Gallicum 453.21
Henricus Dux aurei cursus 677.6
Henricus Secundus rex Gallorum 472 39
Henricus Bruxellanus martyr 52.39
Hericus Sudphen apud Dietmarsos Christum docens, martyrizatur ibid.49
Henricus Quartus 133.33
Henricus a Schwartzburg in latrina mersus 137.23
Henricus Cornelius Agrippa 167 15
Henricus Nicoloti 326.41
Henricus Ottonis frater 428.28
Henricus Quintus ibid.
Henricus VII. 342.49 veneno neatus a Monacho 401.1
Henricus auceps 451.52
Henricus II. Angliæ rex 559.32
Henricus VI. ibid.22
Henricum Holsatium Leo nobilem agnoscit 656.25
Heraclionas ex incesto coniugio natus 697.40
Heraclij exercitus ab angelo percussus 225.47
Heraclius Imper. hæresi addictus 84 54
Heraclitus a canibus dilaniatus 801.49
Heraclonas 341.22
Heradamon 379.48
Herbertus Sacerdos 193.22
Hercules a Lino in musica instituitur 387.13
Herennij Pontij prudens consiliu 495.26
Herennius Siculus 509.14
Hermes urbis Romæ præfectus cū MCCL. martyrizatur 37.34
Hercules Lindius 77.14
Hercules Libyus 74.28
Hercules orbem a latrocinijs repurgauit 502.30
Hermannus Gryn Consul Colonensis 371.12
Hermannus Risuvick extremæ atheos 92.18
Hermingildus Constans in veritate a patre Hispaniarum rege infesto Paschatis martyrio afficitur 44.50
Hermolaus Donatus inter Decemuiros Venetianos Princeps 667.20
Herodes Agrippa maior 79.9
Herodes Ascalonita 291.7.336.50 407.1
Herodes Antipas ibid.
Herodes in filium Alexandrum sæuit 664.34
Herodes Agrippa Deus salutatur 723.45
Herostratus templum Ephesinum incendit 723.23
Heruli & Hunni ad fidem conuersi 190.49.191.1
Herulæ terrore effascinati 426. 41
Hetruscorum crudelitas 413.41
Hexagon incantator 166.52
Hidruntis clades & miseria 441. 18
Hiemeria anus petit a Deo vitæ prolongationem pro Dionysio 416.18
Hiero Monachus in puteum se præcipitat 237.14
Hieronis vxor 527.1
Hieronymus Sauonarola martyr 52.26
Hieronymus ad tribunal Dei adductus 276.42
Hieronymus Stridonensis 278.46
Hieronymus Aleander 279.15
Hieronymus Syracusanus 327.38
Hieronymus Syracusanorum tyrannus 732.33
Hieronymi Pragensis martyrium 50.50
Hierosolymitanum excidium 306 10
Higinus 46.29
Hilarion 171.20.237.34
Hilarion Abbas 670.55
Hildebertus de Trinitate 249.25
Himeræ somnium 471.11
Hippo mulier Græca 525.51
Hippocrati eisdem quos & Herculi honores decreuit Græcia 375.3
Hippodamas filiam præcipitat in pelagus 339.41
Hippodamia Pelopis vxor 340.53
Hippomenis crudelitas 339.40
Hipsicratea Mithridatis vxor 445 5.531.33
Hirpiæ familia 86.3
Hirundines 325.6
Hispani Indicis in iudicando dexteritas 624.30
Historia de auaro lugēte plusiam 603.31
Hofmannus blasphemus 126.8
Holofernes 405.33
Homerus Poeta 506.2
Hominum erga Deum ingratitudo 390 35
Homicidia tragica 486.40 &c.
Homicidum punitum 130.12
Honorij Imperatoris in subscribendo facilitas 625.36
Honorici in orthodoxos sæuitia 300 14
Honoricus 2417.31.38
Honoricus Arrianus orthodoxorū persecutor 191.9.255.35
Horatij Coclitis pro patria virtus 360.36. in sorore sæuitia 421.38
Hormisdas generoso animo Christum confitetur 23.19
Hospes ingratus 388.15
Hostius de Catelyne martyr 63.48
Hugo Parisiorum Comes 454.32
Huldricus Augustanus Episcopus coactum cœlibatum dissuadet 517.5
Hunni infantes suos sauciant 338. 43
Hunniades 464.37
Hurcatus 305.15
Hypathia Alexandrina 358.53 421.10
Hyperbolus lucernas prius factitans rex factus 777.14
Hyrcanus adolescens 746.8

I.

Iacobus Apostolus albo vexillo exercitum Christianorū præcedit 451.28
Iacobus Maior 11.16
Iacobus Minor 13.9
Iacobus Chobart martyr 63.18

Iacobus rex Scotiæ a Comite Natholiæ interficitur 403.28
Iacobus Cardinal. Vlyxiponensis 522,44
Iaddus Pontifex Hierosolymitanus 204.16.469.10
Ianneas Pōrifex 406.25
Iberes ad fidem conuersi 184.12
Ibicus Poeta 483.19
Icarus pater Erigones 323.50
Icarus ab ebrijs interēpt⁹ 761.46
Ichneumonis allegoria 267.22
Idelgūda virgo Germa. 526.46
Idola Iesu infante in Ægyptum delato corruerunt 69.50
Idololatria variarum gentium 68.24 &c.
Iehu 9.32
Ieroboamus 9.19
Iesu Christi littera ad Abgarum 14.30
Iezabel 114.29.393.27
Ignatius martyr 16.29.37.27
ad bestias damnatus 799.54
Imagines cereæ. 76.6
Imago Christi 273.55.274.1
Immanis perfidia Turcici tyranni 442.5
Imperatores olim sibi ius eligendi Episcopos sumebant 196.16
Impietas ciuis Hamburgēs. punita 125.5
Impietas filij in patrem immanis 328.1
Impostor cato obijcitur 639.50
Impostor in Friderici nomen inuolat 727.42
Incantatrices infantulum coquūt 169.6
segeti & vino calamitatē immittunt 169.45
Incantationes Iuliani 166.4
Incestus ex errore commissus 557.6
Indi cacodæmonē colunt 104.16
Indorum Philosophi 799.1 vxores 532.19
Indulgentia 98. 33.289.45
Infans portentosus se filium Dei venditat 162.36
Infans in vndis seruatus 233.11 234.1
Infans capite canino 201.8
Infantes supposititi 142.3
Infantes mater. lacte nut. 336.29
Infantes apud Romanos, qua nuptias iterarent 707.11
Ingrati 390.30
Ingrati homines erga Deum 187.22
Ingratitudo Eugenij & Arbogasti 300.6
Ingratitudinis exemplum tragicum 391.11
Ingratus discipulus 387.42
Ino primigniū insidiatur 341.3
Ino Athamantis vxor 341.3
Innocentius Septimus 414.16
Insolentia Conradi Imperatoris 454.22
Insolentia Darij aduersus Scythas 455.3
Insolentia Hugonis Parisiorum Comitis 454.32.
Insolentia Hungarorum contra Ottonem magnum ibid.48
Insulæ nouæ & marinæ 270.13 & 40
Instrumenta bellica immania 417.1
Ioabus homicida 393.24
Ioas rex Iudæ 16.9.384.1.393.33
Iobi amici 482.33
Iocasta 334.7
Iodoci Louerini vox nefaria 56.4
Iodute simulachrum 77.5
Ioannes Euangelista 11.28 21 23.25.11.28.212.25
Ioannes Olde Castel martyr 51.36
Ioannes Adlam martyr 59.38
Ioan. Bruxellanus martyr 52.39
Ioan. Castellanus 43.45
Ioan. Clerik noua crudelitate a Pō tificijs martyrizatur 55.30
Ioannes Beckus martyr 55.43
Ioan. Peniteus martyr 56.39
Ioan. Heuglinus martyr 56.30
Ioan. Lacles martyr 59.37
Ioan. Mollius Monticlinus maryr 62.14
Ioan. Cimisces Imp. idololatria dat pœnas 87.19
Ioannes Dux Burgundiæ 134.28
Ioan. Teutonicus Magus 168.19
Ioan. seditiosus aduersus Theodosiū 185.45
Ioannes Scotus 252.42.390.30
Ioannes Patriarcha Alexandrinus 272.51
Ioannes Chrysostomus 22447
Ioannes Spangenberg. 347.40
Ioannes Damascenus ingratū experitur discipulum 387.41
Ioan. de Horuath Croatiæ præfectus 402.40
Ioan. Decimus tertius 538.49
Iohan. Anglicus octauus 546.40
Ioan. Capistranus inuocatione Dei aduersus Turcas pugnat & verbū Dei propagat 190.23
ob interfectū Comitem in monasterium se abdit 665.13
Ioan. Husi martyrium 50.9
Ioan. Friderici Principis Electoris constantia 289.46
Ioannis Diazij cædes 496.42
Ioan. Euangelista vxor 801.33
Iorius Gallus 64.46
Ionas Propheta 262.41
Ionathas & Dauid 359.43
Ionathæ munerib. decip. 669.50
Ioppita Iudæos submersere 772.38
Iosaphat⁹ side pugnat 8.10.181.27 203.28.446.55
Iosephus in Ægypt. exul 251.25
Iosephus Arimathiensis Christū in Britannia prædicat 197.42 8.20
Iosias
Iosua Hierichuntem expugnat 432.50 8.1
Iosuæ fides 184.3
Iouianus 187.37
Iouinianus 507.30
Iphis adolescens 425.43
Iracundia Cambysis
Irene filio Constantino oculos eruit 340.18
Irenæus martyr 255.29
Iringus Saxo Dominū suū regem 460.1
Theodericum occidit
Irmensul Saxonū idolū 73.5.211.6
Irminfridus Thuringorum Rex 459.8
Isabella Regē virum suum carceri includit 560.5
Isabellæ Hispaniarum Reginæ filia 358.34
Isaaci immolatio 269 .33
Isaias serra lignea dissectus 15.38

Ischirion martyr 25.37.252,47.
Isliger des immaniter in Christianos sauit 40.41
Isidorus 187.1
Isis 74.28
Ismaël 405.1
Socrates erga Theramenem gratus fuit 375.20
Israëlitæ Baalpeior initiantur 8. 50. erga Gedeonẽ grati 374.30
Istrina Scytharum regina 359.7
Itamus miles 255.53
Iuba rex Mauritaniæ 508.49
Iubilæus annus 96.18
Iudacillius Asculanus 504.26
Iudas Thaddæus 13.47
Iudas Galilæus seductor 78.18
Iudas Macchabæus 228,6. 359.48. 447.10
Iudæus Cretensis se Mosen simulat 81. 40
Iudæus sæpius baptizatus 82.11
Iudæus baptizatus à paralysi liberatur 210.18
Iudæus cum septem filijs & vxore sibi infert 504.1
Iudæi puerum Christianum crucifigunt 82,1. 93.9
Iudæi cur sanguinem Christianorum desiderent 93.40
Iudæi quadraginta mutuis concidunt vulneribus 504.22
Iudæi Alexandria electi 421.4
Iudæi à præside Iudææ interfecti 420.26.
Iudæi aduersus Christianos sæuiũt 430.41
Iudæi trucidati 92.35
Iudæorum impiorũ strages 92.40
Iudæorum veneficia, homicidia & strages 93,32. 420.26
Iudæorum pœna ob interfectum Zachariam 291.8
Iudæorum aduersus Christianos seditio & rabies 293,10. 300,33
Iudæorum homicidia 404.18
Iudæorum mirandus in seipsos sæuientium furor 504.32
Iudicum improuidorum præceps sententia 664.28
Iudicandi de furto prauus consuetudo 579.24
Iudicium impium de Euangelistis & diuo Paulo 66.22
Iugundus in fidei confessione constantia 44.50
Iulia Pompeij Magni vxor 531.9
Iulianus Apostata 20,15. 21,16. 22. 47. 27. 20. 82. 53. 115. 17. 117,8. 295. 55. 296,1. 364,39
Iulianus podagricus martyr 27. 12. 37,20.
Iulianus Sacrum lauacrum ablaut, signo crucis se consignat 117. 17. & 48
Iulianus Iuliani Apostatæ auunculus in Christum blasphemus atrociter punitur 115,39. 297,42.
Iulianus rex Iudæorum 300.40
Iulianus Cardinalis nudus in via repertus 440.26
Iulianus Cardinalis S. Angeli 357. 31
Iuliani incantationes 166.4
Iuliano Sabbæ interitus Iuliani Apostatæ reuelatur 116.14
Iuly Cæsarij percussores 508.11
Iulio Cæsari somnio præmonstratus interitus 472. 20. somnio præmonstratũ imperiũ 474.7
Iulitta martyr 30.26
Iupiter 69.2
Iupiter Hammonius 74.1
Iusiurãdũ falsum punitur 130.11
Iustificatio per fidem 246. & deinceps
Iustinianus Imp. 84. 50. 388. 46
Iustinianus Minor naribus truncatus 397.42
Iustinus martyr 20.30.37.20
Iustinus Iustiniani succ. 644.9
Iustini Imp. erga orthodoxos studium 87.14
Iustus adolescens Christum confitetur 37
Iustus Imbsbergerus martyr 57
Iusto lex non est lata 240.11
Iuramẽtum quadruplex 128.14
Iutha Ottonis filia à Biseticlao rapitur 428.46
Iuuentinus martyr 27.27
Izatus Lazorum Dux Christianam fidẽ amplectitur 191.29
Iuuentus Romana Manlio irascitur 427.13

K.

Kilianus diuus 193.53
Kiltropff 143.44
Kirch vnde derivatum sit 116. 36
Krodo idolum 73.21
Kunigunda Henrici Primi vxor 528.2
Kandelburgum 101.11

L.

Laban erga seruum Abrahami gratus 374.21
Labor grauissimus & optimus recte orare 213.49.
Labor cibi coquus optim⁹ 768.29
Lac Mariæ virginis 101.27
Lacedæmonij furta permittunt 579.12
Lacedæmoniorũ sepultura 803.11
Ladislaus rupto fœdere aduersus Amurathem infeliciter pugnat 130.40
Lapido Lacedæmonia, regis filia, regis vxor. regis mater 782.38
Landobertus Theodonis Boiorum Ducis filius in Heimeranum crudelis & impius 45.31
Lartes Tolumnius 131. 16
Latomus in desperatione mortuus 125.10
Latro diuino portento proditur 497.47
Laurentius Donatus parochus 150.24
Laurentius martyr 21.29
Lechus parricida 403.14
Lectorij erga Gracchum amor 484.26 (17
Ledradus Episcopatu exeidit 196.
Legati Persarum in puteos deiecti 364.11
Legũ mutatio periculosa 631.27
Leo Pictauiensis 301.22
Leo Armenius Imperium inuadit 399.3
Leo Bizantius Sophista 480.33
Leo Coponimus 576.20
Leo Imperatoris filius Monachi præstigias auersatur 650.24
Leo, imago iusti, item Satanæ 267.49

Leonis erga seruum Androdum gratitudo. 378.10
Leonis simulachro quidam perimitur. 472.29
Leonum gratitudo. 380.30
Leodegarius crudeli morte affectus. 299.41
Leonhardus diuus. 76.10
Leonhardus Cæsar Boius martyr. 53.52
Leonides Origenis pater. 294.40
Leonidas Spartanus 361.35.387.4
leonora Friderici Imp. vxor 535.11
Leon Euricratitis filius. 624.7
Leos Orphei filius, suas filias sacrificat. 366.9
Leuctrica clades. 537.14
Leuioris maleficij suppliciũ grauissimum. 584.16
Leutharius Alemannorũ Dux. 300.54
Leuuichildus Arrianus Hispaniarum rex. 45.13
Lex iusto lata non est. 240.10
Lex Oppia. 731.46
Lex Sardoa. 693
Libanius Sophista Christum irridet. 116.6
Liberi impii. 330.17.&c.
Liberatus martyr. 25.42
Liberatus cũ sex fratribus Monachis martyrio afficitur 43.19
Libidines punitæ. 515.3.&c.
Libido Persarum punita. 539.47
libido Messalinæ portetosa 540.25
Liborius diuus. 76.12
Libri Consiliarii optimi. 628.13
Libussa filia Croci secundi Bohemorum regis vna ex Sibyllis habita. 713.13
Licinii in Christianos sæuitia. 198 14.
Licius Imperator. 305.7
Ligarii vxor. 718
Lin⁹ ab Hercule interfect⁹ 387.13
Lithuania ad Christum conuersa. 195.35
Liuius Salinator. 426.50
Locrensium de Crotoniatis victoria. 228.18
Locrensium victoria insignis. 448.12
Locrensium consuetudo circa ferẽdas leges. 631.34.
Locri fallaciter iurant. 132.13
Locustarum agmina. 206.29
Longobardi infideles sæuiũt. 44.40
Lotharius Francorum rex. 191.43
Lotophagi defunctos in mare abiiciunt. 802.41
Lubeci Scholasticus septem annos continenter dormit. 275.42
Lucas Euangelista. 15.9
Lucianus martyr. 20.41
Lucernæ. 271.1
Luchinus Viualdus Genuẽsis. 526.28
Lucius martyr. 25
Lucius martyr sub Clandio. 38.50
luci⁹ Alexadrinus Arrian⁹ 186.55
L. Bebius cum copiis suis erras in sylvis ad internecionem deletur. 448.40
Lucius Cyrenensis. 197.50
Lucius Gellius. 335.17
Lucius Seuerus. 294.38
Lucius Verus. ibidem 28
L. Sicinius Dentatus. 462.13
Lucius Reginus Cepionis amicus. 484.1
Lucius Cornelius Merula. 509.11
L. Domitii seueritas. 479.28
L. Syllæ crudelitas. 410.45
Lucia martyr. 31.26
Lucia Syracusana virgo. 523.38
Lucilii erga Brutũ amor. 485.18
lucretia Alexadri 6. filia 170.40
Lucretia. 510.18
Lucretius Poeta. ibidem 38
Lucretius Ofella a Sylla interemptus. 720.21
Lucta hominis Christiani cum satana. 126.49
Luculli victoria. 448.35. somnium. 472.46
Lucumon Clusinus tutoris coniugem rapit. 694.43
Ludimegister perfidus. 370.12
Ludouicus Bauarus. 167.50. Moguntiam occupat. 439.11
Ludouic⁹ Berquin⁹ martyr 54.43
Ludouic⁹ Marsacus mart. 66.19
Ludouicus Francorum rex precibus rem perditam restituit. 212.6.
Ludouicus Bauariæ Dux à Sarraceno quidam confoditur. 403.23.
Ludouicus Secundus filius Lotharii. 652.47.
Ludouicus Saltator. 556.25.
Ludouicus Sfortia fratris sui filios interficit. 680.44
Ludouicus II. Gallorũ rex. 712.81
Ludouicus Magdeburgensis Episcopus. 755.32
Lugdunenses nouẽ martyres 66.16
Lusitanorum illustres victoriæ. 460.50.461.1. &c.
Lutetiæ persecutio aduersus Christi fideles mota. 65.44
Lutheri vita. 279.26. &c. mors. 284.24. de ipsius morte mendacium impudens. 285.41.
Lutũ sanguine maceratũ 396 41
luxuria a Romanis punita. 635.18
Lycaones. 105.1.166.50.
Lycantropi. 105.1.166.50.237.26.
Lycidas qui & Cirsilus, lapidatur. 365.3.
Lycurgus. 129.34. sibi ipsi mortẽ consciscit. 362.50 ingratã experitur patriam. 385.44
Lysandro diuini honores habiti. 722.25
Lysimach⁹ filiũ interficit 340.43

M.

Macareus Bacchi sacerdos sceleratus. 574.54.&c.
Macaria Herculis filiæ. 510.13.
Macarii duo. 186.55.
Macarii labores. 766.10.
Macarius. 236.37.
Macedoniani hæretici. 86.32.
Macedonius martyr. 21.19.
Macedonius monachus Autiochenis pacem impetrat. 481.42.
Macrini crudelitas. 409.10. seueritas aduersus raptores hospitæ. 538.34.
Mæris Magus. 167.3
Magdalen. Crucia. 160.43
Magdeburgense idolum. 73.11.
Magicæ artes. 165.29.&c.
Magnentii fœda ingratitudo. 389 50.398.43
Magnus, constans Christi confessor & martyr. 116.49
Magus a serpente interficitur. 167.38
Magus se Medicum professus, vicinum occidit. 164.13

Magi

Magi præstigiæ miræ. 173.20
Magorum aduersus Maruthan Episcopum impostura. 71.30
Magicis præstigiis virgo mortua biennium inter homines ambulat. 141.28
Magicis artibus quidam dementatus, uxore insciis interficit. 171.34.
Magnentius turpiter ingratus. 389.49
Magnitudo cladis ex auriū abscissarum numero indicata. 442.35
Magnus tormentis nullis adductus negat Christū. 116.48
Magus a serpente interfectus. 167.36
Magus quidam tertio suspensus hæret firmiter. 173.20.
maleficarum potentia. 171.49.172 1. mira flagitia. 173.49.&c.
mali Principis Consiliary. 628.7.
Malsecerus Comes Africæ. 207. 42. Africam recuperat. 469. 22
Mameluchi. 90.29
Mammæa Alex. Seueri filia auara. 692.55
Mamulcha Agarenorum Princeps. 302.19
Manasses. 9.39.203.36.252.1. 405.24.
Manes hæreticus. 79.47
Manfredus. 328.19
Manfredus parricida. 401.10
Manlius Torquatus. 337.9.339.1
Manuel Comnenus. 412.37
Marcella Romana. 358.27
Marcelliani hæretici. 86.35.91.3
Marcellini erga Pompeiū ingratitudo. 389.24
Marcellinus martyr. 29.11
Marcion diaboli primogenitus. 17.1.20.35,80.9
Marcion martyr. 29.35
Marcius Sabinus in se ipsum sæuit, & sibi mortē asserit. 424.33
Marcus Euangelista. 14.46
Marcus Arethusæ Episcopus illustri martyrio coronatur. 20. 46
Marcus martyr. 38.50
Marcus hæreticus. 81.29
Marcus Scaurus. 339.12
Marcus Antonius clarissimus Orator, 486.2.666.54
M. Aurelius Christianorum militum precibus victoriam obtinet. 207.27
M. Cotta. 349.51
m. Marcelli victoria. 452.52
m. Valerius. 466.25
m. Antonius Orator. 666.54. eius seruus. 486.3
m. Lucinius Stolo. 631. 17
mardarius martyr. 41.26
margarita imago Ecclesiæ. 266 43
Maria virgo inferioris Germaniæ martyr. 59.47
Maria soror Marthæ. 181.49
Maria Vngariæ Regina. 402.20
Marinus exmilite martyr. 21.41
Maris Episcopus Iuliani blasphemiam grauiter reprehendit. 117.8
Marius filiam sacrificat. 362.42
Marsburgensium idololatria. 74
martia Catonis filia. 708.15
Martianus Imperator. 188.9
Martianus martyr. 36
Martina Constantini nouerca. 341.19
Martina martyr. 39.49
Martinæ parcit leo. 381.14
Martianus miles. 296.45
Martinus Gohin martyr. 56.52
Martinus Steinbach pseudospiritus sanctus. 89.6
Martius Coriolanus. 377.30
Martyres Ægypti. 34.6
Martyres Carthaginenses. 38.29.
Martires obiecti soricibus. 41.6
Maruthæ Episcopus. 71.30.
Maternus Treuetis & Colonia prædicauit Euangelium. 198.5
Mater cum duabus filiabus in prosluentem amnem se præcipitat. 32.48
Mater ad filiorum peccata connuet. 329.34
Mater Cleomenis animi magni mulier. 363.8.
Mater filii sui carnes esitat. 342. 4
Matrem lactat filia. 318.48
Matres filiorum amore in fluctus se coniciunt. 333.53
Matres gaudio extinctæ. 334.27.
Matres liberorum interfectrices. 344.30.&c.
Matronæ illustres, quæ secundas nuptias non celebrarent. 707. 24.
Matthæus Apostolus & Euangelista. 13.1.
Matthias Apostolus 13.31.
Matthias Vveibelius propter veritatis prædicationem suspendi tur. 56.11.
Maturus martyr. 16.
Mauricius Thebanus Dux cum 6663. martyro afficitur. 35.33.
Mauricius Imperator. 45.24.
Mauricii somnium. 692.3.
Mausim Deus. 76.27.
Maxilla martyr. 38.37.
maximilla Aegeæ vxor. 11.6.
maximianus martyr. 27.27
maximianus Episcopus. 210.53
maximinus perse. 116.26.118.47
maximus a Constante occisus. 299.14.
medardus in Gallia Episc. 578.25
mediolanensium insolentia erga Imperatricem. 728.44.
medullina Romana virgo. 525.12
meldenses martyres. 60.43.
meletius Antiochenus. 205.41.
menander Samaritanus. 79.14.
menenius proscriptus. 376.23.
menenius Agrippa. 479.34.
menones Semitamidis coniunx. 530.1.
mercurius. 69.14.
merops auis. 225.3.
Mesach 82.5
Metellus pius 317.36
Metius Suffetius 369.13
Metræ martyrium 26.10
Metrodorus presbyter 86.54
Micha propheta Dei 181.18
Michael Seruetus 92.13
Michael Rabinorum Princeps blasphemiæ dat pœnas 127. 29
Michael Balbus Imp. 303.48
Michael Faber 62.42
Michael Merdius Cruzenaecensis 463.30
Michael Orientis Imp. 762.21.

Michael Rabinorũ princeps 127. 30
Miles aleator à Sathana abreptus. 140.18
Miles iniusta iudicum sententia damnatus. 627. 5
Milesiæ virgines. 512. 27
Milites Austriaci seditiosi. 435. 25
Milites quales eligẽdi sint ad bellum gerendum. 449. 27
Milites sacrilegi. 576. 11
Militum in fide Christiana constantia. 25. 1
Miles Episcopus. 186. 45. 298. 17
Milo Crotoniata. 761. 25
Miltiades. 318. 5. 386. 9. 448. 3.
Miracula circa Christi natiuitatem. 272. 16
Miracula decem in domo Sanctiarij. 308 52
Mithridates. 327. 44. 339. 26. 356. 50. eius mandato octuaginta millia Romanorum trucidantur. 396. 16
Mithridatis strages. 448. 33. uxor Monima Milesia. 505. 38. 509. 31. eunuchus Menophilus. 509. 21
Modestus Viti pædagogus. 29. 7
Modonam Turca expugnat. 441 25. olim Methona fuit appellata. ibid.
Moguntina clades. 253. 30
Moloch idolum. 9. 15. 70. 50
Monachus Burdegalensis Christi nomen sibi rapit. 89. 1
Monachus Paulum mendacij arguit. 120. 52
Monachus fulmine ictus. 125. 36
Monachus Henricum VII. per hostiam intoxicatã nefarse perimit. 401. 1
Monachus simulat sanctitatem. 615. 9
Monachi vinosi sanctitas ficta. 146. 15
Monachorũ fabulæ. 277. 46. 278. 47.
Monasterium VVestphaliæ ab Anabaptistis in summas conijcitur miserias. 109. 50. &c.
Moniales auaritia pollutæ. 671. 13.
Monica Augustini mater. 536. 28. 646. 1
Monima Milesia. 505. 37
Monomachia. 322. 55. 465. 55
Mons transfertur Christianorum precibus. 206. 36
Monstrosus partus auaritiæ pœna. 597. 1
Monstrum in mari captum. 145. 36
Monstrum funeris index. 153. 45.
Montanus. 80. 35.
Montanistæ. 80. 28
Mopsius Cretensis. 334. 4
Mores ebriorum deformes. 756. 35
Mors ciuilis. 153. 40
Mortua mulier se ipsam deuorat. 147. 19
Moschus Antimolus solas caricas comedens. 741. 28
Moses. 180. 45. 482. 15
mulier Mediolanens. puerum deuorat. 161. 54
mulier auara Sabbatum prophanat. 201. 44
mulier grauida reuixit. 207. 5
mulier famis tempore ab Angelo seruatur. 227. 17
Mulier mortua se ipsam deuorat. 147. 19
Mulier quædam fœtum edit in lucem satanicum. 163. 35.
Mulier quædam græce latineq; loquitur. 150. 30
mulieris blasphemia tragicus interitus. 140. 36
mulieris à dæmonibus raptæ clamor per quatuor auditus milliaria. 171. 41
mulieris auaræ inexplebilis fames. 615. 25
Mulieres coementes aromata vt Christum vngerent. 201. 15.
Mulieres Germanorum bellicosæ. 445. 30.
Mulieres sunt auarissimæ & insatiabiles. 370. 40
Munatius Flaccus. 413. 7
Muneribus captare fauorem populi animi non est generosi. 388. 42
Munitiones & propugnacula certam securitatem afferre nemini possunt. 448. 44
Mures granarium Rustici fœneratoris depopulantur. 595. 1
Murita Diaconus ab Arrianis interficitur. 87. 25.
Murita martyr. 255. 33
Mutij Scæuolæ virtus. 360. 49
Mutatio legum periculosa. 631. 26
Mutua fides seruorum & domini. 375. 53
Myesko. 197 22.
Myniæ ab vxoribus suis è carcere liberantur. 531. 38

N.

Nabal. 419. 24
Nadab. 8. 45
Narcissus Hierosolymitanus Episcopus. 134. 48
Narcissus calumniis cedere cogitur. 643. 38
Narcissus athleta. 296. 42
Narses Italiæ exarchus. 644. 5
Natalia virgo. 423. 55
Natalius. 516. 34
Natalius. 263. 32
Nauicula Christi. 211. 1
Nauis mira culose seruata. 230. 55
Nautarum patronus. 212. 41
Nebucadnezar. 114. 7. 252. 6. 419. 39
Negra ciuitas a Pseudomose vastatur. 44. 23
Nemerij Aegyptius martyr. 36. 15.
Nemesius. 37. 20
Nemo vt debebat, Deo pro beneficijs gratias agit. 187. 22
Nereus martyr. 36. 47. 39. 32
Nerius mercator Florentinus. 559. 40

Nero. 292. 26. parricida 326. 25. 409 6
Nerua Cocceius. 182. 52. Princeps iustus. 652 17
Nestabus martyr. 27. 45
Nestorius hæreticus. 87. 3
Neuri. 166. 48
Nicolaus de Otterdam. 59. 38
Nicolaus Amsdorffius. 149. 23
Nicolaus de petra vitam agit Angelicam. 274. 53
Nicolaus Canalis Venetæ classis Dux. 372 29
Nicolaus Fortibrachius. 412. 15
Nicolaus de Serin. 502. 20
Nicolaus Thii. 65. 6
Nicolaus nauiarũ patronus. 211, 37.
Nicolaitæ. 79. 41
Nicomachus inter tormenta deficiens Christum negat. 118. 8
Nicomedensis Regiæ incendium Christianis imputatur. 34. 23
Nicomedes. 327. 42
Nicostratus Argiuorum Imperator. 636 30
Nimrodus. 404, 54
Ninias filius Nini gulæ addictus. 775 13
Nimiuitæ. 181. 30
Ninus. 68. 31
Nixæ in aquis morantes. 143. 34
Nobilis martyr. 40. 28
Nobilis quidam diabolos inuitat. 148. 6
Nobilis quidam mulierem decipit & defraudat. 136. 50
Noetiani. 80. 40
Normanni Ecclesiam infestant. 197. 14
Normannorum clades. 304. 5. 457. 22
Nouatiani. 81. 3
Nouellus Carrarius crudelis & impius. 409. 27
Nubium allegoria. 269. 14.
Nuga de reliquiis aniles 100. 38
Nuceria. 340. 51
Numa Pompilius Magus 166. 55. 167. 1
Numerianus. 305. 41
Numidicus. 316. 25
Numulisinthis qua & Cysenis. 410. 29
Nuptiæ gentilium qua superstitione celebrabantur. 72
Nuptiæ sumtuosæ. 770. 3

O.

Ochozias. 9. 28
Ochus tyrannus. 575. 49
Ocko Frisius. 561. 7
Octauius Balbus. 334. 40
Odium Orestis aduersus Cyrillũ. 429. 45
Oedipus. 506. 26
Oenopola, homo leuis & scurra. 140. 23
Olympias. 340. 48.
Olympius hæreticus fulmine ictus. 81. 31
Omnia sunt ingrata. 339. 36
Onager sycophantiæ minister. 643. 31
Onias precibus a Deo impetrat pluuiam. Eiusdem preces aduersus populum. 204. 35
Opera quæ Deo placeant. 240. 33.
Ophitæ hæretici. 91. 6
Opii filius. 318. 31
Orare labor grauissimus. 213. 49
Orandi certamen. 214. 14
Orandum quoties & vbi. 217. 18
Orandum pro aliis. 222. 32
Oratio quid sit 215. 17. quæ non exaudiatur. 220. 35.
Orationis quis fructus, & oratione quid petendum. 218. 35
Orationis efficacia exemplis varijs & sententijs docetur. 202. 47
Orationi iugiter instandum. 221 29.
Orator martyr. 255 31
Orchamus filiam stupratam viuam dejodit. 339. 43
Oreste martyr. 41. 23
Oreste & Pylades. 487 14
Orgiagontis Reguli vxor. 539. 22.
Origenes. 277. 6. 348. 32
Orodes Partborum Rex. 334. 19
Orpheæ fabulæ historia persimilis. 143. 1. &c.
Orthodoxi cum Arrianis certant precibus, 206. 4
Osirichus Deiorum Rex. 119. 31. 303. 11
Otiosorum pœna apud Anabath. 01. 766. 42
Ottocarus, Rex Bohemiæ. 133 55.
Otto Episcopus Bambergensis. 194 38
Otto pallida mors Saracenorum. 786. 34
Otto Antonius Comes puerum in morem candelæ comburit. 409 46
Otto Magnus. 423. 454. 483 544. 55.
ipsius victoria de Vngaris. 457. 27
Otto II. 428. 44
Otto Saluius. 479. 49.
Otto Imp. sibi ipsi mortem conscisiuit. 508. 1. 511. 30
Ottonis milites. 483. 304
Ottonis Tertii vxor impudica. 518. 41
Ottomannus Mahometes. 441. 17
Otto Vngarorum Rex Petro Regi succedit in regno Vngarico. 658. 1.

P.

Paches Dux callide periurus 131.47
Pacis studium & cõmoda 479.3. &c.
Padylus 17.21
Patus coniunx Arriæ 511.8
Palæmonis diæta 740.17
Palmaris asinus 98.42
Pambo Abbas 241.8
Pambo Monachus, & odium eius aduersus superbiam & impietatem 737.1
Pammachij Cos. Rom. martyriũ 38.18
Pantaleon tyrannus 411.8
Panthea Abradata vxor 534.26
Pantheræ gratitudo 378.7
Papinianus Iurisconsultus 397.15
Paphnutius 516.25.517.2
Parentes dira imprecantes liberis 343.1.&c.
Parentum erga liberos amor 333.19. & sequentibus. lenitas etiam erga peruersos liberos 335.1.&c.
Parisatidis sæuitia 408.50
Parochus rusticis saltantibus ludit fidibus 201.1
Parochus Mariæ habitu assumpto puellam decipit 94.9. 95.2
Parricidium in templo Hierosolymitano commissum 404.5
Parricidium primum Romæ, eiusq; pœna 325.15.&c.
Parthenius homicida 403.43
Pasetis præstigiæ 166.42
Pastor adolescens Christum confitetur 37.
Patauia 253 46
Paterniani 88.21
Pater gaudio mortuus 335.47
Paterna storge 420.10
Patriæ amor 359.25.&c.
Patriæ proditores 368.53.369.1.&c.
Patricius Hammilton Scotus, Regij stemmatis martyr 62.30
Patropassiani 80.43
Paulina Senecæ vxor 534.42
Paulina Saturnini vxor, impij Sacerdotis præstigijs decipitur 537.24
Paulinus Episcopus fidem in Anglia propagat 192 39
Paulinus Iudex diuinitus punitur 296.44
Paulus Samosatenus 88.47
Paulus Apostolus 15.19 264.47
Paulus Æmylius 428.17
Pauli II. fastus 738.2
Pauo hypocritarum imago 271.25
Papylus martyr 17
Pausanias Lacedæmonius 337.29.369.36.&38
Pausanias filiam ciuis Byzantij rapit 694.49
Pausuniæ insolentia à Simonide reprehenditur 773.1
Pelagiani 88.8
Pellicani allegoria 268.22.&c.
Pellicanus auis boni Principis imago 268.26
Pepuziani 80.28.91.15
Peregrinatio puerorum ex diaboli præstigijs orta 92.30
Peregrinatio ad S. Michaelem 96.34
Peregrinatio Seefeldensis ibid.41
Peregrinatio ad domum Nicolai 97.39 ad S. Mariam Ratisbonensem 98.7
Perfidia Bessi erga Darium 395.32
Perfidia immauis tyranni Turcici 442.10
Pergameni infantem coquunt 166.34
Pergentinus & Laurentius fratres 226.17
Perillus 416.28
Periuria, & eorum pœnæ 130.37.&c
Periurus hospes 136.12
Periurus punitur diuinitus 129.50
Perpetua 29.33
Persarum libido punita 539.47
Persecutio fidelium sub Maximinis 40.24
Persecutio Hispanica 66.38. Gallica ibi. Neapolitana 67.38. Alexandrina 39.53. Vandalica 35.22.& ibid. 45.43.19. Lugdunensis 115.6
Persei erga fratrem Demetrium machinationes 424.2
Perses, vino quam tormentis vti maluit ad veritatem rei inquirendam 665.40
Pertharius ab Angelo in patriã reuocatur 230.21
Pertharius ad Grimoaldum fugit 491.24
Pescennius Niger 579.39. 714.23
Pestis à maleficis excitata 172.23
Pestis Casali sæuit 172.8.&c.
Pestis Patauinos ex maleficorum hominum intoxicatione & fraude infestat 172.23
Pestes Rerump. maximæ 480.40
Petilius Lethum capit 474.22
Petronella 39.27.528.12
Petrus Cubiculatius Diocletiani mart. 24.27
Petrus martyr 38.49
Petrus Flietsteden martyr 54.37
Petrus Gaudetus martyr 55.5
Petrus Clericus martyr 60.45
Petrus Brullij martyr 61.28
Petrus Berberius martyr 64.25
Petrus Apostolus 10.24.212.19. 263.19.291.55.292.1.&c.
Petrus Aloysius 415.43
Petrus Candianus Venetus 410.39
Phædonis filiæ morte pudicitiam tuentur. 524.26
Phædra Hippolyti nouerca 341.24
Phago gulosus 761.32
Phaon hominum pulcherrimus 787.16
Phalaris 416.28
Pharao Meldensis Episcopus 213.22
Pharao tyrannus 251 29
Pherecydes blasphemus phthiriasi perit 119.38
Phero Ægypti Rex cæcus 527.13
Phila Demetrij Regis coniunx 530.34

Philæas

Philæas martyr 28.6
Philemon risu moritur 336.8
Philem Carthaginenses vitam propatria proijciunt 366.8
Philippi Melanchthonis vita 226.29. &c.
Philippi Regis Macedonum clementia 494.8
Philippi Arabis ingratitudo 683.1
Philippus Apostolus 12.13
Philippus Macedo periurus 129.49
Philippus Imperator ab Ottone Witelbachio trucidatur 491.33
Philippus Fuluij Flacci seruus 663.29
Philippus Imperator ab Ottone Witerbachio perfide interficitur 658.26
Philistinorum aurea sacrificia 75.22
Philopœmenes Achæorum Imperator 424.14
Philoromus martyr 28.4
Philoxenus cupediuora 750.17
Phocæa sacerdos in feruentes aquas demergitur 37.28
Phocæ aduersus Mauritium crudelitas 400.32
Phocæ scelera & pœnæ 692.11
Phocenses sacrilegi 575.27
Phocion 367.42. 387.31
Phocionis & Nicoclis amicitia 488.31
Photiniani hæretici 86.35
Photinus Gallogræcus 88.38
Phraates parricida 410.3
Phraotes Rex Indiæ 742.22
Phrenetici 155.36
Piastus Angelos excipit hospitio 224.32
Pictor Christum derisui habens punitur diuinitus 117.22
Pilapij 106.3
Pilati interitus 79.4. 292.7
lacus 791.18
Pimenio Abbas 198.22
Pionius martyr celeberrimus 17.12
Pior Monachus 297.17
Pirata Diomedes 585.9
Pisa in lapides transmutata 596.38
Piscatoris vxor 530.45
Pistores furaces 581.35
Pithomena virgo 526.13
Pithones & diuini 166.1
Pittacus Mitylenæus 634.16
Pittaci lex de temulentis 749.19
Placilla Theodosij vxor 482.46
Plato iratus dum esset seruo, eum castigare noluit 430.3
Plauctanus 418.10
Plautus poeta 350.37
Plinius Secundus 37.32. 292.50
Plotina Traiani Imperatoris filia 269.14
Pluuiarum & nubium allegoria 269.13
Polemon luxuriosus 754.13
Pollia Luciani vxor 358.43
Poloni ad Christum conuertuntur 197.20
Polonus leoni ouē eripit 656.1
Polycrates Samiorum tyrannus 774.11.
Polycarpus martyr 17.1.38.53
Polyeritus Ætolarcha 474.45
Polydamas Athleta 464.42
Pomerani ad Christum conuersi 194.51
Pompeius 361.21.368.16 somnio deceptus 473.45
Pontia insula 39.36
Pontianus Romanus 47.12
Pompeij erga Gracchum amor 484.26.
Pontificis aduersus regem Angliæ perfidia 371.4 auaritia omnium aliorū auaritiam superat 612.47. fastus & contumelia aduersus Fridericum Barbarossam 727.3
Pontifices Romani primæ classis martyres Christi 46.3. &c.
Pontificiorum scelerata perfidia 440.11
Pontij illustre martyrium 39.16
Popo miraculo fidem confirmat 87.47.211.17
Portia Catonis filia 510.23. 531.14
Porus Rex India ab elephanto seruatur 379.50
Porus Rex Indiæ potentissimus 711.46
Posthumius Tiburtus 337.14
Posthumus consul Romanus 452.47
Portentum in Iouis statua 86.7
Portento inflammati milites ad arma capessenda 474.26
Potamœna martyr 32.3
Potamiænæ martyrium 19.39
Præcipitantia damnosa 770.5
Prædicatorum Bernensium, & Pseudofrancisci impostura 94.9
Præfectus Berœensis 337.1
Præfectus Seelseldensis eminentiorem petit hostiam 96.49
Præfectus classis Genuensis Christianorum proditor 440.17
Præstantij pater se equum esse, & frumentum portare putat 171.5
Præstigiator Romæ diripiendæ consilium quærit 143.49
Triapus 72.39
Primitiuus exuritur 37.18
Prisius Æliam Ferrariæ principem in carcerem conijcit 327.46
Priscus martyr 19 41.25.26
Prisca martyr 32.10
Priscillianistæ 88.10
Probatas præpostera 340.4
Processus martyr 36.35. 296.54
Proclus Episcopus 186.40
Procopij martyrium 41.37
Proditores vbiq; odiosi 370.30
Proditorum pœna immanis 369.46
Prothea temulentia 750.3
Protogenes ludimagister procibus ægrotos sanat 205.24
Prosie idolum 73.51
Propheta nouus artifex 108.39.
Psammenitus Ægyptij Rex 486.21
Psapho Libycus diuinitatis opinionem affectans 723.30

Pseudomoses in Christi fideles sauit 44.25.
Pseudochristus in Gallia 89.1
Ptolemæus martyr 25.51
Ptolemæus Euergetes 338.24
Ptolemæus Lathurus 406.48
Ptolemæus Philscon 413.27
Ptolemæus Philadelphus 186.13
Pub. Rutilius 363.16
Pub. Catrenus Philotimus 375.49
Pub. Catieni erga patronũ amor 485.29
P. Terentius Comicus 506.15
Puella à Sathana suffocatur 144.26 *à Sathana agitata res miranda agitat* 148.36.150.45 *Ægyptia se in equam mutatam putat* 171.19 *misere à Satana vexata* 152.45 *tibi absistinens* 275.13. *pudicitiam callide tuetur* 552.5
Puerpera à Satana affligitur 346.5
Puer septennis Christum profitetur, & martyrio coronatur 42.42
Puer ab Angelo seruatus 226.6
Puer Iudæi in clibano ardẽte seruatur 225.10
Pueri in subeundo martyrio generositas 44.34
Pueri septennis confessio 42.42
Puerorum constantia in confessione veritatis 191.15
Pugna Israelitarum aduersus Amalecitas & Madianitas 432.46
Pyastus. vide Piastus.
Pyramus & Thysbe 507.13
Pyrea Persarum templa 40.44
Pyrrhiniculus Vasco 745.41
Pyrrhus Epirotarum Rex 376.38.429.34
Pythagoras 428.11
Pythius totus auro congerendo intentus 605.47

Q.

Quales milites ad pugnam eligendi sint 449.27
Quercus duritiem lapidis assumit 162.33
Quidam sibi imprecatus à Satana verberatur 136.37
Quinq; virginum martyrium 36.50
Quinta martyr 31.30
Quintus Ælius Latus 296.37
Quintus Fabius Maximus 430.49
Quintus Catulus 509.8
Quiritius martyr 38.25
Quomodo orandum 213.1.&c.

R.

Radagisius Obotritorum Deus 73.43
Raguel filiæ præcepta dat 314.33
Ramirus Hispaniarũ Rex 227.49
Rathbodus Dux Frisonum à diabolo illusus 237.55
Ratisbona 496.48.581.44
Rattias vnus de senioribus Iuda, sibi ipsi mortem conscisci 503.47
Rechabita 314.14
Recte orare labor grauissimus vel difficilimus 213.55
Regenarius Normannorum princeps 575.24
Regina Persarum fidem Christianam amplectitur 185.22
Regina virgo martyr 31.14
Regingerus Imperatoris proditor 651.3
Regnandi cupido lanienas excitat 682.19
Regnerus Daniæ Rex 304.10
Regnum nobilis seruitus 366.1
Regnum Leidensi decretum 108.45
Reliquiæ Sanctorum 99.3
Reliquiæ trium Regum Coloniã translatæ 100.8
Renatus Poyetus 64.38
Renatus Lotharingiæ Dux 496.8.
Reparatus exacta lingua Christũ prædicat 34.1
Rex anabaptisticus reginam decollat 109.39
Rex Hungarorum 185.32
Rex Narsinge & Calechut 104.16
Rex Thracum filijs oculos eruit 337.4
Rhanconis in filiũ seueritas 337.50
Rhatarius præfectus Massiliensium 576.29
Rhodij Timocreontis edacitas 761.19
Rhodogune Darij filia 708.43
Rhomylda vxor Sigulphi patriã prodit 705.16
Rhossi miraculo ad fidem perducti 193.32
Riccius Monteclarius 412.23
Rindfleischius Iudæos exterminat 92.36.
Ritigerus princeps Teutonum 505.10
Roberti Britãniæ Regis vxor 532.36 60.1
Robertus Agnus
Robertus Barnas martyr 55.15
Robertus de Licio 202.9
Robertus Guiscardi 166.16
Robertus Hierosolymorum Rex 357.30
Roboam 251.50
Rochus statuarius ignis supplicio ab hypocritis afficitur 58.55
Rodericus Gutherius 133.20
Rodericus Gothor. Rex 538.41
Rodoaldus in adulterio deprehensus 490.39.539.5 *Longobardorum rex* 539.5
Rogerius Anglus martyr 52.22
Rolandus Caroli Magni nepos 463.11
Roma Christianorũ laniena 40.6
Romanæ vrbis superbia 723.1
Romani Antichristi aduersus ecclesiam tyrannis 36.4
Romani illustre martyriũ 42.12
Romani Episcopi vel Pontifices primæ classis martyres 46.3.47.1.48.1
Romani pestilentiam incantamẽtis pellunt 166.23.
Romanorum in Christum blasphemia 117.28
Romanorum xxc. millia iussu Mithridatis interficiuntur 396.26
Romanorum veterum frugalitas 742.26

Romanus 42.15
Romulus 421.33.461.55.466.28
Romunaldus Abbas 212.49
Rophilus Topilienſis ibid.32
Roſimunda Albotni filia 397.50.558.38
Ruben
Rubertus Francorum Rex pius 187.16
Rubezal ſpectrum 145.2
Rudolphus aduerſus Henricum Quartum incitatur 133.33.&c.
Rudolphus Habſpurgenſis 133.53
Rudolphus Herulorum Rex ſecuritate ſe perdit 426.30
Rudolphus de Erbach Dux Bernatium 453.14
Rudolphus Dux Auſtriæ ad ſupremum iudicem citatur 626.47.
Rugas fulmine ictus 186.37
Rumetruda Tadonis filia 426.12
Rupertus Epiſcopus Wormatienſis 194.3
Ruſticus aquam affert Artaxerxi 375.16
Ruſticus cõemptor verbi & Sacramentorum 121.10
Ruſticus fœnerator ſeipſum ſuſpendit 594.43
Ruſticus per autumnum & hyemem dormit 275.37
Ruſticus granarium incẽdit 595.14
Ruſtici quadraginta martyres 254.6
Ruſticorum ſeditio 436.3. in Marchia Vandalorum 442.45
Ruth ſocrus Noëmi 482.21

S.

SAbarai Ægyptiorum Rex 427.51
Sabelliani 81.40
Sabinianus hæreticus miraculoſe punitur 84.21
Sabinæ martyrium 39.40
Sabinus Epiſcopus 483.38
Sabinus eques Romanus 505.50
Sabbathi profanatio punita 200.21.&c.201.1.&c.
Sacerdos impius & libidinoſus 550.50
Sacerdos auarus ſepulturam vẽdit 611.55
Sacerdos blaſphemus à diabolo arreptus 120.21. morte ſubita extinctus 121.7
Sacerdos prodit quæ in confeſſione audiuerat 656.50
Sacerdotium venale 669.4
Sacra aurea 75.19
Sacra Herculis Lindiũ 77.14
Sacramenti profanatores canibus diſcerpuntur 118.26
Sacramenti contemptus punitus 97.32
Sacrificia Philiſtinorum aurea 75
Sacrificulus ſuperſtitioſus turbine auſertur 121.19
Sacrificus ob libidinem caſtratur 548.1
Sacrilegium Bonifacij octaui 576.55
Sadrach 8.25
Sauitia Caligulæ 396.31
Saladinus Aſiæ, Syriæ, & Ægypti Rex 800.45
Salome Alexandra 406.25
Salomõ 187. mulierum amoribus correptus 9.11
Saltatio portentoſa 155.7
Salzburgum 253.47
Sambicus latro 574.50
Samoſatenus 80.41
Samſon 261.1
Samuel 181.13. apparens Sauli ſpectrũ fuit diaboliciũ 154.50
Sancti Diaconi illuſtre martyriũ 28.15
Sanctificatio Sabbathi præmio ornata 200.7
Sanctitas monachi vinoſi ſimulata 146.15
Sanctus Hiſpaniæ Rex 418.21
Sanctulus Abbas 483.24
Sandaducoma 37.52
Sanguis Chriſti Mantuæ oſtenditur 99.55
Sanguis è pane effluit 275.54.443.44
Sannas martyr 38.5
Sapores perſecutor Chriſtianorum 21.8.23.6.26.31.35.16.186.44.297.3
Sapores Rex Perſarum 35.16.720.42
Sappho Lesbia 359.17
Sardanapalus 365.25. fœdum voluptatis mancipium 749.6
Sargapiſes Thomyris filius 509.42
Saraceni oppugnant Conſtantinopolim 208.26.303.27 è Gallia eyciuntur 208.31
Satanas cõcubinam ſacrifici auſert 152.42. equiti famulatur 154.3
Satanas honeſtæ viri filiæ inſidiatur 147.37. complures pueros & puellas in Saxonia auſert 348.1
Satanas tibicinem auſert 146.45
Satanæ poteſtas 141.27
Satyri erga veterem amicum ita defunctum fides 493.10
Saulus 336.41.419.14. homicida 393.3
Saxonum origo 459.8
Scanderbeius 463.42
Scaturigines fontium tres è ſaltu capitis Pauli 101.29
Scedaſi filiæ 527.35
Scholæ Hamburgenſis fundatio 277.15
Scilurus ſophiſta 480.50
Scipio Africanus 319.15.385.4.430.20.462.20
Scipio Pompeij Magni ſocer 508.47
Scotiæ martyres, in fano Iohannis, tiues primary, inſultãm Monachi concionem reprehendentes 60.1
Scrutatores diuinæ maieſtatis 274.28
Scurra blaſphemus animam vẽdit 119.3
Scytharum crudelitas 410.32. generoſitas 455.7
Seba ſeditioſus 432.35
Sebaſtianus martyr 18.22
Secunda martyr 38.37
Secundi Philoſophi in probanda

mulierum pudicitia audax facinus. 519.19
Seditio Iudæorum sub Claudio & Traiano 433.5. & 9. rusticorũ. 436.3.442.47.
Seditio orta Romæ propter nexus 433.28
Seditio apud Venetos. 435.21
Seditiones in Ecclesia. 434.4
Romanorum. 433.28.
Seianus. 413.50
Selimus Turcarum Imperator. 326.53
Selimus vrbs Ciciliæ Traianopolis quoque nuncupata. 293.15
Semiramis. 63.38.409.51. 427.41.444.48
Senacherib. 114.1
Senectus apud Romanos honorabilis. 354.48
Senex Philosophum disputantem conuincit. 183.30
Senex quidam pro salute Persarum se deuouet. 364.40
Septem dormientes. 255.1
Septentrionaliũ superstitio 73.28
Sepulchra paterna. 455.10. 803.4
Sepulchrorũ violatores. 803.35
Sepultura honorabilis 802.34
Seraphia 39.41
Serapionis Sidonij erga pauperes benignitas 273.1
Sergius martyr 41.26
Serpentum incantatores 199.33
Serulus mendicus literarum ignarus Euangelium docet 277.36
Seruus heri proditor 636.34
Seruus Domino fidus à populo ornatur ibidem 48
Seruus Pollionis Crystallinũ vas confringit 640.10
Seruus Barbarus Asdrubalem interemit 666.49
Serui erga herum fides insignis. 375.42
Seruus sartoris cuiusdã seipsum præcipitat 125.2
Sesostris Rex Ægypti 722.34
Sethon Rex Ægypti 469.49
Seuerinus Abbas 212.38.
Seuerinus Germanis annunciat pœnitentiam 253.37
Seuerus Antiochenus Episcopus blasphemia dat pœnas 87.16
Seuerus Imperator 418.10
Seuerus Antiochenus Episcopus 577.8
Sigismundus Imperator 136.6. 356.35.494.46. contemnitur ab vxore 560.15
Signifer somnio monitus periculũ euadit 474.13
Signi ingentes calamitates præmonstrari solent 443.21
Silinus martyr 255.31
Simon Apostolus 13.21
Simon Magus 78.37. 670.4
Simon Samaritanus 78.27
Simon Turcus Lucensis mercator 499.17
Simeonis Episcopi Sileucia, & aliorum martyrium 18.28. 26.30.30.18
Simphorianus Diuus 76
Simplicius martyr 38.21
Simulachrum Christi crucifixi, & Mariæ virginis 101.11. & 20
Simulachra automata 98.47
Simulachra gentilium qualia 83.45
Sirenæ & Delphini 269.52
Sisara 405.5
Siuua idolum 73.53
Sixtus martyr 21.30. 46.24
Smaragdus Italiæ exarchus 302.17
Soconus rex Sarracenorum 205.14
Socrates petulantiam cuiusdam patientissime fert 430.8
Soldury Gallica societas 489.16
Solymanni sæuitia & victoria 441.33
somnio proditum homicidium 470.18
somnium diabolicum 428.4
Sompar Germanorum rex & Deus 74.18
Sophronia Romana 510.27.525.15
Sosipatra vates Lyda 359.4
Soter Campanus 46.37
Sparta honestissimum senectutis domicilium 355.12
Spartanæ virgines 525.54
Spartanorum trecentorum fortitudo aduersus Xerxis copias 452.24
Spartiatarum continentia 743.47
Spectrum Sathanicum in Marchia 156.47.157.1. & Cistrense 157.11. Mechelrodense 235.1
Spectra diabolica 147.37
Spertius & Butus pro patria morti se offerunt 364.19
Spiridon fures comprehendit 577.45
Spiritus in arcula aurea conclusus 143.45
Spoletinorum calamitas 86.14
Sp. Cassius Romanus 338.50
Starcharetus Gigas 511.16
Statteus 37.20
Stephanus Pontifex martyr 88.43
Stephanus Mangris martyr 60.46
Stephanus Protomartyr 452.40
Stephanus pro Episcopo Sycophanta 643.27
Stiliconis Scriba 118.30
Stilpo Megarensis 349.19
Stratonis Sidonia Principis vxor 511.3
Strudelon 144.6
Struthiocamelus hypocritarum imago 271.41
Suadopolcus parricida 402.52
Suantouito idolum 73.45
Subdiaconus à diabolo afflictus 211.50
Succubus 143.28
Suetus Germanorum rex 74.28
Superbia vxoris viro exitialis 557.5
Superstitio gentilium & idololatriæ 68.24
Superstitio inhumana 413.44
Supplicium maleficij leuioris grauissimum 584.16
Supplicium scapharum 405.43
Susanna 252.9
Sybaritarum luxus 537.12
Syllæ crudelitas 410.37

Syllius Italicus 510.43
Syluanus Episcopus veritatem constanti fide tuetur 84.26
Sylueſter primus 48.21
Sylueſter Secundus à ſathana deluſus 156.16
Symmachi & Boëtij cades 400.8
Symphoroſa cum marito & ſeptē liberis martyrizatur 37.19
Syphacu regis infortunium 781.13
Syracuſana ſeditio 370.50.

T.

Taherius Hiera 487.53
Tado Longobardorum rex 426.9
Tamburlanus rex inſigne exemplum abſtinētiæ 674.55.675.1 eiuſdem fortuna 777.29. ſeueritas in furto punendo 580.9
Tameri frater 125.39
Tamerlanes 300.1.410.17
Tādemus diabolicæ improbitatis impoſtor & hæreticus 91.18
Tangut regio quædam 164.47
Tanyſia Titi Iunij uxor 530.38
Tarbula ſerra diſſecatur Chriſti martyr 30.18
Tarentini molles & delicati 760.36
Tarpeia arcem prodit 369.1
Tarquinius regnum occupat 422.8
Tartarorum victoria parum honeſte parta 442.26
Taſſilo Boiorum rex 134.15
Tatianus hæreticus 86.50
Tatianus martyr 21.19
Taxis rex Vngarorum 691.24
Taxilo Bauariæ dux 462.49
Tecla Pauli diſcipula 30.54
Tecla virgo 524.10
Telamon filij mortem forti animo fert 800.13
Telemachus à Delphino ſeruatus 383.11
Teleſphorus 46.27
Tempeſtas vehemens 231.26. 247.16
Tēplarij quādo cœperint 727.25
Templum Apameenſe 84.6 Babylonicum 68.38. Delphicum 85.10. Mahometi 103.41
Templum à Chriſto conſecratum 211.55
Temulentia Protea & Alexandri 750.3
Terentiana Valentiniana 535.1
Terentius Romanus erga Scipionem gratus 377.3
Teribaza veſtis dilacerata 735.16
Teridates cum ſuis in porcos mutatus 297.20
Terra per Herculem à latrocinijs repurgata 502.30
Terræmotus & fames ſub Iuliano 297.48
Teſtamentum Canonici 616.33 pauperis Eudamidæ 488.37
Teſtamentum Caroli Magni 693.39
Teſtimonium de Chriſto tabulæ lapideæ inſcriptum 272.10
Teuf Ithyra 144.14
Teuto 74.37
Teutonicorum fratrum clades 439.4
Thais autor incendendæ regiæ Perſepolis 551.30
Theagenes Athleta 761.25
Thebani belli origo 537.4
Themiſto puella heroica 417.24
Theodatus Gothus 386.42
Theodectes Pſaltis ſacra miſcēs punitur 119.55
Theodericus Gothorum rex 188.19.400.9
Theodericus de Werningrode pacis violator, capitis ſupplicio afficitur 584.3
Theodo rex Boiorum ad Chriſtum conuertitur 400.4
Theoderici pueri indoles 279.11
Theodericus Epiſc. Treuir. 304.33
Theodorus Pſaltes excarnificatur 20.20
Theodorus Santabarenus Monachus homo nefarius 650.16
Theodora martyr 31.46
Theodora virgo Antiochena 483.4
Theodoſia virgo martyr 31.50
Theodoſius martyr 38.50
Theodoſius Imperator delubra & dolorum euertit, 83.35.186.6 filios Arſenio cōmendat 348.51
Theodoſius Secundus 276.28
Theodoſius Imperator manſuetus 479.55 precibus aduerſus hoſtes pugnat 186.6.206.16.419.44.429.10. ſomnio mouetur arma aduerſus hoſtes capere 468.33
Theodotus in Chriſtum blaſphemus 91.30
Theodulus martyr 21.19.37.38
Theogenes Numantinus 508.40
Theophili Imperatoris iuſtitia in puniendo furto 580.24
Theophilus martyr 25.3
Theopompus infeliciter ſacra tractat. 119.48
Theotecni impoſtoris impietas 118.33 (25 3
Theoxena Poridis uxor 504.7
Theramenes domo illapſa incolumis euaſit 774.20
Theſca Dionyſij ſoror 534.48 703.53
Theſeus Athenienſium rex 385.52
Theſſalonienſium clades 419.33
Theudas ſeductor 78.18
Thibron 131.40
Thiemo Saltzburgenſis Epiſcopus martyr 45.46
Thomæ Blaureri deſperatio 127.47
Thomas Apoſtolus 12.37
Thomas Rhedonenſis Gallus martyr 52.6
Thomas Eboracenſis Epiſcop. 522.33
Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus 711.15
Thracenſium uxores 532.24
Thraſybulus Athenienſis 477.36
Thulis rex Ægypti 720.45
Thuringi regi Vngarorum pendet tributum 189.22
Thyeſtes & Atreus 340.7

Tibicines Romani 760.1
Tibicinem ausert Sathanas 146. 45
Tiburtius 32.24
Ticemannus Marchio Thuringiæ 402.4
Tigranes Luculli copias irridet 449.45
Timanthes Cleonæus 510.32
Timoclea Thebana 524.51.539.7
Timocrates tyrannus 417.49
Timoleon contra datam fidē Milarcum interficit 132.5
Timoleōtis victoria illustris 452. 20
Timon misanthropos 487.42. 729.18
Timotheus presbyter 40.24
Tiso de Campo 544.51
Titus Vespasianus 478.8.490. 12
Titus Iubelius Taurea 508.55
Tomyris Scythiæ Regina 448.9. 509.42
Totilas 495.1
Tragœdia de Passione Christi 273.39
Traiani & Suræ amor 485.47
Traianopolis 293. 15
Traianus quinq; virgines Christum confitentes comburit 36. 50.37.25
Transfuga in bello, eorumq; pœnæ 371.21.&c.
Trasamundus rex Vandalorum Arriana impietate infectus 324.1
Trebonius adolescens 523.6
Trecenti martyres Carthaginenses 38.29
Tribuni officium 579.48
Tribunus auarus lapidatur 611. 46
Trinitas 248.41.&c.
Triphon Brandenburgensium idolum 74.3
Tripus aureus 678.3
Troiani belli origo 536.51
Trophimus Arelati Euangelium prædicauit 198.4
Tryphon 20.34.37.52
Tryzus tyrannus 409.18
Tucia 527.20
Tugrensis Episcopus ob scortationem reprehensam interficitur 305.30
Tuisco 68.25
Tullia scelerata 325.17
Tundali Equitis allegoria 266.23
Turca Viennam obsidet 442. 10
Tyberius martyr 38.24
Tyberius 396.40.407.25
Typasa 34.27.411.35
Tyrannus Saturni sacerdos 538.3
Tyrannorum vita & fœlicitas qualis 411.53
Tyrasius martyr 38.53
Tyrtæus Poëta 461.42.

V.

Valasca Bohemorum Regina 444.40
Valdenses martyres 66.4
Valens Imperator 165.14
Valens 182.44.395.50 298.1
Valentinianus orthodoxam fidem impugnat 23.42. aqua lustrali spargitur ibidem 17
Valentiniani hæretici 81.53
Valeria vxor Vitalis martyrio affecta 39.12
Valerius Torquatus 362.40
Valerius Treuiris & Coloniæ prædicauit Euangelium 198.6
Valeria Messalarum soror 708. 29
Valeriani seueritas aduersus raptorem hospita 538. 37
Valerianus à Sapore captus 39. 23
Valerianus à Mago seductus 117. 35.295.3. excoriatus 295. 9.
Valerianus martyr 38.25
Valesij hæretici 91.33
Vandalica persecutio 35.22. sub Ottone III. ibidem 45
Vandalorum idola 73.41
Varius Heliogabalus 397.21
Vbaldus Episcopus 480.5
Vdo Sclauorum Princeps 304. 26
Vecta insula fidem Christianam amplectitur 192.21
Vedius Pollio 408.39
Venationi se diabolus frequenter immiscet 139.21. &c.
Venda Polonorum Regina 505. 5
Vendfica muta 173.16
Venefica mulieres 398.13
Veneficij pœna 169.30
Veneti erga Dædalum grati 376. 17
Venuscani 88.21
Verbi contemptus punitus 186. 48
Verbi diuini virtus 198.20
Vergilij versus optimus 153.12
Vespasianus sordide auarus 607. 28 eius habitus 733.1
Vestales virgines 527.22
Vsso Danorum Regis Vuermundi filius 321.10. 464.4
Vgrorum fortuna, & rursum infelicitas 784.22
Vibius cum XXVII. Senatoribus Campanis venenum hausit 504.12
Victor Germanis pœnitentiam prædicat 253.37
Victor Aphricanus 46.46.
Victoria illustres in Veteri Testamento 445.4. &c.
Victoria constanter Christum cōfitetur 29.53
Victorianus Adrumetinēsis martyr 24.5
Viennam Turca obsidet 441. 33.
Viennenses aduersus Imperatorē seditiosi 435.34
Vincentius martyr 19.44
Vincere seipsum victoria pulcerrima 495.44
Virgines Antiochenæ 33. 6
Virgo biēnium cibo abstinet 274. 46
Virgo linguæ latinæ ignara dicit, quis optimus sit versus in Virgilio 153.9
Virgo sanguinem plorat 173.8
Viriatus Lusitaniæ princeps sobrius 744.6. dux e pastore factus 777.5

Vitalis martyr sub Diocletiano 24.46 sub Nerone 39.10
Vitellius hostis sui proditores interficit 637.4
Viti martyrium 29.4
Vitiza Gothorum rex. 305.23
Vitoldus Lituaniæ dux 407.6
Vlricus a Cosheim 651.13
Vngari Bremam infestant 304.16 a Turcis cæsi 441.11
Vngarorum rex ad fidem conuersus 185.32
Vngarorum insolentia contra Ottonem Magnum 454.49
Undecim millia virginum 35.42
Vnno Diaconus Episcopatū Bremensem adipiscitur 196.18
Vnulphi erga Tertharium fides 491.50
Volumnia Coriolani vxor 323.19
Volumnij erga Lucullum amor 484.34
Vptarus Hunnorum rex 191.4
Vpupa 324.54
Vratislauiensis tempestas 227.31
Vratislaus Lucensis 171.26
Vrbanus Ermtraut octuaginta octo horis sub terra latet 229.20
Vrbanus Romanus 47.8
Vrbicius iudex in Christianos sæuit 25.52
Vrsula 35.42. virgo inferioris Germaniæ 59.47
Vrticinus Rauennensis Medicus martyr 39.4
Vsthazanes educator Saporis martyr 26.46
Vta Theodonis filia 45.27
Utz Neusesser rusticus incantamentis exagitatus 168.5
Weldingste cœnobium 77.12
Welphonis peregrinatio Hierosolymam versus suscepta 45.40
Wencesiaus Bohemiæ Rex pius, & martyr 426.1
Wendelmuth vidua martyr 59.30
Wermundus Danorum rex 321.10
Wigetus Anglus martyr 52.20
Wilhelmus Askevve 59.42
Wilhelmus Therpe Anglus martyr 51.21
Wilhelmus Tailour 51.46
Wilhelmus White ibid. 50
Wilhelmus Zuollensis martyr 54 52
Willigisus archiepiscopus Mogūtinensis, patre natus plaustrario 714.34
Wintherus Mersburgensis episcopus 755.54
Wirtenbergensis Ducis ex hac vita discessus 255.37
Vxor virum suum occidit & deuorat 558.19
Vxoris superbia 557.51

X.

Xanthia in exeidio publico laqueo seipsam suspēdit 508.36
Xanthij in Lycia in seipsos sæuiunt ibid. 32
Xenocrates munera Alexādri repudiat 679.12
Xenocratis integritas 128.47. mānsuetudo 428.14
Xerxes aduersus mundi elementa sæuit 424.52
Xerxij erga Pythium ingratitudo 386.24. aduersus Græcos expeditio 447.41. 473.28. libido 695.11. furor & iracundia 424 50

Z.

ZAcharias Propheta in vestibulo templi lapidibus obrutus 16.8.291.6. &c.
Zaleuci lex 540.48.621.47
Zedechias 114.33
Zelotypia coniugum 554.39
Zeno crudis tantum vescebatur palliumq; prætextæ solebat gestare 744.3
Zeno Eleates 666.10
Zeno Imperator patriæ quietem imperio præfert 363.23
Zenobia 228.13.358.3.444.55
Zenon Gazensis martyr 27.45
Zenon Romæ Consularis cum MCCIX. martyrizatur 37.40
Zepherinus 46.52
Zernebock numen Vandalorum 73.47
Zigeuni 83.28
Zisca Hussitarum dux 435.47
Zocomus rex Sarracenorum 205.14
Zopyri fides erga Darium 365.13
Zoroastres Magus 172.40
Zosima vitam agit monasticam 301.43
Zuttiberus sylvarum Deus 74.8

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFORTI AD MOENVM, APVD IOANNEM FEIERABEND.



M. D. XCVIII.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W POZNANIU

